

R-1978

FUENTE, Gaspar de la


Quaestiones dialectical & phys-
sical ... / Gasparis de la Fuen-
te ... — * Lugduni: Sumptibus
Jacobi & Andree Prost, 1631

R. P. FR. GASPARIS
DE LA FVENTE
TOLETANI.

IN CELEBERRIMO MINORITARVM
Regularis Observantiae S. DIDACI Complutensi-
Subinae Coenobio S. Theologiae Lectoris,
Quaestiones Dialecticae, & Physicae.


Ad mentem subtilissimi Doctorum IOANNIS DVNS Scoti.

PRODEVNT NUNC PRIMUM.



LVGDVNI.
Sumptibus Iacobi & Andreae Prost.

M. DC. XXI.



*Censura R.P. Fr. Ioannis de Soria Lectoris Iubilati,
& Castellæ Prouinciæ Custodis.*

DE mandato Reuerendi P.N.Fr. Didaci de Herias, huius nostræ Prouinciæ Pastoris, & Ministri, ea qua potui diligentia, animique vigilantia euolui accuratèque perpendi Summæ Summularum libros, ac in vniuersam Aristot. Dialecticam, & Physicam commentaria, authore Doctissimo P. Fr. Gaspare de la Fuente, in Complutenfi Cœnobio S. P. N. Francisci regularis Obseruantia sacre Theologiae prælectore, quæ quidem omnia sine admiratione transcurrere non potui, ob authoris singularem eruditionem multis retroactis sæculis mihi perspicuam, miramque in dicendo claritatem cum soliditate coniunctam, & plenitudinem difficultatum cum breuitate sociatam, quæ duo simul in vnum maximis etiam viris, & de hoc argumento benemeritis in hoc opere valde fuit semper difficile coniungere. In quo quidem nihil quod non sit vbertate doctrinae fecundum, & omnibus numeris absolutum, nihilque non orthodoxæ fidei congruum reperi, existimoque non tantum Scoticæ doctrinae nostræ scholæ alumnis, sed & omnibus Philosophiæ, ac sacre Theologiae candidatis necessarium esse, magnamque commodum, & vtilitatem haud mediocrem allaturum, & ob eam rationem dignissimum censeo, vt in mediam lucem profiliat opus prædictum, & typis excussum bonarum artium cultores probent, relegant, & vnicè amplectantur. Datum Compluti in supradicto Conuentu anno à Virginis partu 1631. die 4. Februarij.

FR. IOANNES DE SORIA.

EPISTOLA

R. P. FR. LVCÆ A VVADDINGO,
in celeberrimo Hybernorum Collegio S. Iſi-
dori Agricolaë, in vrbe emeriti Lectoris; apud
Quaſitores fidei ſupremæ, & Pontificiæ Inquiſi-
tionis Cenſoris; Seraphicæque familiaë Generalis
Annaliſtæ.

R. P. F. GASPARI DE FONTE,
Viro erudito, amico ſpectatiſſimo.

Non poſſum non gratulari tibi de cumulatiſſimo tuorum diſci-
pularum Romanorum profectu; quorum felicem in curſu
Theologico progreſſum tuæ curæ, tuæque diſciplinæ, qua hîc in vrbe
ad montem Ianiculum eoſdem educaſti, probi omnes mecum ad-
ſcribunt. Bene enim culta adoleſcentum ingenia viriles fructus pro-
ducunt, & primo ſemine agri vel fecundantur, vel ſterileſcunt. Ex
fructu ita probant hîc vniuerſim, præſertim diſcipuli; tuam doctri-
nam, vt nihil ſit, quod magis appetant, quàm præli beneficio omnibus
communicari palàm, quod priuatis laribus ex tuo ore auidè ſuſcepe-
runt. Meum etiam hoc votum, meum item & deſiderium; ſpondeo
enim, hoc tibi honoris plurimum, religioni ornamentum, & Philo-
ſophiæ amatoribus manifeſtam allaturum vtilitatem. Rogauerim
itaque, vt, ſi quæ ſunt quæ priori indigent lima, adhibeas, & terſum,
ac completum edas, quem hîc abſoluisti, artium curſum: indignum
namque eſt, vt ſcriniis abſcondatur, quod bene inferuiat communi.
Vale tibi; ſtude omnibus. Ex Collegiò Romano S. Iſidori Fratrum
Minorum Hybernorum tertie Nonas Ianuarij anno milleſimo ſex-
centeſimo trigeſimo primo.

Veſtra Reuerentiæ addiſſimus

FR. LVCAS VVADDINGVS.



Illustriſſimo ac Reverendiſſimo Domino & P.N.

D. F. BERNARDINO
DE SENIS,
EPISCOPO VISENSI,
TOTIVS SERAPHICÆ
familiaꝝ generali Miniſtro,

Fr. Gaſpar de la Fuente S. & F.



ILLVSTRISſIME ac REVE-
RENDIſſIME PATER, quod
plurimi aſſentationis ergò, plu-
rimi gratulandi gratia fatagunt;
hi amoris demonſtrandi cupi-
ditate, illi lucrandi cupidine sæ-
pe ſapiùs ambiunt. Etſi verò
ſcenerandi libidinem in iis improbemus, qui nullo
vel leui titulo illuſtrium virorum laudibus ſine fru-
ctu promulgandis hallucinantur. Eorum tamen qui
de benemeritorum progreſſu panegyrica celebrant,
deſiderio gratulamur. Vtrumque tamen à debito

tibi paternæ charitatis obsequio veluti alienum repellimus, cum vel ipsum ferè nomen pietatis, impar longè tuis erga me meritis esse iudicari. Sed nec me tua clarissima nobilitas, eximia doctrina, admirabilis prudentia, clara sapientia, morum comitas, tot, quibus me deuinctum fateor, beneficia, aut amor in me singularis compulit, nec me propè summum dignitatis tuæ fastigium, ad quod diuinæ reor largitionis remuneratione prouectus es, deterruit; quin nostra, quæ nuper Lugduni prælo submisimus, suscipienda tibi ditarentur. Sed encomia tua tantùm delincandi præpeditæ libertatis tenuitatem persensit; ea autem, ne debiti forsan obsequij penitus immemor esse viderer, nomini tuo commendata præmissi; dum quæ supersunt nobis copiarum typis committendæ eximias tuæ nobilitatis, virtutum, & ingenij dotes, cum blandiri tibi nolle videbimur, lautiori Minerua elucident, & à nobis tui splendore lucem accipiant. VALE.

AD



AD LECTOREM.



AM tinnunt mihi aures (amice Lector) & audio susurrantes nonnullos illud Ecclesiastici 12. faciendi plures libros nullus est finis, praesertim post tot, & tanta Philosophiae volumina hoc praevidi, sed iubenti, ut cursum, quem Romae legeram, typis mandarem, non obedire non potui, & rogantibus idem plerisque precibus dedi, quod iam mandatum extorquebat. Et quidem aliorum grandia scripta veneror, tot opinionum collectionem non despicio, sed brevitatem perspicuitati iunctam pro iuvanda iuniorum memoria praefero, memor Horatiani praecepti,

*Quidquid praecipies esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.*

Veneror longam Homeri Iliadem doctis compositam carminibus: sed illius, qui eam in brevi nucis putamine scriptis complexus est, ingeniositatem non dedignor. Tu quoque (Lector) lauda turgentes aliorum codices, & similem doctrinam brevi cortice isto contentam ne contempnas. Cum brevitatem claritatem, cum claritate Scoti doctrinam usitata iam methodo ordinatam polliceor: quae tamen haecenus antiquo ornatu incessit. Si fortè non consequar ex toto finem à me intentum, & à te attentum, mitiùs corrige: nam servare brevitatem in tam grandi scientia, & simul claritatem in acuta Scoti doctrina, magnum est, & in magnis voluisse sat est. VALE.

Facultas Reuerendi admodum Patris Prouincialis.

FRater Didacus de Herias, huius sanctæ Prouinciæ Castellæ regularis Obseruantia Seraphici P. N. Francisci Minister Prouincialis, &c. Patri Fr. Petro de Urbina, supremi regalis Consilij sanctæ Inquisitionis Censori, sacre Theologiæ Lectori Iubilato, & nostri Complutensis Cœnobij Guardiano: similiter & Patri Fr. Ioanni de Soriz, Lectori etiam Iubilato, & supradictæ Prouinciæ Custodi, salutem in Domino, qui vera est salus. Cùm P. Fr. Gaspar de la Fuente, S. Theologiæ Lector, artium cursum summo studio, & labore composuerit, postulétque à nobis, vt aliquorum Patrum iudicio, & censura examinatus, & approbatus fiat compertum, si typis debeat mandari in communem omnium vtilitatem. Quapropter tenore præsentium Authori concedimus facultatem, vt obtentis approbationibus vestris, similiter & regij Senatus licentia prælo valeat mandare. In quorum fidem litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus in nostro Conuentu S. Bernardini Colmenariensi, die vigesima Septembris, anno 1630.

*FR. DIDACVS DE HERIAS
Minister Prouincialis.*

*Censura R. P. Fr. Petri de Urbina, apud Quæstores
fidei Censoris, & S. Theologia Lectoris Iubilati.*

DE mandato Reuerend. P. N. Fr. Didaci de Herias, huius almae Prouinciæ Castellæ S. P. N. Francisci de Obseruantia meritissimi Prouincialis, vidi, ac perlegi præclara commentaria in vniuersam Arist. Dialecticam, & Physicam, authore sapientissimo P. Fr. Gaspare de la Fuente, diuinæ Theologiæ in Complutensi Minoritarum Cœnobio Professore, visumque est mihi tanto suo authore dignum opus, in quo nihil à fidei regula, rectoque Ecclesiæ tramite deuiare videatur, quin potius subtilissimi Doctoris placita eo ingenij acumine defensa, ea eruditione confirmata, ea claritate, & breuitate disposita, vt magnæ omnium vtilitati esse possint. Quare eruditum opus in studiosorum commodum, & vtilitatem mandandum prælo iure optimo cenfeo, ac subscribo. Datum in hoc Complutensi Cœnobio S. Didaci die 4. Februarij, anno 1631.

FR. PETRVS DE VRBINA.

ERRATA SIC CORRIGE.

In Dialectica.

Pag. col. lin.

21.	2.	17.	lege, <i>en</i> plures.
24.	2.	5.	rigorose.
27.	1.	7.	diffinierit.
34.	2.	14.	efficit.
43.	1.	39. & 40.	demonstratiuum.
	2.	2.	adde; & secunda intentio de- nominans qualitatem.
48.	1.	9.	l. propositionem.
	2.	30.	hos.
49.	2.	29.	de quibuslibet sub eo conten- tis.
52.	2.	25.	dele, in
55.	2.	12.	l. figuræ.
60.	2.	18.	loco F. leg. E.
57.	1.	14.	vnũque.
68.	1.	32.	imperfecto.
71.	1.	5.	equinitatem.
74.	2.	18.	res positiaz.
76.	1.	19.	intrinseco.
88.	1.	33.	<i>esse</i> in se.
89.	1.	13.	factura.

Pag. col. lin.

99.	2.	37.	<i>sine</i> naturalis.
100.	1.	4.	ista.
108.	2.	9.	concisum.
		21.	præter.
		30.	<i>sine</i> necessitate.
111.	4.		pen. actibus.
130.	2.	19.	nisi.
132.	2.	34.	vnum.
133.	1.	8.	respicientia.
144.	1.	31.	connotent.
147.	1.	14.	<i>per</i> modum.
150.	1.	16.	quia.
212.	2.	34.	cognita.
231.	2.	9.	dissentum.
232.	1.	37.	coarctanter.
250.	2.	34.	adde, <i>non</i> in diuersis.
267.	1.	19.	l. hæccitatem.
268.	2.	21.	disquisparantia.
296.	2.	30.	obiici.
270.	2.	15.	transmutatur.
293.	1.	25.	eorum.



ORDO ET SYLLABVS

Partium, Questionum, Difficultatum, & Articulorum.

PARS PRIMA.

QVÆST. VNICA.

De terminis, & eorum proprietatibus. pag. 3

DIFFICVLTAS I.

Vtrum definitio termini Dialectici tradita ab Aristotele sit exacta. ibid.

ART. I. **P**ROPONITVR doctrina communis circa hanc difficultatem. ibid.

2. Fit satis difficultatis titulo. 4
3. Proponuntur argumēta contra conclusionem, & enodantur. ibid.

DIFFICVLTAS II.

De multiplici terminorum acceptione. 5

- ART. I. De termino mentali, vocali, & scripto. 6
2. De termino significatiuo, & non significatiuo. ibid.
 3. De termino vniuersali, & particu-

lari. 7

4. De termino determinato, & indeterminato. ibid.
5. De termino transcendentem, & non transcendentem. ibid.
6. De termino vniuoco, æquiuoco, & analogo. 8
7. De termino absoluto, & connotatiuo. ibid.
8. De termino negatiuo, & non negatiuo. 9
9. De terminis primæ, & secundæ intentionis. ibid.
10. De terminis pertinentibus, & impertinentibus. ibid.
11. De terminis contrariis, & contradictoriis. 10

DIFFICVLTAS III.

De proprietatibus terminorum. ibid.

- ART. I. De suppositione. ibid.
- De suppositione materiali, & formali. 11
- De suppositione simplici, & personali. ibid.
- De suppositione communi, & singulari. ibid.
2. De ampliatione, & statu. 12
 3. De restrictione. ibid.

4. De alienatione.
5. De diminutione.
6. De appellatione.

ibid.
ibid.
15

PARS SECUNDA.

QVÆSTIO PRIMA.

De Oratione. 13

DIFFICVLTAS I.

*Utrum incipiendo ab oratione ea, quæ
pertinent ad secundam operatio-
nem intellectus, rectus ordo
seruetur.* ibid.

ART. VNIC. Utrum rectum ordi-
nem seruemus incipientes ab
oratione, ea, quæ pertinent
ad secundam operationem intel-
lectus. ibid.

DIFFICVLTAS II.

Quid sit oratio. 14

- ART. I. Quid sit nomen. ibid.
Argumenta contra conclusionem.
ibid.
2. De verbo. 15
3. De his, quæ ad nomen, & verbum
reducuntur. ibid.
4. Quid sit oratio. 16

QVÆSTIO II.

De Definitione.

DIFFICVLTAS I.

*Quid per definitionem, quid rei, &
quid nominis intelligamus.* 17

- ART. I. De definitione, quid nominis.
ibid.
2. De definitione, quid rei. 18

DIFFICVLTAS II.

*De conditionibus quæ requiruntur ad
veram definitionem.* 19

- ART. I. De conditionibus definiti. ibid.
2. De conditionibus definitionis. 20

QVÆSTIO III.

De Diuisione.

DIFFICVLTAS I.

*Quotuplex sit diuisio logica, & quo-
modo à definitione distin-
guatur.* 21

- ART. I. Proponuntur variæ acceptio-
nes diuisionis logicæ. ibid.
2. Distinguantur diuisio, & defini-
tio. ibid.

DIFFICVLTAS II.

De conditionibus vera diuisionis. 22

- ART. VNIC. Proponitur doctrina com-
munis. ibid.

QVÆSTIO IV.

De Propositione. 23

DIFFICVLTAS I.

*De numero & partibus propo-
sitionis.* 24

- ART. I. De materia propositionis eius-
que forma. ibid.
2. De multiplici propositionum acce-
ptione. ibid.
De propositione affirmatiua, & ne-
gatiua. ibid.
De propositione vera & falsa. ibid.
De propositione categorica & hy-
pothetica. ibid.
De

De propositione complexa, & in-
complexa. 25

DIFFICULTAS II.

De essentia propositionis. ibid.

ART. I. Explicatur nostra sententia.
ibid.

2. Proponuntur aliqua argumenta con-
tra nostram conclusionem. 28

3. De quibusdam quæsitis circa propo-
sitionem. 27

DIFFICULTAS III.

*De oppositione simplicis pro-
positionis. 28*

ART. I. Quid sit oppositio. ibid.

2. De speciebus oppositionis in uni-
uersum. ibid.

3. De oppositione contradictoria. 29
Proponuntur argumenta contra
conclusionem. ibid.

4. De oppositione contraria. 31

5. De oppositione subcontraria. ibid.

DIFFICULTAS IV.

De equipollentia propositionis. 32

ART. VNIC. De quibusdam præceptis
æquipollentiæ. ibid.

DIFFICULTAS V.

*De conversione simplicis pro-
positionis. 33*

DIFFICULTAS VI.

*De natura & quidditate propositio-
num modalium. 34*

ART. I. Proponuntur aliqua notanda
circa cognitionem modalium
propositionum. ibid

2. Extricantur, & adscribuntur mo-
dales propositiones. 35

3. De æquipollentia & oppositione
modalium propositionum. ibid.

PARS TERTIA.

QVÆSTIO I.

*De Argumentatione & con-
sequentiâ. 38*

DIFFICULTAS I.

Quid sit consequentiâ. ibid

ART. I. De aliquibus conditionibus
veræ consequentiæ, & regulis.
39

2. De consequentiâ formali, materiali,
necessaria, & probabili. 40

DIFFICULTAS II.

*De argumentatione, eiusque
speciebus. ibid.*

ART. I. Quid sit Enthymema, dilem-
ma, exemplum & inductio. 41

2. De ascensu, atque descensu. ibid.

QVÆSTIO II.

*De syllogismo in communi, eius-
que figuris. ibid.*

DIFFICULTAS I.

De syllogismo in communi. 42

ART. I. Definitur syllogismus. ibid.

2. Vtrâ syllogismus sit genus, respec-
tu probabilis, & demonstra-
tium. ibid.

† † 2 3. De

3. De materia & forma syllogismi.

4. De speciebus syllogismi. 45

DIFFICULTAS II.

De figuris syllogismorum. ibid.

ART. I. Notantur aliqua pro intelligentia difficultatis. ibid.

2. Quid, & quocumque sit figura syllogistica. 46

3. De modis cuiuscumque figuræ. 47

4. De arte modos vitales, & consistentes dignoscendi. 48

5. Proponuntur duo principia, ex quibus tota efficacia syllogistica promanant. ibid.

6. Traduntur aliqua præcepta in quavis figura syllogismorum observanda. 50

7. De modis primæ figuræ. 52

8. De modis secundæ figuræ. 53

9. De modis tertiæ figuræ. ibid.

10. De modo inveniendi medium. 54

11. Vtrum sint quatuor, vel tres tantum figuræ. 55

DIFFICULTAS III.

De varijs syllogismorum affectionibus, eorumque defectibus. 56

ART. I. De extrinsecis syllogismi defectibus. ibid.

2. De syllogismis obliquis. 57

3. De syllogismo hypothetico. 58

DIFFICULTAS IV.

De reductione syllogismorum. 59

ART. I. De reductione ostensus. ibidem.

2. De reductione ad impossibile. 60

QVÆSTIONES

IN

LOGICAM.

QVÆSTIO I.

De essentia, existentia, & necessitate Logica. 63

DIFFICULTAS I.

De essentia & existentia Logica. ibid.

ART. I. De nominibus, Logica, & Dialectica. ibid.

2. De varijs Logicæ acceptionibus. 64

3. De tunc Logica artificialis in rerum natura. 65

4. Quid sit Logica. ibid.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Logica artificialis sit necessaria ad alias scientias. ibid.

ART. I. Proponitur doctrina communis. ibid.

2. Proponuntur & refelluntur aliquorum placita. 66

3. Tribus dictis nostra sententia explicatur. 68

4. Satisfit aliquibus argumentis. 69

QVÆSTIO II.

De ente rationis. 70

DIFFICULTAS I.

Quid sit ens rationis. ibid.

ART. I. Proponuntur aliqua principia ad exactam entis rationis cognitionem. ibid.

2. Quid

2. Quid sit ens rationis proprie dictum. ibid.
3. Vtrum propria entia rationis relativa sint. 72

DIFFICULTAS II.

Quae dicantur entia rationis. 74

- ART. I. Sintne entia rationis, negatio & privatio. ibid.
2. Sintne entia rationis prima & secunda intentio. 76
3. Vtrum esse diminutum sit ens rationis. 77
4. Vtrum extrinsecus denominationes sint entia rationis. 79

DIFFICULTAS III.

Quae potentia possint entia rationis efficere. 81

- ART. I. Vtrum imaginatio valeat fingere entia. ibid.
2. Vtrum prima intellectus operatio entia rationis efficiat. ibid.
3. Vtrum memoria possit entia rationis fingere. 83
4. Fiantne entia rationis per secundam operationem intellectus. ibid.
5. Possitne voluntas entia rationis fabricare. 84

DIFFICULTAS IV.

Possitne Deus entia rationis efficere. 85

- ART. I. Proponitur magis communis sententia. ibid.
2. Proponuntur varia dicta circa nostram sententiam. ibid.
3. Vtrum ex eo quod Deus cognoscat entia rationis à creaturis ficta, sequatur illa negotiari. 87

QVÆSTIO III.

De obiecto Logica. 88

DIFFICULTAS I.

De obiecto in communi. ibid.

- ART. I. Quid per obiectum intelligamus. ibid.
2. De conditionibus obiecti adæquati. ibid.

DIFFICULTAS II.

Agatne Logicus de actibus actinis, an passionis intellectus. 93

- ART. I. Proponitur & refutatur aliquorum recentiorum sententia. ibidem.
2. Proponitur nostra sententia. 94
3. Aliqua argumenta proponuntur & enodantur. 95

DIFFICULTAS III.

De obiecto formali Logica. ibid.

- ART. I. Examinatur vtrum Logicus agat de ente rationis. ibid.
2. Quid senserint Nominales Scoti discipuli. 97
3. Proponitur & refellitur sententia asserens esse triplicem operationem intellectus. 99
4. Impugnatur sententia asserens ens rationis esse obiectum formale Logicae, seu secundam intentionem. 100
5. Quid senserit Doctor. ibid.
6. Proponitur sequenda sententia. 103
7. Proponuntur aliqua argumenta contra nostram conclusionem, & enodantur. 105

QVÆSTIO IV.

De unitate & distinctione

Logica. 107

†† 3

DIF

DIFFICULTAS I.

*Quomodo Logica distinguatur
ab alijs. ibid.*

- ART. I. In quo differant Logica, & Metaphysica. *ibid.*
2. In quo Rhetorica & Dialectica distinguantur. 108

DIFFICULTAS II.

*Quomodo Logica docens & utens
distinguantur. ibid.*

- ART. I. Probatum esse vnum habitum secundum substantiam. 109
2. An supposito quod sint vnus habitus, aliqualem patiantur distinctionem. 110

DIFFICULTAS III.

*De veritate omnium conclusionum
logicalium. 111*

- ART. I. Prænotantur aliqua pro intelligentia quæstionis. *ibid.*
2. Vtrum Logica sit vna simplex qualitas. 112
3. Proponantur varia argumenta contra nostram conclusionem. 114
4. Quam virtutem habeat Logica. 115

QVÆSTIO V.

*Vtrum Logica sit scientia,
& qualiter. 116*

DIFFICULTAS VNICA.

Vtrum Logica sit scientia. 117

- ART. I. Prænotantur aliqua pro elucidatione quæstionis. *ibid.*
2. Proponuntur aliquorum sententiæ. *ibid.*

3. Duobus dictis explicatur vera sententia. 118

4. Vtrum Logica sit scientia realis. 119

QVÆSTIO VI.

De vniuersali in communi. 121

DIFFICULTAS I.

*De naturis quæ denominantur
vniuersales. 122*

- ART. I. Prænotantur aliqua pro intelligentia difficultatis. *ibid.*
2. Quæ vnitas sit fundamentum proximæ logicæ vniuersalitatis. 125

DIFFICULTAS II.

*De forma qua natura denominantur
vniuersales. 127*

- ART. I. Quid & quotuplex sit vniuersale. *ibid.*
2. Quid senserit Doctor de formis vniuersalibus. 128

DIFFICULTAS III.

*De definitionibus vniuersalis, &
eius essentia. 130*

- ART. I. Quæ sit definitio logici vniuersalis. *ibid.*
2. Fiac ne natura vniuersalis per abstractionem à singularibus, an per comparisonem ad ipsa. 131
3. Quæ sit essentia logici vniuersalis. 135

DIFFICULTAS IV.

*Quid primò definiatur in definitione
vniuersalis. 137*

- ART. I. Supponuntur aliqua, in quibus omnes conueniunt. *ibid.*
2. Propo

2. Proponuntur diuersæ authorum sententia. 138
3. Proponitur verior sententia. 139
4. Proponuntur aliqua argumenta contra nostram conclusionem, & enodantur. 140

DIFFICULTAS V.

Vtrum uniuersale sit subiectum libri Porphyrij. 142

ART. VNIC. Proponitur nostra conclusio, & satisfit aliquibus obiectionibus. *ibid.*

DIFFICULTAS VI.

Vtrum uniuersale sit genus ad quinque predicabilia. 143

- ART. I. Proponitur nostra sententia. *ibid.*
2. Proponuntur & enodantur aduersariorum obiectiones. *ibid.*

DIFFICULTAS VII.

De numero predicabilium. 147

- ART. I. Proponitur sententia communis. *ibid.*
2. Satisfit aliquorum obiectionibus. *ibid.*

DIFFICULTAS VIII.

Quomodo uniuersalia de suis inferioribus predicentur. 149

- ART. I. Præmittuntur aliqua pro intelligentia difficultatis. *ibid.*
2. An abstractum prædicetur de abstracto. 151
 3. Explicatur nostra sententia. 152
 4. De prædicationibus secundarum intentionum. 153

QVÆSTIO VII.

De Genere primo predicabili. ibid.

DIFFICULTAS I.

Vtrum definitio generis sit exacta, & essentialis. 154

- ART. I. Proponitur sententia communis. *ibid.*
2. Vtrum definitio generis sit quidditatiua. 155

DIFFICULTAS II.

Vtrum genus prædicetur de speciebus ut totum, an ut pars. ibid.

- ART. I. Præmittuntur aliqua pro intelligentia difficultatis. *ibid.*
2. Proponitur verior sententia. 156
 3. Proponuntur variæ obiectiones, & enodantur. 157

DIFFICULTAS III.

De modo quo genus respicit inferiora. 158

- ART. I. Vtrum genus prædicetur immediate de indiuiduis. *ibid.*
2. Vtrum genus logicum possit conseruari in vnica specie, & species in vnico indiuiduo. 160
 3. An modus prædicandi in quid separret genus à differentia. 161

QVÆSTIO VIII.

De Specie secundo predicabili. 162

DIFFICULTAS I.

De specie subijcibili, & eius proprietatibus. ibid.

- ART. I. Vtrum definitio specie subijcibilis tradita à Porphyrio sit exacta. *ibid.*
2. Vtrum species subijcibilis, quatenus subijcibilis, sit prædicabilis. 163
 3. Pro

3. Proponuntur aliqua dubia, & eno-
dantur. 165

DIFFICULTAS II.

De specie predicabili. 168

ART. VNIC. Vtrum definitio speciei sit
exacta. ibid.

DIFFICULTAS III.

*De individuo, realiter & materiali-
ter accepto.* 169

ART. VNIC. Vtrum predicta definitio
individui realis sit exacta. ibid.

DIFFICULTAS IV.

*De individuo, secundè intentionali-
ter sumpto.* 170

ART. I. Vtrum definitio individui pre-
dicabilis sit exacta. ibid.

2. Qualiter individuum vagum predi-
cetur. 172

QVÆSTIO IX.

*De Differentia, tertio predi-
cabili.* 173

DIFFICULTAS I.

*De diuisione differentie in commu-
nem, propriam, & propriissi-
mam.* 174

ART. I. An ista diuisio sit exacta. ibid.

2. An diuisa istius diuisionis sint dif-
ferentie reales. 175

3. Qualis sit ista diuisio differentie.
176

4. Proponuntur aliqua dubia, & eno-
dantur. 178

DIFFICULTAS II.

De differentia predicabili. 180

ART. I. Cui differentie conueniat hæc
definitio. ibid.

2. Constituaturque differentia tertium
predicabile in ordine ad spe-
ciem, vel inferiora speciei quam
componit. 181

3. Vtrum differentia inferior & supe-
rior in eodem predicabili collo-
centur. 183

QVÆSTIO X.

*De Proprio, quarto predi-
cabili.* ibid.

DIFFICULTAS I.

*Vtrum proprium secundum omnes
suas acceptiones hæc quartum
predicabile constituat.* ibid.

ART. I. Præmittuntur quatuor acce-
ptiones proprii. ibid.

2. Proponuntur duæ oppositæ senten-
tiæ. 184

3. Explicatur nostra sententia. 185

DIFFICULTAS II.

*Definitur proprium predi-
cabile.* ibid.

ART. I. Satisfit aliquibus obiectioni-
bus. 186

2. An proprium sit distinctum vniuer-
sale ab accidenti. ibid.

QVÆSTIO XI.

*De Accidenti, quinto præ-
dicabili.* 187

DIFFICULTAS I.

*De intelligentia definitionis
accidentis.* ibid.

ART.

ART. I. Proponuntur aliquorum placita, & nostra explicatur sententia. *ibid.*

2. Proponuntur aliqua argumenta contra definitionem. 188

DIFFICULTAS II.

Definitur accidens prædicabile. 191

ART. VNIC. Quæ sint illa placita, de quibus accidens non conuertibiliter prædicatur. *ibid.*

QVÆSTIO XII.

De uniuocis, æquiuocis, analogis & denominatiuis. 193

DIFFICULTAS I.

Quid sint uniuoca, æquiuoca, analogæ, & denominatiua. *ibid.*

ART. I. Definiantur uniuoca, æquiuoca & denominatiua. *ibid.*

2. Vtrum definitio uniuocorum denominatiuis conueniat. 194

DIFFICULTAS II.

An sit, & quotuplex analogia. 195

ART. VNIC. Explicantur diuersæ analogorum acceptiones. 196

DIFFICULTAS III.

Vtrum ens dicat conceptum uniuocum respectu eorum, de quibus formaliter prædicatur, an analogum. 197

ART. I. Supponuntur aliqua ad intelligentiam difficultatis. *ibid.*

2. Explicatur sententia communior. 199

3. Explicatur sententia Doctoris. 202

4. Satisfit aliquibus obiectionibus. 205

5. Enodantur aliqua dubia. 209

QVÆSTIO XIII.

De prædicamentis in communi & particulari prout attinent ad Logicum. 211

DIFFICULTAS I.

De authore & quidditate prædicamenti. *ibid.*

ART. I. De authore prædicamentorum. *ibid.*

2. Quid sit prædicamentum, seu categoria. 212

3. Ad quam scientiam pertineat agere de prædicamentis. 214

4. De regulis prædicamentorum essentialium. 215

5. De numero prædicamentorum. 217

DIFFICULTAS II.

Quæ res ponantur & excludantur à prædicamento. 218

ART. I. Ponanturne res in prædicamento sub nominibus abstractis, an concretis. *ibid.*

2. Vtrum ens simpliciter infinitum ponatur in prædicamento. 219

3. Vtrum naturæ æquiuocæ, & analogæ
†††

logæ ponantur in prædicamento.

220

4. Vtrum nomina complexa, quæ unam tantum rem significant, ponantur in prædicamento. *ibidem.*

5. Vtrum entia partialia ponantur in prædicamento. 221

6. Vtrum indiuidua ponantur in recta linea. 223

QVÆSTIO XIV.

De prædicamentis substantiæ. ibid.

DIFFIC. VNIC.

De acceptionibus & quidditate substantiæ. ibid.

ART. I. In qua acceptione substantia constituat hoc prædicamentum. *ibid.*

2. De essentia substantiæ. 224

3. Vtrum substantia substantiam compleat. 225

4. De proprietatibus substantiæ. 226

5. De diuisione substantiæ in primam, & secundam. 228

QVÆSTIO XV.

De prædicamentis quantitatis. 230

DIFFICVLTAS I.

De quidditate & passionibus quantitatis. ibid.

ART. I. Supponuntur aliqua ad intelligentiam quantitatis. *ibid.*

2. Quæ sit essentia quantitatis. 231

3. Quid sit genus huius prædicamen-

ti, & quæ eius species. 233

4. De passionibus quantitatis. 236

5. Vtrum quantitas distinguatur realiter à re quanta. 237

DIFFICVLTAS II.

De speciebus quantitatis continuæ. 239

ART. I. Vtrum linea, superficies & corpus sint species quantitatis continuæ. 240

2. De speciebus quantitatis discretæ. 242

QVÆSTIO XVI.

De prædicamento relationis. 245

DIFFICVLTAS I.

Vtrum dentur relationes reales. 246

ART. VNIC. Probatur, dari relationes reales. *ibid.*

DIFFICVLTAS II.

An dentur relationes reales identificata cum fundamento. 247

ART. VNIC. Qualiter distinguantur prædictæ relationes à suo subiecto. 249

DIFFICVLTAS III.

Vtrum aliqua relationes reales distinguantur realiter à fundamento. 252

ART. I. Explicantur diuersa authorum placita. *ibid.*

2. Explicatur vera sententia, & simul refelli

refellitur opposita. 254
3. Satisfit contrariorum obiectionibus. 256

DIFFICULTAS IV.

Vtrum dentur relationes reales extrinsecus aduenientes. 259

ART.VNIC. In quo differant relationes extrinsecæ ab intrinsecis. *ibid.*

DIFFICULTAS V.

De quidditate, proprietatibus & speciebus relationis. 261

ART.1. Vtrum actualiter referre sit de quidditate accidentis relatiui. *ibid.*

2. Quæ relationes constituent hoc prædicamentum. 262

3. De speciebus subalternis relationis. 263

4. Explicantur aliqua dubia. 265

DIFFICULTAS VI.

De relatiuis, & eorum proprietatibus. 268

ART.VNIC. De proprietatibus relatiuorum. *ibid.*

QVÆSTIO XVII.

De Qualitate, & alijs sex ultimis prædicamentis. *ibid.*

DIFFICULTAS I.

De Qualitate. *ibid.*

ART.VNIC. De quidditate, affectionibus, & speciebus qualitaris. 269

DIFFICULTAS II.

De sex ultimis prædicamentis. 270

QVÆSTIO XVIII.

De postprædicamentis. 271

DIFFICULTAS I.

De oppositis. *ibid.*

ART.VNIC. Explicantur species oppositionis. *ibid.*

DIFFICULTAS II.

De modis prioris, & simul. 272

ART.1. De modis prioris. *ibid.*

2. De modis simul. 273

DIFFICULTAS III.

De speciebus motus. *ibid.*

ART.VNIC. Quot sint species motus. *ibid.*

QVÆSTIO XIX.

De demonstratione. 274

DIFFICULTAS I.

De præcognitis, seu præijs ad demonstrationem. 276

ART.1. Quot sint præcognita, & præcognitiones ad demonstrationem requisitæ. *ibid.*

2. Vtrum præmissæ debeant esse veræ. 279

3. Vtrum præmissæ debeant esse certiores & euidetiores conclusione. 282

4. Vtrum præmissæ demonstrationis debeant esse de omni, & per se. 286

††† 2 5. Vtrum

5. Vtrum præmissæ demonstrationis debeant esse de prædicato vniuersali. 288
6. Vtrum demonstratio debeat procedere ex propriis, non verò ex extraneis aut communibus. 289
7. Vtrum præmissæ demonstrationis possint esse de contingentibus, & singularibus, & corruptibilibus. 292
2. Vtrum termini propositionis per se notæ debeant distinctè cognosci. 295
3. Quotuplex sit propositio per se nota. 297
4. Vtrum omnis propositio immediata sit per se nota. 298

DIFFICULTAS III.

Vtrum veritas euidens possit demonstrari demonstratione quia, & propter quid. 301

DIFFICULTAS II.

De propositione per se nota. 393

ART. I. Quid sit propositio per se nota. ibid.

ART. VNIC. Satisfit titulo difficultatis. 301

F I N I S.

BREVIS



BREVIS TRACTATUS

DE SUMMVLIS.

PROOEMIUM.



SUMMVLIA, si rigorosam nominis acceptionem perscrutemur, epilogum, siue compedium plurium rerum, significat. Dialectici tamen vsurpauere strictius pro isagoge, seu compendio, quo breuiter explicamus terminos, quibus in quibuscumque facultatibus vtimur, quæ ratione, & discursu comparantur: vt in Dialectica, Medicina, Philosophia, & aliis. Veteres in hoc tractatu diffusius, quam oportet, immorantur, quia per plura partim inutilia, partim alterius instituti, diuagantur. Equidem ego breuissimè perstringam, quæ decent tyronum ingenia, & ad alias facultates capessendas vtilia reperio, reliqua in sua loca reiciens. Tractatum ergo istum, vt clariùs & distinctius elucidemus, numerum operationum intellectus imitando, in tres partes disseca- bo. Et quia ad primam operationem attinet simplices apprehendere terminos, in prima parte de terminis simplicibus, eorumque proprietatibus, instituetur sermo: quia autem ad secundum spectat apprehensos terminos inter se distinguere, & comparare, in parte secunda de rebus compositis, videlicet de oratione, definitione, propositione, &c. faciemus sermonem. Et tandem cum muneris tertiæ operationis sit discurrere, seu ratiocinari, in tertia parte de argumentatione, & syllogismis disputabimus.

Sed cum tota scientiarum, aut facultatum, probabilis comparatio bellum quoddam mentale sit vocibus manifestatum, vbi argumentationibus digladiamur, oportet audientes breuiter imbui arguendi respondendique præceptis. Pro quo supponendum est argumenta

tionem quamlibet, aut enthymema, aut syllogismum esse. Enthymema duabus constat propositionibus, quibus intercedit hæc vox, *ergo*, vel, *igitur*, quæ denotat secundam propositionem ex priori deduci. v.g. *Omnis homo habet pedes: ergo, vel, igitur Petrus habet pedes.* En duas propositiones, vnam illatam ex altera, quarum prima antecedens dicitur, quia aliam antecedit: consequens verò secunda, ex eo quod ad primam consequitur. Syllogistica structura tribus fabricatur propositionibus, ex quibus prima maior nuncupatur, quia præest aliis; secunda minor, quia inferior; tertia consequentia, quia duas alias supponit, nec non ex eis inferitur. Exempli gratia, *Qui diligenter vacat litteris est dignus honore. Petrus diligenter litteris vacat. Ergo dignus honore est.*

Manus respondentis est, aliquas propositas theses pro viribus sustinere, argumentisque in contrarium adductis satisfacere. In cuius decertationis initio, habita venia à circumstantium corona, vnam ex propositis questionibus elucidare conabitur, vel præfatione quadam, qua audientiū animos beniuolos reddat, exordietur actionem.

Argumentis verò est, propositionem à respondente negatam vi & efficacia argumenti probare, quam non in antecedenti, sed in consequenti debet ponere, aliàs peteretur principium, cum propositionem ab alio negatam supponeret, & non probaret. Negat *Petrum esse risibilem*: hanc propositionem non in antecedenti, sed in consequenti debet ponere sic. *Omnis homo est risibilis. Petrus est homo. Ergo Petrus est risibilis.* Incipies tamen habita prius circumstantium venia, deinde iuculenter, optima actione, vocis magnitudine pro capacitate gymnasij, non vociferando, aut manuum immodesto strepitu, intentum disputationis aperies. Respondens eadem modestia, detecto capite, sic exordietur: Intendit probare hoc, vel illud. deinde, bis subsumendo syllogismum integrum, in secunda repetitione verum concedere, falsum negare, dubium distinguere, quod autem ad rem non attinet, transire permittere debet. Nunquam vero negabit, aut concedet, consequens, sed consequentiam: neque consequentiam vnquam distinguet, sed consequens.

PRIMA PARS SUMVLARVM.

QVÆSTIO VNICA

De terminis, & eorum proprietatibus.

1. **N**OMEN, *terminus*, in communi, & generali acceptio-
ne consideratum, limitem, ultimum, extremumque cuiusvis rei, intra quem tota res clauditur, extra quem nihil illius est, significat. Instituti dialectici non est de eo secundum latissimam istam acceptio-
nem, sed secundum strictiorem, in quantum scilicet dialectica terminat, & claudit, opera, seu ut propositionis extremum est, sermonem instituere. Circa quam quæstionem tres difficultates veniunt discutiendæ. Prima utrum definitio termini dialectici tradita ab Arist. sit exacta: secunda de terminorum multiplici acceptioe: tertia de eorum proprietatibus.

DIFFICULTAS I.

Verum definitio termini dialectici tradita ab Aristotele sit exacta.

ARTICVLVS I.

Proponitur doctrina communis circa hanc difficultatem.

2. **P**hilosophorum princeps Arist. 5. lib. priorum, cap. 1. disertis verbis sic de termino fatetur. *Terminum autem voco, in quem resoluitur propositio, ut prædicatum, & id de quo id, vel appositio, vel separato esse, vel non esse, prædicatur. Unde communiter Dialectici recetio-*

res vulgatem illam definitionem merito sumplere, *Est propositionis extremum.* Dicuntur ergo iuxta Philosophi placitum termini extrema illa, quibus clauditur propositio, & extra quæ nihil illius est. Cui definitioni ex ipsius Arist. verbis non tanquam partes, sed vt manifestatiua sequentia addere oportet, *id est, subiectum, & prædicatum, in qua tanquam in partes propositio resoluitur.* Quibus satis liquet dialectici termini proprietas, & conditio: etenim cuiusvis enunciationis, siue propositionis extrema, subiectum, & prædicatum sunt, vt apparet in ista propositione, *Homo est animal*, cuius tota structura his clauditur & continetur extremis, *homo, & animal.* Vbi *homo* subiectum dicitur, quia subiicitur *animali* tanquam subiectum, de quo prædicatum enunciat. hic enim est sensus intelligentiæ illius verbi textus, *Et id de quo:* nempe animal prædicati denominationem sortitur, quia de homine prædicatur. Verbum *est* dicitur copulæ, quia vinculum, & nexus, quo copulantur, & connectuntur extrema, totaque propositio fabricatur, sicut ipsa ablata destruitur. Si enim ab ista propositione, *Homo est animal*, verbum *est* demas, statim aufertur enunciatio, totaque resoluitur propositio tanquam in partes componentes in extrema inuinita, & separata: sicut si ab edificio calcem eripias, tota domus corrui. incompositis lapidibus solum remanentibus

4
tibus. Et quemadmodum dissoluta
vniōne animæ rationalis cum corpore,
manent corpus, & anima, homine de-
structo: sic deficiente copula, seu vin-
culo istorum extremorum, tota propo-
sitiō corrūit, etsi partes, in quas resol-
uitur, corrupta enūciatione maneant.

ARTICVLVS II.

Est satis difficultatis titulo.

Communis sententia sustinet defi-
nitionem in primo articulo expli-
catam exactam esse: & probatur, quia
illa est bona definitio, quæ vero gene-
re & differentia constat, vel aliquo lo-
co generis, & aliquo loco differentia,
entitatemque definiti manifestat. Sed
sic se habet supra dicta definitio. Ergo
exacta. Maior in confessio est apud
omnes, & ex dicendis in quæstione de
definitione patet. Minor, in qua est
difficultas, probatur, explicando partes
definitionis. Ly *extremum* ponitur lo-
co generis, vt sic enim comprehendit
quoduis extremum, lineæ scilicet, quod
est punctum; superficiæ, quod est linea;
& corporis, quod est superficies. Ly
propositionis loco differentia, per hoc e-
nim differt iste terminus à reliquis aliis,
qui propositionis terminus non sunt.
Vt autem tyrones, & indocti, aliquibus
argumentationibus valeant exerceri,
ad scholasticamque lætam auidius
excitentur, aliqua argumenta contra
communem conclusionem in forma
argumentandi vtiliter iudicavi, & con-
ueniens, proponere.

ARTICVLVS III.

*Proponuntur argumenta contra con-
clusionem, & enodantur.*

Primum argumentum. Videtur per
extremum propositionis non debe-

re subiectum, & prædicatum, intelli-
gi sic probet. Omnis bona definitio de-
bet per se suo competere definito. Sed
esse subiectum, & prædicatum, non
per se, sed per accidens, conuenit ter-
mino. Ergo non est bona definitio.
Maior patet quæst. de definitione.
Minor probatur. Illud conuenit alicui
per accidens, quod potest adesse, & ab-
esse, sine subiecti corruptione (ex cap.
de accidenti.) Sed iste terminus, *ho-
mo*, potest transire de prædicato in sub-
iectum, vt quando dicimus: *Petrus
est homo*; & postea dicimus: *Homo est
animal*. ecce idem terminus mutatur
de vno ad aliud. Ergo illi per accidens
conuenit ratio subiecti & prædicati.

Pro resolutione notandum, termi-
num propositionis & posse considera-
ri secundum entitatem extra propo-
sitionem, seu fundamentaliter, & in
propositione, seu vt actualis & for-
malis terminus illius. Primo modo re-
motè est terminus, acciditque ei subiici,
aut prædicari: contingit enim huic
termino, *homo*, quod ab intellectu ap-
prehendatur, & Petro vel Paulo colla-
tiuè comparatur. Secundo modo for-
maliter est terminus per se imbibens
rationem subiecti, & prædicati. quod
satis demonstrat rationem istam inua-
riabilem esse, non corrupta tota pro-
positione. Vt enim *homo* in supra po-
sito exemplo de prædicato in subie-
ctum pertranseat, ab illa propositione,
in qua est prædicatum, abstrahi neces-
sum est, & consequenter quod illa
propositio corrūat ex prædicati defe-
ctu. Respondetur ergo in forma di-
stinguendo minorem: Accidentaliter
conuenit termino fundamentaliter, con-
cedo: formaliter, seu existenti in propo-
sitione, nego.

Secundum argumentum. Omnis
bona definitio datur per prius & no-
tius suo definito. Sed ista per posterius
datur

6. datur. Ergo non est bona. Maior propositio vbi supra patebit. Minor, in qua est difficultas, probatur. Propositio est pars definitionis. Ergo aliqua pars est posterior ipso definito. Respondetur distinguendo antecedens, & negando consequentiam: Est pars extrinseca, concedo: intrinseca, nego. Probo consequentiam. Omne totum est suis partibus posterius. Sed propositio componitur ex terminis. Ergo est posterior illis, conceditur consequentia. Ergo non potest tanquam pars definitionis termini poni, quando quidem ex ipso componitur. Respondetur quasdam esse definitiones, quæ per extrinseca dantur, nec ob id à ratione veræ definitionis deficiunt, quia sunt entitates imperfectæ, & dependentes formaliter: Ideoque sine alio extrinseco nequeunt aperiri. Sic terminus cum sit talis denominatiue, seu in quantum claudit, & terminat propositionem ipsam, inde est, vt sine ipsa haud quaquam valeat manifestari, etsi propositio non sit de ipsius essentia, sed ordo ad ipsam, quod intentionibus, seu rebus apprehensis, perpetuo competit. Respondetur ergo in forma distinguendo maiorem: In definitionibus, quæ dantur per intrinseca, concedo: in illis, quæ per extrinseca, nego maiorem. Vel potest dici, terminos formaliter loquendo esse propositiones posteriores, quia ab ipsa accipiunt, quod formaliter sint tales, & ita non mirum quod in ordine ad ipsam definiantur.

Tertium argumentum. Nulla bona definito aliis à definitio potest competere. Sed hæc definito competit propositioni. Ergo non est bona definitio. Maior est nota. Probatur minor. In ista propositione complexa, *Petrus currit, & Ioannes mouetur*, vtrique propositio terminat complexam propositionem. Ergo ratio termini competit pro-

positioni. Respondetur; propositiones istas esse terminos, & propositiones, sub rationibus diuersis: terminos, quia complexam terminant propositionem; propositiones verò, quia aliquid affirmant, vel negant: quod non inconuenit, præcipue in his logicis denominationibus, quæ tantum habent existentia, & entitatis, quantum ab intellectu concipiuntur. Respondetur ergo in forma distinguendo maiorem: Conuenit aliis dialecticis instrumentis, in quantum alia sunt, nego: secundum quod sub ratione formali terminandi propositionem continentur, concedo.

7. Quartum argumentum. Definitio debet competere omni definito. Sed hæc non competit terminis non significatiuis. Ergo defectuosa. Respondetur negando maiorem, nam tales termini propositionem valent componere, quando dicimus, *Blictri est terminus, Blictri nihil significat*. Vnde liquet prædictam definitionem esse optimam, quippe omni, & soli termino semper competit (quæ sunt conditiones veræ definitionis) videlicet significatiuo, & non significatiuo, complexo, & incomplexo, sub quibus omnia alia continentur: soli definito quia aliis non adaptur, vt alia sunt, sed vt istam formalem rationem terminandi propositionem imbibunt: & semper, quia extrema ista quamdiu terminant propositionem, subiectum, & prædicatum, sunt.

DIFFICULTAS II.

De multiplici terminorum acceptione.

Postquam entitatem termini per exactam eius definitionem aperuimus, oportet iam ipsam in varias acceptiones, quibus frequenter in scholis vrimur, partiri. Cum enim terminus

nus ex dictis difficultate antecedenti à terminando propositionem denominationem accipiat, ideo, ob diuersas quas habet significationes in ea, diuersis denominationibus consuevit appellari. nec operæpretium duxi omnium terminorum originem, & etymologiam pertractare, quia ab inutili prolixitate semper abhorreo. Ea ergo, quæ magis communia sunt, clariori, qua potero, breuitate elucidabo.

ARTICVLVS I.

*De termino mentali, vocali,
& scripto.*

Terminum in prima sui diuisione in mentalem, vocalem, & scriptum diuidimus. Mentalem dico, *extremum propositionis in mente concepta, vel formate*. Exempli gratia, apprehendo simplici & intellectuali actu albedinem, & parietem: & statim prædico albedinem de pariete: ecce propositionem mentalem, *Parietis est albus*, mente solum conceptam: en mentales terminos, *albedinem & parietem*, ipsam, vt apprehensam, claudentes, & terminantes. Quod si propositio ista per os à quocumque proferatur, vocalis nuncupatur, & consequenter extrema vocalium terminorum denominationem sortiuntur. Si autem typis mandetur, vel manu scribatur, scripta propositio diceretur, eiusque extrema eadem gaudebat appellatione, quia scriptam propositionem finiunt, & terminant. Intercedit tamen maxima differentia inter istos terminos, quia mentalis præcisè terminus nuncupatur, cum propriam, & formalem terminat enunciationem: alij verò latè, & per participationem, cum terminent propositiones, quarum tota vis, & efficacia enunciandi à mentali & interna pro-

positione mendicatur, eiusque veritatem vel falsitatem, vt signa sensibilia & nobis notiora, manifestant, & aperiunt. Aliqui hic disputant de terminis reflexo, directo, obiectiuo, formali, intuitiuo, quidditatiuo, & abstractiuo: sed inmerito: nam isti non dicuntur termini propositionum, sed intellectus operationum, quibus supersecedo, quia eorum cognitio captum tyrorum superat, & ad nostrum institutum non spectat.

ARTICVLVS II.

*De termino significatiuo, &
non significatiuo.*

Signum in communi, ex generali acceptione vocamus illud, quod in cognitionem alicuius rei nos facit deuenire. bipartiturque in naturale, & ad placitum. Illud ex natua & propria virtute in cognitionem alicuius rei nos ducit: vt fumus naturaliter cognitionem ignis inducit: istud ex libera hominum impositione. sic est ramus ante tabernam pendens, tuba, qua receptus canitur. Hinc promanat terminos alios esse significatiuos, qui in alicuius rei cognitionem nos excitant, vt nomen *Petrus, leo*; aliosque significationis expertes, & ad nullam rem significandam impositos, quos non significatiuos appellamus.

Rursus termini significatiui, alij primæ impositionis, alij secundæ impositionis. Illi primò positi sunt ad res secundum proprias naturas manifestandas, sic est nomen, *(petra, & homo*, cuius nomina ab ipsis entitatibus occasionem denominandi sumunt, homo ab humo dicitur, quia terrenus, & de terra est): isti verò ad significandas significationes, quibus res significatur, vt quando terminum, *Petrum*, vocamus

mus nomen, & copulam, est, verbum dicimus. Nota tamen terminos istos non naturaliter significare, cum omnis determinata significatio vocum ex placito hominum dependeat. Hoc nomine *sanctus Franciscus*, intelligimus Seraphicum patrem nostrum: possemus tamen ex beneplacito hominum alio nomine in eius cognitionem devenire.

ARTICVLVS III.

De termino vniuersali, & particulari.

Vniuersalem terminum dicimus aliquod vnum nomen plura significans. sic nomen *homo*, quod in cognitionem totius naturæ humanæ nos ducit, & de quibuscumque sub ea contentis dicitur. Defectu istius conditionis nomen, *exercitus*, *multitudo*, & alia rationem vniuersalem nõ induunt, quia etiã pro pluribus supponant, de eis tamen non prædicantur. Valet quidem ista prædicatio, *Petrus est homo*: non tamen ista, *Dux*, aut, *miles est exercitus*. Rursum iste terminus aliquando signo vniuersali afficitur, vt *omnis homo*, aliquando tali signo priuatur, vt *homo*. Particularis terminus *vnam solam rem significat*, aliquando nullo signo, vt, *Petrus*: quandoque particulari signo affectam, vt *aliquis homo*. Cuius efficacia signi ea est, vt terminum, cui adiungitur, à ratione communi, & vniuersali, ad particularem, & determinatam detrahat, in cuiusque naturam conuertat. Vt quando dicimus, *aliquis homo*, terminus, *homo*, ex se pro omnibus hominibus supponit: addito verò signo, *aliquis*, ad vnius naturam significandam limitatur, & restringitur.

Inquires, an nomen *sol*, terminus communis sit. Respondeo affirmati-

uè: nam quamuis vnicus extat *sol*, plurimum existentia non implicat: & de ratione nominis non est res existentes, sed possibles, aut futuras, significare: nullo enim homine extra causas, seu in rerum natura durante nomen *homo* quid commune est. Propterea nomen *Deus* rationem communis termini usurpare repugnat, quia vnica simplicissimam, & indiuiduam essentiam, etiã in personis trinam, significat. Vnde prouenit nomen *vniuersale* dici superiorem terminum, quia de pluribus particularibus dicitur: isti verò inferiores termini, quia illud de ipsis enunciatur, ipsique subiiciuntur.

ARTICVLVS IV.

De termino determinato, & indeterminato.

Indiuiduus terminus, determinatus vnus, indeterminatus alius. Ille pro vna numero natura determinatè supponit, vt nomen *Petrus*: iste pro quocumque indiuiduo totius speciei, vt nomen *homo*: ex cuius cognitione non magis in cognitionem Petri, quàm Pauli, deuenimus.

ARTICVLVS V.

De termino transcendentis, & non transcendentis.

Transcendens terminus est; qui per plura genera diuagatur: vt *ens*: prædicatur enim de quibuscumque existentibus completè, in ipsisque formaliter imbibitur. Propterea dicere valet, *Substantia est ens: quantitas est ens, &c.* quod idem de eius passionibus dicendum. Terminus non transcendens dicitur, qui limitatos penetrat conce-

ptus, nec per plura genera diuagatur, vt nomen substantia, animal, &c.

ARTICVLVS VI.

De termino vniuoco, equiuoco, & analogo.

15. **T**erminum vniuocum sic Arist. definit i. cap. primi tractatus prædicamentorum, *Vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & secundum nomen eadem substantia ratio.* In qua definitione p̄t rationem substantia intelligi vel definitionē vniuocorum, vel substantiam, aut essentiam rei nominata. v.g. animal est nomen vniuocum, quia substantia significata per nomen, v.g. viuens, sensibile, in omnibus est eadem, nempe in homine, & leone, qui in quantum animalia solum vitam, & sensibilitatem, accipiunt. Equiuocorum definitio hæc est, *Equiuoca dicuntur, quorum nomen commune est, ratio verò substantia nomini accommodata diuersa.* vt canis, respectu canis marini, cælestis, & latrabilis: in quibus solum nomen participatur, substantia tamen ratio in omnibus diuersa est.

Dices omnia ista significata per nomen canis conuenire in substantia prædicamentali. Ergo non est substantia ratio diuersa. Responderur, vt notauimus supra, per substantiam non intelligi substantiam prædicamentalem, sed rationem istam per nomen primario significatam. Vnde cum canis marinus piscem significet, cælestis astrum, latrabilis domesticum animal, hinc est quod solum in sono nominis conueniunt: tamen ratio seu substantia denotata per illum diuersa est in omnibus, et in substantia prædicamentali conueniunt.

16. Terminus analogus sic potest defini, *Est cuius nomen commune: ratio*

verò substantia, nec omnino eadem, nec omnino diuersa, seruata tamen proportione, seu ordine. Sic nomen sanum analogicè dicitur, quia propriè de animam dicitur, in quo est sanitas, de vrina verò, & medicina, impropriè, quia ista efficit sanitatem, illa ostendit. Vnde non obscure colligimus differentiam inter analogam, & equiuocam, quod ista nullum ordinem, seu proportionem seruat inter se, illa verò ad vnum principale, pro quo nomen primario supponit, attribuuntur. Canis enim marinus, cælestis, & latrabilis nullam inter sese dicunt proportionem, nec attributionem: aliter verò vrina, medicina, & animal, respectu sanitatis, de quibus latius in antepædicamentis, in logica, quæst. 12. difficult. 1.

ARTICVLVS VII.

De termino absoluto, & connotatiuo.

17. **T**erminum absolutum dico, qui se solo rem significat, vt *Franciscus, Petrus.* Terminum connotatiuum, qui connotat alium terminum, cum quo perfectè significat, & sine quo imperfectè. vt *album* est nomen connotatiuum, quia si non ponatur, *Petrus*, vel *homo*, dicèdo, *Homo est albus*, in cognitione perfectam nullius rei nos ducit. Sic sunt omnia nomina adiectiua, quæ sine ordine ad aliud imperfectam generant significationem. Vnde colliges quid nomen categorematicum, & syncategorematicum sint. Categorematicus terminus in re idem est quod substantiuus, seu absolutus; syncategorematicus, idem quod adiectiuus, connotatiuusque. Quando tamen absolutum, & connotatiuum vnã rem componunt, vt *homo iustus*, terminus complexus appellatur; si verò seorsim considerentur, incomplexi termini dicuntur.

ARTICVLVS VIII.

De termino negatiuo, & non negatiuo.

Negatiuus terminus trifariâ vsurpatur. 1. *pro significante negationem.* sic est qui significat obiectum negatiuum, aut rei physicæ negationem, vt cæcitas carentiam visus, tenebræ priuationem lucis. 2. *pro termino actualiter negante,* vt *non homo, non leo.* Terminus non negatiuus est, qui *negationem annexam non habet,* vt *homo, leo &c.* vnde icire oportet ex negationibus alias esse negantes, infinitantes alias: illæ sunt, *quæ quidquid post se inueniunt, destruunt, & totam propositionem reddunt negatiuam,* vt in hac propositione, *Homo nõ est animal:* illæ *non quia significant rem negatiuam, sed quia ipsis negatur terminus propria significatione, alia quacumque non exclusa.* v. g. *non homo* terminus dicitur infinitans, quia negando significatum nominis ad quodcumque creatum illud extendit: verificatur enim de lapide, de angelo, quod sint non homines: hæc enim est bona prædicatio, *Lapis est non homo, Angelus est non homo.*

19. Sed argues, ex dictis sequi terminum infinitum non distingui à transcendentali. Probatur sequela, nam eo solum terminus dicitur transcendens, quod per omnia entium genera diuagatur. Sed terminus infinitus de quibuscunque entibus dicitur. Ergo non distinguitur à transcendentali. Responderur 1. concedendo maiorem, & distinguendo minorem: Terminus infinitus dicitur de omnibus tanquam quid superius, nego: dicitur tanquam quid adiacens ipsis denominatiuè, concedo. Ergo non distinguuntur, nego consequentiam: nam de ratione termini transcendentalis est quod tanquam quid superius per inferiora diua-

getur. Vel 2. potest responderi negando terminum infinitum dici de omnibus: nam etsi *non homo* de lapide dicatur, de se ipso tamen neutiquam dicitur. falsa enim est ista prædicatio, *Homo est non homo.*

ARTICVLVS IX.

De terminis primæ, & secundæ intentionis.

Terminus primæ intentionis est *nomē, quod nullo fingente intellectu vt apprehensum suam rem significat,* vt *homo, lapis.* Notanter dixi, *vt apprehensum,* quia dicemus quæst. 1. Logicæ naturas reales fundamentaliter tantum primam intentionem posse appellari. Terminus secundæ intentionis est, *qui significat res, quatenus aliqua denominatione extrinseca afficiuntur ab actu collatiuo intellectus.* vt *genus, species, &c.* Rogabis, vtrum hæc nomina, discursus, intellectio, primæ intentiones, an secundæ nominandæ sint. Responderur: si considerentur in quantum significant actus intellectus, esse reales naturas, & sic solum primas intentiones fundamentaliter, quatenus aliqua cognitione reflexa possunt considerari: si verò vt sua obiecta denominant cognita, si absolute denominant, erunt primæ intentiones actiuè, si verò collatiuè, erunt secundæ intentiones actiuè, de quibus latius vbi supra.

ARTICVLVS X.

De terminis pertinentibus, & impertinentibus.

Terminos pertinentes dico, *qui ad discursum, vel consequentiam pertinent:* ex quibus alios pertinentes sequela, quando ex vno sequitur aliud,

vt, *Est homo. Ergo est animal.* siue mutue, siue non mutue. Alios pertinentes repugnantia, quando vnum pertinet ad negandum aliud. vt, *Est homo. Ergo non irrationalis.* Terminos imperinentes dico, *quoscuque disparatos, & ad rem non pertinentes, ex quibus nec consequentia sequitur, nec repugnat.* vt in ista consequentia, *Est homo. Ergo mouetur.* nec sequitur necessario hominem naturalis motus, nec illi repugnat quod moueatur.

ARTICVLVS XI.

De terminis contrariis, & contradictoriis.

22. **T**erminus contrarius significat rem alteri impossibilem. & hoc vel *logice*, vt, *omnis, & nullus*, sunt enim signa, quorum quodlibet totaliter est impossibile enim alio (dicuntur ergo opposita *logice*, quia eorum consideratio ad Logicum spectat:) vel *physice* quando significant entitates ab eodem subiecto se mutuo expellentes. sic calor & frigus, nigredo & albedo, contrariantur, quorum consideratio ad Physicum attinet, ideoque contraria physica nuncupantur. Rursus contradictorius terminus in alia duo similiter dillectatur. Alius contradictorius *logice*, vt, *omnis homo currit, aliquis homo non currit*; alius contradictorius *physice*, qualis est priuatio respectu sui habitus. Sic est cæcitas respectu visus, quæ maxima omnium oppositionum est, quia omnino inter se repugnant extrema etiam per supernaturalem potentiam.

DIFFICULTAS III.

De proprietariis terminorum.

Diximus iam in superioribus de naturæ terminorum: occurrit nunc

de eorum proprietatibus sermonem instituire, quæ ab ipsa oriuntur, & permanant. Ex quibus sex præcipue communiter referuntur, videlicet, suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, appellatio, de quibus suo ordine per sex articulos disputabimus.

ARTICVLVS I.

De suppositione.

Suppositio præcisè, & secundum 23. communem acceptionem, considerata vnius rei loco alterius positionem denotat. Dialectico tamen idiomate variis definitionibus perscribi consuevit. Communior tamen definitio ita habet, *Est acceptio nominis pro re, quam proprie significat.* sic nomen *leo* pro natura leonina supponit. Et ita suppositionem esse intelligendam colligitur manifestè ex Scoto in 1. distinct. 21. §. ad 3. & aliis in locis passim tenet Fonseca. institut. dialect. cap. 20. & alij quàm plurimi. Neque ab ista definitione videtur in re dissentire alia tradita ab Hurtado disput. 2. sect. 1. §. 6. sic, *Est substitutio signi sensibilis loco conceptus mentalis ad constituendam propositionem circa significatum termini mentalis.* Ista intendit quod, immediatè nomen non pro re, sed pro conceptu interno, supponat: & verum est, patet, nam si conceptus interni se ipsis manifestari valerent, sicut angelicæ operationes aliis aperiantur, non indigeremus signis insensibilibus, vt possemus propositiones formare, & aliis aperire. Ergo immediatè loco conceptuum substituantur, & mediatè pro rebus ipsis, quas manifestant, supponunt. Nec alij authores disputant an mediatè, vel immediatè in locum rerum, an conceptuum subrogentur, sed solum in confessio est, nomen pro re, quam proprie significat, supponere.

Vnde habemus primò suppositionem, & significationem, diuersa denotare: potest enim dari significatum non supponens, qualis est effectus suam causam significans, pro illa tamen non supponens. Secundò cum Fonseca vbi supra cap. 2. o. terminum malè dici supponere pro alio, sed dici debere supponi, quia terminus ponitur pro alia re, homo autem illù supponit. Tertio non est existimandum, vt quidam autumant, suppositionem in sola propositione enunciatione habere locum: re enim vera vbiicumque nomen pro re, quam significat, accipitur, procul dubio ibi pro re supponitur: qualiter fit in quibuscunque orationibus, vbi sententiam aliquam declaramus, et enunciationes non sunt, verbi gratia ista, *Erant Plato Secretis auditor? Etiam litteris audio affectu vacaremus.*

De suppositione materiali, & formali.

Diximus de suppositione in communi, nunc autem in varias acceptiones dissectamus. Formalis suppositio est vsus termini pro re quam significat, vt vox *homo* pro animali rationali formaliter supponit. In materiali suppositione vtimur termino pro se ipso, vt blitèri, & alia nomina expertia significati, quibus cum ratio formalis significandi competere non valeat, suppositione materiali gaudent: pro se ipsis enim solam supponunt, & in ipsis solùm illa compositio syllabarum informis significatione existit.

De suppositione simplici, & personali.

35. Simplex suppositio est, quando substituitur terminus ad significandam rem pro re secundis intentionibus subiacer, & ab illis accipit denominationem. vt genus,

species &c. Suppositio personalis est substitutio termini ad significandam rem independentem à secundis intentionibus. vt terminus, *homo*, *leo* &c. Vel secundò suppositio personalis est cum terminus supponit pro se distributiuè. Sic terminus, *homo*, distributiuè accipitur quando dicimus: *Est animal rationale.* Nam eius prædicata essentialia in inferioribus distribuuntur, & de ipsis prædicantur, de qua mentionem fecit Scotus in 1. distinctione 21. quæstion. vnic. §. ad primum, vers. Et cum vterius, numero 7. suppositio verò simplex tantum supponit pro per se significato indistributiuè, qualiter in ista propositione, *Natura est communis.* Ille terminus, *communis*, de natura dictus simpliciter supponit, quia est prædicatur de natura: non tamen de inferioribus indiuiduis sub ipsa contentis. Valet quippe dicere: *Natura humana est communis*: haud quaquam tamen: *Petrus est communis.* de quibus dicimus in quæstione de vniuersali fundamentali in Logica.

Scotus

De suppositione communi, & singulari.

27. Suppositio communis pro re communi accipitur. sic nomen *homo* pro tota natura supponit, & nomen *leo* pro tota natura leonina, eiusque indiuiduis. In suppositione singulari accipitur terminus pro re singulari, & indiuidua, & hoc confuse, seu indeterminatè, qualiter *aliquis homo*, qui nec pro Petro, nec pro Paulo accipitur, sed confuse, & indeterminatè pro vno ex indiuiduis totius speciei: vel determinatè, ratione ipsius termini, vt *Petrus*, vel alicuius denominati signi, vt *hic homo*: determinant quippe, & explicitè denotant vnum naturæ indiuiduum ab aliis distinctum.

ARTICVLVS II.

De ampliacione, & statu.

28. **A**mpliatio est acceptio termini pro diuerso tempore ab eo quod per verbum propositionis significatur. Exempli gratia in hac propositione, *Vigilans dormit*, sonus propositionis est vigilan-tem dormire, quod implicare vide-
tur, cum vigilia & somnus contra-
rientur. Ampliatur ergo hæc propo-
sitiō, cum per illam intelligimus illum,
qui pro aliquo instanti vigilabat, pro
alio dormire. E cōtra verò status pro-
positionis est, *quando accipitur termi-
nus pro eodẽ tempore importato per co-
pulam*. Sic in hac propositione, *Petrus
dormit*, status est, quia res significata
non implicat pro tempore per copu-
lam significato, sed ibi sinit, & per-
fectam causat enunciationem. Vnde
manifestè deducitur 1. ampliacionem
semper prædicato competere, & nun-
quam subiecto. Ratio est, nam sub-
iectum semper habet statum, inuaria-
rūmque remanet ratione sui. Amplia-
tur ergo ratione prædicati. Patet in
hac propositione, *Petrus vigilans dor-
mit*. Iy *Petrus* semper remanet inua-
riatus ratione sui, statūmque habet.
Ampliatur ergo ratione prædicati ve-
rificati de ipso diuerso tempore ab illo
importato per copulam. Deducitur
etiam 2. illum esse terminum amplum,
qui supponit pro tempore distincto ab eo
quod verbum significat. Terminum ve-
rò non amplum esse, supponentem pro
tempore per verbum significato.

constituentemque propo-
sitionem in statu di-
cto modo.

ARTICVLVS III.

De Restrictione.

29. **R**estriktionem dico, termini con-
tractionem à maiori significatione ad
minorem. Exempli gratia in hac propo-
sitione, *Omnis homo doctus est dignus
honore*, restringitur homo, quandoqui-
dem ex propria significatione latiùs
patet: supponit quippe pro quibussli-
bet hominibus tam doctis quàm in-
doctis: addita tamen illa particula, *do-
ctus*, restringitur cōmunis ratio homi-
nis ad restrictiorem, & particulario-
rem rationem, vt tantum pro doctis
accipiatur.

ARTICVLVS IV.

De alienatione.

30. **A**lienatio quoddam genus restri-
ctionis est. Tunc ergo dicimus
alienari terminum, quando addimus ali-
quam vocem, per quam à propria in im-
propriam transfertur significationem. vt
in hac propositione, *Duo homines picti
vaneunt*, extrahitur, & alienatur homo
à propria in impropriam signifiatio-
nem. pictus enim homo improprie di-
citur talis.

ARTICVLVS V.

De diminutione.

31. **D**iminutionem appellamus usum
termini cum aliqua voce, qua non
absolutè, sed secundum quid rem significa-
mus. Sic in hac propositione, *Aethyops
est albus secundum dentes*, ibi, secundum
dentes, limitat, & retrahit, diminuitque
significationem absolutam albedinis,
quæ significat subiectum dealbatum,
vt minimam eius partem, nempe deal-
bationem dentium, importer.

ARTICVLVS VI

De appellatione.

32.
Hart.

Circa hanc proprietatem terminorum multa infructuosa, & inutilia aliqui ex antiquis pertractauerunt. Propterea merito Hurt. disputat. 4. sect. 8. ab eis appellat. Vt nostra ergo refert, appellatio est denominatio, qua una dictio aliam denominat: siue, applicatio significati unius nominis ad significatum per aliud. Exempli causa in hac propositione, *Homo est species*, significatum per hanc vocem, *homo*, appellatur per istam vocem, *species*, taliter vt per speciem possimus naturam humanam intelligere, & per naturam humanam speciem.

Cum tamen in propositionibus, quibus duo intersunt adiectiua, soleat esse æquiuocatio, & ambiguitas, vt in hac, *Petrus est magnus musicus*, dubitatur, an magnitudo super corpus, an super musicum appellet: hæc generalis regula est obseruanda, quod quando adiectiuum causans æquiuocationem ponitur ex parte subiecti, illud denominat tale, vt, *Petrus magnus est musicus*, ibi magnitudo super corporis magnitudinem appellat: quando verò ex parte prædicati, illi suam significationem tribuit. sic, *Petrus est magnus musicus*, hic, *magnus* appellat supra prædicatum, & denotat in musica esse excellentissimum.

SECUNDA PARS

SUMMULARVM.

INSTITVIMVS iam sermonem in superioribus de simplicibus terminis, seu nominibus ad primam operationem intellectus spe-

ctantibus. Nunc autem de nominibus compositis, de oratione scilicet, definitione, diuisione, & propositione per quatuor quæstiones disputabimus.

QVÆSTIO I.

De oratione.

DVæ difficultates in hac questione veniunt discutiendæ. 1. Vtrum incipiendū ab oratione ea, quæ pertinet ad secundam operationem intellectus, rectus ordo seruetur. 2. quid sit oratio.

DIFFICULTAS I.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum rectum ordinem seruemus incipientes ab oratione ea, quæ pertinet ad secundam operationem intellectus.

34.

Relictis aliquibus dubiis circa ordinem acquirendi perfectam rerum notitiam, de quibus in quodlibet-

tis quæstionibus in Metaphysica erit sermo, pro breui huius difficultatis intelligentia notare oportet cum Aristotele 1. lib. physic. cap. 1. & 6. topic. cap. 3. & Scotto in primo sentent. distinct. 3. q. 2. distinctam & perfectam cognitionem ab vniuersalioribus incipiendam esse. Ratio est perspicua, quia cognitione distincta prius cognoscuntur partes, quam totum. Sed naturæ superiores se habent vt actuales partes naturarum inferiorum, vt in prædicabilibus examinabimus latius. Ergo ab ipsis est incipienda distincta cognitio. Probat minor: nam, verbi gratia, homo constat animalitate, & rationalitate,

substantia, & corporeitate, tanquam partibus metaphysicis, seu logicè, tanquam prædicatis superioribus, & inferioribus. Ergo prædicata superiora, & inferiora, se habent tanquam partes compositi specifici, seu metaphysici. ab ipsis ergo incipere debet perfecta, & distincta notitia.

3. Sit conclusio: Incipiendo ab oratione optimum seruamus ordinem cognitionis perfectæ. Probat. Omnis distincta cognitio debet ab vniuersalioribus incipere. Sed nos intendimus perfectam cognitionem & distinctam habere de iis, quæ ad secundam attinent operationem intellectus. Ergo ab vniuersalioribus incipiendum est. Maior est comprobata in notabili. Minor est certa, ergo & consequentia. Tum sic: Oratio est quid superius ad propositionem, definitionem, &c. Ergo de ea est primo loco disputandum. Probat. antecedens: Omne prædicatum superius est vniuersalius subiecto. At oratio prædicatur de definitione, & propositione. Ergo oratio est vniuersalior ipsis. Hæc enim est optima prædicatio, *Definitio est oratio, Propositio est oratio.* Ergo, quia vniuersalior, ab ista distincta cognitio est incipienda.

DIFFICULTAS II

Quid sit oratio.

ORatio nomine & verbo, vt dicemus articulo 3. constat. propterea ipsorum naturas per sequentes articulos declarabimus.

ARTICVLVS I.

Quid sit nomen.

Non est sermo de nomine in latissima significatione accepto, quia

vt sic certum est tam nomina, quam verba, comprehendere vt docuit Arist. *1. per hermenias, seu de interpretatione, cap. 3. his verbis. Ipsa igitur verba cum per se dicuntur nomina sunt, & aliquid sanè significant.* sed in strictiori significatione, vt distinguitur à verbo. Et ab eodem Arist. definitur, vbi supra cap. 2. sic: *Nomen igitur est vox significatiua ex insituito, sine tempore, cuius nulla pars significat separata.* Quæ definitio exacta est, & ab ipso met Aristotele ibidem optimè explicatur. *Ly vox* reicit conceptum, & scripta: *Ly significans* reicit voces expertes significati, vt *blitiri*, & *scindapsus*, & huiusmodi alias: *Ly ex insituito* voces naturaliter significantes excludit, vt gemitus, suspiria, & alias per multas interiectiones: *Ly sine tempore* reicit verba infinita, & participia, quæ quidem omnia tempus ad significant. Nam etsi pieraque nomina significant tempus, vt *dies, hora, annus*, nullam tamen certam differentiam temporis, præsentis scilicet, præteriti, aut futuri, suæ significationi adiungunt, quod quidem est ad significare tempus, seu significare cum tempore. Illud verò, *cuius nulla pars significat separata*, reicit orationes: omnis namque orationis pars aliqua separatim, ac per se, in ipsa orationis structura significat, vt in his duabus orationibus, *Homo albus. Homo sedet.* Ergo definitio est optima, quia explicat naturam nominis, & à quibuscumque aliis distinguit.

Argumenta contra conclusionem.

Primum. Definitio debet competere omni definito. Sed multa nomina sunt, cuius partes separatæ significant. Ergo ipsis non conuenit definitio nominis. Probat. minor: nam hoc nomen *Equiferus* continet in se equum, & ferum

9.
Arist.

ferum, quorum quilibet per se significat. Ergo illi non conuenit definitio nominis. Respondetur partes istius nominis non significare eodem modo separatas, ac significant in nomine. Propterea ipse Aristot. ubi supra in cap. 2. post definitionis verba hæc subdit: *nam hoc in nomine, equiferus, nihil per se ipsum equum significat, sicut in hac oratione, Equus est ferus.*

Secundum. Illa particula, *sine tempore*, videtur non bene positam: nam hæc nomina *tempus, hora, dies*, significant tempus, & tamen sunt nomina. Ergo illis non competit definitio. Respondetur distinguendo antecedens: Significant tempus, concedo: significant cum tempore, nego antecedens. Primum non est contra rationem nominis, nec definitionem aristotelicam. Secundum verò est contra rationem ipsius. Neutrum tamen nomini adaptatur, cum nullum derur nomen diuersa tempora importans, utpote præsens, præteritum, & futurum, sicuti verbum.

Inquires utrum nomina indeclinabilia hac definitione comprehendantur. Respondetur affirmatiuè: eis enim omnes conditiones definitionis adaptantur. Si verò indeclinabilia dicuntur, inde oritur, quia eadem terminatione in singulis casibus gaudent: non tamen quia declinatione careant. Patet in istis propositionibus, *Nihil magis desidero, Nihil ardentius desideratur a me.* in 1. nihil dicit casum accusandi, in 2. verò nominandi.

ARTICVLVS II.

De verbo.

7.
Arist.

Aristot. ubi supra cap. 3. sic verbum definit: *Verbum est vox significans ex instituto definiti, ac cum tempore presentis, cuius nulla pars significat separatim, & semper eorum quæ de alio prædicantur, est nota.* vt, valet, disputat. Prædictæ particula huius definitionis ex dictis satis constant, præter extremam, cuius talis est sensus: & semper, cum in enunciatione ponitur, est signum eius quod in ea prædicatur (sic Ammon. & D. Thom. ad eundem locum) &, vt planius dicam, *allicem*, semper cum in enunciatione ponitur prædicatur vice sui significati. Exempli causa in hac enunciatione, *Socrates disputat*, hoc verbum, *disputat*, prædicatur de Socrate loco rei, quam significat. & sic cætera.

ARTICVLVS III.

De his, quæ ad nomen, & verbum

reducuntur.

Quia multæ voces in orationibus reperiuntur, quæ nomen, & verbum non sunt, notare oportet quasdam earum apud Dialecticos non esse partes orationis, sed partium vincula, quasdam verò partes: ac partium quasdam esse minores orationes, et si simplices partes esse videantur; quasdam verò non esse orationes, sed simplices partes: denique earum quæ sunt simplices partes alias directò reuocari ad nomen, & verbum; alias obliquè voces, quas Dialecticus partes non censet, sed vincula sunt per multa, vt *ab, abs, vel*, & ferè præpositiones, & coniunctiones. Inter ista etiam connumerantur aduerbium *non*, & verbum *est*, qua ratione copulat prædicatum cum subiecto. Signa itidem vniuersalia, & particularia, quæ quodammodo extendunt, aut contrahunt cõiunctionem subiecti cum prædicato, vt *omnis, aliquis*, de quibus prima parte, difficultate secunda, art. 3. Voces, quæ partes simplices orationis nuncupantur, minoresque orationes censentur, illæ sunt, quæ non continent expressè multas distinctas di-

ctiones, ingenerant tamen in mente aliquam orationem, vt *nemo, nihil*, id est, nullus homo, nulla res. *semper, nunquam*, aliæque quàm plurima aduerbia & interiectiones. Simples autem partes orationis, quæ directè ad nomen, & verbum reducuntur, sunt cætera categoricata, præter nomen, & verbum iam definita, hoc tamen discrimine obseruato, quòd non ad significantia tempus reuocantur ad nomen, vt nomina infinita, *non homo, non leo*, & adiectiuè accepta, & pronomina: ad significantia tempus reuocantur ad verbum, vt verba infinita, tempora præsentis & futuri indicatiui modi, infinitiui, & participia. Voces denique simplices, quas ad nomen & verbum reuocamus, sunt omnia syncategoremata, quæ non tanquam vincula, sed tanquam partes ad orationem pertinent, hac obseruata distributione, vt tempus non ad significantia reducatur ad nomen, ad significantia verò ad verbum. Proinde est vt ad nomen obliquè reducantur tum casus nominum etiam infinitorum, & adiectiuè acceptorum, itemque pronominum: tum etiam quædam aduerbia, quæ more casuum ex nominibus deducuntur, vt *doctè, sapienter*: ad verbum autem omnes casus verborum etiam infinitorum, qui non sunt categoricata, itemque casus participiorum.

ctionibus vna debet esse verbum, & alia nomen: aliàs orationem à termino complexo non distingueremus, quia iste etiam pluribus dictionibus per se significantibus constat, vt *homo iustus*. Propterea Hurtado disput. 3. summu- Hurt.
larum, sect. 3. conuenienter definit, *Est vox significatiua, composita ex nomine, & verbo, mutuo congruentibus* vbi satis denotatur quidditas orationis, quæ componi debet non ex separatæ partibus, & inunitis, sed congruentibus, sicut fit nomen cum verbo cum dicimus: *Homo est, Homo legit, &c.*

Aliqui orationem diuidunt in perfectam, & imperfectam. Illa perfectum sensum generat, & proferenti possumus dicere: Verum dicis, aut falsum dicis. sic est ista, *Petrus docet, Ioannes currit*. Ista imperfectum sensum producit, nec ipsam veritatis, aut falsitatis, possumus arguere. sic istæ, *Si leges, Si doceres*, nullam veritatem, vel falsitatem denotant. Sed hæc diuisio si solius orationis sit, vt abstrahit à propositione, infirma est: nam nulla datur oratio perfecta, quæ propositio non sit. patet, quia significat verum vel falsum, quæ passio propositionis est, vt dicemus infra quæstione de propositione, artic. 2. Oratio ergo præcisè nec falsitatem, nec veritatem dicit, nisi ratione propositionis, cui inest, sed solùm congruentiam nominis cum verbo.

ARTICVLVS IV.

QVÆSTIO II.

Quid sit oratio.

De definitione.

2.
1. 3. **P**hilosophus vbi suprâ cap. 4. sic orationem definit, *Est vox significatiua, cuius partium aliqua separata significat, vt dictio, sed nõ vt affirmatio, vel negatio*. Itaque omnis oratio duabus dictionibus constat per se, & extra propositionem, significantibus: ex quibus di-

Communis consensus est in hac quæstione definitionem esse orationem naturam, aut proprium aliquod rei, explicantem. Nil ergo aliud definire est, quam naturam, id est, essentiam rei, aut proprium eius, id est, passionem enodare. Vnde duplex genus definitionis 17.
commu-

communiter vsurpatur. Alia enim est essentialis definitio, quæ per essentiam rei datur, ut qua definitur homo per animal rationale. Alia descriptiva, & datur per passiones, & proprietates. sic idem homo per visibilitatem describitur. Proinde istud definitionis nomen ad accidentalem definitionem transfertur, improprie tamen. Dicimus enim: *Homo est albus*. Et hanc aliqui vocant definitionem accidentalem, quia aliquod accidens hominis notificat. Desiciunt tamen illi alix conditiones veræ definitionis, ut infra patebit. quibus stabilitis circa hanc quæstionem duæ difficultates veniunt discutiendæ. Prima de definitione quid nominis, & quid rei. Secunda de conditionibus veræ definitionis.

DIFFICULTAS I.

Quid per definitionem, quid rei, & quid nominis, intelligamus.

ARTICVLVS I.

De definitione, quid nominis.

12. Philosophus secundo libro posterior. cap. 7. docet, de rebus, quibus actu esse & existere repugnat, non posse sciri quid sint ipsæ, sed tantum quid nomina significant. *Necesse est enim eum, qui scit quid est homo, aut aliud quoduis, & esse etiam scire; id enim quod non est, nemo scit unquam quid est: sed quidam oratio, vel nomen significat, cum dico, hircoceruus, bene quidem percipimus; fieri verò nequit, ut quid hircoceruus sit sciamus.* Quibus verbis denotat clarè non posse essentiam alicuius rei cognosci, eius possibilitate ignota. Ratio est perspicua, quia essentia rei non

dicit existentiam, sed possibilitatem. essentia enim hominis non est existere, hoc enim solius est Dei, sed eius prædicata essentialia non repugnantia. Proinde ergo qui essentiam cuiusvis rei apprehendit, consequenter & eius possibilitatem. idem enim sunt ens, & possibile, sicut etiam repugnans, & nihil. Nec aliud sonant verba illa, *id enim quod non est, nemo scit unquam quid sit*, id est, eius cui repugnat existentia, nemo scit unquam quidditatem, quia idem sunt potentia, & quidditas possibilis. Deinde Philosophus docet in eisdem rebus, quibus repugnat existentia, vel quæ impossibilia sunt, posse benè cognosci, quid nomine importetur. quod insinuat Scotus in 4. sententiarum, dist. 1. quæst. 2. §. hinc primò videndum, num. 2. & 1. lib. priorum quæst. 5. Vnde credo phrasim illam communem Logicorum produisse, *definitio quid nominis, & quid rei.*

Per definitionem ergo quid nominis, non intelligimus definitionem illam, qua nomen, ut distinguitur a verbo, explicamus, sed secundum Aristot. verba nuper explicata *definitionem illam, nullam rem firmam & ratam explicantem, sed impossibilem, & per aliquod nomen representatam.* hoc modo solent definiri chimæra, & alia impossibilia, siue non entia in re, nomine verò expressa. Ideo ergo nominis definitio appellatur, quia totum esse definiti nullum est aliud quàm nominari. Dicemus enim quæst. 2. logicæ impossibilia cognita, seu denominata habere aliquod esse secundum quod, seu diminutum, à causis denominantibus derivatum.

Inde inferitur quòd quando explicamus nomen aliquod, ut, v. g. quòd consal dicitur, quia reipublicæ consulit, sol, quia inter reliqua astra solus lucet;

13. *Definitio quid nominis, quid.*

Illatio.

lucet; mulier, quia mollis est aër; homo, quia ab humo trahit originem, hæc non est dicenda definitio, sed secundum Ciceronem in Topicis, notatio, & veriloquium appellandum; secundum Aristotel. verò symbolum, quod latine est nota, & Græcè etymon, seu etymologia; indeque etymologia nominis non vera definitio dicenda est.

ARTICVLVS II.

De definitione, quid rei.

14. **D**efinitio quid rei est, qua naturam & quidditatem possibilem alicuius rei pandimus, vt qua naturam hominis per animalitatem & rationalitatem explicamus. sic Aristot. 1. Topic. cap. 4. & Scotus vbi supra. Dicitur definitio quid rei. nam non solum significationem nominis, sed aliud verum esse per illud significationem aperit.

15. **E**x dictis multifariam accipitur definitio ab authoribus. Primò diuiditur in descriptiuam & essentialem. Hæc explicat essentiam definiti, illa passionem aliquam eius enodat. Rursus definitio alia datur per veram genus & veram differentiam, sine explanatione alicuius conditionis extrinsecæ, seu extra rationem intrinsecam definiti. Sic substantiæ completæ definiuntur, cuius entitates ita absolute, & ad se sunt, vt nullo ordine ad aliud habito cognoscantur, & manifestentur. Alia est quæ etsi detur per verum genus & differentiam: aliquid tamen extrinsecum necessariò ponitur in definitione, vt entitas definiti possit notificari. Sic definitur accidens per ordinem ad subiectum, relatio per ordinem ad terminum, quia cum entitates imperfectæ sint, mendicant à subie-

cto, & termino, quòd possint quidditatiuè & perfecte cognosci. sic habet Scotus vbi supra quæst. 5. lib. 1. Priorum; & ibidem §. quantum ad secundam, docet istam definitionem non esse purè quidditatiuam, sed cum addito. Idem habet in 4. distinct. 12. quæst. 1. num. 18. quandoquidem aliquid extra quidditatem rei inuoluit; substantia enim extra rationem prædicamenti accidentis est. Denique cum partes quidditatis dupliciter accipiantur, aliæ physicae dicuntur, aliæ metaphysicae. Illæ sunt corpus, & anima, ex quibus physice & in re entitas compositi coalescit: istæ sunt genus & differentia. Illæ partes physicae appellantur, quia ad Physicum earum attinet examinatio; istæ verò metaphysicae, quia muneris metaphysici sunt, vt pote à materia abstractæ. Propterea definitio physica illa erit, quæ naturam entis physici per partes physicas enodat. sic hominem per corpus, & animam physice definimus. Metaphysica verò, quæ naturam Metaphysici entis per genus & differentiam aperit, & euoluit; dicemus enim infra definitionem conuerti cum definito. His definitionibus communiter vtimur iam in scholis. Si tamen rigorosam Aristotelis locutionem sectaremur, solam substantiam, seu essentiam rei possemus verè definire, vt clarè notat lib. 7. Metaphys. capite 5. & ibi non quancunque substantiam pro essentia videretur usurpare, sed substantiam prædicamentalem, vt legenti patebit.

DIFFI

DIFFICULTAS II.

De conditionibus qua requiruntur ad veram definitionem.

EX conditionibus requisitis ut verè definiamus, aliæ se tenent ex parte definitionis, aliæ verò ex parte definiti. de utroque ergo seorsim agemus.

ARTICVLVS I.

De conditionibus definiti.

16. **D**efinitum illud est, cuius naturam per definitionem explicamus. Quinque ergo conditiones, ut verè definibile sit, præexigit Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 2. §. hinc primò, num. 2. quæ tam definitioni descriptivæ, quam essentiali adaptantur.

17. **P**rima, definitum debet esse ens, defectu cuius impossibilia definitione quid rei non valent definiti. Ratio est euidens. nam definitio explicat naturam definiti. Si ergo definitum non solum naturam non habet, imò repugnat habere: ergo nec definitionem. Sed contra istam conditionem obijcies. Impossibilia & entia rationis definiti, ut chimæram, &c. ergo falsa est nostra assertio. Resp. definiti definitione quid nominis, non verò quid rei. Vnde Scotus loco supra citato §. de secundo dico, affirmat definitionem entis rationis non esse veram, & propriam, quia non veri & proprii entis. sic vers. 3. dico, num. 7.

17. **S**ecunda conditio, quòd definitum sit per se vnum, definitur ex Aristot. 7. Metaph. cap. 3. text. 16. & 8. Metaph. text. 15. & non ens per accidens. Ratio est manifesta. nam ens per accidens involuit multitudinem entitatum, ut

homo albus, & cumulus lapidum, ergo vnica definitione nequit definiti. Antecedens est certum. Probatum consequentia. Definitio explicat naturam rei; ergo vbi sunt plures naturæ, plures etiam erunt definitiones quibus explicentur. Definitio ergo non erit entis per accidens, sed entis per se.

Tertia conditio coincidit cum prima, scilicet definitionem esse entis realis, defectu cuius ens rationis non est propriè definibile, propter dicta in prima conditione, & docuit Aristot. 5. & 6. Metaphys. & Scotus vbi supra, num. etiam 3.

19. **Q**uarta conditio, quòd definitum sit in plures cõceptus resolvable. Propterea ens simpliciter simplex, quale est conceptus entis, vicinarumque differentiarum, indiffinibiles sunt. Patet. nam ex communi Dialecticorum consensu, definitio essentialis genere & differentia constat. Vbi ergo est vnicus & irresolvable conceptus, impossibilis erit differentia, & genus, quæ duplicem conceptum important. sic Arist. 8. Metaph. c. 3. text. 9. Locutus sum de definitione essentiali. nam si de descriptiva loquamur, genere, & differentia vera nõ constat. Est tamen oratio longa: propterea pluribus conceptibus definitum debet constitui.

20. **Q**uinta conditio, quòd definitum non sit singulare, docuit etiam Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 6. §. Et per hoc patet, vers. ad 3. num. 17. & probatur. nam definitio debet exprimere essentialiam rei. Sed in definitione individui, non exprimitur essentia ipsius, sed aliqua formalitas superaddita propriæ essentiali. Nequit ergo verè definiti. In hoc ergo distinguuntur, ut dicemus quæstione de specie, individuum & species, quòd ista aliquid addit supra quidditatem generis, quippe differentiam specificam

per quam essentialiter constituitur in esse speciei: at indiuiduum non habet aliam essentiam, præter prædicata essentialia speciei, etsi verè determinata per differentiam indiuidualem ad esse huius. Vnde quando definimus Petrum per animal rationale, eius essentiam & veram definitionem propriè referamus, nulla differentia indiuidualis facta mentione. Si tamen rationem indiuiduam aperire velimus, non erit vera definitio: sed quædam ratio expressiua ipsius entitatis, quod optimè expressit Scotus loco nuper citato.

ARTICVLVS II.

De conditionibus definitionis.

21. **E**X parte definitionis quatuor conditiones communis consensus exigit.

Defini-
tionis con-
ditio pri-
ma.

Prima, quòd definitio, & definitum conuertantur, id est, quòd sint termini pertinentes sequela, vt ab vno ad aliud valeat consequentia, affirmatiuè & negatiuè. v. g. in hac definitione, *Homo est animal rationale*, valet dicere, *Est homo; ergo est animal rationale*, & e conuerso. Similiter negatiuè. *Non est homo; ergo neque animal rationale*. Ratio à priori est, quia definitio est essentia rei, vel passio quæ soli definito competit, & non aliis; ergo cum ipso debet conuertere.

22. **S**ecunda conditio, quòd definitio conueniat omni definito, & soli. Si enim aliis competat, erit vitiosa. Propterea, *Homo est viuens*, non est vera definitio hominis. Ratio à priori est: definitio debet explicare naturam rei vt distinctam à quocunque alio. Sed per istam non explicatur quidditas hominis, vt distincta à quidditate leonis, qui conueniunt in

substantia viuenti; ergo defectuosa definitio.

Tertia conditio, definitio debet esse clarior suo definito. Patet. Nam definitio datur ad explicandam definiti naturam; ergo si non est clarior, nec explicabit, neque definiet ipsam. ignotum enim non manifestat notius.

Quarta conditio, conueniens definitioni essentiali est quòd detur per genus proximum, defectu cuius, *Homo est viuens rationale*, non est definitio hominis. Ratio est, quia non explicatur bene essentia alicuius, si proxima pars constitutiua ipsius in definitione non exprimat. Esset tamen optima si diceremus, *Est animal rationale*.

23.

Tertia.

24.

Quarta.

QVÆSTIO III.

De diuisione.

DIUISIO secundum quod ad Dialecticum attinet, est oratio qua totum in suas partes diuiditur, vel, oratio manifestans obiecti essentiam per partes. Vt si dicamus: *Hominis altera pars est animus, altera corpus. Animalium, aliud homo est, aliud brutum*. Totum quod diuiditur, & à quo incipit diuisio, *diuisum* apud Dialecticos appellatur; partes verò in quas diuisio finitur, ac terminatur, *membra diuidentia*, seu *diuisionis membra* dicuntur. Circa cuius exactam intelligentiam duæ difficultates veniunt discutiendæ. Prima, quotuplex sit diuisio, & quomodo à definitione distinguatur. Secunda de conditionibus veræ diuisionis.

Diuisio
quid.Diuisum
quid.Membra
diuidentia,
seu
diuisionis
quæ.

DIFFICULTAS I.

Quotuplex sit diuisio logica, & quomodo à definitione distinguatur.

ARTICVLVS I.

Proponuntur variae acceptiones diuisionis logicae.

I. **N**Otante de logica diuisione sermonem instituo, quia ad nostrum institutum non spectat de diuisione physica, videlicet, qua Physicus hominem in corpus & animam, & Metaphysicus, in animal & rationale diuidunt, pertractare. Quapropter ista *metaphysica*, illa *physica diuisio* nuncupatur. Diuisionem ergo logicam multifariam accipit communis Dialecticorum consensus. Primò pro diuisione generis in species, quando genus in plures species inferiores per intellectus operationes partitur. sic animal in hominem & equum. Secunda est speciei, in indiuidua. sic diuiditur species humana in Petrum & Paulum, tanquam in indiuidua, sub ipsa contenta. Ad istam reducitur diuisio vniuoci in vniuocata: qualiter ens, secundum Scotum pluribus in locis in antepredicamentis assignandis, diuiditur in decem prædicamenta. Tertia est, analogi, in analogata, vel æquiuoci, in æquiuocata: vt qua diuiditur canis in marinum, cælestem & lacrabilem: vel qua dicitur sanum de vrina, medicina & animali. Quarta est subiecti in accidentia. sic homo, & quodcunque aliud subiectum, in album & nigrum diuiditur, in sapientem & insipientem, quæ sunt accidentia illius. Deinde diuisio, sicut & quicumque alius collatiuus actus,

Diuisio logica multifaria.

cùm accipiat denominationem specificam ab extremis talis respectus, tum dicitur vniuoci in vniuocata, quando extrema vniuocè conuenient in diuiso: tum generis in species, quando diuisum est genus, & in eo species diuidentes conueniunt: tum subiecti in accidentia, cùm diuidentia membra sunt extrinseca & accidentalia diuiso. Proinde etiam illa, quæ fit in partes essentielles, essentialis diuisio nuncupabitur. sicut accidentalis illa, quæ in partes accidentales dissectatur.

ARTICVLVS II.

Distinguanturne diuisio, & definitio.

Rationes dubitandi pro parte negatiua sunt sequentes. Primò definitio ex quæst. præcedenti est oratio explicans naturam definiti; sed hoc idem fit per diuisionem. ergo non distinguuntur. Resp. concedendo maiorem, & distinguendo minorem. Hoc fit per diuisionem eodem modo, nego: diuerso modo, concedo. Diuisio enim manifestat obiecti essentialiam per partes; definitio autem absolute. Contra: etiam definitio explicat partes definiti, vt quando definitur homo per animal rationale in plures definiti partes. ergo non distinguuntur. Resp. distinguendo antecedens: manifestat per partes componendo vnã cum alia, concedo: diuidendo vnã ab alia, nego. In hoc ergo definitio & diuisio distinguuntur. Contra: hæc est definitio vera, *Homo non est equus*, & tamen non componitur prædicatum cum subiecto, imò separatur. Ergo ratio definitionis non est explicare componendo. Resp. negando maiorem; illa enim non est definitio, sed quædam quasi

2.
Rationes dubitandi. Prima.

descriptio, quæ datur per negatiuas partes.

3.
Secunda.

Secundò videtur quòd solùm accidentaliter distinguantur. nam accidentale est manifestationi si fiat per partes diuisas, vel compositas. Resp. negando antecedens: quia, vt dicemus alibi, actus intellectus specie distinguuntur, & essentialiter, ex diuersis modis attingendi obiectum. Vnde cum obiectum aliter attingatur per definitionem, quam per diuisionem, proinde actus specie distinguuntur. Rursus, quòd quando definimus & diuidimus, v. g. animal, neutiquam idem notificatur: per definitionem enim quòd sit viuens sensibile, per diuisionem autem continere potestatiuè species, in quas ab ipso intellectu partitur, manifestamus.

DIFFICULTAS II.

De conditionibus vera diuisionis.

ARTICVLVS VNICVS.

Proponitur doctrina communis.

4.
Vere diuisionis conditio prima.

Communitè Dialèctici sequentes conditiones ad veram diuisionem requirunt. Prima conditio est, vt singula membra diuidentia minus contineant, quam diuisum: omnia vero simul sumpta diuiso adæquentur. colligitur ex Aristot. 2. Posteriorum cap. 5. Defectu cuius hæc diuisio peccat: Animalium alia sunt sensu prædita, alia ratione; quia sensu præditum æquè latè patet, atque animal, nisi intelligatur cum particula solo, sic enim bona erit diuisio: animalia namque aut solo sensu prædita sunt, aut rationem & mentem participant. Eodem defectu hæc non sunt bonæ

diuisiones: Animalium aliud est bipes, aliud quadrupes, aliud plures habens pedes. quia diuisum latius patet, quam membra diuidentia simul accepta.

Secunda conditio est, vt quantum fieri possit, diuisio fiat in proxima membra diuidentia. In quo deficiunt qui corpus animatum diuidunt in hominem, bestiam, & arborem fruticem, transfiliendo duo immediata genera, animal, & plantam.

Tertia conditio, vt diuisum contineat sub se omnia membra diuidentia. Quod non faciunt, qui diuidunt animal in hominem & Angelum, cum Angelus non sit animal, nec contineatur sub eius ratione; implicat enim quidquam diuidi in ea, quæ sunt extra rationem eius omnimodè.

Quarta conditio, vt diuisum & membra diuidentia non dicantur ad conuertentiam. Non enim valet, *Est animal; ergo est homo.* licet in diuisionibus generis in species valeat ad conuertentiam ab inferiori ad superius affirmatiuè, & à superiori ad inferius negatiuè. Sic dicimus, *Est homo; ergo est animal. Non est animal; ergo non est homo.* quia quod animal non est, homo non est, cum sit pars essentialis ipsius.

Quinta conditio, vt vnum membrum diuidens non prædicetur de alio. Ratio est: nam vt aliquod prædicetur de alio, debet esse in illo. Sed vnum membrum diuidens excludit aliud à se; ergo adinnicem repugnant prædicari. Poterit tamen à diuiso ad vnum membrum diuidens fieri consequentia, alia membra diuidentia explicite excludendo. Vt si dicamus: *Est animal, & non equus, nec leo, &c.* sic singula sensibilia præter hominem enumerando; *ergo est homo.*

Ultima conditio, vt non vna tantum pars totius nominetur, & altera vel

vel reliquæ, si fuerint plures, quàm duæ, negatione illius significantur, ne tam multæ nominentur, vt longa fiat oratio. Deducitur ex Aristot. 6. Topicorum cap. 3. & 1. de part. animal. cap. 3. Et patet; nam si vnã duntaxat partem nominaueris, & alteram, vel reliquas, negationem illius significaueris. Vt si dicas: *Magnitudinum alia est linea, alia non linea,* non videberis propriè explicare in partes, id quod diuiditur, quia negatio alterius partis, non solum non est differentia, vt ait Aristot. sed nullo etiam alio modo propriè pars, siue componens totum, siue subiecta toti. Si autem multa admodum membra volueris enumerare; (vt si dicas: *Animalium aliud equus, aliud leo, aliud aquila, aliud elephas,* & sic singulas species infimas percurrendo orationem feceris, quam nectu absolueris, nec alius complecti animo valeat,) vitiosa erit diuisio, & ferè imperceptibilis. Cauenda igitur sunt hæc duo vitia in diuidendo, quia diuisio in scientia est causa explicandæ rem in partes, non tenebras offundendo, sed elucidando. Ab hac tamen regula tres casus excipiuntur. Primus quando diuisionem necessariam, & à nemine negandam facere intendimus; de quacunque enim re vera est affirmatio, aut negatio, ex primo Posteriorum, cap. 8. Alius est, quia sæpe numero accidit, vt membra diuidentia careant positiuo nomine: quo fit vt ad negatiua sit confugiendum, vt cum diuidimus substantiam in corpoream & incorpoream; animal, in rationale, & irrationale, quia ignoramus veras differentias, quæ Angelum, & brutum animal constituunt. Tertius casus, si partes, in quas diuisio immediatè faciendæ est, fuerint plures, quàm perspicuitas diuisionis

ferre possit. tunc enim omnes, præter vnã, significantæ sunt nomine negatiuo. Vt si dicas: *Bestiarum quædam sunt pennatæ, alia implumes;* nisi dicas: *Colorum quidam est candor, quidam nigror, ceteri verò sunt medij inter hos,* quæ diuisio non erit per negationes, sed per verborum compendium.

QVÆSTIO IV.

De propositione.

PROPOSITIO duplici definitione potest definiti. Prima est Aristotelis 1. Priorum cap. 1. quæ ita se habet, *Est oratio affirmans aliquid, vel negans.* Secunda est eiusdem Philosophi, lib. 1. de interpretatione cap. 4. *est oratio verum, vel falsum significans.* Exempli causa, hæc propositio, *Petrus est homo,* affirmat aliquid de aliquo, nempe humanitatem de Petro; consequenter aliquam veritatem, vel falsitatem enuntiat. in hoc enim oratio & propositio distinguuntur, vt notauimus quæst. 2. quod illa verum, vel falsum significat; illa verò neutriquam, vt patet in ista oratione, *Tu fac.* Circa quam quæstionem plures difficultates veniunt discutiendæ. Prima de numero & partibus propositionis. Secunda quæ sit essentia ipsius. Tertia de oppositione simplicis propositionis, eiusque speciebus. Quarta de equipollentia propositionum. Quinta de simplici propositionis conversione. Sexta de natura & quidditate propositionum modalium, quæ omnia suo ordine discutiemus.

Propositio quid.

Oratio & propositio differunt.

Exclusio.

* * *

D I F F I

DIFFICULTAS I.

De numero, & partibus
propositionis.

ARTICVLVS I.

De materia propositionis,
eiusque forma.

1.
Materia
proposi-
tionis
qua.

Materia propositionis dicuntur termini illi, ex quibus intellectus format, seu componit propositionem. Sicut enim in rebus physicis materia prima dicitur illud subiectum, in quo inducitur forma, estque eius receptaculum: sic in propositione materia dicuntur termini illi, qui operatione intellectus in formam propositionis adunantur & componuntur. v.g. in hac propositione, *Petrus est animal*, materia sunt illi termini, *Petrus* & *animal*; forma verò illa connexio, seu affirmatio, qua animal prædicatur de homine, est enim vinculum & nexus, quo illæ partes uniantur inter se.

2.
Materia
triplex
acceptio.

Materia tripliciter accipitur. Alia est necessaria, alia contingens, alia impossibilis, seu remota. Prima denotat necessariam conuenientiam prædicati cum subiecto. Et hoc vel independenter, vt, *Deus est*, vel dependenter, ab aliqua causa, vt, *Homo est animal rationale*, cuius esse posituum non à se, sed à Deo est. Secunda dicit prædicatum contingenter accidere subiecto. sic ista, *Petrus est albus*, *Petrus currit*, est in materia contingenti; quandoquidem ipsi accidit quòd currat, vel albus sit. Tertia denotat prædicatum repugnans omnino subiecto. sic ista propositio, *Homo est equus*, est in materia impossibili: sicut omnes alij, quorum extrema dicunt repugnantiam, & impossibilitatem inter se.

ARTICVLVS II.

De multiplici propositionum
acceptioe.

De propositione affirmatiua
& negatiua.

Affirmatiuam propositionem dicimus, cuius præcipua copula affirmat: vt ista, *Petrus est homo*; negatiuam verò, cuius præcipua copula negat: vt ista, *Petrus non audit*. Notanter diximus de præcipua copula. nam sunt aliquæ propositiones complexæ, infra explicandæ, quæ pluribus constant copulis: in quibus præcipua est attendenda ad negationem, & affirmationem propositionis, vt ibidem notauimus.

3.
Propositio
affirma-
tiua, &
negatiua.

De propositione vera & falsa.

Veram propositionem dicimus, in qua verum enuntiatur de subiecto. Falsam autem, quando de ipso falsum prædicatur. Exemplum prioris, *Homo risibilis*, *Deus est optimus*; posterioris verò, *Equus est leo*.

Propositio
vera, &
falsa.

De propositione categorica &
hypothetica.

Pro hypothetica propositionis cognitione notandum, hypotheseum nomen esse Græcum, & Latine idem quod suppositio sonantem. ergo sic hypotheticam propositionem definire debemus, *est propositio conditionalis, qua dependenter ab aliqua conditione, vel hypothese, de obiecto iudicat, vt, si nautis venerit, dabo tibi centum*. hæ enim vigore sunt hypothetica propositiones, etsi aliqui immerito, quascunque complexas propositiones statim explicandas hypotheticas usurpauerint.

4.
Propositio
hypothetica.

Propo

Propositio categorica est absoluta & incompleta, qua absolute indicat de obiecto. Ut ista, Petrus est sapiens. Unde est propositionem hypotheticam continuam complexam esse, categoricam vero incomplectam, & non conditionalem.

Propositio hypothetica necessaria in materia necessaria, & contingenti.
 Rursum propositio hypothetica, seu conditionalis alia est in materia necessaria, quando consequens propositio ex vi antecedentis necessario inferitur. Ut ista, *Si sol luceret, dies esset.* Necessesse quippe est quod si sol lucet, sit dies. Alia in materia contingenti, quando effectus consequens non necessario ex antecedenti ponitur in re: ut ista, *Si Petrus currit, dabo tibi annulum;* effectus consequentis dependet ex dantis voluntate, quae contingens & defectibilis est, utpote creata: immutabilitas est entis increati per naturam.

De propositione complexa & incompleta.

Propositio complexa.
 Propositio complexa duabus integris conflatur propositionibus, quarum aliqua conjunctione copulantur: ut, *Petrus currit, & Ioannes mouetur.* Aliae disiunguntur: ut, *Petrus currit, vel orat.* Est tamen maxima obseruanda differentia inter copulatiuas & disiunctiuas propositiones, quia veritas illarum non saluatur qualibet deficiente parte. Conspiciua ratio est, nam est quaedam enuntiatio vniuersalis, ad cuius veritatem, veritas omnium particularium necessaria est: ut in hac propositione, *Petrus currit, vel orat.* Disiunctiuam vero habet veritatem qualibet parte existente vera. Patet, nam est propositio particularis, ad cuius veritatem vnius veritas sufficit, contingere enim potest Petrum currere & non orare, vel e contra.

Secundo obseruandum est, circa

istas propositiones compositas, & complexas disiunctiuas, posse contingere, alteram partem esse veram, non exclusa alia. v. g. Christus dixit: *Ibi duo, vel tres, in nomine meo congregati fuerint, ibi sum in medio eorum.* Si autem duo & tres congregentur, nunquid eos Deus non audiet? absit, tunc enim non redditur propositio disiunctiuam falsa. Cum autem pro vno supponitur aliud, disiunctiuam efficitur falsa. Ut in hac, *Offerretis per tertium, aut duos pullos columbarum.* Qui enim omnia offerret, male faceret, quia ibi loco vnius, ponitur aliud.

Propositio simplex, seu incompleta, Latine est idem quod Graece categorica, quae subiecto & praedicatione constat, & vnica sola est, ut ista, *Homo ambulat, Christus est homo.* quam Arist. 1. libro Perihermenias cap. 4. his definit verbis: *Simplex quidem enuntiatio est, ut aliquid de aliquo, aut aliquid ab aliquo, &c.* Vel, ut clarius vertit Argypopolus, *enunciatio simplex est aliquid dicens de aliquo, aut aliquid ab aliquo remouens.*

DIFFICULTAS II.
De essentia propositionis.

IN quaestione praebulo duas definitiones propositionis, ex mente Arist. & communi Peripateticorum consensu retulimus. Dubitatur nunc, quae ipsarum sit essentialis.

ARTICVLVS I.

Explicatur nostra sententia.

Abstineo libenter a proluxa huius difficultatis enodatione, quia magis ad tertium de anima, quam ad praesens institutum spectat. Statuo ergo essentiam definitionis propositionis

D titionis

6. & media.

7. Essentia propositionis quid.

tionis esse affirmare aliquid, aut negare; passionem verò eius veritatem, vel falsitatem. Hoc secundum affirmat Scotus in prædicamentis, q. 1. §. *quæritur, in fine*. Unde deducitur essentiam ipsius debere esse affirmationem, & negationem. Idem videtur colligi ex Sancto Thoma lib. 1. Perihermen. lect. 8. parum à principio, ubi docet diuisionem propositionis in affirmatiuam & negatiuam esse generis in species. Ergo affirmatio & negatio, sunt differentie specificæ propositionis, & per consequens de essentia eius, estque sententia aliquorum recentiorum.

Ratione etiã patet. Illud est essentia alicuius rei, quod primò ei competit. Sed esse affirmatiuam & negatiuam, prius conuenit propositioni, quàm verum, vel falsum significare; ergo illud est essentia illius. Probatur minor, in qua est difficultas. Ex eo propositio vera, vel falsa dicitur, quia affirmatiua, vel negatiua est. Non enim ex eo affirmo, aut nego, quia verum, aut falsum dico, sed ex eo dico verum, quia affirmo ita est: vel falsum si negaui. Ergo prius competit propositioni affirmatio, vel negatio formalis, quàm veritas & falsitas.

Secundò probatur. Essentia nequit collocari in eo, quod rei accrescit ab extrinseco. Propositionem autem esse veram, vel falsam ab extrinseco esse, docuit Arist. in prædicamentis cap. de substantia. Vbi cum de ea dixisset quod eadem numero remanens sit susceptiua contrariorum, orationem sibi obiecit, eorundem quoque susceptiuam, cum ex vera sit falsa. Quod autem vera sit, vel falsa propositio, quid extrinsecum est, & aduenire potest ipsi, vel adesse, & abesse. v.g. ista propositio est vera, *Petrus sedet*, sedente Petro; stante verò redditur

falsa, si ab intellectu proferentis conferuetur. Unde duæ propositiones, vna vera, altera falsa, accidentaliter tantum distinguuntur. Duæ verò, quarum altera affirmat, altera negat, specie distinguuntur; inuariata enim propositione, non potest affirmatiua in negatiuam transire. de quibus alibi latius.

ARTICVLVS II.

Proponuntur aliqua argumenta contra nostram conclusionem.

Primum argumentum. Definitio non debet dari per opposita. Sed ista definitio datur per verum, vel falsum significare, seu per affirmare aliquid, vel negare. Ergo datur per opposita. Respondeo quod cum in omnibus secundis intentionibus, seu entitatibus logicis, vt dicemus in antepredicabilibus Logicæ, definiatur secunda intentio, in actu signato supponens pro rebus exercendis, propositio hic non intelligitur vera, vel falsa, affirmatiua, aut negatiua, vt est in actu exercito: sed quadam secunda intentio signans vtrique propositionem factibilem ab intellectu. Unde neutra erit vera, vel falsa in simul, sed vera, aut falsa. hoc enim signatur per definitionem.

Sed obieciens, quod supponimus in isto articulo propositionem esse genus; ergo debemus tradere definitionem ipsi adaptatam, & non speciebus. quæ magis videtur diuisio, quàm definitio. Respondeo propositionem in communi sic posse defini, *est oratio constans subiecto, predicato & copula*. in hoc enim distinguitur ab oratione, quæ non includit necessariò predicatum, quatenus oratio est: & vt sic contrahitur per affirmationem & negationem

8.
Arguitur contra. Primò.

Obieciens.

Solutio.

ARTICVLVS III.

De quibusdam quaesitis circa
propositionem.

gationem, tanquam per rationes formales. Nec reprehendendus est Arist. definitis solum propositiones in specie, quia cum entia rationis sint improprie & diminute entia, non est multum curandum de eorum structura. Vnde nec mirum quod definiunt per orationem, quae est genus remotum.

Secund. Secundum. Verum, vel falsum sunt passiones propositionis, ex dictis supra secundum Scotum. Sed passiones secundum eundem Doctorem, & eius scholam, non possunt separari ab essentia, quia sunt idem realiter ipsi; ergo falso probauimus supra non esse de essentia propositionis, quia possunt separari. Respondeo passiones entis rationis non esse veras & rigorosas passiones, ut dicemus in q. 2. Logicae, diffic. 1. & sic non valet argumentum propter ibi dicenda, sunt enim passiones improprie, quia semper comitantur naturam subiecti, non ex natura ipsius, sed ex actu intellectus imponente.

Terc. Tertium argumentum. Si propositio affirmatiua, & negatiua, specie distinguuntur, ergo idem dicendum est de syllogismo perfecto & imperfecto, quod contra Scotum esse dicemus q. 8. diffic. 3. art. 2. de syllogismo. Respondeo disparatem esse rationem, quia cum tota affirmatio & negatio propositionis non attendatur ex natura extremorum, sed ex actu intellectus affirmantis, vel negantis, (potest enim animalitatem affirmare & negare de Petro,) inde est quod propositio affirmatiua, & negatiua, non materialiter, sicut syllogismus perfectus, & imperfectus, distinguantur, sed formaliter. Dicemus enim, vbi supra, intellectum eodem modo se habere in syllogismo perfecto & imperfecto, & sic materialiter solum distingui.

9. *Triplex*
quaesitum
circa pro-
positionem.

Scotus lib. 1. Priorum q. 4. 8. Oppositum, tria inquirenda de quacunque propositione notauit, quae sit, qualis sit, & quanta sit. Et ex dictis facile interroganti respondebimus, quae substantiam quaerit, id est, an sit affirmatiua, vel negatiua: *qualis* qualitatem propositionis percontatur, id est, an sit vera, vel falsa, categorica, vel hypothetica: *quanta* quantitatem inquit, an quippe sit vniuersalis, vel particularis, indefinita, aut singularis. Dicitur haec quantitas propositionis logica, quia sicut per quantitatem realem certificamur de magnitudine, & paruitate rerum materialium: sic per vniuersaliratem, & singularitatem de logica magnitudine propositionum. Illa dicitur vniuersalis propositio, cuius subiectum est nomen commune signo vniuersali affectum. Sic ista, *Omnis homo est animal*, particularis, cuius subiectum est nomen commune signo particulari determinatum: ut, *Aliquis homo est animal*. *Homo* nomen commune ex se est, significans humanam speciem; signum vero *aliquis* particulare pro vno individuo supponens. Indefinita, cuius subiectum est commune nullo signo affectum: propterea ergo indefinita vocatur, quia nullo finitur signo: ut, *Homo est animal*. Singularis propositio subiecto singulari constat: ut, *Petrus est homo*, aut commune cum pronomine demonstratiuo: ut, *hic homo currit*.

DIFFICULTAS III.

De oppositione simplicis propositionis.

ARTICVLVS I.

Quid sit oppositio.

10.
Oppositio
quid.

Oppositionem in communi, secundum commune Dialecticorum placitum sic definiō: Est repugnancia duarum propositionum in veritate aut falsitate. Quæ sic amplius explicatur, sunt duæ propositiones, quibus oppugnat veritas insimul, vel falsitas. Inde est omnem oppositionem inter duas propositiones intercedere: nihil enim sibi ipsi opponitur. Necessarium ergo est omnem oppositionem esse duarum propositionum, quarum vna obuersatur alteri. Nec ambæ affirmantes, aut negantes ponendæ sunt, sed vna negatiua, alia affirmatiua, vt possint in veritate, aut falsitate obuersari. Si enim quod per vnâ propositionem affirmamus, confirmamus per aliam, conuenient semper in veritate, vel in falsitate. Propterea Arist. lib. 1. perihermen. cap. 4. & sæpe alibi, non definiuit oppositionem: Est affirmatio, & affirmatio; seu, est negatio, & negatio: sed, est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem. Tunc enim insurgit oppositio, cum de vnicō subiecto, re & nomine vnum idem prædicatum affirmamus, & negamus.

11.
Triplex
quæsitum
circa op-
positionem.

Tria ergo ex dictis vera præexigit oppositio. Primum, vt sint duæ propositiones, seu enunciationes. Secundum, vt vna affirmet, altera que neget. Tertium, vt habeant idem subiectum, idemque prædicatum re, & nomine. Quacunque autem istarum conditionum deficiente, oppositio impeditur. Primum ex diuersitate verbi, vt, *Ioannes*

orat, Ioannes non orabit. Secundò ex diuersitate modi: vt, *Petrus tardè currit, Petrus velociter non currit.* Vel loci: vt, *Profiteor Roma, non profiteor Compluti.* Vel temporis. *Audiui sacrum mane, non audiui sacrum vesperi.* Tertio ex suppositionis diuersitate. Quas omnes condiciones locis propriis explicabimus.

ARTICVLVS II.

De speciebus oppositionis in vniuersum.

12.
Opposi-
tionis spe-
cies.

Quia quævis oppositio inter propositiones versatur, ex diuersis propositionibus differentiã oppositionum venabimur. Propositiones ergo oppositæ in prima sui diuisione aliæ sunt de subiecto vniuersali: vt, *Homo est animal, Homo non est animal;* aliæ de subiecto singulari: vt, *Petrus ridet, Petrus non ridet.* Rursus oppositæ de subiecto vniuersali vel ambæ sunt vniuersales, vel ambæ particulares, vel vna vniuersalis, & alia particularis. Si ambæ sunt vniuersales, contrariæ dicuntur. Talis est ista, *Omnis homo est risibilis, Nullus homo est risibilis.* Si vtraque sit particularis, subcontrariæ nuncupantur. Vt, *Aliquis homo est animal, Aliquis homo non est animal;* appellanturque subcontrariæ, quia à contrariis inferuntur, & sub ipsis continentur. Vniuersalis equidem affirmans particularem affirmantem, & vniuersalis negans particularem negantem subinfert & amplectitur. Quod si vna sit vniuersalis, & alia particularis, non contrariæ, seu subcontrariæ, sed contradictoriæ nominantur. Qualis est ista, *Omnis homo est animal, Aliquis homo non est animal.* Tandem oppositæ de subiecto singulari proinde contradictoriæ nuncupantur,

pātut, quod earum legem, & non aliarum imitentur, idcirco contradictionis de lege nominantur.

13.
Prænotanda circa oppositionem.

Duo ergo circa oppositionem propositionum prænotanda sunt. Primum propositiones subalternas non esse verè oppositas, ambæ quippe affirmantes, vel negates sunt: vt in his patet, *Omnis homo est animal, Aliquis homo est animal;* aut in his, *Nullus homo est animal, Aliquis homo non est animal.* Numerantur tamè inter oppositas ex duplici causa. Prima, quia sunt eiusdem de eodem, nempe eiusdem prædicati, de eodem subiecto, vt oppositæ. Secunda propter repugnantiam in quantitate, altera enim vniuersalis, altera particularis est. Rursus, quod ex ipsarum cognitione faciliùs notitiam veræ oppositionis veniamur. Secundò prænotandum quod cum oppositio inter propositiones sit, & hæc aliæ sint in materia naturali, aliæ in necessaria, aliæ in contingenti, vt diximus difficultate prima huius quæstionis art. 1. sic oppositio, aliæ in materia naturali, aliæ in contingenti, aliæ in necessaria: de quibus oppositionibus suo ordine differemus.

ARTICVLVS III.

De oppositione contradictoria.

14.
Oppositio contradictoria qua.

Oppositio contradictoria est repugnantia duarum propositionum secundum qualitatem, id est secundum veritatem in simul, vel falsitatem, quarum altera sit affirmatiua, negatiua altera. Item altera vniuersalis, particularis altera, vel singularis vtraque; debet itaque esse affirmatio & negatio eiusdem de eodem, seu eiusdem prædicati de eodem subiecto.

Contradictorium lex.

Lex ergo contradictorium est, vt in nulla materia possint in veritate, aut falsitate conuenire, quæ lex tan-

quam principium per se notum ab omnibus admittitur: innititur enim huic manifesto principio & per se noto, *Quodlibet est, vel non est,* quod secundum Aristotelem 4. Metaph. c. 3. & 4. euentissimum omnium principiorum est; si enim contradictoria essent simul veræ, aut simul falsæ, iam vnum aliquid non solùm esset, sed simul esset, & non esset, cuius rei repugnantiam satis conspicuam esse ibidem notauit Aristoteles.

Proponuntur argumenta contra conclusionem.

Primum argumentum. Oppositio est affirmatio & negatio eiusdem de eodem; sed vniuersalis & particularis propositio, etsi sint eiusdem prædicati, non sunt de eodem subiecto; ergo neque contradictoriæ. Probatur minor. Vniuersale & particulare sunt distincta subiecta, maximè enim distinguuntur, *Omnis homo, & aliquis homo.* Ergo nõ est idem subiectum in his contradictoriis. Resp. Vniuersalem propositionem & particularem, esse de eodem subiecto. Nam veritas vniuersalis ex veritate particularis dependet; quacunque enim particulari contradictione, tota vniuersalis propositio corrumpitur, quia vt vniuersalis sit vera, quæuis pars debet esse vera; ad falsitatem verò ipse vniuersalis partis falsitas sufficit. ideo dicuntur eisdem de eodem, non ratione signi, sed ratione signati.

15.
Arguitur eundem Primò.

Secundum argumentum. Istæ duæ propositiones, *Omnis homo est albus, Petrus non est albus,* sunt contradictoriæ, & tamen vtraque est falsa; ergo de facto dantur duæ contradictoriæ simul falsæ. Resp. negando antecedens. Ratio negationis est: nam vniuersale & singulare non opponuntur contradictione in materia contingenti, sed oppositio

Secundò.

finitio debet esse inter vniuersalem & particularem. Contrà, ideo particularis propositio est vera, quia aliqua singularis potest esse vera. Sed vniuersale & particulare opponuntur; ergo vniuersale & singulare. Resp. concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ratio est perspicua, quia singulare tantum supponit pro vno determinato, idcòque falsitas illius in vnius individui falsitate verificatur. At cum particularis propositio sit indefinita & indeterminata, æquivaleret vniuersali: & ita ad illius falsitatem requirit omnium particularium falsitatem. Vt enim hæc sit falsa propositio, *Aliquis homo est albus*, oportet nullum hominem album esse, quouis enim existente albo, verum efficit sensum.

Tertio.

Tertium argumentum. Istæ propositiones, *Omnis animal fuit in arca Noë*, *Aliquod animal non fuit in arca Noë*, sunt ambæ veræ ex testimonio sacro. De prima enim expressam habemus lectionem, de secunda verò euidens argumentum, quia dicitur paucis exceptis cætera periisse. Sed istæ sunt contradictoriæ; ergo oppositæ contradictoriæ in veritate possunt conuenire. Resp. istas propositiones habere æquiuocum sensum, idcòque expositione indigere. Nam ly *Animal*, & potest sumi completè, si pro singulis animalibus cuiusvis generis substituat, & ita falsa est vniuersalis propositio, & particularis vera. Si autem *animal* incompletè supponat pro generibus singulorum, ita vt faciat hunc sensum, de quacunque specie animalis aliquod fuit in arca Noë, vt sic vera est vniuersalis propositio, particularisque exponenda, ita vt reddat hunc sensum de aliqua specie animalium, nullum fuit in arca Noë. quæ est falsa propositio, & opposita primæ vniuersali veræ. Proinde ergo istæ propositiones

explicitate veram contradictionem important. Sin autem, nõ contradicunt, quia eadem suppositio non seruetur.

Quartum argumentum. Istæ propositiones, *Petrus fuit Roma*, *Petrus non fuit Roma*, contradicunt: & tamen possunt esse simul veræ; ergo. Resp. distinguendo maiorem, quoad vtramque partem: si pro eodem tempore sumantur, concedo: si pro diuersis, nego. Quando autem dicitur quod sunt veræ, resp. veras esse pro diuersis temporibus, non tamen pro eodem. Requiritur ergo ad veram oppositionem, vt idem tempus obseruetur.

Quintum argumentum. Istæ duæ propositiones, *Equus est necessarius ad equitandum*, *Equus non requiritur ad equitandum*, opponuntur, & vtraque est vera. Prima, quia sine equo equitate non valemus. Secunda, quia nullus determinatus equus est necessarius ad equitandum; ergo. Resp. istas propositiones non opponi, quia in eis variatur suppositio. Prima enim supponit indeterminatè, secunda determinatè. Si verò eodem modo supponantur, veram inferunt contradictionem, defectu cuius conditionis ista non opponuntur, *Homo est species*, *Homo non est species*, quia prima propositio supponitur simpliciter, secunda verò personaliter.

Sextum argumentum. Istæ propositiones, *Omnis homo*, & *tres homines, sunt quatuor homines*, *Aliquis homo*, & *tres homines, non sunt quatuor homines*, vtraque falsa est, vt discurrenti patebit: opponuntur tamè contradictoriè; ergo. Resp. negando esse oppositas; propositio enim copulatiua disiunctiuæ opponitur: non tamen duæ copulatiuæ, aut disiunctiuæ. Propterea si ponatur in vna disiunctio, vera erit oppositio, pugnabuntque in veritate & falsitate. Ratio est perspicua, quia

propo

propositio copulatiua, vt diximus supra, æquiualeat vniuersali; disiunctiua verò particulari. Vnde non mirum quòd duæ disiunctiue possint esse veræ, quia particulares; duæ verò copulatiue falsæ, quia vniuersales; dicemus enim infra contrarias propositiones posse esse simul falsas, subcontrarias simul veras.

Septimè. Septimum argumentum. *Petrus est omne animal, Petrus non est aliquod animal*, opponuntur, & vtræque vera est; ergo. Resp. negando esse oppositas. Ratio est: nam non sunt eiusdem de eodem, distribuitur enim prædicatum in particulari. Contradictent ergo si ita proferantur, *Petrus est omne animal, Petrus non est omne animal*, idcòque prima vera, secunda falsa.

ARTICVLVS IV.

De oppositione contraria.

16. *Oppositio contraria qua.* **O**ppositio contraria inter duas vniuersales propositiones intercedit, affirmantem vnam, negantem alteram, quarum hæc est lex, seu natura, vt in nulla materia in veritate possint cõuenire. Possunt tamen simul esse falsæ in materia contingenti: vt istæ, *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus*. Proinde in contrariis vnius veritas alterius falsitatem infert, non verò è contra. Cuius rei ratio conspicua hæc est: quia si propositiones vniuersales contrariæ essent simul veræ, consequenter efficerentur subcontrariæ veræ, vniuersalis enim particularem subinfert. Vnde etiam contradictoriæ redderentur simul veræ: quælibet enim particularis opponitur vniuersali qualitatis oppositæ, & è contra, e.g. si istæ propositiones, *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus*, sunt veræ; ergo & istæ, *Aliquis homo est albus, Aliquis homo non est albus*. Con-

cluderentur ergo duæ contradictoriæ simul veræ, cuius implicationem art. præcedenti demonstrauimus.

ARTICVLVS V.

De oppositione subcontraria.

Oppositionem subcontrariam dicimus, quæ interuenit inter propositiones particulares, affirmantem vnam, negantem aliam. Sic se habent istæ, *Aliquis homo est albus, Aliquis homo non est albus*. Lex ergo, siue natura subcontrariarum est, vt in nulla materia possint in falsitate conuenire, bene tamen in veritate in materia cõtingenti: vt, *Quidam homo est albus, Quidam homo non est albus*, si vna supponatur pro Æthiope, alia pro quocunque albo. Proinde in subcontrariis vnius falsitas alterius veritatem infert, non tamen è cõtra. Ratio est manifesta: nam si subcontrariæ essent simul falsæ, contradictoriæ quibus contradicunt, redderentur simul veræ, quod supra probauimus esse falsum, & ostendimus veritatem contrariarum inferre veritatem contradictoriarum.

Ex quibus omnibus habes, contradictorias propositiones, in veritate & falsitate simul cõuenire, repugnare in quacunque materia; cõtrariis verò in contingenti posse simul conuenire in falsitate, subcontrariisque in veritate.

Sed inquires, quare contradictoriæ propositiones in quacunque materia repugnant in veritate & falsitate, & contrariæ solum in veritate. Resp. quòd cum oppositio contradictoria sit inter vniuersalem & particularem propositionem, repugnat: quòd si vniuersalis affirmatiua est vera, aliqua particularis negans, contenta sub ipsa sit vera; & si vniuersalis negans est falsa, certum est quòd particularis affirmans

Quæ modo contradictoria repugnat in veritate & falsitate, contraria verò solum in veritate.

17. *Oppositio subcontraria qua.*

affirmans sub ipsa vera erit. Nam si hæc est falsa, *Nullus homo est albus*, quia de omni negat; ergo eius particularis, quæ de aliquo affirmat, v. g. *Aliquis homo est albus*, vera erit. Contrariæ verò, cum ambæ sint vniuersales, faciunt materiam contingentem necessariam, quia affirmant

de omni, vel negant de omni. ideo vtrique falsitas accidit. Nam prædicatum contingens, nec accidit, nec repugnat omnibus, & ob eandem rationem nequeunt esse simul veræ, quia implicat, si affirmatio vniuersalis est vera, quodd vniuersalis negatio opposita ei vera etiam fit.

Subalternans.

Contraria.

Subalternans.

Omnis homo est animal.

Nullus homo est animal.

Contra

dicentes.

Subalternans.

Subalternans.

Contra

dicentes.

Quidam homo est animal.

Subcontraria.

Quidam homo non est animal.

Subalternata.

Subalternata.

Socrates est animal.

Contradicentes.

Socrates non est animal.

DIFFICULTAS IV.

De equipollentia propositionum.

Postquam de oppositione in communi, & particulari sermonem fecimus, ut nobis maior propositionum suppetat copia, de equipollentia ipsarum occurrit disputare. Equipollentia ergo sic definitur, est duarum propositionum æquivalentia, seu concordia propositionum eiusdem de eodem. quæ præceptis sequentibus explicabitur.

Equipollentia quid.

ARTICVLVS I.

De quibusdam præceptis æquipollentia.

Primum præceptum. Contradictoriae propositiones æquipollent præposita negatione, id est, quæuis præpositio sit eadem cum sua contradictoria, si subiecto & signo præponas negationem. Propterea ista propositio, *Omnis homo est animal*, æquiualebit isti, *Aliquis homo non est animal*, si ita dixeris, *Non omnis homo est animal*; & con

18.
Æquipollentia præcepti primum.

& consequenter ista, *Aliquis homo non est animal*, æquipollebit isti, *Omnis homo est animal*, si ita proferas, *Non aliquis homo non est animal*.

Secundum.

Secundum præceptum. Propositiones contrariæ æquipollent postposita negatione, id est, quævis propositio fit eadem cum alia, si subiecto & signo postponas negationem. Propterea ista propositio, *Omnis homo est animal*, æquivaleret huic, *Nullus homo est animal*, si ita proferatur, *Omnis homo non est animal*. sicut ista, *Nullus homo est animal*, æquipollebit isti, *Omnis homo non est animal*, si ita pronunties, *Nullus homo non est animal*.

Tertium.

Tertium præceptum. Subalternæ propositiones æquipollentes redduntur præposita & postposita negatione, id est, quævis propositio fit unâ cum sua subalterna, si subiecto & signo postponas & proponas negationem. Ratio est, quia pluralitas negationum affirmat. qua de causa, ista propositio, *Omnis homo est animal*, æquipollebit isti, *Aliquis homo est animal*, si ita dixeris, *Non omnis homo non est animal*; & ista propositio, *Aliquis homo est animal*, æquipollebit isti, *Omnis homo est animal*, si ita proferas, *Non aliquis homo non est animal*, idem iudicium in negatiuis subalternis.

Quartum.

Quartum præceptum. Subcontrariæ propositiones seruant contrariam normam: affirmans enim æquipollet negatiuæ, si postponas negationem, & suæ contradictoriæ, si præponas. Si enim isti, *Aliquis homo est animal*, postponas negationem, ita erit, *Aliquis homo non est animal*; si verò supponas, æquipollebit suæ contradictoriæ, *Non aliquis homo est animal*. quæ præcepta sequenti versu continentur.

Præ, contra, dic, post, contra, præ, post-que, subalter, id est,

Negatio proposita contradicit, postposita reddit propositionem contrariam; præposita verò, & postposita reddit subalternam, quod ex sequenti graphide magis patefiet.

Non omnis quidem: non omnis non, quasi nullus.

Non nullus quidem, sed nullus non valet omnis.

Non aliquis nullus: non quidem non valet omnis.

Non alter neuter, neuter non præstat utrumque.

DIFFICULTAS V.

De conuersione simplicis propositionis.

Conuersio est vnus propositio- nis ad alias necessaria conse- quentia ex transmutatione termino- rum, id est, permutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subie- ctum, seruata eadem quantitate & qualitate, (reducite in memoriam quæ diximus de quantitate & quali- tate propositionum, in hac quæst. diffic. 3. artic. 3.) quod accidet, si ex conuersa rectè conuertens colligatur. *Conuersa* dicitur, cuius extrema com- mutantur; *conuertens* verò, quæ ex commutatione coalescit. Quæ omnia, sequentibus exemplis addisces. *Omnis homo est animal, ergo aliquod ani- mal est homo. Nullus homo est animal, Nullum animal est homo, Aliquis homo non est animal, ergo quod non est animal, est homo.*

19.
Conuer-
sio quid.

Conuer-
sa, & con-
uertens
quæ.

Tripliciter contingit conuersio, simpliciter quippe, per accidens, & per contrapositionem simpliciter, cum commutamus extrema sub eadem quantitate: vt, *Nullus homo est animal, Nullum animal est homo, Ali- quis homo est albus, Aliquod album est homo.* Per accidens, cum commuta-

Conuer-
sio tri-
plex.

mus extrema sub diuersa quantitate: vt, *Omnis homo est animal; ergo aliquod animal est homo. Nullus homo est animal; ergo aliquod animal non est homo.* Per contrapositionem, cum commutamus extrema sub eadem quantitate, sed terminis infinitatis: vt, *Aliquis homo non est animal; ergo aliquod non animal non est non homo.*

Ex dictis obseruandum est, negatiuam vniuersalem & particularem asserentem, in se ipsas simpliciter conuerti, vel in terminis, vt loquitur Philosophus. Rursus ambas vniuersales, negans & affirmans per accedens verti. Demum vniuersalem asserentem, & particularem negantem per contrapositionem conuerti: hæc autem omnia in hoc disticho apprehendes.

Simpliciter feci, conuertitur Eua per accedens,

Asto per contra, sic fit conuersio tota.

Distichum penetrabis, si quatuor litteras vocales, quatuor propositionibus accommodes, contrariis priores, subcontrariis posteriores, quod etiam aliud distichum aperit.

Afferit A. negat F. sunt vniuersaliter ambo.

Afferit I. negat O. sunt particulariter ambo.

DIFFICULTAS VI.

De natura & quidditate propositionum modalium.

Multum immorantur aliqui auctores, infructuosam naturam propositionum modalium prolixis disputationibus enodantes, qua potuero breuitate perstringam ea, quæ aliquantulum vtilia reperio.

ARTICVLVS I.

Proponuntur aliqua notanda circa cognitionem modalium propositionum.

Primò notandum, modum latè sumptum esse limitationem, seu restrictionem alicuius orationis, seu vocis factam per terminos adiectiuos: vt, *Omnis homo iustus;* vel substantiuos in obliquo: vt, *liber Augustini;* vel per aduerbialia, de quo non agimus; solum instituitur sermo de modo adstringente propositionem in vna materia determinata, (adducite in memoriam quæ diximus de materia necessaria contingenti & remota difficultate 1. art. 1.) sic in præsentî, modus triplex esset, necessarius impossibilis, contingens & possibilis, qui parum differt à contingenti, idèoque pro eodem in difficultate vsurpabitur.

Secundò notandum, dupliciter fieri propositiones modales, vel modo aduerbiallyter sumpto: vt, *Deus necessario est vnus.* En aduerbium *necessario;* vel modò adiectiuè sumpto: vt in hac, *Deum esse vnum, est necessarium.* En quando *necessarium* sumitur adiectiuè, & de Deo prædicatur, per istumque modum adiectiuum tota propositio mutatur; in prima enim vnitas, in secunda necessitas prædicantur de Deo.

Tertiò notandum, modum aliquando interponi: vt, *sedentem possibile est stare,* & postponi: vt, *stantem sedere est possibile;* semper tamen eundem reddit sensum, qui sensus bifariam dicitur; alius *compositus*, quando simul pro eodem tempore prædicatum componitur cum subiecto: vt, *stantem sedere, est impossibile,* id est, dum stat. *Dimissus* alius, cum prædicatum non pro eodem, sed pro diuerso tempore tribuitur subiecto. Sic dicimus, *stantem sedere*

20.

Notanda
circa pro-
positiones
modales.
Primum.

Secundū.

Tertium.

dere est possibile, id est, tempore quo non stat.

Quartū.

Quartò notandum, aliquos esse modos componentes prædicatum cum subiecto, seu proprius modificantes compositionem prædicationis. v. g. *Petrus contingenter disputat*, componit contingentiam, seu modificat disputationem, affirmando contingenter conuenire subiecto. Alij sunt significantes qualiter res fiat: vt, *Petrus doctè disputat*, ostendit quo pacto in disputatione se gerit.

Quintū.

Quintò notandum, propositiones modales non carere sua veritate, aut falsitate. Propositio affirmatiua in materia necessaria est vera, negatiua falsa: vt in his, *Hominem esse animal, est necessarium; hominem esse animal, non est necessarium*. Patet. nam negare quod necessarium est, non potest fugere falsitatem, sicut nec affirmare veritatem contradicere. Et vt vno verbo dignoscas modalium propositionum veritatem, aut falsitatem, hanc regulam obseruare conaberis; si rem sicut est in se affirmat, vera, si aliter, erit falsa.

Sextū.

Sextò notandum, in quibuscunque modalibus quòd licet prædicatum sit in materia contingenti, subiectum semper est in naturali, aut remotarvt, *Petrum disputare est contingens*, prædicatum contingenter conuenit subiecto, subiectum tamen materia naturalis est; in ista verò, *Hippocentaurus contingenter cognoscitur*, prædicatum in materia contingenti est, subiectum verò in materia impossibili.

Septimū.

Vltimò notandum propositiones modales habere propriam quantitatem, seu vniuersalitatem, vel particularitatem. Illi dicuntur modi vniuersales, qui amplectuntur omne tempus, sic sunt, *impossibile, & necesse*. quod enim est impossibile ex se, semper est tale; sicut & necessarium, perpetuò est

necessarium. Particulares modos dicimus non amplectentes omne tempus. sic sunt *possibile, & contingens*, vt hic accipiuntur; contingens enim non semper accidit, sicut nec possibile, vt contingentiam importat. dixi, *possibile*, vt hic accipitur, quia, absolute loquendo, possibilitas omne tempus amplectitur; quod enim est possibile, semper est tale, etsi actualis existentia contingens sit.

Omnibus notatis superaddere oportet, modalium quantitatem non esse pensandam ex quantitate dicti, sed ex quantitate modi: vocamus *dictum* ceteras partes propositionis à modo distinctas.

Modalium
quantitas ex
quantitate
modi pen-
sanda.
Dictum
quid.

ARTICVLVS II.

Extrahuntur, & ascribuntur modales propositiones.

Modi communiter sunt quatuor, possibile quippe, contingens, impossibile, necesse. Notare tamen oportet, quòd *contingens* proprie est limitatius, quàm *possibile*. Nam omne necessarium est possibile haudquaquam contingens; in præsentia tamen claritatis gratia reciproce accipitur cum *possibile*, vt seruare possimus modalium propositionum equipollentiam; istæ enim æquipollentes sunt, *Hominem esse animal, est possibile, & contingens*. etsi absolute sit falsum, quandoquidem homini necessaria est animalitas, ea propter Aristot. contingens ab hac disputatione reiecit; nos ergo eam reuocamus, claritatis ergò, ad commodiorem notitiam figurarum.

2 I.
Modi
quatuor.

De singulis modis sunt quaternæ propositiones conficiendæ. v. g. de possibili, & sic de alijs. nam potest affirmari *dictum, & modus*: vt, *Petrum currere est possibile*. Item affirmari di-

22.

ctum, & negari modus: vt, *Petrum currere non est possibile*. Item negari dictum, & modus: vt, *Petrum non currere non est possibile*. Denique negari dictum, & affirmari modus: vt, *Petrum non currere est possibile*. Quas propositiones quatuor figuris, aut tabulis, in quarum singulis cernitur oppositio vnius propositionis cum alia ceterarum figurarum describemus. Demum in singulis tabulis quatuor propositiones constituemus. Primam de possibili, secundam de contingenti, tertiam de impossibili, quartam de necesse. quæ omnes sunt mutua æquipollentes, mutatis, detractis, aut adiectis negationibus.

Vt verò facilius dignoscatur, qualis ac quanta sit propositio modalis, quatuor litteris, quibus id signamus,

in hac materia vtimur, A, V, E, I. A, denotat propositionem affirmantem, tam de dicto, quam de modo: vt, *Petrum currere est possibile*. V, negatiuam de vtroque: vt, *Petrum non currere non est possibile*. E, affirmatiuam de modo, & negatiuam de dicto: vt, *Petrum non currere est necesse*. I, negatiuam de modo, & affirmatiuam de dicto: vt, *Petrum currere non est necesse*. quæ sequenti carmine Petrus Hispanus explicuit.

E, dictum negat, I, que modum, Nihil A, sed V, totum.

Ex his quatuor syllabis, quatuor dictiones confluunt, *Amanimus, Edentuli, Illiace, Purpurea*. quarum singulæ habent quatuor propositiones mutua æquipollentes, oppositas omnibus propositionibus, aliarum figurarum sequenti graphide delineandas.

IV. Figura.

CONTRARIÆ.

III. Figura.

<p><i>Pur-</i> <i>ma-</i> <i>ni-</i> <i>na.</i></p>	<p>Petrum non currere non est possibile, Petrum nō currere non est contingēs, Petrum nō currere nō est impossibile, Petrum non currere non est necesse.</p>	<p>Petrum currere non est possibile, Petrum non currere est contingens, Petrum nō currere nō est impossibile, Petrum currere non est necesse.</p>	<p><i>Il-</i> <i>li-</i> <i>a-</i> <i>ce.</i></p>
---	---	---	---

Contra

dictoria.

Contra

dictoria.

I. Figura.

SVECONTRARIÆ.

II. Figura.

<p><i>A-</i> <i>ma-</i> <i>ni-</i> <i>na.</i></p>	<p>Petrum currere est possibile, Petrum currere est contingens, Petrum currere non est impossibile, Petrum non currere non est necesse.</p>	<p>Petrum non currere est possibile, Petrum non currere est contingens, Petrum nō currere nō est impossibile, Petrum currere non est necesse.</p>	<p><i>E-</i> <i>den-</i> <i>ti-</i> <i>li.</i></p>
---	---	---	--

Qui

Qui ergo voluerit indagare cuiusvis propositionis modalis figuram, prospiciat propositionem, si est affirmatiua de dicto & modo, aut negatiua, & meminerit si sit de possibili, esse primam in quacunque figura, si de contingenti secundam, si de impossibili tertiam, quartam si de necesse: ac facillimo negotio diiudicabit, in qua sit figura, ibique dignoscer, quanta sit, qualis, quibusque & quare ratione opponatur. v.g. *Petrum currere est necesse*, est in *Purpurea*, quia affirmatiua de dicto & modo; hæc autem, *Petrum non currere est contingens*, est in *Edentuli*, quia affirmatiua de modo, & negatiua de dicto: si autem prædicta præcepta obserues, facillimo negotio obscuram modalium propositionum disputationem fugies, eorumque veritatem penetrabis.

ARTICVLVS III.

De equipollentia & oppositione modalium propositionum.

Circa istum articulum à multis abstinendum est, quia cognita natura equipollentiæ simplicium propositionum, de qua difficultate 5. art. i. facillimo negotio istarum equipollentiam venabimur.

Pro cuius intelligentia solum aliqua notanda proponemus. Primum notandum quod cum equipollentia sit duarum propositionum æquivalentia, quorum alterutra est de eodem prædicato, & subiecto, & hoc superaddendo, aut detrahendo negationem, vt iam diximus, hinc fit quod quaternæ propositiones cuiuscunque figuræ, æquipollentes sunt, quia de eodem subiecto, & prædicato, eandemque omnino rem significant, addita, aut sublata negatione, vt discurrenti patebit. Et vt breuius comprehendas,

animaduerte, quibus negationibus, aut quibus affirmationibus reddatur idem sensus, & his propositiones æquipollentes sunt.

Secundum notandum, pro oppositione harum propositionum idem omnino esse iudicium, ac de simplicibus, hac obseruata differentia, quod quantitas propositionis in modalibus, non desumitur ex vniuersalitate subiecti, vt in simplicibus, sed ex vniuersalitate temporis. Propositio ergo modalis, quæ omnes differentias temporis amplectitur, vniuersalis erit, quando aliquas vagè, erit particularis. Proinde *Purpurea*, & *Illiace* sunt vniuersales modi, continent enim sub se, & subalternant alios duos modos. *Purpurea*, modos de *Amanimus*, *Illiace* de *Edentuli*, vt patebit in tabulis, vnde constat, *Amanimus*, & *Edentuli*, esse particulares modos, v.g. quarta propositio in *Purpurea*, *Petrum currere est necesse*. hæc quia complectitur omnes differentias temporis, quibus Petrus existit, vniuersalis est, quod patet etiam ex 3. propositione eiusdem figuræ, *Petrum non disputare est impossibile*, quæ falsa esset, si aliquando posset non disputare. Eundem discursum fac in *Illiace*. *Amanimus* & *Edentuli*, sunt particulares modi, siue confusi, quia non amplectuntur omnes temporis differentias, sed tantum sub disjunctione: vt in hac, *Petrum currere est possibile*, sufficit quod verificetur existentia pro aliqua temporis differentia, & eundem discursum serua in aliis propositionibus harum figurarum.

ARTICVLVS IV.

De exponibili, & exclusiua propositione.

Propositionem exponibilem dicimus, indigentem expositione, quotiescunque

Secundam.

23.
Notandum
primam.

24.
Propositio
exponibilis,
& exclusiua
quæ.

cunque inest aliqua propositio, quæ ratione alicuius aduerbij redditur obscura, dicitur propositio *exponibilis*; illa autem, per quam explicatur, nuncupatur *exponens*.

Propositio exclusiua quid.

Propositiones exclusiuas appellamus, quæ afficiuntur aliquo signo exclusionem significante, v.g. *tantum, solum, dumtaxat*. Ex quibus nonnullæ signo afficiuntur exclusiuo ex parte prædicati: vt hæc, *Petrus est Summulista tantum*, cuius obscuritas sic exponi debet, *hæc facultatem solam cognoscit, siue, aliarum est ignarus*. Item præceptum serua in omnibus, quæ habent exclusionem

ex parte prædicati. Nam taliter exclusiuæ sunt, vt à suo subiecto excludant omnia alia eiusdem seriei. Aliæ sunt exclusiuæ ex parte subiecti, qualis ista, *Tantum Petrus est Summulista*, cuius obscuritas sic exponenda est, *Nul- lus alius à Petro, vel, solus Petrus est Summulista*. Egimus de exponibilibus, & exclusiuis insimul. nam exponibiles sunt, quasi genus respectu exclusiuarum, quæcunque enim exclusiuæ exponibilis est, seu expositione indiget, de quibus legitur Toletum lib. 3. & Fonsecaam lib. item 3. Solum in opusculo de exponibilibus.

SVMMVLARVM

P A R S T E R T I A.



AGGREDIMVR iam pertinentia ad tertiam operationem intellectus enodare. Diximus in superiori parte de compositis rebus; nunc autem de iis, quæ per discursum comparantur, sermonem instituemus. Duæ ergo quæstiones sese offerunt discutiendæ in hac parte. Prima de argumentatione, & consequentia. Secunda de syllogismo in communi, eiusque figuris.

QVÆSTIO I.

De argumentatione, & consequentia.

DE argumentatione, consequentia, speciebusque argumentationis duæ difficultates veniunt discutiendæ. Prima, quid sit consequentia. Secunda, de argumentatione, eiusque speciebus.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit consequentia.

QUoniam argumentatio quædam consequentia est, latius enim patet consequentia, quàm argumentatio; prius de consequentia, quàm de argumentatione dicendum. Consequentia, seu consecutio, est oratio, in qua ex aliquo, aliquid deducitur: vt, est homo; ergo est animal. id ex quo aliquid colligitur, dicitur *antecedens*, quod autem colligitur, vocatur *consequentia*.

I.
Conse-
quentia
quid.

Quatuor genera consequentiarum solent communiter enumerari. Primum cum quamlibet enuntiationem ex se ipsa, aut ex sua æquipollente colligimus. Alterum genus est, cum antecedens & consequens eisdem præcisè verbis, eodémque ordine collocatis constituta sunt; non tamen idem valent, vt, *Omnis homo est animal; igitur quidam homo est animal. Necessè est Socratem esse animal; igitur non necessè est*

Conse-
quentia-
rum ge-
nera qua-
tuor.

Socratem non esse animal. Tertium genus est cum antecedens & consequens, eisdem verbis praecise constant, verum ordine conuerso: vt, *Nullus homo est lapis; igitur nullus lapis est homo.* Atque ex consequentiis haecenus enumeratis, nulla dicitur argumentatio, sed consequentia dumtaxat. Quartum genus est cum antecedens & consequens non eisdem constant verbis praecise; quia in antecedenti continetur argumentum aliquod vno, aut pluribus verbis comprehensum, quod non continetur in consequenti; sed hoc genus improprie enumeratur inter consequentias, quia propria argumentatio a consequentia distinguitur, vt difficultate sequenti explicabimus.

ARTICVLVS I.

De aliquibus conditionibus verae consequentiae, & regulis.

1. *Consequentiæ regula prima.* Prima regula in omni bona consequentia, *Ex vero, non nisi verum, ex falso tamen, aliquando falsum, aliquando verum colligitur.* Prior pars ex eo patet. Nam si vtilis consequentia ex vero falso colligitur, iam non esset bona & apta consequentia, quandoquidem non consequitur intentum ex vi antecedentis. Secunda pars probatur in hoc exemplo, *Omne animal est candidum. Cygnus est animal; ergo cygnus est albus.* Cur autem ex praemissis falsis, aliquando inferatur verum, non autem ex veris falsum, explicabimus in 3. lib. de anima.

2. *Secunda.* Secunda regula, *Ex necessario, non nisi necessarium, necessarium autem ex quolibet, id est, ex necessario & contingenti.* Prior pars hoc modo probatur. nam necessarium semper est verum, contingens autem potest esse falsum, & impossibile semper est falsum. Igitur si ex necessario recte colligeretur con-

tingens, aut impossibile, dari posset in bona consequentia antecedens verum, & consequens falsum, quod diximus fieri non posse. Item ex antecedenti contingenti posse consequi necessarium, patet in ista, *Petrus sentit; ergo est animal.* Item ex antecedenti impossibili, aliquando possibile consequi, probat haec, *Petrus est Angelus; ergo incorporeus.* Nequit tamen ex antecedenti vero impossibile sequi. nam sequeretur inde antecedens simul esse impossibile, & possibile.

Tertia regula, *Quando aliquid ex Tertia. consequenti inferitur, inferitur etiam ex antecedenti.* v. g. *ridet; ergo habet animam rationalem.* si ex hoc consequenti, *habet animam, inferas; ergo vivit.* illud poteris etiam ex antecedenti inferre, quia quidquid conuenit consequenti, debet conuenire antecedenti. *Quod autem inferitur ex antecedenti, non inferitur ex consequenti.* v. g. ex risu optime colligimus multum ridere, non tamen esse magis rationale, imò per risum multum poteris cognoscere stultum.

Quarta regula. *Ex opposito consequentis, inferitur oppositum antecedentis.* v. g. *Petrus currit; ergo mouetur.* si consequens *mouetur* neges, consequenter antecedens negabis. valet quidem, *Non mouetur; ergo non currit.*

Quinta regula, *A superiori ad inferioris, negativè valet consequentia.* v. g. *Non est animal; ergo non est homo.* Ratio a priori est perspicua, quia homo non potest carere, eo quod est de eius essentia, qualis est animalitas, propter eandem rationem, *Ab inferiori ad superius affirmativè valet consequentia:* vt, *Est homo; ergo est animal,* haudquaquam; negativè ideoque peccat ista consequentia, *Non est homo; ergo non est animal,* quia ratio superior, nempe animal, in aliis speciebus inuenitur, quippe leone & equo.

ARTICVLVS II.

De consequentia formali, materiali,
necessaria & probabili.

3.
Conse-
quentia
formali
quæ.

Formalem consequentiam dicimus vi formæ concludentem; ea verò concludit vi formæ, cuius forma, seu modus intelligendi, in quacunque materia apte concludit. v. g. hanc dicimus esse formalem consequentiam, *Omnis homo doctus est dignus honore: Socrates est doctus; ergo dignus honore.* Intelligimus autem in quacunque materia concludere, quia forma in quocunque subiecto capaci, semper dat eundem effectum formalem: vt si dicas in materia impossibili, *Omnis leo est lapis, Equus est leo; igitur equus est lapis,* est enim conclusio optima ratione formæ, vitiosa tamen ratione materiæ.

4.
Conse-
quentia
materi-
alis.

Consequentiam materialem vocamus concludentem vi foliæ materiæ; ea verò talis dicitur, quæ seclusa formali dispositione ex coniunctione extremorum sufficientem subinfert veritatem. sic se habet illa, *Homo est animal; ergo est risibilis.* quia propter solam materiam, hoc est, propter solam rerum significatarum inter sese affectionem, rectè concludit. nam risibilitas ita connectitur cum homine, vt necessitas consequentiæ non tribuatur formali dispositioni terminorum, sed inuitabili extremorum connexioni.

5.
Conse-
quentia
necessaria.

Consequentiam necessariam appellamus, cum consequens ex antecedenti necessariò inferitur: vt, *Socrates est homo; ergo est animal.* Quidquid enim est homo, necessariò animal est. Probatur hæc, cum consequens non necessariò, sed rationabiliter, aut maxime conuenienter inferitur: vt si dicas, *Laticollis mitti semina terre mandat; ergo ratiocines plena mens percipiet.* Ad hæc est ratio, quæ dicitur quod conse-

quentia ex parte formæ semper est necessaria; ex parte tamen materiæ habet aliquando necessitatem, aliquando probabilitatem. sic venit intelligendus Aristot. quando libro 1. Priorum, cap. 1. consequentiam syllogismi in communi necessariò ex antecedenti inferri docuit, (vt quæst. sequenti explicabimus.) quod si de materiali, & non de formali intelligeremus, non posset hæc definitio probabili syllogismo adaptari.

DIFFICULTAS II.

De argumentatione, eiusque
speciebus.

Argumentatio in communi sunt 7. duæ, aut plures propositiones, quarum vna ex aliis sequi denotatur: vt, *Socrates est homo; ergo est risibilis.* Oportet ergo in quacunque argumentatione notam illationis, ergo, aut igitur interponi, aliàs argumentatio nulla erit: vt si dicas, *Socrates est homo, Socrates est risibilis.* In hoc ergo distinguitur argumentatio à consequentia, quod consequentia omnes modos inferendi supra positos comprehendit: argumentatio dicitur, cum aliquid inferatur diuerso modo in consequentia, ac continetur in antecedentibus. iam tamen communiter pro eodem vsurpantur argumentatio, & consequentia.

7.
Argu-
mentatio
quid.

Argu-
mentatio
à conse-
quentia
differt.

Plures species argumentationis communiter enumerantur, secundum Arist. 2. Priorum cap. 13. & 1. Posteriorum cap. 1. qualia sunt, *Syllogismus, Inductio, Enthymema, & Exemplum,* superaddunt alij *Dilemma, & ego, Ascensum, & Descensum,* ad istam questionem reduco; est enim quædam argumentatio, & eius fabrica ad tertiam operationem intellectus spectat.

Argu-
mentatio
species

ARTICVLVS I.

Quid sit Enthymema, Dilemma, Exemplum & Inductio.

Enthymema.

Dilemma.

ENthymema, est argumentatio, in qua ex sola vna propositione denotatur sequi alteram: vt, *Petrus currit; ergo mouetur.* Dilemma est argumentum complectens duas partes, per disunctionem, quarum altera concessa necessariò deprehenditur respondens, & tenetur consequentem concedere: vt si quis velit conuincere filium inobedientiæ, cui præcepit nomine suo salutare aliquem in foro, ita dicer: *Vel fuisti in foro, vel non fuisti: si non, fuisti transgressor præcepti, & si fuisti, eodem modo, quia non salutasti ipsum.*

Exemplum.

Exemplum dicitur argumentum desumptum ab alterius exemplo: vt si dicamus, *Seculares modeste incedunt, quanto magis Religiosi, & qui Deo consecrantur, modeste incedere debent.*

Inductio.

Inductio, quando ex vniuersalibus principiis, seu extraordinario euentu elicimus consequentiam: vt si dicamus, *Romulus non diu tulit fratrem imperij consortem, & Pompeius Casarem, neque Augustus Antonium, nec aliquis alius, cuius ad nos memoria peruenierit, nemo igitur est, qui consortem imperij diu ferat.* Vel si dicamus, *Omnis homo est sensus particeps, Omnis bestia est sensus particeps, &c.* Igitur *omne animal est sensus particeps.*

ARTICVLVS II.

De ascensu, atque descensu.

Ascensus.

Ascensus est consequentia, seu argumentatio, à singularibus enumeratis sufficienter ad vniuersale, hoc

modo, *Hic homo est animal, & hic homo est animal, & in cæteris simili modo, ac si enumerarem omnia indiuidua possibilis speciei; ergo omnis homo est animal.* Descensus est argumentatio ab vniuersali superiori ad inferiora singularia. sic per descensum inferitur quando dicimus, *Omnis homo est rationalis, & hic homo est rationalis, & in cæteris simili modo.* Ille dicitur descensus, quia à superiori ad inferiora descendimus: ille ascensus, quia ab inferioribus ad superioris cognitionem per consequentiam ascendimus.

Descensus.

Descensus copulatiuus.

Descensus copulatiuus vnus quando fit termino coniungente, seu copulante: vt quando dicimus, *Omnis homo est risibilis, & admiratiuus; ergo hic homo est risibilis, & admiratiuus, & in cæteris simili modo.* Disiunctiuus fit media disiunctione, vel, aut, nec: vt si dicamus, *Homo nec est leo, nec canis; ergo nec hic homo est leo, aut hic canis, & in cæteris simili modo.* Idem iudicium est quantum ad hoc de ascensu, seruata tamen regula, vt supra.

Disiunctiuus.

QUÆSTIO II.

De syllogismo in communi, eiusque figuris.

IRCA hanc quæstionem quatuor difficultates examinandæ veniunt. Prima de syllogismo in communi. Secunda de figuris syllogismorum. Tertia de variis syllogismorum affectionibus.

Quarta de eorum reductione.

* * *

Tertia partis Summularum

DIFFICULTAS I.

specierum; quæ sit eius materia, & forma; quæ sint eius species.

De syllogismo in communi.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS I.

Definitur syllogismus.

Virum syllogismus sit genus, respectu probabilis, & demonstratiui.

7. syllogismus quid.

Arist. 1. lib. Priorum cap. 1. & 1. Topiconum cap. 1. sic syllogismum definit: *Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis aliud ab his necessario accidit, eo quod hæc sunt.* id est, Syllogismus est argumentatio, (vt notauit Scotus q. 3. vniuersali, §. ad rationem positionis,) in qua quibusdã positis, aliquid aliud sequitur necessariò per ea quæ posita sunt, vbi *argumentatio* est principium, seu commune, in quo conuenit cum Enthymemate, & Exemplo, *quibusdã positis*, principium disconueniendi cum Enthymemate, quæ syllogismus imperfectus est, & truncatus, in quo non ex quibusdam, sed ex vna sola propositione infertur alia. Similiter à pluribus aliis consequentiis, in quibus vnum colligitur ex vno: vt si ex conuersa conuertentem, ex æquipollente æquipollentem inferas. Similiter ab *inductione*, in qua licet ex pluribus congestis vnum inferatur, non tamen ex pluribus digestis; non enim disponuntur illa plura sub forma syllogistica in modo & figura consistente, vt difficultate antecediti, art. 1. dicebamus, per illa verba. *aliud ab his necessario accidit, eo quod hæc sunt.* Explicat syllogismũ ratione formæ necessarium esse, propterea illa particula, *in quibusdam positis*, ab aliquibus non incongruè, *in qua quibusdam concessis*, interpretatur. nam concessa maiori, & minori, ex vi formæ syllogisticæ, necessariò infertur conclusio, vt infra latius explicabitur. De eo ergo sciendum est, an sit genus respectu suarum

Nolui abstinere ab hac difficultate. Nam in q. de obiecto Logicæ vnitatem syllogismi indagare necessarium erit, hîcque prior est locus. Hanc quæstionem tractat Scotus primo lib. Priorũ q. 6. ibique resoluit, rationem syllogismi in cõmuni, haudquaquam esse quid genericum ad syllogismum demonstratiuum & dialecticum (per dialecticum syllogismum, probabilẽ intellige, vt ex mente Arist. q. 1. Logicæ explicabimus.) Fundamentum potissimum huius sententiæ est. Tunc aliqua diuisio non est generis in species, quando sit per materiales differentias: at syllogismus dialecticus & demonstratiuus, solum materialiter, differunt; ergo diuisum nequit esse genus. Probat minorem Scotus, nam forma syllogistica, eadẽ est in omnibus; eodẽ modo intellectus enunciat & infert conclusionem probabilem ac demonstratiuam; ergo solum ratione materiæ distinguuntur: ac per cõsequens, cum syllogismus non diuidatur per differentias formales, sed solum per materiales, syllogismus nõ erit genus, sed quoddam accidens connotas materiam probabilem, seu demonstratiuam, propterea Arist. art. præcedenti syllogismum in cõmuni necessariam inferre conclusionem denotauit, quia formale syllogismum definiuit, quod ex se necessarium dicit illatione extremorum, etsi ratione materiæ probabilis, aut demonstratiuus nũcupetur.

8. Syllogismus an sit genus respectu suarum specierũ.

Syllogismus dialecticus, pro probabilis.

Obiicies cõtra conclusionẽ primò, quòd definitio, & diuisio ex q. 3. & 4. per

9. Obiectio prima.

per diuersos modos tendendi in obiectum specie distinguuntur; sed intellectus tendit circa probabilem syllogismum solum probando, circa demonstratiuū verò demonstrādo; ergo sicut illæ distinguuntur specie, sic&

Soluitur.

ista. Resp. negando paritatem. Ratio est, nam definitio & diuisio totaliter pendent ab intellectus actibus, iste enim est qui per vnum actum diuidit, per aliū verò definit, hoc componendo, illud diuidēdo; circa syllogismum verò intellectus, non dat demonstrationem, nec probabilitatem, sed eodem modo, inferendo actiue, in vna materia, ac in alia, ratione materiae probabilis, illatio probabilis dicitur; si tamen demonstratiua sit, & extrema habeant necessariam connexionem, illationem demonstratiuam operatur.

*Obiectio
secunda.*

Obiicies secundò, syllogismus prædicatur de hoc, & de illo syllogismo, dicimus enim, syllogismus probabilis, est syllogismus: ergo in aliqua generica ratione conueniunt prædicabile de illis. Resp. Syllogismum prædicari de dialectico & demonstratiuo, non vt genus, sed ad modum cuiusdam totius de partibus materialibus: sicut enim ista est optima prædicatio, *Petrus est albus, Franciscus est albus*; & tamen albedo non est quid genericum, respectu Petri, & Pauli, sed quedam ratio accidentalis, vtrique cōueniens; ita de syllogismo probabili, & demonstratiuo, syllogismus in communi, tanquam merum accidens, de ipsis prædicatur.

Soluitur.

*10.
Obiectio
tertia.*

Obiicies tertio probabilem, & dialecticam syllogismum specie differre: ergo & formæ quibus distinguuntur. Probatur consequentia. Nam omnis distinctio prouenit à forma, sicut & vnitas. Resp. distinguendo maiorem, concedimus enim specie materiali distingui, non verò formali. v. g.

Soluitur.

Secunda intentio generis denominans quantitatem formaliter solum numero distinguuntur, genere verò materialiter. Homo, & equus albi materialiter distinguuntur specie; formaliter verò, seu ratione albedinis, solo numero distinguuntur. Ad propositum ergo secunda intentio syllogismi demonstrans, & probabilis solo numero distinguuntur. Cōstituta verò, seu denominatiua materialia specificè obuersantur. Obstabis, quòd licet secundæ intentiones generis, numero solum distinguantur: tamen non inde licet inferre quòd non sit genus respectu intentionum, quæ denominant hanc & illam speciem; ergo quannis hæc & illa secunda intentio syllogismi solum ratione connotati distinguantur, non obstat quin possit sub se continere alias secundas intentiones denominantes has & illas specificas materias syllogismi. Resp. concedendo syllogismum in actu signato esse genus per secundam intentionem denominatum, & ita optime poterit de hac & illa secunda intentione syllogismi prædicari prædicatione secundi prædicabilis in actu exercito, non tamè poterit denominare genus, quia non connotat vnā naturam de pluribus prædicabilem ex dictis. Sicut qualitas subiacet denominationi generis, non tamen potest Petrum genus denominare, quia hæc intentio connotat formam, non materiam.

Institia.

*Dilui-
tio.*

ARTICVLVS III.

De materia & forma syllogismi.

EX supradictis cōstat syllogismum esse quoddam concretum accidentale materia & forma cōstitutum; vocamus ergo *materiam proximam*, illas tres propositiones, ex quibus immediate

*11.
Syllogis-
mi mate-
ria.*

mediate syllogistica fabrica formatur; *remotam* verò materiam, terminos illos, ex quibus propositiones componuntur; istam *remotam*, quia ratione alterius, nempe propositionis ad syllogismum spectat; istam verò *proximam*, quia immediata materia est, cui forma syllogistica inhaeret. Ad remotam materiam definitionem, & diuisionem reducere par est, quia dispositiones sunt praeuiae, omnisque dispositio ad genus materialis causae reducitur, ex dicendis 1. Physicorum.

12. Poterat in dubiam reuocari, utrum tres omnes propositiones, vel aliqua tantum ad materiam syllogisticam spectent. Sed cum communi sententia, breuiter respondendum est, conclusionem simul cum praemissis essentialiter, ad materiam syllogismi pertinere. Probatum primò ex Arist. 1. lib. Priorum cap. 1. vbi definiens syllogismum, non dixit esse quod sequitur ex quibusdam positis, sed rationem, in qua ex praemissis sequitur conclusio. Triplex ergo propositio materiam syllogisticam complet. Secundò ratione, illud dicitur materia completa, respectu alicuius formae, quod proximè & immediatè est receptaculù ipsius: sed ratio connexionis, quae forma syllogistica est, in tribus propositionibus fundatur; ergo sunt de materiali ratione syllogismi. Hanc sententiam supponit Scotus 1. lib. Priorum, q. 6. §. Respondetur negando.

Obiicies syllogismum essentialiter esse discursum: sed sola conclusio ex praemissis educta est discursus, cum reliquae ad secundam operationem intellectus pertineant; ergo sola illa est essentialis materia syllogismi. Resp. argumentum conuincere, conclusionem vt deductam ex praemissis esse complementum vltimum materiae, &

unicum terminum directum & proximum tertiae operationis intellectus; ne utiquam tamen cognitionem syllogisticam non habere pro materia tres omnes propositiones. sic venit intelligendus Arist. 1. de anima, textu 48. asserens demonstrationes habere pro fine syllogismum, aut conclusionem (pro eodem enim ibi vsurpantur.) Ratio est. Nam conclusio non est illa vltima propositio in quantum propositio est, sed in quantum ex praemissis educitur, vi illationis discursiuæ.

Obiicies secundò cum Conimbriensis 1. Priorum, cap. 1. q. 2. art. 2. & Alberto 1. Priorum cap. 5. solas praemissas esse materiam syllogismi, fundamento Aristotelis 1. Posteriorum cap. 2. vbi ita habet: *Demonstrationem autem dico ratiocinationem eam qua scientiam efficit: at solae praemissae scientiam efficiunt, id est, conclusionem; demonstratio ergo materialiter solae praemissae sunt.* Resp. Hurtado, tractatu de modo sciendi, disp. 10. sect. 12. §. 59. ibi Aristotelem non sumere efficientiam efficienter, sed formaliter, id est, syllogismum facere nos formaliter scire, non verò conclusionem efficere. Secundò resp. ibi accipere syllogismum latiori significatione, pro omni partiali causa; sic loquitur idem Aristoteles 2. Priorum cap. 1. cum ait, ex eodem syllogismo posse inferri plures conclusiones, hoc est, ex eisdem praemissis, v.g. ex istis duabus propositionibus, *Omnis homo est animal, Omne risibile est homo; & potest inferri, ergo omne risibile est animal; & ista, ergo aliquod risibile est animal.* quia quae dicuntur de vniuersali, praedicantur etiam de singularibus contentis sub ipso.

Ex dictis facilè inferitur, formam syllogisticam esse illam illationem, seu discursum passiuum, quo conclusio inferitur ex praemissis.

Syllogismus iste quod est conclusio.

Obiectio secunda.

Solutio.

Syllogismus iste pro omni causa partiali.

Syllogismus forma qua.

ARTICVLVS IV.

De speciebus syllogismi.

13. Syllogismus affirmatiuus

Syllogismus multifariam communititer subdividitur. Primò in affirmatiuum & negatiuum : ille ex vi præmissarum affirmantium etiam in conclusione aliquid de alio affirmat, vnum quippe extremum de alio. v. g. *Omnis homo est animal, Ioannes est homo; ergo Ioannes est animal.* Negatiuus verò ex vi alicuius præmissæ negatiuæ aliquid de aliquo negat : vt, *Nullus homo est insensibilis, Ioannes est homo; ergo Ioannes non est insensibilis.* Notanter dixi, *ex vi alicuius præmissæ negatiuæ.* nam si vtraque neget, nihil bene inferitur, vt explicuimus difficultate secunda.

et negatiuus

Certus

Diuiditur secundò in certum, & probabilem. *Certum* syllogismum nuncupamus, cum intellectus inhesitater, & absque vlla formidine conclusioni adhæret; *probabilem* verò, cum non firmiter, sed hæsitanter ratione materiæ conclusioni adhæret. sic sunt omnia argumenta, quibus aliquas conclusiones solum probabiliter probamus, quæ animum respondentis, vel audientis suadent, sed non conuincunt.

et probabile

Scientificum, et opinatiuum

Diuiditur tertio in scientificum, & opinatum : iste *probabilis* dicitur, ille *demonstratiuus*. Rursus, *scientificus* demonstratiuus nuncupatur, *opinatiuus* probabilis, seu dialecticus, quia illa pars, quæ agit de syllogismo probabilis, qualis est libri Topicorum, Dialectica presè vsurpatur, etsi generaliter pro tota Logica communiter accipiatur. Dicimus ergo demonstrationem ex Arist. i. Topicorum cap. i. *syllogismum constantem ex principijs veris, aut primis, aut talibus, quæ ex primis suæ cognitionis per aliqua vera, quæ circa ipsa est, principium sumpserunt.* Quæ definitio hoc solum significat, quòd syllo-

gismus demonstratiuus materia euidenti componitur, & aliâ ipsius Arist. i. Posteriorum textu 9. explicari poterit, demonstratiua scientia est *ex veris primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis.*

14.

Demonstrationis species.

Ex supradictis subinfert Scotus quodlibet. 7. in principio, cum Arist. in i. Posteriorum cap. 10. duas tantum esse species demonstrationis, scilicet, *propter quid, & quia.* Prima dicitur per causas, seu à priori, cum sit id, propter quod conclusio taliter demonstratur. Secunda dicitur à posteriori, seu per effectus, ex eo quòd ipsa solum cognoscitur per suos effectus, posteriores ipsa. Exemplum prioris, *Omnis homo est risibilis, Petrus est homo; ergo Petrus est risibilis.* Probamus passionem per essentiam priorem ipsa. Exemplum secundæ, *Omne risibile est rationale, Petrus est risibilis; ergo rationalis.* Probamus rationalitatem per passionem, ipsa rationalitate posteriores, de quibus alibi latius (Deo dante) in Log. q. 9. diffic. 2.

DIFFICULTAS II.

De figuris syllogismorum.

ARTICVLVS I.

Notantur aliqua pro intelligentia difficultatis.

Observandum est primò syllogismum, vt ad præsens institutum attinet, bifariam vsurpari, vnus perfectus, alius imperfectus. *Perfectus* est, cuius necessitas & efficacia nulla re indiget, vt appareat; est enim per se ipsum ita clarus & conspicuus, vt necessaria & insolubilis connexio consequentis cum præmissis, neminem latere possit, sed statim audientibus

15. Observandum primam. Syllogismus perfectus.

pateſcat; ſic eſt ſequens ſyllogiſmus, *Omnis homo habet vitam, Petrus eſt homo; ergo Petrus habet vitam.* Syllogiſmus imperfectus eſt, cuius neceſſitas vnus, vel plurium indiget, vt pateſcat; deficit enim ipſi ea neceſſitas, & claritas, ita vt neceſſaria & inſolubilis connexio cum præmiſſis poſſit, & latere aliquem, & apparere magis. Notanter dixi, vnus, vel plurium indigere, quia multoties ſolet illuſtrari, vna, vel pluribus propoſitionibus conuerſis, vel præmiſſis permutatis. Maiori, inquam, in minorem, & è contra, vel reductione ipſius ad perfectum, vel deductione ad impoſſibile; vt ſic eius neceſſitas clareſcat.

Imperfectum.

16. Obſeruandum eſt ſecundò imperfectos ſyllogiſmos alios directè concludere, illos quippe, in quibus maior extremitas prædicatur de minori, vt ſunt ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ figuræ inferiùs enarrandæ. Alios concludere obliquè, illos nempe, quorum minor extremitas de maiori prædicatur: huiusmodi ſunt quinque imperfecti in prima figura enumerandi, & ſequenti art. exponendi. Vocatur, vt clariùs procedamus, maior extremitas, quæ de medio prædicatur; minor verdò quæ ſubiicitur medio. Quid autem ſit medium, obſervatione vltima habes.

Extremitas maior, & minor quæ.

17. Tertio obſeruandum cum communi conſenſu, tres tantummodo eſſe terminos in quocunq; ſyllogiſmo, nec poſſe eſſe plures, nec pauciores. Quòd ſunt tres termini tantum, probatur à priori. Nam in duabus præmiſſis propoſitionibus vnus terminus reperitur, in vtraque, quæ eſt ſemper ſubiectum, vel prædicatum. Vnde duæ propoſitiones eodẽ termino conſtantes non poſſunt admittere, niſi alios duos terminos, qui cum tertio

Obſeruandum tertium. Syllogiſmi terminis tres.

ſubiiciantur, aut prædicentur. Rurſus conſuſio non admittit terminum nõ poſitum in præmiſſis, aliàs conſuſio ex ipſis non eſſet illata, ſi aliquis terminus in ipſa poneretur in præmiſſis, nec poſitus, nec conſeſſus; ergo non poſſunt eſſe plures quàm tres termini in quocunq; ſyllogiſmo. Quòd nequeant eſſe pauciores, ratio conſpicua demonſtrat; nam ſi ſolum eſſent duo termini, careret medio, ex cuius identitate cum aliis terminis inferretur identitas duorum inter ſe. Tota enim vis ſyllogiſtica huic innititur principio, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* quapropter poni debent & tertium & extrema, quæ ſint eadem, & cum tertio, & inter ſe, quod nec pluribus, nec paucioribus, quàm tribus terminis fieri valet.

Vltimò obſeruandum, ex tribus his terminis, eum dici medium, qui in vtraque reperitur præmiſſa. v.g. in hoc ſyllogiſmo, *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt animal,* hominem dicimus medium, quia vinculum eſt, & nexus, quo vtrunq; copulatur extremum in conſuſione; *animal enim, & Petrus* in illa vniuntur, per identitatem. Item dicitur medium, quia illo cognito, humanus ducitur intellectus ab identitate extremorum in ipſo, ad cognitionem conſuſionis.

Obſeruandum quartum.

ARTICVLVS II.

Quid, & quotuplex ſit figura ſyllogiſtica.

Figura ſyllogiſtica nihil aliud, 18. quàm diſpoſitionem medijs per ſubiectiõnem & prædicationem importat. Sicut enim entitates corporeæ ſuis aptantur figuris; ita ſyllogiſmus ſecundum diuerſas medijs diſpoſitiones,

Figura ſyllogiſtica quid.

Et quo-
suplex.

nes, diuersis quasi formis, seu figuris adaptatur. Proinde ergo cum medium trifariam possit in singulis syllogismis disponi, hinc triplicem figuram communiter Dialectici inferunt. Nam vel medium est subiectum in maiori, & prædicatum in minori, & sic est prima figura: vt, *Omne rationale est risibile, Omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.* Vel medium est prædicatum in vtraque præmissa, & sic secunda figura: vt, *Nullus homo est petra, Omne durum est petra; ergo nullum durum est homo.* Vel terminus est subiectum vtriusque præmissæ: vt, *Omnis homo est rationalis, Omnis homo est risibilis; ergo aliquod risibile est rationale;* & hæc est tertia figura. Quartam figuram alij addunt cum Galeno, quando prædicatur medium in maiori, & minori subiicitur: vt, *Rationale est homo, Homo est animal; ergo rationale est animal.* Sed hanc figuram à prima non distinguimus alibi latius explicabimus. Tunc sic forma, seu figura est dispositio mediij, sed tres tantum modi sunt excogitabiles, vt patet; ergo tres tantum figuræ.

ARTICVLVS III.

De modis cuiuscunque figuræ.

19.
Figuræ
modi
quor.

Cum retenta quacunque figura latus sit ad errandum campus in dispositione medijs, Arist. intra certos terminos mentem carcerauit, quibus euidenter conclusio patescat. Nos vocamus *modos*, quia debitam dispositionem præmissarum habita ratione substantiæ & quantitatis obseruamus, id est, an medium neccatur extremis affirmatiuè, vel negatiuè, an vniuersaliter, vel particulariter? An conclusio colligatur directè, vel indirectè. Possunt autem in quacunque

figura decem & sex modi excogitari. quod sic demonstro. Nam vel vtraque præmissa est vniuersalis, vel vtraque particularis; vel maior est vniuersalis, & minor particularis. Si igitur ambæ sint vniuersales, vel affirmat vtraque, vel negat vtraque, vel affirmat maior, & negat minor; vel è contra, affirmat minor, & negat maior, & hinc nascuntur quatuor modi de vtraque præmissa vniuersali. Rursus si ambæ sint particulares, vel affirmat vtraque, vel negat vtraque; vel affirmat maior, & negat minor; vel è contra affirmat minor, & negat maior, & hinc nascuntur quatuor modi de vtraque præmissa particulari. Deinde si maior sit vniuersalis, & minor particularis, vel affirmat vtraque, vel negat vtraque; vel affirmat maior, & negat minor, vel è contra, affirmat minor, & negat maior, & hinc nascuntur quatuor modi de maiori vniuersali, & minori particulari. Demum si maior sit particularis, & minor vniuersalis, vel affirmat vtraque, vel negat vtraque; vel affirmat maior, & negat minor; vel è contra, affirmat minor, & negat maior, & hinc quatuor modi de maiori particulari & minori vniuersali promanant. Ecce in qualibet figura sexdecim modos excogitabiles, quod idem in alijs duobus cuiuscunque ex sequenti manifestabitur.

Modi isti concludendi in quacunque figura non omnes vtilis & constantes sunt ad veritatem necessariò inferendam, propterea Arist. 1. lib. de priori Anal. cap. 4. 5. & 6. artem nobis tradidit, qua vtilis ab inutilibus discernere possemus.

Nos omnes
modi
vtilis.

ARTICVLVS IV.

De arte, modos vtiles, & consistentes dignoscendi.

20.
Vtiles ab
inutili-
bus dig-
noscenti
via.

VT Aristotelicum artificium circa cognitionem modorum vtillium & inutilium faciliter enodamus, breuiterque aperiamus, aduertendum est, Arist. in prima figura quatuor modos vtiles & consistentes tantum reperisse, totidem in secunda, & sex in tertia. Cum ergo modorum differentia ex quidditate & quantitate proportionum desumatur, ideo Dialectici, singulis modis consistentibus, singulas appropriauerunt voces, in quibus cuiusvis modi vtillis & consistentis propria quidditas & quantitas exprimitur. Proinde sicut cuiusque modi syllogismus tribus propositionibus coalescit; ita quaecunque vocum, tribus litteris vocalibus componitur, quarum prima quidditatem & quantitatem maioris denotat, secunda minoris, tertia conclusionis. Si littera sit A. maiorem syllogismi debere esse vniuersalem asserentem insinuat; si E. vniuersalem abnegantem; si I. particularem asserentem; si O. particularem abnegantem, quod in memoria sequenti disticho faciliter retinebis.

Afferit A. negat E. sunt vniuersaliter ambo.

Afferit I. negat O. sunt particulariter ambo.

Quatuor voces, quibus vtiles primæ figuræ communiter enodantur, sunt sequentes, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*. At quoniam in syllogismo directe indirecteque concluditur, ideo in prima figura præter quatuor modos nuper memoratos, alios quinque, quos totidem voces aperiant, enumerabimus, *Baralipron, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Friseforcorum.*

In secunda figura quatuor modi consistentes, tot vocibus manifestati reperiuntur, videlicet, *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.*

In tertia figura sex alij, istis vocibus patefcunt, *Darapti, Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison.*

Quas voces sequentibus carminibus accipe.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipron.

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Friseforcorum.

Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Daraptin.

Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison.

Hac arte modos vtiles & consistentes cuiuscunque trium figurarum expeditissime à cassis & inutilibus separare valebis, cuius indaginem inferius clariùs explicabimus per singulas figuras artificio syllogistico constructas.

ARTICVLVS V.

Propono duo principia, ex quibus tota efficacia syllogistica promanat.

Certum est ex infra dicendis solos quatuor modos vtiles primæ figuræ euidenter concludere, propterea vt aliorum modorum veritatem & efficacitatem possint ostendere, ad hæc quatuor Dialectici reducunt. Nos autem vt veritatem efficacitæ illatiuæ & per recessum ab ista, inefficaciam proponamus, breuiter duo principia à quibus dependet, aperire conabimur.

Aristoteles 1. Priorum capit. 1. in fine, postquam perfectam ratiocinationem ab imperfecta diuisit, dum vellet primum fundamentum & radicem perfectæ ratiocinationis perhibere, hæc profert, *In toto autem qua-*
piam

piam esse, & de omni quopiam, quippiam predicari, idem significat. Atque tunc de omni dicimus quippiam predicari, cum nihil potest subiecti sumi, de quo alterum non dicatur. Idem intelligendum est, cum de nullo dicimus quippiam predicari. Quæ doctrinam sic explicat Hurtado disp. 10. Logicæ, sect. 16. sequutus Coniurbricenses. Subiectum est in toto prædicato, cui vniuersim subiicitur, & prædicatum dicitur de omni contento sub subiecto. v. g. in hac propositione vniuersali, *Omnis homo est animal*, si compares hominem ad animal, comperies hominem esse in toto animali, quia animal complectitur, tanquam subiecta de quibus, seu tanquam partes materiales subiectiuas omnes species inferiores; si verò compares animal ad singulos homines, de singulis prædicari comprobabis, quia continentur sub homine, de quo immediatè animal dicitur; est enim regula communis Dialecticorum quòd quidquid vniuersè de subiecto aliquo dicitur, consequenter de quouis contento sub huiusmodi subiecto prædicatur. Sicut quodcumque de subiecto aliquo negatur, consequenter etiam de quouis contento sub tali subiecto; quod intelligendum est quando terminus communis & vniuersalis personaliter, seu distributiue supponit, vt diximus q. 1. diffic. 3. art. 1.

22.
Duo prin-
cipia quibus effi-
cacia syl-
logistica
explorantur.

Ex qua doctrina duo inferuntur principia, quibus efficacia syllogistica facile exploratur; sunt autem ista, dici de omni, & dici de nullo. *Dici de omni*, denotat prædicatum ita de subiecto enūciari, vt de quibuslibet sub eo contentis affirmetur. Quare in enuntiatione vniuersali affirmatiua prædicatum dicitur de omni: nam quo pacto de subiecto dicitur, eodem quoque de singulis eius inferioribus valet prædicari, vnde quia animal prædica-

tur de homine, dicitur etiam de Paulo, Antonio, &c. *Dici de nullo*, hoc denotat, vt negando prædicatum subiecto, consequenter negatur cuiusque prædicatum affirmatiue cõuenit: propterea in propositione vniuersali negatiua prædicatum dicitur de nullo. Nam ea ratione, qua animali negatur infirmitas, negatur etiam homini & equo, de quibus animal dicitur.

Hoc dialecticum principium fundamentum habet in isto metaphysico, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, in quo docuit Doctor in 1. dist. 2. q. 4. & q. 7. §. ad primum, n. 4. fundari vniuersam structuram syllogisticam, & ita explicat. *Quacũque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sic sunt eadem, quòd non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundum illam identitatem, qua sunt eadẽ medio, & medium in se sic sit idem, & per hanc propositionem sic intellectam tenet omnis forma syllogistica.* Quæ verba satis consonant illis relatis ex Arist. vbi supra, cum dixit, *in toto autem quippiam esse, & de omni quippiam predicari idem significat.* Nam ex eo prædicatum de quouis sub eo contentibus prædicatur necessariò & essentialiter, quia ipsis identificatur, vt dicemus q. 6. Logicæ, diffic. 1. ergo dici de omni supponit necessariò identitatem subiectorum in prædicato, sicut dici de nullo distinctionem & separationem.

Confirmatur hæc veritas primò. Nam deficiente hoc principio, destrueretur descensus ab vniuersali ad particularia. Nam nulla alia ratione hæc propositio vniuersalis, *Omnis homo est animal*, infert, Petrum & Paulum esse animalia, nisi quòd sicut identificantur particularia in vniuersali, ita vniuersale identificatur cum quolibet, quod sufficit ad prædicationem formalem; ergo destructo hoc prin-

capio, *quæ sunt eadem vni tertio*, tota efficaciacia syllogistica corrueret. Confirmatur secundo, quia si concessa ista propositione, *Omnis homo est animal*, quis negaret Petrum esse animal, ex hoc principio teneretur fateri eius veritatem, vel duas contradictorias simul veras admittere. Quod sic ostenditur, neget quis Petrum esse animal, infertur, euidenter; ergo *aliquis homo non est animal*, sed *omnis homo est animal*, & *aliquis homo non est animal*, contradicunt; ergo dantur duæ contradictoriae simul veræ, ex q. 5. diffic. 4. art. 3. quia principium per se notum est repugnare idem simul esse, & non esse; sed tota ista contradictio ex eo infertur, quod obiectum conclusionis realiter identificatur cum obiecto maioris. Nam quia animal & Petrus identificantur in homine, eadem unitate uniantur inter se. Vnde manifeste repugnat quod aliquid prædicetur personaliter de homine, & nõ prædicetur de Petro; ergo de primo ad vltimum radix & origo illius principij dici de omni, est illud aliud, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*.

23. Vnde habes, quare quatuor illi primi modi primæ figuræ, videlicet, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, perfecti & consistentes dicantur. nam duo illi, *Barbara* & *Darij*, affirmatiui & vniuersales sunt, & consequenter dicuntur de omni, & cum singulis inferioribus identificantur. Alij verò, *Celarent*, & *Ferio*, negatiui sunt, dicunturque de nullo, quia non solum de subiecto, sed de omnibus, de quibus subiectum affirmatur, negantur. Et ita nec inter se, nec in tertio vilo modo identificantur, vnde negatiui perfecti dicuntur, quia negant quod non est verum. quod axioma vniuersè verum est in rebus creatis, licet in diuinis patiat exceptionem, quia persona di-

uinæ sunt idem realiter cum essentia diuina, & nihilominus fides adstruit, personas distingui realiter inter se; sed de hoc in materia de Trinitate, interim legite Hurtado dispa. Logica sect. 16. §. 102.

ARTICVLVS VI.

Traduntur aliqua præcepta in quauis figura syllogismorum obseruanda.

NOster Complutensis Villalpan- 24.
 dus aliqua præcepta, quæ in Præcepta in quauis figura syllogismorum obseruanda.
 quouis syllogismorum obseruari debent, exactissimè tradidit, quibus cognitio facile cuiusuis syllogismi defectus cognoscere quispiam poterit. Cum enim finis & scopus syllogismicò tendat, vt efficaciter conuincat veritatem, quam per ipsum ostendere conamur, illa præcepta obseruare debemus, quæ stabilita facillimo negotio veritatem demonstrant, & negantes veritatem deprehendunt.

Primum præceptum est. In nulla figura quidpiam colligitur, vbi mediū in vtraque propositione, maiori, inquam, & minori, non distribuitur, defectu cuius hæc forma argumentandi vitiosa est. *Quod ego sum, tu non es. Ego sum homo; ergo tu non es homo.* quando autem istud vitium committitur, vultus dicitur argumentari ex puris particularibus. Quæ regula hac ratione potest probari, quia tota vis & efficaciacia syllogistica his duobus principiis stabilitur, *dici de omni, dici de nullo*; seu, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; ergo ex illis terminis, qui cum medio non identificantur in præmissis, nihil in conclusione potest efficaciter concludi. Quod sic explico, terminus supponens indistributive, seu determinate, non omnia, sed aliqua

qua tantum individua significat: supponens autem distributive, omnia singularia significat, unde quando medium non distribuitur, sed determinatur, non identificatur cum omnibus singularibus, nec de omnibus dicitur, sed tantum de aliquibus; ergo in conclusione nequit bene inferri quod minor extremitas distribuat per omnia, cum secundum istam distributivam rationem non identificetur cum medio in præmissis.

25. *Secundum.* Secundum præceptum. Ex veraque suppositione negante nihil sequitur, vitiosa est enim hæc colligendi ratio, *Nullus homo est arbor; Platanus non est homo; ergo platanus non est arbor.* Ut ergo vitetur hoc vitium, altera pars antecedentis debet affirmare. Rationem perhibet ipse Villalpandus, quia quæ non sunt eadem alicui tertio non est necessarium coniungi inter se.

Contra regulam istam obijci potest sequens syllogismus, *Omne quod non est animal, non est homo. Lapis non est animal; ergo lapis non est homo,* in quo ex duabus negativis veris non falsa, sed verissima infertur conclusio, cuius evidentia ea est, ut negantem convincere possimus, vel fateri debet duas contradictorias simul falsas. Nam si hæc propositio, *Lapis non est homo,* est falsa; ergo eius contradictoria, *Lapis est homo,* debet esse vera. Manifestum autem est lapidem non esse hominem; ergo darentur duæ contradictoria simul falsæ; ergo dicendum est istam secundam regulam non esse univere veram, sed aliquam exceptionem admittere. Sed respondet optimè quidam neotericus, negando maiorem propositionem, scilicet esse negativam, quia non remouet à subiecto prædicatum aliquod, potius ei coniungit prædicatum animalis, quod facile intelligitur, si reducamus in memoriam

quæ diximus q. 5. diffic. 6. de conversione simplicis propositionis, scilicet univerealem affirmatiuam converti per contrapositionem, vel infinitatis terminis, aut subiecto infinitato, & negata copula. v. g. hæc propositio, *Omnis homo est animal,* sic convertitur, *Omne non animal est non homo;* vel sic, *Omne quod non est animal, non est homo.* Unde perspicuum est, illam maiorem propositionem esse univerealem affirmatiuam, videlicet, *Omnis homo est animal;* quare syllogismus obiectus erit in secunda figura, & modo, quem dicimus *Baroco.*

26. *Tertium.* Tertia regula. In nulla figura conclusio univerealis est colligenda, qualibet præmissarum existente particulari. Ratio est, quia causa debet continere in virtute effectum: sed particulari non continet univereale; ergo nequit conclusionem univerealem cautare. Unde iste syllogismus vitiosus est, *Omne animal est sensibile. Aliqua substantia est sensibilis; ergo omnis substantia sensibilis est.* En ex præmissis veris consequens falsum, quia petra substantia & insensibilis est.

27. *Quartum.* Quarta regula. In nulla figura utraque præmissa, vel altera existente negativa, debet colligi affirmatiua conclusio. Ratio à priori est, quia effectus nequit esse præstantior sua causa, ideo ab omnibus hoc admittitur axioma: Conclusio semper sequitur debiliorem partem. Atqui utraque præmissa insit in conclusionem; ergo præmissa negans cum sit imperfectior, nequit causare affirmantem propositionem, alias ex antecedenti vero falsa colligeretur conclusio. Unde iste syllogismus peccat, *Nullum animal est arbor. Homo est animal; ergo homo est arbor.*

Sed contra istam regulam obijciens quemdam syllogismum, quo vitur

Aristoteles 2. de cælo cap. 4. & est huiusmodi, *Stellæ quæ nō scintillant, sunt prope nos. Planeta non scintillant; ergo planeta sunt prope nos.* In quo ex minori negatiua euidenter infertur conclusio affirmatiua; ergo regula ista non est certa, nec seruanda.

Respondeo negando prædictum syllogismum habere minorem negatiuam, utraque enim præmissa affirmatiua est, & ita in modo *Darii* consistit. Pro cuius rei intelligentia notandum est, propositiones de prædicato infinito sæpe æquipollere propositionibus negatiuis, etiam si affirmatiuæ sint. v.g. hæc propositio, *Homo est non Angelus*, æquipolleret huic, *Homo non est Angelus*; unde cum medium in prædicto syllogismo sit infinitum, facile de negatiuo in affirmatiuum potest conuerteri, quia affirmatiuum æquipolleret. Probat. nam medium in eo syllogismo est subiectum maioris propositionis, & terminus infinitus. nam de eo quod non scintillat prædicat maior suum prædicatum; idem enim est dicere, stellæ quæ non scintillant, ac stellæ non scintillantes: sed subiectum maioris debet esse prædicatum minoris, ut medium fideliter repetatur. Quare in rigorosa constructione illius syllogismi, minor propositio esset hæc, *Planeta sunt stellæ quæ non scintillant, vel non scintillantes*; ergo minor propositio erit etiam affirmatiua, ac per consequens per veram æquipollentiam, veritas huius syllogismi non ex minori negante, sed affirmante deducetur, et si in illo syllogismo, minore negante utamur.

ARTICVLVS VII.

De modis primæ figuræ.

Prima figura ex supradictis nouem constat modis, ex quibus quatuor primi directè, reliqui verò quinque indirectè cōcludunt. Directè concludentem syllogismum iudicabis, si maior extremitas de minori in conclusione prædicetur, ut sequens syllogismus factus in *Barbara* clarè manifestat, *Omnia animalia sunt sensibilia, Omne risibile est animal; ergo omne risibile est animal.* En quomodo animal maior extremitas maioris propositionis in cōclusionem de risibili minori extremitate prædicatur. Indirectè concludentem dignoscet, si minor extremitas de maiori in conclusione prædicetur, quod syllogismus sequens factus in *Buralipton*, aperit, *Omne animal est substantia, Omnia animalia sunt sensibilia; ergo quedam substantia est sensibile.*

28.

In ista figura duas sequentes regulas obseruabis. Prima est. Maiori existenti particulari nihil sequitur. quæ regula quatuor primis modis primæ figuræ, qui directè concludunt, & in omnibus secundæ cōpetit. Ratione reddit Sotus tract. 4. Summularum parte 1. lect. vnica, quia maior extremitas in syllogismis directè concludentibus debet supponere distributiue, aliàs à non distributo maioris ad distributum conclusionis argueremus; sed maiori existente particulari negatiua, siue affirmatiua nequit distribui, & nihilominus conclusio distribuitur; ergo syllogismus est vitiosus, & consequenter nihil infert directè & perfectè, ut discurrenti patebit.

Regula prima figuræ. Prima.

Secunda regula. In modis primæ figuræ directè concludentibus, & in omnibus tertiæ, minori existenti negatiua nihil sequitur. Ratio est, quia

Secunda.

mino

minori existenti negatiua, maior debet esse affirmatiua, & conclusio negatiua, vt patet in istis figuris, *Camestres*, vbi maior est vniuersalis affirmatiua, minor vero & conclusio vniuersalis negatiua, & idem in *Baroco*, vbi quia minor est particularis negatiua, maior affirmat, & conclusio negat, nec sunt alij modi, qui minorem habeant negantem, quia si in tertia figura minor sit negatiua, argueretur à non distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis, quæ est prædicatum in maiori, & in conclusione, de quibus alibi latius. Debemus tamen notare, hic non esse sermonem de quibuslibet syllogismis, sed de eis, qui iuxta Philosophi præcepta per se, vel per reductionem ad perfectos concludunt. nam aliæ combinationes et si inutiles, in quacunque figura extra regulas iam positas possunt efformari.

ARTICVLVS VIII.

De modis secunda figura.

29. **S**ecunda figura ex supradictis quatuor constat modis, circa quam quatuor regulæ notissimæ cum Petro Hispano, communiter traduntur ab authoribus. Prima regula est, *Ex puris affirmatiuis nihil sequitur*. Ratio est, quia medium nullibi distribueretur. Secunda regula, *In secunda figura semper concluditur negatiue*. Ratio est, quia aliqua præmissarum existente negatiua, conclusio debet esse negatiua; nam conclusio sequitur partem debiliorem. Tertia regula, *Maiori existente particulari nihil sequitur*. Ratio est conspicua, quia tunc subiectum quod est maior extremitas, non distribueretur, & concludendo negatiue argueretur, à non distributo ad distributum. Quarta regula. Medium de vtraque

Modi prima figura.

Regula secunda figura.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

præmissa prædicatur, & in hoc à reliquis figuris distinguitur, vt docuit Aristoteles 1. Priorum cap. 5. Per singulos ergo modos discurramus.

Cesare, primus modus secundæ figuræ, constat maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, vniuersalem negantem directè concludentibus: vt, *Nullus homo est inhibibilis, Omnis equus est inhibibilis; ergo nullus equus est homo*.

Modi secunda figura.

Camestres, secundus modus constat ex maiori vniuersali affirmante, & minori vniuersali negante, conclusionem vniuersalem negatiuam directè inferentibus: vt, *Omnis homo est animal, Nullus lapis est animal; ergo nullus lapis est homo*. Eodem modo in aliis duobus modis confice syllogismos.

ARTICVLVS IX.

De modis tertia figura.

Tertia figura sex habet modos, in quibus tres sequentes regulas obserua. Prima, in qua ab aliis modis cæterarum figurarum diuersificatur, hæc est, *quod medium debet esse subiectum vtriusque præmissæ*, ex primo Priorum cap. 6. Secunda, *Minori existente negatiua nihil sequitur*, cuius rationem art. 7. agentes de prima figura iam tetigimus. Tertia regula, *Conclusio debet esse particularis*. Fundamentum est, quia cum in hac figura directè concluditur, in qua medium est subiectum vtriusque præmissæ, minor extremitas distribueretur in minori, quæ in conclusione non posset distribui, quod sequentes syllogismi satis manifestant.

Regula tertia figura. Prima.

Secunda.

Tertia.

Darapti, primus modus tertiæ figuræ componitur ex maiori & minori vniuersalibus affirmatiuis, particularem affirmantem directè inferentibus:

Modi tertia figura.

vt, *Omnis homo est substantia, Omnis homo est animal; ergo quoddam animal est substantia.* Si ergo conclusio esset vniuersalis, indistributiue supponeret, quod est contra superius dicta.

Disamis, tertius modus tertiæ figuræ, constat ex maiori particulari affirmante, & minori vniuersali affirmante, particularem conclusionem affirmatiuam, directe concludentibus: vt: *Quidam homo est substantia, Omnis homo est animal; ergo quoddam animal est substantia.*

Ferison, sextus & vltimus modus tertiæ figuræ, ex maiore vniuersali negante, & minori particulari affirmante, particularem conclusionem negatiuam directe inferentibus fabricatur: vt, *Nullus Angelus est corporeus, quidam Angelus est non coloratus; ergo aliquod non coloratum non est corporeum.* qui modus conficiendi in aliis tribus modis istius figuræ obseruandus est.

ARTICVLVS X.

De modo inueniendi medium.

22.
Modus
inueniendi
medium.

EX dictis articulis præcedentibus manifestè constat modos istarum figurarum ex diuersa mediij dispositione distingui, proinde modam inueniendi tale medium in quocunque syllogismo operæ pretium erit explicare. Hanc artem inueniendi medium ita obscure ab antiquis accepimus, vt potius perdendi modum, quàm adquirendi medium tyronibus occasio sit. Redegit tamen ad pauca noster Complutensis Villalpandus tractatu de syllogismis, satis clarè & perspicuè, si quis vnquam, cuius normam cum non paucis recentioribus sequemur & nos. pro cuius intelligentia aliqua notanda proponit.

Notandum primò terminos alios

dici antecedentes, alios consequentes, quosdã autem disparatos. Ille terminus consequens vocatur, quia saltem inferitur. huiusmodi est cuius terminus communis, si ad sua inferiora comparetur, vt potè genus ad species, species ad indiuidua, valet enim consequentia ab inferiori ad superius affirmatiuè. Ideoque terminus superior semper consequens est inferioris. Proinde terminus inferior antecedens nuncupatur, quia superiorem infert, & ipsum antecedit; sic etiam se habent omnes prædicationes identicè conuertibiles, quia alterutram infert & antecedit. sic dicimus, *Est homo; ergo est risibilis. Est risibilis; ergo est homo.* Disparatos terminos nuncupamus, incompõsibiles adinuicem, quales sunt homo, & lapis, Angelus & equus, quorum neuter comparitur cum alio, de quo iam diximus quæst. 1. difficultate 2.

Prima ergo regula sit. Ad inferendam propositionem vniuersalem asserentem, accipiendus est medius terminus, qui sit consequens subiecti, & antecedens prædicati, hoc est, terminus quem inferat subiectum, & inferatur ex prædicato. v. g. vt colligamus istam propositionem, *Omnis homo est animal;* accipiamus nomen *sensibile*, quod est superius homine, & æquale animali, & sic propositionem prædictam inferemus, *Omne sensibile est animal, Omnis homo est sensibilis; ergo omnis homo est animal.* Idem iudicium est de aliis quibuscunque propositionibus.

Secunda regula. Ad inferendam propositionem particularem affirmantem, medius terminus accipiendus, qui sit antecedens subiecti & prædicati. v. g. vt inferamus hanc propositionem, *Aliqua substantia est incorruptibilis;* accipiamus pro medio termino, *spiritum*, qui infert substantiam, atque

Consequens.

Antecedens.

Disparatos terminos.

23.

Regula inferendi prædicationum. Prima.

24.

Secunda.

atque etiam incorruptibile, & eam colliges in tertia figura, hoc pacto: *Omnis spiritus est incorruptibilis, aliqua substantia est spiritus; ergo aliqua substantia est incorruptibilis.*

25.
Tertia.

Tertia regula. Ad inferendam propositionem vniuersalem negantem accipiendus est medius terminus consequens subiecti, & extraneum praedicati, vel consequens praedicati, & extraneum subiecti. v. g. hanc propositionem, *Nullus homo est equus*, vi syllogistica colliges, si sumas hominis definitionem hoc pacto, *Nullum animal rationale est equus, Omnis homo est animal rationale; ergo nullus homo est equus.*

26.
Quarta.

Quarta regula. Ad inferendam propositionem particularem abnegantem sumendus est medius terminus antecedens subiecti & extraneum praedicati. v. g. cupimus inferre hanc propositionem, *Aliquod animal non est homo*, accipiamus nomen *brutum*, antecedens animalis, & repugnans homini, & sic in prima figura construemus syllogismum, *Nullum brutum est homo, Aliquod animal est brutum; ergo aliquod animal non est homo.* Quibus obseruatis regulis medium ad quancunque propositionem inferendam facillimo negotio inuenies.

ARTICVLVS XI.

Verum sint quatuor, vel tres tantum figurae.

Figurae
syllogis-
morum
quatuor.

Proposui in superioribus articulis ex mente Philosophi tres solas syllogismorum figuras, in quibus consistentes syllogismos possumus efformare; venit ergo dubitandum, an praeter istas alia quarta figura admittenda sit.

27.

Affirmant aliqui cum Auicenna,

quam inuentionem quarta figurae Auerroes Galeno imponit, cuiusque solum propter auctoritatem Auerrois Galeno adscribendam esse Connimbricenses i. Priorum cap. 7. q. & art. 1. affirmant, quia in operibus Galeni ea opinio non legitur. Hurtado vero disput. 10. Logica sect. 20. negat tantam fidem homini sine fide adhibendam esse; sed cuiusvis sit haec opinio, hoc fundamento potest fulciri, quia figura syllogismorum penes diuersas habitudines extremorum, dispositionemque medij distinguuntur: sed quaternis modis possunt extrema & medij in syllogismis disponi; ergo quatuor erunt figurae. Maior est certa, minor probatur. Nam praeter tres modos ex mente Philosophi connumeratos, in quibus medium & vtrique subiicitur extremo, & de vtroque praedicatur, subiiciturque in maiori, & praedicatur in minori, aliam quartam dispositionem medij, seu modum efficacissimum experimur, in quo medium in maiori praedicatur, & in minori subiicitur: vt iste syllogismus manifeste ostendit, *Omnis homo est animal, Omne animal sentit; ergo omnis homo sentit.* qui syllogismus efficacissimus est, & tamen in nulla trium figuratum disponitur; ergo alia quarta figura necessario admittenda est.

28.

Commune tamen Dialecticorum placitum & faterur efficaciam dicti syllogismi, & negat quartam aliam figuram superaddendam esse, sed affirmat, reducendam esse ad primam figuram, in qua perfecti & consistentes modi disponuntur, sine per se, siue per reductionem. Colligitur non obscure haec veritas ex Aristotel. i. Priorum cap. 4. vbi primam figuram in eo solum constituit, vt medium sit subiectum vnius, & praedicatum alterius, siue in prima, siue in secunda praemissa

missa subiiciatur, aut prædicetur, quod nimis accidentarium est ad perfectum syllogismum, & si communiter in prima figura medium ita disponatur, ut sit subiectum maioris & prædicatum minoris. Unde cum Philosophus hanc figuram exemplo vellet declarare, syllogismum proposuit, in quo medium est prædicatum maioris, & subiectum minoris; ergo ob istam accidentalissimam differentiam non est multiplicanda contra mentem Philosophi alia quarta figura; sed dicti syllogismi in prima sunt constituendi. Ratione etiam probari potest. Nam omnes dicti modi solum differunt à modis quartæ figuræ, in prolatione primæ & secundæ propositionis, non in necessitate inferendi, quia in cæteris conueniunt. v. g. iste syllogismus, *Omnis homo est animal, Omne animal sentit; ergo omnis homo sentit*, solum differt à *Barbara*, modo primæ figuræ, in eo quod hanc, vel illam præmissam prius proferamus: sed hoc non sufficit ad multiplicationem figurarum, cum sit nimis extrinsecum efficaciam syllogistica; ergo.

Ad rationem dubitandi responderetur, concedendo hos syllogismos ab aliis primæ figuræ aliquantulum differre, negamus tamen hanc differentiam sufficere ad multiplicationem figurarum, quia nimis accidentaria est, & in efficacitate inferendi nulla facta reductione omnino conueniunt.

DIFFICULTAS III.

De varijs syllogismorum affectionibus, eorumque defectibus.

29. **D**ebita syllogismorum compositio dupliciter vitari potest, ab

intrinsecis, scilicet & extrinsecis. Intrinsecum vitium oritur ex praua terminorum dispositione. v. g. si negetur quod debet affirmari, si medium non rectè distribuatur, de quibus iam diximus difficult. præcedenti art. 6. 7. 8. & 9. qui defectus eò intrinseci dicuntur, quod ^{Defectus intrinseci.} variant & determinant intrinsecam & quidditativam entitatem syllogismi ex perfecta dispositione medij, & extremitatum coalescentem. Extrinseci defectus proveniunt ex mutatione alicuius proprietatis logicalis, v. g. significationis, ampliationis, &c. Dicuntur autem extrinseci ^{& extrinseci qui.} defectus, quia contingere possunt syllogismo invariata dispositione terminorum: destruunt tamen perfectam syllogismorum consistentiam. Nam cum quilibet terminus in syllogismo repetatur bis, si dictæ terminorum proprietates mutantur, veritas propositionum, quæ terminis materialiter componuntur, variabitur, & loco syllogismi, paralogismum constituent. Cum tamen iam difficultate præcedenti de intrinseca natura syllogismi tractauerimus, nunc solum de extrinsecis defectibus, deinde de syllogismis obliquis & hypotheticis erit sermo.

ARTICVLVS I.

De extrinsecis syllogismis defectibus.

Cum ex dictis quæst. 1. difficult. 3. ^{30.} plures sint terminorum proprietates, videlicet significatio, acceptio, suppositio, ampliatio, & appellatio, quarum mutatione syllogismus ex iam dictis vitari potest, de omnibus suo ordine dicamus.

Primo ergo in quolibet syllogismo debet eadè significatio immutata manere, ^{Significatio.}

nere, aliàs syllogismus non tribus, sed quatuor constabit terminis. Ratio est, nam termini multiplicantur formaliter ad multiplicationem significationum; ergo, si idem terminus duplici gaudeat significatione in syllogismo, non vnicus reputabitur, sed duo. v. g. si *canis* in aliquo syllogismo modò canem irrabilem significet, modò caeleste sydus, variatis significationibus erit terminorum multiplicatio, & sic vitabitur syllogismus.

Debet etiam seruari eadem suppositio, defectu cuius iste est vitiosus syllogismus, *Quilibet homo est animal; animal est vniuersale; ergo quilibet homo est vniuersalis.* quia animal in maiori supponit personaliter, in minori verò simpliciter. Item iste, *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim, Petrus & Paulus sunt Apostoli; ergo sunt duodecim;* in eo enim medium à suppositione copulata, mutatur in determinatam. Ab hac generali regula excipe distributiuam suppositionem, quia ex dictis difficultate præcedenti, art. 6. & 7. mutari potest in determinatam.

Eadem etiam *ampliatio* obseruari debet, ne terminus diuersa temporis individua respiciat; cuius conditionis defectu iste syllogismus peccat, *Omne animal fuit in arca Noë, Hic homo est animal; ergo hic homo fuit in arca.* nam ampliatum terminus ab individuis præteriti temporis ad individua præsentis.

Idem omnino de *restrictione* tenendum est, vt terminus repetitus eandem omnino restrictionem obseruet. Vnde iste syllogismus est vitiosus; *Quicumque seruauerit omne mandatum Dei, erit iustus; iste seruat aliquod mandatum Dei; ergo est iustus.* nam ille terminus *mandatum*, in maiori supponit copulatè, in minori verò determinatè. Ab hac regula excipiendum est

medium supponens distributiuè, quia tunc debet distribui, seu determinari, aliàs in conclusione non poterit distribui, si in antecedenti distributum non fuerit, quod obuersatur regulis difficultate antecedenti explicatis, ideo hic syllogismus defectuosus est; *Quilibet equus alicuius hominis est albus; bucephalus est equus alicuius hominis; ergo albus.* quia ille terminus *homo* restringens medium est in vtraque indistributus.

De *appellatione* idem obseruatur, cuius conditionis defectu iste syllogismus peccat, *Quilibet homo magnus est Theologus; Franciscus est homo; ergo est magnus Theologus.* quia terminus *magnus* in antecedenti appellatur supra *hominem*, in consequenti verò supra *Philosophum*.

Appellatio.

ARTICVLVS II.

De syllogismis obliquis.

Obliquam syllogismam dicimus habentem pro medio, vel pro extremitate aliquem casum obliquum: vt est iste, *Cuiuslibet hominis est vinea; rationale est homo; ergo rationalis est vinea.* Caterùm cum terminus obliquus, neque extremum integrum, neque medium esse possit, sicut neque integrum subiectum, aut prædicatum, sed solum sit terminus restrictiuus vis & efficacia syllogismi, non est diuidenda ex termino obliquo, sed ex recto, cui adiacet obliquus, & ille terminus rectus, vel extremitas est legitime repetenda; sic iste syllogismus efficax est, *Cuiuslibet hominis est vinea, Homo est animal; ergo animalis est vinea;* quia maior æquiualeat huic, *Quilibet homo habet vineam.*

3 I. Syllogismus obliquus.

ARTICVLVS III.

De syllogismo hypothetico.

32. Syllogismus hypotheticus quæ.

Syllogismus hypotheticus dicitur qui alteram, vel utramque propositionem hypotheticam pro antecedenti habeat, pro cuius intelligentia recolenda sunt ea, quæ diximus de hypotheticis propositionibus quæst. 5. difficult. 1. artic. 2. scilicet solam conditionalem propositionem complexam esse hypotheticam: unde manifestè inferitur, hypotheticum syllogismum non esse perfectum formaliter, nec verè syllogismorum legibus iudicandum. Ratio est conspicua. nam syllogismus perfectus tribus conitat propositionibus, in quarum qualibet prædicatum affirmatur de subiecto, seu negatur: sed in hypothetica propositione non enuntiatur prædicatum de subiecto; ergo nequit constructioni syllogismorum seruire. Unde quamuis aliquando aliqui syllogismi hypothetici efformari possint, hi tamen non concludunt ratione formæ, etsi aliquando conuincant ratione materiæ. Patet in hoc syllogismo, *Es paries disgregat visum, quia est albus: sed etiam lac est album; ergo etiam disgregat visum.* quæ conclusio etsi secundum principia dialectica non inferatur formaliter, attentis tamen naturis physicis rerum, materialiter concludit.

33. Difficultas circa propositiones complexas.

De propositionibus complexis potest dubitari, an ex ipsis possit confici syllogismus formalis? Pro cuius intelligentia notandum est, complexas propositiones, alias constare duabus categoricis expressè pronuntiatis: vt hæc, *Omnis homo est risibilis, & Omnis equus est imbibilis;* alias duabus categoricis solum virtualiter contentis: vt hæc, *Petrus & Ioannes sunt animal;* si

de primis loquamur, iudicandum de eisdem erit ac de duabus propositionibus, & sic à syllogismo vna reiicienda erit. v.g. in hoc syllogismo, *Omnis homo est animal, & omnis equus est imbibilis: Petrus est homo; ergo Petrus est animal.*

34.

Si verò de secundis loquamur, quatenus duas solum categoricas continent propositiones, propter particulas &, vel, nec, quæ in prædicato, vel subiecto positæ totam propositionem virtualiter repetunt, æquivalent duabus: vt si dicamus, *Petrus est substantia, & risibilis.* hæc propositio duabus constat propositionibus, altera in qua *substantia*, altera in qua *risibilitas* prædicatur de homine; propterea vna ex eis prætermittenda est, ne quatuor terminis constet syllogismus. Interdum tamen accidit vt maior propositio complexa copulatè sumatur, seu eius veritas dependeat ab vnione, vel disiunctione illarum propositionum, quæ virtualiter in complexa continentur, tunc enim simplici propositioni æquivalent, & eodem modo repeti debent: vt in hac, *Petrus & Ioannes portant lapidem,* syllogismus esset vitiosus, si diceremus, *Hic homo est Petrus; ergo hic homo portat lapidem.* nam subiectum maioris erat copulatum, ideo secundum utramque partem repeti debuit, ne variaretur suppositio. Idem iudicium est de disiunctiuis quæ supponunt confusè. nam si termini diuerso modo repetantur, fiet transitus à suppositione confusa ad determinatam; quare iste syllogismus vitiosus est, *Vnus, vel alter equus requiritur ad equitandum: bucephalus est equus; ergo requiritur ad equitandum.*

* * *

DIFFICULTAS IV.

De reductione syllogismorum.

35.

Diximus difficultate 4. syllogismos imperfectos ex eo vim habere posse ad conuincendum de veritate consequentis, quia possunt reduci ad perfectos, quorum veritas ita perspicua est, ut neminem latere possit: iam ergo postquam declarauimus quot sint perfecti syllogismi, quot imperfecti, quot in qualibet figura efficaces, & quibus regulis debeant obedire, ut efficaciam habeant, sequum erit explicare qualiter imperfecti syllogismi ad perfectos valeant reduci, quae reductio nihil aliud est, quam ex imperfecto syllogismo facere perfectum, quod in virtute imperfecti continebatur. Haec autem reductio, & eius efficacitas dupliciter demonstrari potest, *ostensiuè* scilicet, & *per impossibile*. *Ostensiuè* haec reductio demonstratur conuersione, aut transmutatione propositionum, quam ideo *ostensiuam* dicimus, quia ea ostendimus, & quasi digito indicamus quid probare conemur. *Per impossibile* reducimus, quando negantem efficaciam syllogismi ad eas deducimus angustias, ut cogatur fateri aliquod impossibile, v. g. duo contraria, aut contradictoria simul vera: quos deducendi modos sequentibus articulis explicabimus.

Reductio ostensiuæ,

Per impossibile.

ARTICVLVS I.

De reductione ostensiuæ.

36.

Reductio ostensiuæ, & qua in ea sine desideria.

IN reductione ostensiuæ duo possunt desiderari. Primum, qui imperfecti modi, & ad quos perfectos reducantur. Secundum, qualiter hoc

fieri debeat: Sed vtrumque acutissima arte & modo nobis tradidit Philosophus, qui diligenter exerceatur, clarissime & apertissime cuiuspiam syllogismi efficaciam ostendere & indicare valebimus.

Tota ergo ars reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos, initium sumit à quatuor consonantibus, B. C. D. F. quibus quatuor perfecti modi & consistentes incipiunt, nempe *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, ad quos ceteri modi reducuntur, qui initiuntur B. ad *Barbara*, C. ad *Celarent*, D. ad *Darii*, F. ad *Ferio*. Item in nonnullis modis reperitur S. P. M. C. M. significat in syllogismorum reductione praemissas esse commutandas, & maiorem syllogismi in imperfecto ponendam esse, minorem in imperfecto. Denique post aliquas vocales nonnunquam reperitur S. aut P. & S. P. denotat, propositionem immediatè antecedentem conuertendam esse per accidens; S. verò propositionem immediatè precedentem simpliciter conuertendam: C, autem, si initium dictionis non sit, significat syllogismum, non ostensiuè, sed per impossibile tantum ad perfectum reducendum esse. sunt huiusmodi, *Bocardo*, & *Baroco*. Si autem inquiras, quare isti duo modi non possint deduci ostensiuè, sed solum ad impossibile. Respond. hoc ideo esse, quia modus imperfectus ut deduci possit, vel debet habere aliquam praemissam perfecti, vel saltem æquivalentem, vel, inquam, fiat immediata conuersio; debent enim habere obiectum realiter idem, & affirmatiuum, vel negatiuum saltem virtualiter: sed *Baroco*, & *Bocardo* sunt modi negatiui, quorum praemissae nec per conuersionem, nec transmutationem

reddi valent affirmatiuæ, nec vniuersales, sicut est vtraque præmissa in *Barbara*; ergo nequeunt ostensiuè reduci, sed solum ad impossibile, vt dicemus art. sequenti.

37.

Vt autem huius artis efficacia experientia comprobetur, sumamus modum *Celantes*, secundum imperfectum primæ figuræ, & quia incipit vocali C, ostensiuè reducimus ad *Celarent*, secundum modum perfectum primæ figuræ, & quia S, ponitur post conclusionem, ipsam simpliciter conuertamus, & sic ex imperfecto, perfectum faciemus syllogismum. v.g. iste syllogismus est imperfectus in *Celantes*, *Nullus homo currit, Omne rationale est homo; ergo nullum currens est rationale.* Si autem dicas; *ergo nullum rationale currit*, erit perfectus, & in *Celarent*, quod idem in singulis syllogismis poteris breui studio & diligentia comprobare. Sic *Baralipson* efficitur *Barbara*, conclusione per accidens conuersa. *Dabitis* efficitur *Darij*, conuersa simpliciter conclusione. *Fapesmo* efficitur *Ferio*, minori simpliciter conuersa, mutatisque præmissis maiori in minorem, & e contra. *Frisefo* efficitur *Ferio*, ambabus præmissis simpliciter conuersis, & vna in alteram mutata. *Cesare* efficitur *Celarent*, maiori simpliciter conuersa. *Camestres* efficitur *Celarent*, conuersis simpliciter minori & conclusione, permutatisque præmissis. *Fesfimo* efficitur *Ferio*, conuersa simpliciter maiori. *Darapti* efficitur *Darij*, conuersa per accidens minori. *Felapton* efficitur *Ferio*, conuersa minori per accidens. *Difamis* efficitur *Darij*, conuersa maiori & minori simpliciter, & præmissis transmutatis. *Datifi* efficitur *Darij*, conuersa minori simpliciter. *Ferison* efficitur *Ferio*, minori etiam simpliciter conuersa.

ARTICVLVS II.

De reductione ad impossibile.

Reductio syllogismorum ad impossibile diuersa omnino est à deductione ostensiuæ, ideo diuersa arte cognoscendum est qui imperfecti, ad quos perfectos, & qualiter ad impossibile deduci possint. 38.
Reductio
per im-
possibile.

Dicimus ergo ad quatuor syllogismos perfectos, qui sunt in prima figura primi, quinque modos indirectè concludentes eiusdem figuræ, quatuor secundæ, & sex tertiæ deduci posse; quam deductionem vt facilius & melius expedirent, quatuor dictionibus Dialectici communiter vtuntur. Prima *Nesciebatis*; secunda *Odiebam*; tertia *Letare*; quarta *Romanis*. In quibus quatuor vocales reperiuntur, A, F, I, O. Prima significat modum perfectum vniuersalem affirmatiuum *Barbara*, secunda vniuersalem negantem *Celarent*, tertia particularem affirmatiuum *Darij*, quarta particularem negatiuum *Ferio*. Prima dictio quinque vocalibus constat, quibus modi indirecti primæ figuræ suo significantur ordine: secunda quatuor vocalibus correspondentibus quatuor modis secundæ figuræ: tertia & quarta, sex vocalibus, quæ denotant sex tertiæ figuræ modos. Itaque imperfecti modi suo ordine vocalibus respondent. v.g. respondens vocali A, reducitur ad *Barbara*; respondens F, ad *Celarent*; respondens I, ad *Darij*; respondens O, ad *Ferio*. Dubitat quis, ad quem modum reducatur *Cesare*. Videtur eum esse primum in secunda figura, cui respondet prima vocalis secundæ dictionis *Odiebam*, quæ vocalis est O. Indè que aperitè colligit reducendum esse ad *Ferio*, cuius cōclusio est particularis negans.

Vnde

39.

Vnde singuli modi imperfecti ad eundem modum perfectum per impossibile reducuntur, quia habet conclusionem talem ac tantam, qualem & quantam indicat vocalis illi respondens. Ideo in hac voce *Nesciebatis*, respondente quinque modis imperfectis primæ figuræ, quia *F*, accommodatur *Baralipron*, modus iste reducitur ad *Celarent*, cuius conclusio est vniuersalis negans, & quia *I* significat *Celantes*, reducitur ad *Dary*, cuius conclusio est particularis affirmans. *Dabitis*, cui accommodatur *F*, reducitur ad *Celarent*, habentem conclusionem vniuersalem negantem, & sic per omnes dictiones & modos facillimo negotio possumus discurrere.

40.

Dicimus secundò, hanc deductionem fieri sumendo propositionem contradictoriè oppositam conclusioni negatæ, quam respondens negare non queat, quin duas propositiones contradictorias simul falsas fateatur: si enim neget hanc, *Aliquis homo est risibilis*, tenetur istam concedere, *Nullus homo est risibilis*. Deinde ex illa propositione contradicente conclusioni, & ex altera ex præmissis efficitur syllogismus perfectus, in quo infertur conclusio cōtradicens præmissæ concessæ in syllogismo imperfecto. v.g. In *Baroco*, *Omnis homo est risibilis*, *Aliquod animal non est risibile*; ergo *aliquod animal non est homo*. quam conclusionem si quis neget, statim arguens debet inferre; *Ergo omne animal est homo*, quod negare non potest, nisi duo contradictoria simul falsa fateatur. Deinde cum maiori ipsius *Baroco*, & hac contradictoria posita pro minori deducitur syllogismus ad impossibile in *Barbara*, sic, *Omnis homo est risibilis* (quæ erat maior in *Baroco* concessæ,) *Omne animal est homo* (vt ex vi contradictionis etiam concessisti;) ergo

omne animal est risibile. quæ contradicit minori in *Baroco* concessæ. Et sic ad eas angustias reducitur negans quod duas admittere contradicentes propositiones cogatur.

Quatuor modi primæ figuræ conuertuntur sumendo pro maiori contradictorium conclusionis, & maiorem efficiendo minorem, sicque infertur contradictorium minoris concessæ, eam conuertendo per accidens. v.g. iste syllogismus factus in *Baralipron*, primo modo imperfecto primæ figuræ, *Omnis homo currit*, *Omne risibile est homo*; ergo *aliquod currens est risibile*, vt deducatur ad impossibile, debet reduci ad *Celarent*, quia ei conuenit prima vocalis illius vocis, *Nesciebatis*, ob quam debet reduci ad *Celarent*, cuius conclusio negatiua est. sic ergo conuertitur, *Nullum currens est risibile*. (en contradictorium conclusionis.) *Omnis homo currit*, (en maiorem substituentem locam minoris;) ergo *nullum currens est risibile*. quæ conclusio contradicit huic, *Aliquis homo est risibilis*. hæc autem conuertit per accidens hanc, *Omne risibile est homo*, quæ erat minor concessæ in *Baralipron*, quod reliquis primæ figuræ modis facile poterit appropriari.

Ceterum ab hac vniuersali regula excipitur *Celantes*, qui reducitur ad *Dary*, in eo enim ex opposito conclusionis, minor effici debet, atque ex minori propositione maior, ex quibus infertur contradictorium maioris simpliciter conuersa. v. g. *Nullum animal est lapis*, *Omnis homo est animal*; ergo *nullus lapis est homo*. reducitur autem sic, *Omnis homo est animal*, *Aliquis lapis est homo* (quod est contradictorium conclusionis;) ergo *aliquis lapis est animal*. quæ propositio contradicit huic, *Nullus lapis est animal*; hæc autem conuertit simpliciter hæc,

62 *Tertia partis Summularum. Quæst. II. Diff. IV. Art. II.*

Nullum animal est lapis, quæ fuit maior concessa in Celantico.

Vt autem quatuor secundæ figuræ modos reducamus, debemus reinere maiorem propositionem, & sumpto contradictorio conclusionis, inferre contradictorium minoris. v. g. conficiat quispiam hunc syllogismum in *Cesare*, *Nullus homo currit, Omne brutum currit; ergo nullum brutum est homo.* hic reducitur ad *Ferio*, quia respondet primæ vocali illius vocis *Odiebam*, quæ indicat modum particularem negatiuè concludentem. Sic ergo conuertendus est, *Nullus homo currit*, quæ est maior *Cesarea*, *Aliquod brutum est homo*, quæ contradicit conclusioni negatæ in *Cesare*; ergo *aliquod brutum non currit*, quæ etiam contradicit minori in *Cesare* concessæ.

Sex autem modi tertiæ figuræ cum deducuntur ad impossibile, hanc regulam obseruant, quod minori propositione retenta, ex opposito conclusionis debet effici maior, & ita inferatur oppositum maioris. v. g. hic syllo-


gismus in *Darapti*, *Omne animal currit, Omne animal est viuens; ergo aliquod viuens currit*, reducitur ad *Celarent*, quia respondet secundæ vocali, illius vocis *Letare*, & sic conuertitur, *Nullum viuens currit, Omne animal est viuens; ergo nullum animal currit.* quæ conclusio licet non contradicat, sed contrarietur maiori concessæ in *Darapti*, est tamen idem impossibile, quia ex dictis quæst. 5. difficultate 4. art. 4. implicat dari duas contrarias propositiones simul veras, quæ omnia sequentibus carminibus *Dialectici* non inutiliter comprehendunt.

Seruat maiorem, variatque secundam minorem,

Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

His dictæ deductiones faciliè in memoria retinentur; quibus si exercitationem crebram adiungamus, dictæ regulæ & præcepta satis superque erunt. & hæc de reductione syllogismorum, & vniuerso summularum tractatu.

QVÆS



QVÆSTIONES I X LOGICAM.

QVÆSTIO I.

*De essentia, existentia, &
necessitate Logica.*


DIFFICULTAS I.

*De essentia & existentia
Logica.*

ARTICVLVS I.

*De nominibus, Logica, &
Dialectica.*

1.



ANTE QVAM ad explicandam essentiam, & existentiam Logicæ accedamus, quid per hoc nomen *Logica*, & *Dialectica* antiqui intellexerint, oportet aperiamus. Relictis variis *Dialecticorum* placitis, *Logica* à nomine Græco *λόγος*, originem trahit, quod latinè *sermo*; & ut notauit Niphus in commento libri de institutione artis *Dialecticæ*, non solum pro interno, sed etiam externo sermone nuncupatur. Iam tamen communis Peripathe-

Logica unde dicta.

ticorum consensus pro solo interno accipit; externus enim ad Grammaticam, & Rhetoricam spectat.

Dialectica à nomine alio Græco *δialeκτική*, quod idem est, ac *dissero*, & *disputo*, promanat. quæ nomina, si Philosophi mentem perferutemur, non eadem gaudent significatione.

Primo enim *Topic. cap. 1.* omnia præcepta *dialectica* cò tendere affirmat, ut nos doceant, qua ratione de quacunque re proposita sit probabiliter differendum. Proinde inibi *cap. 1.*

2. sic habet. *Syllogismus dialecticus est, qui ex probabilibus est collectus.* & *cap. 8.*

sic propositionem *dialecticam* definit; *Est autem propositio dialectica in-*

terrogatio probabilis aut omnibus, aut

plurimis, aut sapientibus. *Logica* verò

tota se occupat in demonstranda re-

cta constructione *syllogismi*, & hoc

esse Philosophi placitum, primus

omnium declarauit *Alexand. Aphro-*

disæus, eius commentator, in *cap. 2.*

Topic. affirmans *Dialecticam* non solum

esse utilem ad *Philosophiam*, verum

ad *Rhetoricam*, & *Logicam*: ergo

Dialectica, & *Logica* diuersas sortiuntur

significationes; & in authoribus antiquis pro probabili *syllogismo*

Dialecticam vsurpari passim inuenies.

Vfus

Vsus tamen iam conualuit, vt pro eodem nuncupentur, nec immeritò. Cùm tantam habeant affinitatem, & ad vnum finem completum ordinentur; videlicet ad modum differendi probabilem, & necessarium. Nec caret fundamento, adhuc in sententia Aristot. cap. 2. vbi suprâ dicentis, non absolutè Dialecticam de probabilibus disputare: sed proprium, aut magis peculiare munus esse eiusdem; loquitur enim de ipsa in ordine ad alias scientias, cuius principia non omnia necessaria sunt. Propterea in fine protulit: *Habebimus autem perfectè methodum, quando similiter habebimus, vt in Rhetorica, & Medicina, & talibus potentiis: hoc autem est, ex contingentibus facere, ea qua praelegimus.* Utendum tamen est in hac facultate nomine *Logica*, quia frequentius eo vtitur Arist. ad significandam totam artem, quæ ratiocinari docet secundum eius interpretes, à quibus vix vnquam nomen *Dialectica* ad significandam vniuersam ratiocinandi artem vsurpatur.

ARTICVLVS II.

De variis Logicae acceptionibus.

3. **L**ogica in prima sui diuisione in naturalem, & artificialem partitur. *Naturalis*, est ratio seu discursus à natura ipsa inditus, nulla arte, sudore, aut studio comparatus; qualis expentur in rusticis, dignoscentibus totum esse sua parte maius; cœlum esse terra maiorem. Sed notat rub. quæst. 1. proœmial, hoc naturale lumen non debere Logicam estimari, sicut nec putandum est, virtutes consistere in idoneitate, seu potentia operâdi circa obiecta virtutum. Tamen sine sufficienti fundamento communem reprehendit consensum; quia nunquam

Logica naturalis,

credidi, authores per naturalem Logicam intelligere idoneitatem ad veritates naturaliter adipiscendas, sed Logicam actualem naturalem esse actum ab hac facultate procedentem; habitualementer verò, facilitatem ab actibus, sine artificio elicitis, congenitam; qualem habet rusticus, qui in arte agriculturæ frequenter exercetur. Potest tamen etiam improprie discursus naturalis, seu vis intellectiua Logica naturalis vsurpari, quatenus est principium sufficiens ad tales actus elicendos. *Artificialis* Logica tribuit discurrendi methodum secundum dialecticæ præcepta, syllogisticamque vim, & taliter probabilitatem, veritatem, aut falsitatem cuiusvis rei ostendit, vt certis regulis & determinatis principiis, in rei veridicam cognitionem faciat deuenire. Cognitionem enim istius propositionis, *Manus minor est corpore*, quæ naturaliter omnibus patescit, artificio logico perficimus, quando vi syllogistica demonstramus, hoc modo: *Omnis pars est minor suo toto, Manus est pars corporis; ergo minor ipso.*

Et artificialis
quæ

4. Secunda diuisio Logicae artificialis est, in videntem, & docentem: ita diuidit Scotus quæst. 1. vniuersali. D. Thom. 4. Metaphys. lect. 4. à quibus omnes alij acceperunt. Munus Logicae *docentis* est, tradere præcepta, ad scientiam acquirendam: ideòque definire docet, diuidere, & syllogizare. *Vtens* verò talis dicitur, quia iisdem præceptis, ab illa traditis vtitur: vel intra se, vt quando essentiam & quidditatem definitionis de syllogismo demonstrat, de genere, vel specie; prius enim quid sit definitio docuerat, & postea in ipsa Logica talibus præceptis vtitur, seruando regulas in eisdem obiectis partialibus ipsius scientiæ: vel extra se, cùm in aliis scientiis,

Logica docentis,

Et vtens

vt potest

utpote Physica, Mathematica, definiendo & syllogizando demonstrat.

Tertio tandem in utraque acceptione considerata in actiuam, & passiuam ab aliis diuiditur. Actiuam uocant, actus illos, quibus conficimus dialectica opera: passiuam tamen illud esse causatum per actus actiuos dialecticos ipsius intellectus. sic est ista veritas obiectiua cognita: Diffinitio est oratio explicans naturam, aut proprium aliquod rei.

ARTICVLVS III.

De arte Logica artificialis in rerum natura.

6. **N**otanter de Logica artificiali sermonem instituo: nam nulli dubium, Logicam naturalem esse, huc usque fuit; sicut nec hominem esse rationalem, & iudicij competentem. De artificiali etiam in confesso est apud omnes dari in rerum natura, nec ullus sanæ mentis, sine temeritate negare audebit, cuius veritas facillimo negotio demonstratur. Primum, de non ente non est scientia, neque definitio. At communiter authores Logicam definiunt, diuersas circa eam quaestiones pertractantes; datur ergo in rerum natura. Secundò scientifici habitus habent pro fine facilitare intellectum ad rei difficilis cognitionem, ex Doctore subtili in 3. dist. 33. quaest. unica. §. haec opinio, versus finem, num. 5. sed differere & argumentari, est res difficilis, scitumque digna; dari ergo debet in intellectu facultas, seu habitus, qui ipsum in differendo promptum faciliusque reddat. hic habitus est Logica, seu Dialectica; ergo. Confirmatur hæc veritas ab exemplo. nam dantur alia facultates in intellectu, ut moralis Philosophia ad dirigendas

operationes voluntatis secundum directamen rationis; dari ergo debet alia facultas, seu habitus ad dirigendum ipsum in conficiendo syllogismos, & alia dialectica instrumenta; datur ergo Logica in rerum natura.

ARTICVLVS IV.

Quid sit Logica.

Isidorus 1. de nominum Etymologia, & Boëtius 1. Topic. sic Logicam definiunt, est ars, seu ratio differendi. Cui definitioni Dialectici omnes subscribunt, nec est qui dubitet, intentum Logicæ esse, modum argumentandi, seu differendi, non solum in se, sed in aliis scientiis præbere. Propterea scientia communis vocatur, & ars artium, scientiarumque scientia, ut notauit Scotus quaest. 2. vniuers. sua etenim præcepta omnes alias scientias transcendunt. Et Plato 7. de republica, eam apicem disciplinarum, & August. 3. contra Academ. disciplinarum disciplinam, & lib. 2. de ordine cap. 13. & denique Cicero de claris oratoribus Artium maximam, & lucem omnium, appellare non dubitant.

7. Logica quid.

DIFFICULTAS II.

Utrum Logica artificialis sit necessaria ad alias scientias.

ARTICVLVS I.

Proponitur doctrina communis.

Nulli dubium de Logica naturali; sed omnes vnanimiter fatentur esse necessariam simpliciter ad alias scientias comparandas, sicuti est ad cognoscendum ratio, actusque intellectus, & ad ratiocinandum discursus: I ideoque

5. Logica actiua, & passiu.

6. Logica artificialis datur in rerum natura.

ideoque in titulo difficultatis solum de artificiali Logica sermonem facio. Pro cuius intelligentia notandum, necessarium vnum absolute, aliud ex suppositione.

8. Necessarium absolute solus est

Necessarium absolute. Deus, quia ex sua entitate intrinseca & formali primum existens, & à quocunque alio independens est, ita Scotus in 1. dist. 8. quaest. 5. §. ad quaestio-

Necessarium ex suppositione. nem, num. 22. Necessarium ex suppositione alias causas supponit, & ab eisdem suam mendicat entitatem; licet semel habitam, dum est, necessario possideat. Vnde cum quatuor sint

Ex causa efficiendi, causarum genera, proinde & alia quatuor genera necessariorum ex suppositione concedenda, cum Arist. 5. Metaph. text. 6. Necessarium ex causa efficiendi alicuius agentis sequitur effectricem actionem. sic sagitta impetu proicientis sursum tendit. Necessarium ex causa materiali est, quod

materia- li, ex parte materiae non potest non accidere, ut quod homo constans corpore corrumpatur. Necessarium ex causa

formali, formali, à forma accipit necessitatem: ut quod si homo habet albedinem, sit formaliter albus. Necessarium ex causa

& finali. finali est, sine quo aliqua res nequit adipisci, estque medium necessarium ad ipsam. sic bona opera, seu certamen ad coronam. Ecce, secundum quatuor genera causarum, scilicet efficientem, materialem, formalem & finalem, alia quatuor genera necessariorum à Philosopho memorata. De causa finali solum procedit quaestio, de aliis enim authores non disputant.

9. Bifariam ergo potest intelligi, Logicam ad alias scientias, ex causa finali, seu tanquam medium ad ipsas necessariam esse: vel simpliciter, taliter ut sine ipsa nullae alię possint adipisci, nec quoad omnia, nec quoad aliqua,

quae tractantur in ipsis: sic cibus ad vitam necessarius dicitur; pedes ad ambulandum, vel secundum quid, aut melius esse. sic equus ad iter agendum, quippe sine ipso valet arripere iter, incommodè tamen cum labore: ut ergo opportunè fiat, necessarius est; dubitatur ergo quomodo Logica artificialis necessaria dicatur.

ARTICVLVS II.

Proponuntur & refelluntur aliquorum placita.

Prima sententia sustinet, Logicam esse necessariam simpliciter, ad alias scientias comparandas: ita Bur- in initio prædicabilium q. 3. Aegid. 1. Posteriorum. Aluar. tract. 1. Præd. cap. 3. Alcazar & Auicena cap. 2. suæ Logicae, Boëtius in initio suæ expositionis in Porphy. D. Thom. opusculo 57. & 70. cum aliis antiquis. Fundamentum accipitur ab August. lib. 2. de ordin. cap. 13. ubi eam *disciplinam disciplinarum* vocat: sed disciplina est necessaria ad scientiam comparandam; ergo & Logica. Secundò ratione, quia Logica est causa vniuersalis; ergo nullus effectus particularis sine ea valet produci. Probatur consequentia à simili, de sole, qui ad effectus omnes inferiores necessario concurrat, & sine ipso fieri naturaliter repugnat, eo solum quod causa vniuersalis est: at Logica vniuersalis, & communis, scientia ab omnibus dicitur, ut fatetur Scotus quaest. 2. vniuersalis; ergo ad quascunque comparandas scientias simplici necessitate concurrat. Confirmatur secundò, scientiae per definitionem, & demonstrationem acquiruntur: at Logica nihil est aliud, quam quoddam aggregatum definitionis, demonstrationis, & aliorum huiusce

10. Logica vniuersalis necessaria simpliciter ad vniuersalem scientiam accipiendam.

huiuscemodi instrumentorum; quænis ergo scientia mediante illa comparatur. Reliqua alia argumenta, quia magis oppugnant nostram sententiam, quam probant, istam inferius proponam, nostram sententiam impugnando.

I I.

Sed hæc sententia vera non est. Primò, quia autoritas Augustini solum probat de necessitate secundum quid, quam omnes fatentur. Ideo ergo disciplina vocatur; quia aliis modum & methodum manifestat, non tamen probat, non sufficere naturalem Logicam, ut imperfectè scientiæ adipiscantur: sicut nec ex eo quod sit vniuersalis facultas, quia, ut ipse Scotus sese explicat, hoc ideo dicitur, quia ipsius præcepta in aliis scientiis exercentur: ut ergo istæ imperfecto modo adquirantur, ipsa non indigent. Secundò homo per naturale lumen intellectus valet quodammodo discutere, utrumque ex alio deducere, etsi inordinate, hoc est, non inuestigando ordinem conclusionis; cum præmissis ergo discursus naturalis sufficit ad scientias imperfectè comparandas. Cõfirmatur primò. Nam ipsa Logica scientia est, & nihilominus sine Logica adquiritur; ergo & aliæ scientiæ. Respondebis, primam quæst. Logicæ discursu naturali inuestigari, reliquas verò primarum adiutorio & manu ductu. Sed eõtrà, primò ad istam naturale lumen sufficit; ergo ad omnes alias: secundò quam cõnexionem habet cognitio terminorum cum cognitione generis, aut syllogismi? quia si verum est, omnes conclusiones logicas ad suum obiectum formale ordinari, vnaquæque tamen sua principia & regulas diuersas habet; aliis enim principiis diuidimus, aliis definimus, &c.

Dices, intellectum faciliorem reddi

per assensum aliquarum conclusionum, & ita in fine tenet omnes. Fateor esse verum; sed argumento ad hominem vrgeo: nam idem potest dici de quibuslibet aliis facultatibus. Patet, nam utrumque ius, Canonicum & ciuile, nullo præcedente studio artificialis Logicæ cõmuniter addiscitur, licet non ita perfectè sicut Philosophia & Theologia, quæ ipsius adæquatam notitiam præsupponunt; & secundum ipsius regulas, suas conclusiones demonstrant, ad suaque principia recurrunt.

Secunda sententia sustinet per oppositum Logicam artificialem non esse necessariam simpliciter. Ita Iandun. 1. Met. quæst. 2. & 2. Met. q. 12. inclinare videtur Fonseca 2. Met. c. 3. quæst. 4. sect. 2. & 3. ad 2. Zabarella lib. 2. de natura Logicæ. Fundamenta huius sententiæ retulimus nuper, primam & oppositam refutando.

Logicam artificialem non esse necessariam simpliciter.

Tertia sententia, quæ communiter à recentioribus admittitur, affirmat Logicam esse simpliciter necessariam ad scientias perfectè acquirendas. Ita Sotus, Toletus. Rub. q. 1. proœmiali. Cuius fundamenta, quia coincidunt cum principiis nostræ sententiæ, inferius exponentur. De modo loquendi potest esse controuersia; confundunt enim intentum disputationis: si enim ibi loquitur de necessario simpliciter, ut distinguitur contra secundam quid, ad quid necessarium ex suppositione, seu secundum quid simpliciter, necessariam appellant.

IL. Logicam esse simpliciter necessariam ad scientias perfectè conquirendas.

Dices, loqui reduplicatiuè; quasi dicerent: *Homo albus in quantum albus essentialiter est albus, non tamen absolute, seu exspecificatiuè; verum est, sed iuxta subiectam materiam terminis abutuntur.*

Inflatis.

ARTICVLVS III.

*Tribus dictis nostra sententia
explicatur.*

13.
*Affertio
prima.*

Dico primò. Nullus dubitat Logicam artificialè esse valde vtilè ad alias scientias, & quaslibet perfectas cognitiones. Primò, quia dat facilitatem discernendi verum à falso. Secundò, docet modum arguendi, & cognoscendi repugnantes propositiones antecedentis, & consequentis; qua arte per regulas certas defectus oppugnàtium, & sophisticas demonstrationes facillimo negotio deprehendimus. Tertio, prabet facilitatem, virtutè inque sermonis, & propriam modù loquendi, nam per istam artem facillime percipitur quid auctores propriè, quid metaphoricè proferrant, quod studiosis maximè necessarium est, nam qui semper dicta aliorum propriè, & secundùm rigorem sermonis accipiunt, facillè in multos errores, & inexplicabiles incidunt difficultates.

14.
*Affertio
secunda.*

Dico secundò. Si còsideremus alias scientias, non secundùm aliquas conclusiones, seu disiunctiue; sed copulatiue, & secundùm omnes, non caret probabilitate artificialè Logicam esse simpliciter necessariam. Fundamētum est, nam etsi intellectus noster præcipue pro statu viæ virtutem nativā habeat ad plures vnus scientiæ conclusiones, etsi in perfecto modo comparandas, non tamen ea est sufficiētia & perspicacia, vt omnis copulatiue valeat attingere, sed aliquas ignorabit: sicut Theologi in sententia magis probabili, docent, hominem ex libero arbitrio, & naturali virtute, aliqua opera bona moralia posse elicere: non tamen omnia, seu difficiliora, sine adiutorio diuino, & gratia ex

meritis Christi, propter moralem defectum, & impotentiam voluntatis, à corpore in suarum operationum exercitio dependentis.

Dico tertio: Logica est necessaria secundùm quid, seu ad omnes alias scientias comparandas perfectè, tam copulatiue, quàm disiunctiue, colligitur manifestè ex Aristotel. 1. Topic. cap. 2. d. icente, Dialecticam alijs scientiis præstare modum differendi perfectum; & 1. de partibus animalium, veteres Philosophos eius defectu in varios incidisse errores. Deinde ex Plato. 7. de Rep. dicente impossibile esse, intellectum sine Dialectica res exactè attingere; ergo. Neque huic sententiæ aduersantur, qui absolute negant, Logicam esse simpliciter necessariam, quia bene stat necessitas secundùm quid, sine necessitate simpliciter.

Ratione etiam probatur. Nam habere scientiam perfectè, est posse facilliter & sine errore actus ab ipsa permanentes producere, in suaque principia reducere: vt docuit Arist. 1. lib. Poster. cap. 2. sed artem reducendi conclusionem ad principia, Logica artificialis docet; ergo necessaria est ad perfectè comparandas scientias. Maior patet ex Aristotel. Minor etiam est eiusdem Philosophi 1. Rhetor. cap. 1. in principio, vbi postquam dixit omnes scientias de ipsa esse participes, sic habet: *Verum multi hac temere, nonnulli exercitatione, ac habitu facilitant. Qua quoniam utroque fieri modo possunt, patet quòd non possunt, & incertam rationem, ac viam redigi, cum eius causam inspiciere possimus. Quo tam qui exercitatione, tam qui natura ductu sponteque sua dicunt, quod volunt adipiscuntur, id verò artis esse officium omnes concedunt rectè.* Vbi expressè Philosophus nota temeritatis afficit eos, qui sine Dialectica

15.
*Affertio
tertia.*

16.

lectica scientias inuestigare conantur, quia ars est, ad alias facultates perfecte capessendas ordinata. Quid enim aliud Logica docet, quam connectionem conclusionis cum præmissis, necessitatemque illationis demonstrare? Est ergo utilis ad quomodocunque comparandas scientias, & ad perfecte adipiscendas necessaria.

ARTICVLVS IV.

Satisfit aliquibus argumentis.

17. Obiectio prima.

Obiicies primò, Logicam esse scientiam, & tamen perfecte ab aliquibus comparari, etiamsi non supponat aliam Logicam; ergo necessaria non est ad perfecte adquirendas scientias. Resp. concedendo, Logicam sine alia Logica comparari, tamen imperfecto modo, vsquequo habita, lumine naturali, cognitione, ferè omnium conclusionum, intellectus labore, & assiduitate adiutus, per plures actus perficitur, & ad perfectam cognitionem illius accedit; semel tamen ab vno perfecte habita, tanquam à Magistro, alij facilius acquirere. Præterquam quòd eo ipso ac regulis, v. g. veræ definitionis, & diuisionis intellectus instruitur, maxime inuatur, vt quidditates aliarum conclusionum possit per suas definitiones, & diuisiones manifestare.

18. Argumentum secundum. Soluitur.

Sed argues, ergo idem de omnibus aliis scientiis erit dicendum; nempe quòd aliquo labore sine Logica yalcant perfecte comparari. Resp. concedendo, quòd sicut lumen naturale in ipsa materia Logica artem, & modum nulla præcedente Logica potuit indagare; ita in materia iuris, vel philosophica tamen illud artificium naturaliter acquisitum Logica erit, etsi in principijs illius scientiæ

imbibitum & complicatum. Proinde D. Isidorus lib. 2. Orig. cap. 22. ita habet. *Dialecticam primi Philosophi in suis dictionibus habuerunt, non tamen ad artis redegere peritiam. Post hos Arist. ad regulas quasdam huius doctrine argumenta produxit, & Dialecticam nuncupauit.* Vbi clarè ostendit Philosophos antiquos Dialecticos extitisse, etsi regulas veras Dialecticæ ignorauerint: propter hoc tamen quis negabit artificialia præcepta vtiliora & necessaria esse ad perfecte scientias indagandas.

Ex dictis colligo primò, contra aliquos neotericos, minus bene opinari ignaros Logicæ, scientiam habere materialiter, non verò formaliter, quasi dicant cognoscere veritates scientificas, non tamen vt à præmissis ortas, & promanantes, in quo consistit formalis ratio scientifici actus. Quia contra est quòd cognoscere scientiam materialiter non est scire, cum res potius simpliciter apprehendatur, quàm per causas, vi illatina, cognoscatur; negare tamen aliquos Philosophos antiquos & peritos iuris de facto aliquas conclusiones ex præmissis vi illationis, etsi imperfectè, inferre satis durum iudico, & consequenter dicere solum scientiam materiale habere.

Secundò colligo cõtra Suarez, disp. 1. Met. sect. 5. n. 36. Logicam aptiorem esse ad alias scientias perfecte comparandas, quàm Metaphysicam, quia etsi certum sit Metaphysicam medijs altioribus demonstrare, *altiora tamen te no quisseris.* Solum ergo probat metaphysicam scientiam eminentiorem esse, non tamen ad alias scientias vtiliorem
Logica, quod nos asserimus.

19. Corollarium primum.

20. Corollarium secundum.

QVÆSTIO II.

De ente rationis.

EXTRA chorum sanè Dialecticorum quæstionem de ente rationis inter præcæiales elucidandam proponimus, nec dissonum erit cuiquam, si Dialecticam rationalem scientiam, eiusque obiectum ens rationis communiter appellari contempletur. Patienter toleretis, obsecro, huius quæstionis aliquantulum prolixam disputationem; clavis est, qua occulta Logicæ aperiuntur; lux, qua obscura illuminantur; dux, quo aspera, & mille syrtibus scæntia transmeantur.

DIFFICULTAS I.

Quid sit ens rationis.

ARTICVLVS I.

Proponuntur aliqua principia ad exactam entis rationis cognitionem.

1. **D**octor in 1. dist. 36. q. vnica, §. *concedo, vers. tunc ad formam*, n. 9. Ens in prima sui diuisione, in ens intra animam, & extra animam partitur. Ens extra animam, omnia ea quæ aliquod esse reale, siue essentia, siue existentia independentem ab actibus cuiuscunque potentia vitalis habent, comprehendit, quæ entia realia dicuntur. Ens intra animam quæuis ad ipsas vitales operationes pertinentia amplectitur, & entia rationis nuncupantur, etsi in re aliquando entia realia & firma sint. Propterea notauit Scotus in 4. dist. 1. q. 2. §. *hæc primò videndum*, n. 2. & 3. multifariam usurpari. Primò pro omni quod intra animam est, tam subiectiuè, vt intellectus & voluntatis operationes, habi-

Ens multifariam usurpari.

tus spirituales, siue acquisiti, siue à Deo in nobis, sine nobis supernaturaliter infusi: quàm obiectiuè, sicut omnia quæ nobis cognoscenda, vel amanda obiciuntur, vel possibilia, aut à Deo produci non repugnantia, vel futura, hoc est, pro aliqua temporis differentia habitura existentiam, vt Antichristus, vel actualiter de facto existentia, cognitione tamen obiecta. sic sunt omnia, quæ præter esse existentia, quod à parte rei habent, ab intellectu aliquo apprehenduntur, ipsiusque terminant cognitionem. Secundò accipitur ens rationis pro denominationibus extrinsecis. Tertio pro esse diminuto rerum. Quarto pro priuatione, & negatione. Quintò pro primis & secundis intentionibus. Sextò alij latius usurpant pro ente rationis fundamentali. sic videtur intelligendus Scotus, quando in 4. dist. 13. q. 1. §. *ad argumenta, vers. ad secundum*, n. 13. asserit, creationem actiuam Dei, esse relationem rationis; & Pater Vasquez 1. parte disp. 15. n. 19. asserens, actus liberos Dei, diuinæque attributa entia rationis includere, vt ipse magis explicat 2. tomo super primam partem disp. 115. cap. 1. & 2. Vltimò sumitur præse pro ente rationis rigoroso, de quibus sequentibus articulis disputabimus.

ARTICVLVS II.

Quid sit ens rationis propriè dictum.

ENS rationis in strictissima significatione vt ab ente reali, firmo, & rato contradistinctum; etsi variis descriptionibus ab authoribus explicetur, conueniunt tamen, esse id, cuius totum suum esse negotiatur ab intellectu, ita vt nihil illius præsupponatur in re. Vnde varias ipsius definitiones tradidere. Quidam dicunt esse illud, cuius

2.
Ens rationis propriè quid.

cuius

cuius tota entitas in eo cōsistit, vt intellectui obiiciatur. Alij esse impossibile apprehensum: sic intellectus Hippocentaurum machinatur, montem aureum cōsiderat, æquanimitatē prædicat de homine, corporeitatem de Angelo. Doctor verò in 4. vbi suprà, ita exprimit n. 3. *Per ens rationis intelligo ens in anima, tanquam secundò consideratum, non tanquam primò consideratum; ad quod considerandum, mouetur primò anima à re extrà: sed tanquam ens in primò considerato, in quantum consideratum; & tale, vt in summa sit dicere, non est nisi relatio rationis; quia nihil habet præcise, esse in considerato, vt considerato, nisi comparatio qua consideratum, comparatur ad aliud per actum considerantis. Ens ergo diminutum, vt hic accipitur, vniuersaliter est ens rationis.* Quibus verbis perspicuè naturam entis rationis manifestat, nec ab aliorum placitis dissentit. Quid enim aliud denotat, habere esse diminutum in intellectu, sine aliquo fundamento in re propositio, nisi habere totum suum esse obiectiuè in intellectu, extra quem nihil illius in re est: & quid hoc nisi impossibile apprehensum? Ea enim quæ nullum esse reale possibile, futurum, aut existens habet, impossibilia & rigorosa, nõ entia nuncupantur, vt notauit Scotus in 4. vbi supr. n. 2. Cum ergo nullũ impossibile apprehendi possit, nisi comparatiua negotiatione, vt infrà ostēdemus; omnia entia rationis rigorosa, impossibilia, relatiua, & solũ obiectiuè existētia in intellectu erant; id ergo entia rationis rigorosa ab aliis in latiori significatione acceptis diuersificat, quòd ista aliquod esse fundamentale præsupponunt. Proinde Doctor in art. 4. citando, istud esse, non logicum, sed metaphysicum appellat; illa verò nullum: sed totalis eorũ machina, & structura negotiatione intellectus fabri-

catur. Exemplũ prioris est, Petrus consideratus intellectuque obiectus: posterioris verò Hippocentaurus, cuius esse non solũ non supponitur in re, imò repugnat.

Huic veritati non obscure adhæret commentator 6. Metaph. com. 3. vbi ait, ens rationis solũ posse habere esse obiectiuè in intellectu. & D. Thom. opusc. 42. c. 1. & 1. parte q. 16. a. 3. ad 2. & 1. 2. q. 8. art. 1. ad 3. Soncinas lib. 10. Metaph. q. 5. Caiet. de ente, & essentia c. 1. Durand. in 1. d. 19. q. 5. n. 6. & q. 6. n. 9. & d. 3. q. 1. n. 19. Faber tractatu formalitatũ c. 6. & communiter Scottistæ. Vnde aperitur distinctio inter ens reale, & ens rationis. Per ens reale intelligimus, quidquid est simpliciter possibile; quamuis nõ existat, nec extiterit, aut extiturũ sit. Per ens rationis, è cōuerso, quidquid est simpliciter impossibile. Tot ergo entia rationis erunt, quot impossibilia apprehēdantur. Secundò infertur, quare antonomasticè entia rationis appellantur: nã totorum eorum esse in cognosci consistit, & extra ipsum, non solũ esse carent, imò habent repugnantia ad esse.

Sed argues, quòd secundum Scorũ ens possibile, (vt dicemus infrà) nihil est; ergo nõ distinguitur ab ente rationis. Resp. distinguendo, antecedens nihil est actuale, cōcedo; nihil est possibile, nego: quod sufficit vt distinguamus ens rationis ab ente reali.

Ex quibus patet, quid respondendum sit aliquibus argumentis, quibus Maior quodlib. 7. & Bernardus Miradulanus in expositione prædicamentorum, & Valles q. 10. intendũt nullam dari entia rationis, quorum primũ desumitur ex Arist. 1. lib. Post. c. 2. in hũc modum. *Quod non est, non scitur; sed ens rationis nullũ habet esse; ergo nec cognoscitur.* Tunc sic totũ esse entis rationis est cognosci; ergo si implicat attingi per

3.

Ens reale, & ens rationis differunt.

Entia rationis quare nominata.

Argumentum.

Diluitur.

4.

cognitionem, & esse. Respondeo ibi Philosophum hortari ne ex falsis, sed ex veris solum faciat demonstrationem: id suadet, quia quod non est, non scitur, tractat enim de principiis necessariis ad demonstrationem; proinde subdit, *vera igitur esse oportet, quia fieri nequit, ut id, quod non est, sciatur.* Et fatemur libentissimè, implicare, dari veram scientiam de ipso, sicut & veram definitionem, ut dicemus infra quaestione antepredicabili. Vnde etiã patet quid respondendum sit aliis verbis ex 1. lib. Post. cap. 7. ubi Philosophus aperitè docet, eius cui non est potentia ad existendum, neminem scire quidditatem; ubi non solum negat scientiam, imò veram definitionem entis rationis, propterea dixit in rebus commentitiis non quid rei, sed quid nominis, attingi.

Argumentum secundum.

Secundum argumentum. Omne quod est, ab aliqua causa est: sed entis rationis nulla potest assignari causa; ergo non datur. Maior est certa, cum solus Deus sit à se ipso. Probatur minor, si aliqua dabilis esset causa, maximè intellectus: sed ipse est causa realis; ergo effectus sibi proportionatus realis erit; ideòque ens rationis non valebit producere. Respondeo causam esse intellectũ, per quam habet aliquod esse obiectum repugnans in re, quod ex sequentibus articulis magis patebit.

Solutio.

§.

Tertium argumentum videtur, non omne ens rationis esse impossibile apprehensum: nam ista propositio, *Petrus currit*, ipso dormiente, aut sedente, quid fictum est, & ens rationis habens totum suum esse obiectivè in intellectu, & tamen non est impossibile Petrum currere, nec repugnat; ergo. Respondeo eadem de causa istam propositionem esse falsam, ac impossibilem. nam eo solum falsa est,

Expositio.

quia affirmatur quod non est pro illo tempore: sed impossibile est Petrum non currentem currere; ergo in idem coincidunt falsitas, impossibilitas, & ens rationis.

ARTICVLVS III.

*Utrum propria entia rationis
relativa sint.*

Habemus ex art. precedenti, ens rationis pressè sumptum, esse quid secundo cognitum, seu ab actu collatio intellectus negotiatũ, iuxta Doctoris mentem: sed rationem illius non faciliter tyronibus aperiemus; multorum enim principiorum cognitionem præexigit, quæ limites Dialecticæ transiliunt, incultumque captum superant; breuiter tamen, & quatuor claritate, ad eius enodationem, simulque ad prædicabilium intelligentiam, aliqua prænotabo.

Supponere ergo oportet triplicem esse nostri intellectus operationem, scilicet simplex apprehensio, compositio, seu diuisio, discursus, seu ratiocinatio. Per primam operationem, intellectus obiecta quæcunque proposita simpliciter apprehendit, in ipsorumque intuitionem non ulterius progrediendo detinetur. Nec necessarium est, obiecta esse simplicia. Nam communis fert opinio Deum, & Angelos, creaturarum dependentiam, earumque compositiones simpliciter intueri, & nos discursum semel factum, iterum per simplicem apprehensionem speculatiue possumus contemplari: aliud quippe est discurrere, aliud discursum cognoscere. Per secundam operationem intellectus, res per primam apprehensas componit, seu diuidit, & cum omnis compositio, seu diuisio, inter duo extrema in-

6.

Suppositio prima.

versæ

tercedat, actus isti necessariò respecti-
ui, & collatiui sunt. Cùm autem om-
nis relatio vnus ad aliud sit, proinde
extrema aliqua debent præsupponi, &
consequenter secundam operationem
sine prima exerceri repugnat: sicuti
relationem sine fundamento, & ter-
mino resultare; ergo intelligibile non
est, intellectum nostrum incognita
componere, aut separare. Per tertiam
operationem, vnum ex alio discur-
rendo, seu ratiocinando infert, sic ex
hominis perfecta cognitione eius risi-
bilitatè, aliasque passionibus necessariò
essentiam consequentes infert.

7.
Suppositio
secunda.

Suppono secundò, actus intellectus,
quosdam esse practicos, quosdam spe-
culatiuos; practicis dicuntur illi, qui nõ
præsupponunt obiectum quod attingunt,
sed vno, & indiuisibili actu fiunt
& cognoscuntur (quos non voco pra-
cticos, quia sint directiui praxis, quæ
est conditio ad veros actus practicos
requisita: sed vt distinguã actus facti-
uos obiecti à verè speculatiuis; in quo
sensu intelligo Scotum in 2. d. 1. q. 1.
n. 1 2. quando vocat ideas existentes in
intellectu patris practicas:) sic intel-
lectus chimera machinatur, nulla sup-
posita motione obiecti, vt docuit
Scotus in 4. dist. 1. q. 1. §. istam ergo, n. 2 1.
Actus speculatiui obiectum existens
supponunt, ab ipsoquè mouentur; sic
intellectus noster obiectum existens à
parte rei cognoscit, de quibus latius in
3. de anima instituetur sermo.

8.
Suppositio
tertia.

Suppono tertio comparationem
intellectus bifariam communiter ab
authoribus vsurpari, composita vna,
simplex alia. Simplex comparatio est,
per quam intellectus vnum in altero,
vel in ordine ad alterum, sine compo-
sitione attingit: sic simplici cognitio-
ne patrem in ordine ad filium apprehendimus,
colorem in pariete; nec afirmando,
aut negãdo patrem habere

filium, aut colorem inherere parieti,
alia est comparatio composita, per
quam intellectus duo extrema apprehendit,
& vnũ alteri tribuẽdo, affirmat
quod in eo sit. sic prædicat misericor-
diam de Deo, spiritus aliatè de Angelis,
afirmando: Deus est misericors, Ange-
lus est spiritualis; propterea compara-
tio ista actualis predicatio nominatur.

Dico ergo entia rationis rigorosa,
esse collatiuos actus, ideòque secũdas
intentiones cõmuniter appellari, cùm
res primò intentas præsupponant. Ex-
pressit Doctor in 4. vbi supra art. 2.
citato. Ratio est conspicua, quia de ra-
tione entis rationis est quod sit im-
possibile apprehensum, vt notauimus
ibidem; sed de ratione rei impossibilis
est, quod sit inter duo extrema; ergo
est quid relatiuum. Maior propositio
patet ex supradictis secũdum Docto-
rem; minor etiã est eiusdè expressè in
1. d. 43. q. 1. §. aliter dico, n. 6. his verbis,
*Impossibile simpliciter includit impossibi-
lia, qua ex rationibus suis formalibus
sunt impossibilia; & ponit exemplum
paulo post. Producit Deus duo entia for-
maliter, vtrumque in esse possibili, & illa
producta se ipsis formaliter sunt incompos-
sibilia; vt non possint simul esse vnum, nec
aliud tertium ex eis.* Vnde clarè constat
impossibilitatè inter duo extrema in-
tercedere, ac per cõsequens impossibile
ab intellectu fictum, quid respectiuum
esse, vt pote duorũ extremorũ incom-
possibiliũ nexus. hoc enim modo nõ
ster intellectus entia rationis rigorosa
machinatur. Primò apprehendẽdo ali-
qua extrema in se possibilia repugnã-
tia, tamen in tertio; postea verò illa in-
ter se comparando, v. g. apprehendit
equum, & hominem in re possibiles,
& postea inter se componit, & com-
parat, ordinando vnum ad aliud, illud
esse obiectiuum hominis, equi, ens ra-
tionis rigorosum nuncupatur.

9.
Entia ra-
tionis ri-
gorosa
qua.

10.

Si autem inquiras, quare impossibilia debeant esse relatiua? Acutissime respondet Doctor in 1. vbi supra n.7. hoc prouenire, quia nihil est tale primum in non entitate. *Ex hoc apparet quod falsa est imaginatio qua entium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo vno; quasi aliquid vnum, vel intelligibile, vel qualecunque ens sit ex se formaliter impossibile: sicut Deus ex se est necesse esse formaliter, nihil enim est tale primum in non entitate.* Patet, quia omnis negatio supponit subiectum, quod negetur; ergo vel illa res supponitur, vel non. Si primo dicas, ad minus erit possibilis, verumtamen omne quod est, secundum aliquam differentiam temporis debet existere. Si res illa non supponitur; ergo fundatur in aliis entitatibus posituiis, quæ repugnantes sunt in ordine ad aliquod tertium componendum, quod respectu cuiuscunque causæ improducibile est, vt optimè notauit Scotus vbi nuper, propterea subdit; *Ergo omne simpliciter nihil, includit in se rationes plurium, ita quod ipsum non est primo nihil ex ratione sui, sed ex rationibus illorum, quæ intelliguntur includere, propter formalem repugnantiam illorum inclusorum plurium; & ista ratio repugnantis est ex rationibus formalibus eorum.* Superius verò dixerat num.6. *Istam impossibilitatem istorum, sequitur impossibilitas totius figmenti includentis ea, & ex ista impossibilitate figmenti in se, & ex impassibilitate partium suarum, sequitur impossibilitas eius, respectu cuiuscunque agentis: & ex hoc habet compleri totus processus impossibilitatis rei, quasi vltimus gradus impossibilitatis sit negatio respectus ad quodcunque agens.* Vnde ex Doctore manifestè habes, quid sit impossibile, & omne ens rationis rigorosum relatiuum esse; an verò respectus iste à

simplici apprehensione possit formari, dicemus difficultate tertia.

DIFFICULTAS II.

Quæ dicantur entia rationis.

ARTICVLVS I.

Sint ne entia rationis, negatio & priuatio.

EX Doctore in 1. d. 28. q. 2. §. *quantum ad primum*, n. 3. & d. 23. quæst. vnica, §. *ad questionem*, n. 7. clarè colligitur, priuationem & negationem in hoc conuenire, quòd vtraque carentiam, seu remotionem entis importat. Illa in subiecto apto ad formam recipiendam docuit Arist. 5. Metaph. cap. 22. sic homo cæcus priuatus dicitur visu, cum ei secundum naturam debeatur. Negatio dicit carentiam in subiecto inepto; sic planta negatur rationalitate, respectu cuius non solum non dicit aptitudinem, imò repugnantiam. Vnde est & posse considerari secundum quòd entis realis remotiones sunt, & vt ab intellectu vt repositiue apprehenduntur. Primo modo nullum eis esse tribuimus, imò suum non esse comprehendimus, etsi per posituias species, quia intellectus à non ente moueri non valet, cum motio effectus posituius sit. Secundo modo fingit intellectus, eiusque negotiatione largitur entitatem, quæ non solum eis non conuenit, imò repugnat.

Dico primo in hoc articulo, si negationes & priuationes primo modo accipiantur, nec sunt entia realia, nec rationis. Non primum; quia potius sunt remotiones entis, hæc enim est ipsarum natura, vt docuit Arist. 1. Physicorum c. 8. & expressit ex D. Thoma Caier.

II.
Negatio
& priuatio.

II.
Assertio
prima.

Cajet. 1. parte q. 48. Capreol. in 2. dist. 34. quaest. 2. ad 1. Socin. 10. Metaph. q. 15. Suarez disp. 54. sect. 3. n. 3. Non secundum, id est, quod sint entia rationis, patet. Nam ens rationis est impossibile apprehensum, sed à parte rei nullo intellectu considerante planta est negata visu, & cæcus priuatus ea; ergo entia rationis non sunt. Clarè Scotus in primo dist. 23. vbi supra n. 8. addit, priuationem, seu negationem entis rationis posse esse reales. Ratio est conspicua. nam à parte rei, nullo considerante intellectu Socrati repugnat quod vniuersalis sit, de quo alibi latius.

13. *Affertio secunda.* Dico secundò, si in secunda acceptione accipiatur, entia rationis sunt. Patet. Nam illæ entitates positivæ, sub cuius prætextu priuationem & negationem apprehendimus, nec sunt in rebus, nec possunt esse, imò totum suum esse ab intellectu confingitur; ergo entia rationis sunt. Probatur antecedens, priuatio & negatio à parte rei, non sunt quid positivum, imò remotiones positivæ entitatis ex dicto primo; ergo quæcunque ratio positiva illis accrescat, figmentum erit, & per consequens ens rationis.

Obicitur. Dices, ex eo quod spiritualia ad modum rei materialis cognoscimus; non fingimus ens rationis; et si materialitas Angelo repugnet; ergo quantumvis non entia tanquam entia concipiamus, ens rationis non machinabimur. *Respon.* aliud esse priuationes per species positivas apprehendere; aliud verò quod eis tribuamus aliquod esse positivum repugnans: sicut & aliud est per species rerum materialium Angelum cognoscere, aliud de ipso materialitatem prædicare, seu cum ipso componere. Primum est necessarium pro hoc statu, in quo intellectus dependet à phantasmatis,

seu à rebus materialibus, quod non variat entitatem obiecti. Secundum verò est de ipso affirmare, quod ei repugnat, seu tribuere entitatem impossibilem sibi, quod est fingere implicantiã in obiecto, & facere ens rationis. Illustratur exemplo, de eo qui in cognitionem Cæsaris per suam imaginem venit, iste non affirmat Cæsarem esse illam imaginem, sed ipsius ductu veram eius entitatem inuestigatur. Si autem affirmaret Cæsarem esse delineatum & depictum secundum entitatem, machinaretur impossibile. Sic qui priuationem per positivam entitatem cognoscit, illam sicuti est in se apprehendit; qui verò entitatem positivam ad illam comparat, fingit impossibile, & verum ens rationis negotiatur. Nec necessarium est quod in ista vltima cognitione fallatur intellectus, quia etsi falsum affirmet, potest facere non assentiendo, sed dissentiendo, quod difficultate tertio latius examinabimus.

Sed insurges 1. quod Arist. 4. *Metaph. cap. 2.* negationes & priuationes inter entia enumerat: sed entia realia non sunt; ergo rationis. *Respon.* ibi non enumerari tanquam entia, sed potius tanquam non entia: sic enim habet, *quare & ipsum non ens, esse nõ ens dicemus.* ibi enim de ente obiecto *Metaphysicè* tractat, & cum omnes rationes entis realis positivi enumerasset, etiã non entia obiter proposuit. Unde habes quod si priuationes & negationes per esse significantur, non ideo est, quia habeant veram existentiam, sed idem esse, ac si non esse illam significaremus: ut quando dicimus, *Homo non est Angelus,* priuatio est carentia. Unde etiam habes, quare inter rationis entia communiter numerantur, hoc enim ideo est, quia sæpè sapius ad modum entis positivi

*Instantia
secunda.*

considerantur. Si autem dicas, quòd etiam Angeli ad modum entis rationis possunt considerari; ergo propter eandem rationem deberent poni inter rationis entia. Resp. Angelorum entitatem magis perceptibilem esse, quàm priuationem, cum entitas sit positua, priuatio verò cum carentia sit entis: vt ipsam apprehendamus necessarium est à forma opposita, vel subiecto eius cognitionem mendicare; propterea à Doctore in 4. vbi suprà, ens rationis minus proprium appellatur, quia esse non habet, & ita pro quocunq; statu semper est imperceptibilis sine ordine ad aliud; Angeli verò ad modum alterius solum cognoscuntur, pro hoc statu, ab extrinseco verò per se cognoscibiles sunt.

ARTICVLVS II.

Sint ne entia rationis prima & secunda intentio.

14.

*Actus
actiuus,
& passiuus
qui.*

*Actus ab
soluti.*

*& rela-
tius.*

Resuppono ad exactam primarum & secundarum intentionum cognitionem, actus intellectus nostri, quosdam esse actiuos, passiuos alios. Actiuus actus est illud cognoscere quo rem apprehendit: passiuus illud esse cognitum, quod res ab ipsa cognitione accipit, obiecta & præsentata ipsi intellectui. Rursus, actus tam actiuos, quàm passiuos, alios esse absolutos, alios relatiuos. Absoluti tendunt in rem non comparando, seu referendo ad aliam, imò in ipsius contemplatione sistunt: sic quando cognoscitur simpliciter Petrus, ista cognitio absoluta actiua nuncupatur; esse verò cognitum illius absolutum passiuum. Relatiui actus vnum ad aliud ordinant, vel aliqua distincta componant, seu composita diuidunt:

sic intellectus naturam humanam comparat ad indiuidua, de ipsisque prædicatur. Istæ cognitiones actus actiui, relatiui dicuntur; esse verò cognitum illorum, passiuum relatiuū existimatur. Ex his, alij sunt cum fundamento in re, vt cognitio Petri, alij ipso fundamento carent, vt chimæra. Tandem supponendum est, hoc nomen, intentio, in primæua sui impositione actus reales intellectus, medijs quibus intendit, denotare, ab eo tamen deriuatur, vt res coguitas, seu passiuas cognitiones intentiones appellemus.

Primam intentionem sic definitio, *15.*
est obiectum actualiter cognitum; sic homo actualiter cognitus, prima intentio dicitur. Notanter dixi, *in quantum* cognitum, vt intelligatur quòd obiecta, quæ solum habent posse cognosci, remotè tantum sunt primæ intentiones. deducitur ex Doctore in 1. dist. 23. q. vnica §. questionem n. 6. *Omnis enim conceptus est intentionis prima, qui natus est fieri immediate à re, sine opere, vel actu intellectus negotiantis.* Ratio est conspicua. Nam prima intentio talis dicitur in ordine ad secundam, cuius est fundamentum: sed secunda intentio est relatio, seu comparatio rationis; ergo debet supponere extrema primò & formaliter intentata, aliàs non valeret ipsa referre, seu ordinare inter se. Vnde minus propriè aliqui authores primas intentiones passiuas cum obiectis realibus confundunt, etsi in re credam nostrum placitum esse commune.

Secundam intentionem sic describo, *16.*
est actus passiuus collatiuus intellectus, fundatus super primam intentionem passiuam, & derelictus in actu actiuo, collatiuo ipsius intellectus comparantis vnam primam intentionem ad alia. Quod potest esse cum fundamento in re: *Intentio secunda quid.*
sic

sic prædicatur animalitas de homine, seu sine fundamēto, vt quando enuntiatur corporeitas de Angelo, quæ appellantur secundæ intentiones, quia super primam fundantur: sicut ergo secundæ operationes reales intellectus, scilicet compositio & diuisio, primam supponunt vt fundamentum, seu quia per ipsam extrema realis compositionis supponuntur; sic de secundis intentionibus philosophandum est, quia actus relatiui sunt, vt docuit Scotus vbi supra §. *contra istud*, num. 2.

17. *Prima & secundæ intentionis actus passiuus sui cur.*
 Inquires, quare primæ & secundæ intentiones actus passiuus dicantur, & non actiuus. Resp. rationem esse conspicuam. nam intellectus noster non intendit prædicare vnum actum intellectus de alio. v. g. cognitionem animalis, de cognitione hominis, sed vnum obiectum cognitum de alio, quæ cognitiones passiuæ nuncupantur, de quo quæst. 3. diffic. 2. art. 1. & 2. Rursus quod actiuus actus intellectus qualitates reales sunt ad prædicamentum qualitatis pertinentes, quia verum esse reale habent, ac per consequens nequeunt esse secundæ intentiones Logicæ. Notare tamen oportet, quod cum vna secunda intentio fundatur super aliam, illa quæ est fundamentum, prima intentio debet appellari, etsi in se secunda intentio sit, ad modum quod vna relatio est forma respectu subiecti, & fundamentum respectu alterius relationis in ipsa fundatur; & anima rationalis forma est hominis, & subiectum, seu materia respectu habituum, seu qualitarum receptorum in ipsa; sic ergo secunda intentio, v. g. generis dicitur prima intentio, si consideratur vt subiectum alterius relationis, v. g. speciei, quia illa primò intenditur, quam illa.

Ex dictis patet totius articuli resolutio, si primæ & secundæ intentiones, seu actus passiuus, sint res possibili, non erunt entia rationis præcisè, sed largo modo, vt potè ratione considerata: si tamen impossibilia apprehensa sint entia rationis, rigorosa debent nuncupari; diximus enim difficultate 1. huius quæstionis art. 2. ens rationis propriissimè sumptum esse impossibile apprehensum. Inde etiam est, ens rationis esse secundam intentionem, quia ex dictis vbi supra, ens rationis est quid relatiuum: sed omnis relatio rationis est secunda intentio; ergo omne ens rationis est secunda intentio. Nec inde licet inferre omnem secundam intentionem esse ens rationis strictè. nam aliquæ dantur cum fundamento in re, de quo supra; valet ergo: Ab inferiori ad superius, est ens rationis; ergo secunda intentio, neutiquam è contrà.

ARTICVLVS III.

Utrum esse diminutum sit ens rationis.

PER esse diminutum intelligo illud esse, quod recipit obiectum ab operatione cuiusvis potentie vitalis ipsum attingentis, siue obiectum præsupponatur ad actum, secundum aliquod verum & ratum esse essentia, aut existentia, siue primum esse formale, tanquam primo, vel secundo cognitum, ab illa recipiat, quod in discursu articuli exactè enodabitur, hoc esse diminutum, producitur per ipsam operationem, seu per ipsum intelligere formaliter, vt latius in 3. de anima. Propterea Doctor multis in locis multifariam ens diminutum usurpat in 1. distinct. 36. quæst. 1. §. ad secundum num. 10. Primum esse formale

18. *Esse diminutum quid.*

Variè sumitur à Doctore.

creaturarum possibilitium causatum per diuinam cognitionem, ens diminutum appellat his verbis. *Ad secundum dico, quod productio ista est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter, & non est relationis tantum, sed etiam fundamenti absoluti, non quidem secundum esse essentia, vel existentia, quod est verum esse, sed secundum esse diminutum, quod esse est esse secundum quid, etiam entis absoluti: quod tamen esse absolutum secundum istud esse diminutum concomitatur relatio rationis. Exemplum huius, si Caesar esset annihilatus: & tamen esset statua Caesaris, Caesar esset representatus per statuam, illud esse representatum est, alterius rationis ab omni esse simpliciter, siue essentia, siue existentia, nec est esse diminutum Caesaris, quasi aliquid Caesaris habet hoc esse, & aliquid non, sicut Aethiops est diminutus albus, quia aliquid eius est vere album, & aliquid non, sed totius Caesaris, & esse eius a causa sua est verum esse existentia, & essentia, cuius totius, secundum totale esse suum est istud esse, secundum quid, & in ipso secundum istud esse secundum quid potest esse aliqua relatio ad statuam, & licet posset poni calumnia in exemplo, non tamen ita in proposito de intellectione & obiecto, quin obiectum totum secundum etiam totale esse suum diminutum esse habeat in intellectu.* Itaque ex sententia Doctoris illud esse creaturarum causatum per cognitionem Metaphysicam Dei dicitur esse diminutum. Notanter dixi cognitionem Metaphysicam, vt intelligatur minus clare de esse possibili creaturarum, aliquos in sententia Doctoris facere sermonem, cum non distinguant esse logicum ab esse Metaphysico. Possibilitas quidem logica, seu non repugnantia essendi, inest creaturae ab intrinseco, de se enim non repugnans est, & vt verbis utar Doctoris, vbi supra, *vers. ita in proposito*, num. 14.

istam possibilitatem consequitur possibilitas obiectiua, & hoc supposita omnipotentia Dei, qua respicit omne possibile, dummodo sit aliud a se, tamen illa possibilitas logica absolute ratione sui potest stare, licet per impossibile nullam potentiam respiceret. Possibilitatem Metaphysicam vocat illud esse causatum per diuinam cognitionem, quod quia a causa reali prouenit, & in re non implicat, reale est, etsi secundum quid sit diminutum, vt habet *vers. ad secundum*, num. 12. Si ergo inquiras, quare istud esse cognitum Metaphysicum non est verum esse, sed diminutum. Resp. ex doctrina frequenter tradita Scoto, solum voluntatem diuinam per se esse productiuam veri entis firmi; proinde ergo negandum est intellectui diuino per suos actus posse verum esse ad extra causare.

In 4. distinct. 1. quaest. 2. §. *hic primo*, num. 3. Ens diminutum, vocat esse cognitum cuiuscunque; sic homo cognitus aliquod esse accipit a cognitione non proprium, & quidditatum, sed secundum quid, & diminutum, & in fine versiculi, esse cognitum entis rationis producti, ens diminutum appellat. Ex mente ergo Doctoris ens tam primo, quam secundo consideratum, seu quamuis cognitionem passiuam esse diminutum debemus appellare.

Ex dictis facillimo negotio articulo satisfit. Dico primo, si istud esse diminutum, seu passiuam cognitio, sit alicuius rei possibilis, nec est vere ens reale, quia caret entitate perfecta, vt supra Scotus; nec vere ens rationis, cum non sit impossibile apprehensum, sed ens diminutum, seu secundum quid, quod est medium inter ipsa; potest tamen dici ens reale extrinsecum terminatiue, seu extrinseca denominatione mendicata ab actu reali ipsius productiuo, de quo art. sequenti

Possibilitas Metaphysica quid.

19.

20.
Assertio prima.

quenti, quod esse diminutum ad obiecta quaecunque vitalis potentiae extendi potest.

21.
Assertio
secunda.

Dico secundò, si istud diminutum pro esse cogito rei impossibilis accipiat, propriissime est ens rationis, quia impossibile apprehensum; dicemus enim quæst. 3. difficult. 2. res logicas supponere non pro actiuis actibus, sed passiuis potentiarum, illud enim esse fictum hippocentauri, seu hircocerui, ens diminutum & rigorosum ens rationis est. Itaque omne ens cognitum, seu diminutum in quantum tale, ens secundum quid est; hac tamen obseruata differentia, quod diminutum esse rei possibilis, ens rationis largo modo est: si autem rei impossibilis ens rationis præcisè sumptum, & in nullo alio entia rationis largè & strictè sumpta distinguantur.

ARTICVLVS IV.

Verum extrinseca denominationes sunt entia rationis.

22.

Supponit communis Peripatheticorum sententia, & cōsensus cum Scoto in 1. dist. 22. quæst. 2. §. *alter dicitur*, num. 5. diuisionem denominationis in intrinsecam & extrinsecam. Intrinseca importat formam subiecto denominato intrinsecè & formaliter inhaerentem; sic albedo intrinsecè denominat parietem album; extrinseca denominatio formam alteri adiacentem denotat; ideo extrinseca denominatio dicitur, existit enim extra denominatum. sic paries dicitur visus, à visione existente in oculo, columnæ dextræ à dexteritate animalis. Notat optimè Vasquez, improprie istas vocari reales denominationes, sed debere dici esse res tales extrinsecæ. nam

omnis denominatio ab intellectu est, ita habet 2. tom. super primam part. S. Thom. disp. 115. cap. 2.

23.
Assertio
prima.

Dico ergo primò, esse cognitum, visum, amatum, columnæque dexteritatem esse denominationes reales, seu, vt proprius loquamur, esse quid reale extrinsecum, ita statuo contra Durandum in 1. dist. 19. quæst. 5. & 6. Probatur hac efficacissima ratione, vna & eadem forma realis sub eadem ratione denominat subiectum in quo est, & in quo non est, vtpote vna visio denominat oculum videntem, & reddit obiectum extrinsecè visum: sed subiectum in quo est, realiter & intrinsecè facit tale; ergo illud in quo non est realiter & extrinsecè, faciet tale. Confirmatur primò, nullo intellectu operante paries per ocularem visionem est visus, & dextera columna; ergo istud extrinsecum quid reale est. Antecedens est certum. Probatur consequentia. nam totum esse entis rationis ab intellectu originatur; ergo si istæ essent entia rationis, non operante intellectu in re nõ essent.

Hæc sententia est Doctoris in 1. dist. 36. quæst. 1. §. *ad secundum*, n. 10. Vbi postquam negauerat locis in præcedenti articulo citatis, ens diminutum esse ens simpliciter, ita habet. *Et si velis querere aliquod esse verum huius obiecti vt sic, nullum est querere, nisi secundum quid, nisi dicatur quod istud esse secundum quid, reducatur ad aliquod esse simpliciter, quod est esse ipsius intellectio- nis: sed istud esse simpliciter non est esse formaliter eius quod dicitur esse secundum quid, sed eius terminatiue, vel principiatiue.* Est ergo eadem cognitio Dei intrinsecè in ipso Deo realiter, & extrinsecè in creatura: quod omnibus aliis actibus non apparet cur possit negari, si huic conceditur. Et in 3. dist. 8. q. 1. §. 3. *ergo, vers. ad illud etiã*, n. 19. concedit Deum dici

dici creatorem denominatione reducta ad genus relationis, in quantum scilicet terminat relationem creaturae ad ipsum; quid ergo ibi per genus relationis intelligat, dicemus q. de relat. ergo illa denominatio à forma reali, seu illud esse extrinsecum secundum Scotum reale est. Et in 1. vbi supra, ex cognitione, qua Deus ab æterno lapidem intellexit, non intellectione logica, sed metaphysica infert, esse diminutū dicere aliquod esse reale secundum quid derivatū ab esse intrinseco diuini actus. Vocat istud esse cognitū metaphysicum, & non logicum, quia non causatur ab actu machinante, sed verè rem, & vt in se est, considerante. & dist. 30. quaest. 2. §. *respondeo*, num. 9. fatetur Deum esse creatorem realiter per terminationem relationis creaturarum ad ipsum, quod quid extrinsecum reale est.

Obiectio prima.

Obiicies primò, ipsum Doctorem in 1. dist. 36. quaest. 1. §. *Concedo*, num. 6. vbi esse cognitum creaturarum vocat ens rationis: sed istud est extrinseca denominatio, vt supra; ergo hæc est ens rationis. Resp. ibi Doctorem vocare ens rationis, non illud esse diminutum creaturarum, sed relationem quandam ad Deum in ipso fundatam. sic expressit in §. *ad secundum*, num. 10. quod notauit Suarius sect. 2. num. 11. Proinde vbiunque denominationes entia rationis appellat, vel loquitur de ipsis vt secundò cognitis, vel de ente rationis in proprio, vt habet esse intra animam.

Obiectio secunda.

Obiicitur secundò. Denominationes extrinsecæ nihil sunt in re; ergo rotum suum esse habent per operationem intellectus: sed hoc est ens rationis; ergo denominationes extrinsecæ entia rationis sunt. Resp. concedendo 1. antecedens, hoc enim est nostrū assertum, hancque differentiam, inter in-

*Dilini-
tur.*

trinsecas & extrinsecas denominationes ponimus, quòd illæ importat formam informantem, & intrinsecè subiecto inhærentem: istæ formam alteri adiacentem, extrinsecèque denominanté: vnde si intellectus extrinsecarum denominationum verum formet conceptum, ipsas, vt nihil inhærens in subiecto denominato, debet cōcipere.

Dico secundò, si prædictæ denominationes vt subiecto inhærentes percipiuntur, cognitio ista figmentum erit, ibi enim negotiatur intellectus formam aliquam subiecto inhærentem, quæ verè nō est, & per consequens facit ens rationis. Probat, ens rationis est, cuius totū suum esse ab intellectu machinatur: sed intellectus hic tribuit aliquam formam subiecto non inhærentem realiter, sed ex figmento ipsius; ergo.

Dico tertio, si extrinsecæ istæ denominationes sūt rei impossibiles, entia rationis dicētur, non quia in esse derivato ab actu reali ab aliis denominationibus distinguantur, sed quia ens impossibile denominant. quod probatur ex definitione entis rationis supra tradita. Ens rationis est impossibile apprehensū: sed illud esse apprehensum rei impossibilis est extrinseca denominatio derivata ab actu reali apprehendenti; ergo ens rationis.

Inquires, in quo distinguantur extrinseca denominatio, & esse diminutum? Resp. omne esse diminutum esse extrinsecam denominationem, vt pote habens esse secundum quid, & reducibile ad causam habentem; verum esse firmum & ratum sic esse volitum & cognitum ad intellectionem & volitionem, tanquam ad causas, & perfecta entia conuertimus, vt diximus articulo præterito; non tamen omnis extrinseca denominatio est diminutum ens, nam dexteritas columnæ

24.
*Assertio
secunda.*

*Assertio
tertia.*

*Extrin-
seca de-
nominatio,
& esse
diminutum
in
quo dis-
ferant.*

cām non sit quid productum per aliquam potentiam vitalem, sed ex similitudine ad dexteritatem animalis; proinde nullum esse adhuc diminutum & imperfectum importat, sed meram extrinsecam denominabilitatem: denominabilitatem dico nam actuale denominare à ratione ratiozinante dependet, ideoque eius actus spectatur.

DIFFICULTAS III.

Quæ potentia possunt entia rationis efficere.

Explicuimus in tertio articulo primæ difficultatis numerum operationum intellectus; de ipsis ergo seorsim, & de voluntate quæ potentia reales sunt, examinandum est, utrum entia rationis efficiant; nec loquimur de entibus rationis largo modo sumptis, ut sunt omnia entia intra animam, extrinsecæque denominationes. nam ut sic certum est omnes interiores potentias operando circa objecta propria talia entia rationis causare; de entibus ergo rationis collatiuis, seu secundò consideratis, quorum totum suum esse pendet à potentia, est difficultas. Item supponendum est, hinc non esse sermonem de vera causa & propria, sed suo modo, & iuxta subiectam materiam. Ratio est manifesta. nam si ens rationis verum non habet esse, ex dictis difficultate 1. art. 1. neque veram causam.

ARTICVLVS I.

Utrum imaginatio valeat fingere entia.

25. **N**otanter abstinui à nomine entis rationis. nam cum imagina-

tionem non sit ratio, supernacancum esset ab ipsa, entia rationis expectare. Solum ergo dubitatur, possit ne aliqua impossibilia in re per proprium actum machinari. Imaginatio est quædam animalis materialis, & interna potentia, hominibus & brutis communis, quia proposita objecta discernit magis naturæ ductu, quam rationabiliter. patet de brutis fugientibus disconueniens, & appetentibus commodum.

Imaginatio quid.

Dico ergo imaginationem impossibilia machinari. ita Suarius 2. tomo Metaphys. disput. 54. sect. 2. num. 18. patet, quia figmentum est componere impossibilia: sed hoc facit imaginatio; ergo. Maior est certa. Minor probatur experientia, quia multoties montem aureum imaginamur, & alia innumera monstrua, præcipue in somniis, cuius præcipua ratio ea est, quod sensus iste est primum receptaculum omnium specierum per sensus externos intromissarum: proinde valet ex illis, res repugnantes componere per applicationem extremorum impossibilium, ut si ex specie hominis & equi hominem equum machinetur.

Utrum machinetur impossibilia.

ARTICVLVS II.

Utrum prima intellectus operatio entia rationis efficiat.

Diximus difficultate 1. artic. 2. Omnia entia rationis rigorosa, de quibus hinc est sermo, esse per actus collatiuos ficta; tota ergo difficultas sistit in examinando, num prima operatio intellectus possit esse collatiua.

Operatio prima quid efficiat.

Gabriel Vasquez 1. parte quæst. 76. cap. 2. num. 6. negat, etsi fateatur posse negationem & priuationem apprehendere. Fundamentum huius sententiæ est, quod ens rationis est quid

respectuum causatum per actum col-
latiuum intellectus: sed sola enuntia-
tio, seu affirmatio & negatio, quæ ad
secundam attingent operationem in-
tellectus, possunt referre vnum ad
aliud; ergo ab ipsa solum entia ratio-
nis queunt negotiari. Huic sententiæ
subscribit Hurtado disp. 9. Metaphys.
sect. 1. §. 15. diuerso tamen fundamen-
to; quippe omne ens rationis esse quid
falsum, & ad modum alterius confide-
ratum, dando illi aliquod ens repu-
gnans: sed veritas & falsitas ad secun-
dam operationem intellectus spe-
ctant; ergo & fictio entis rationis.

27.

Pars affirmatiua est verior, & nobis
sustinenda, sic Ruuius tractatu de en-
te rationis quaest. 5. vniuersali, dicens,
vniuersale logicum fieri per simpli-
cem comparationem, quæ prima ope-
ratio est. Infertur manifestè ex Docto-
re in 2. dist. 6. quaest. 1. §. *quia tamen*,
vers. *ad 3.* num. 61. vbi ita habet, *Ad*
tertium dico quod intellectus simplex po-
test apprehendere aequalitatem Dei sine er-
rore, & sufficit sola simplex apprehensio.
& paulo inferius subdit, *equalitas au-*
tem Dei potest apprehendi sine errore,
quia in aliquo est sine errore. nam filius
Dei est equalis Patri, & ille potest appre-
hendi, vel si nihil esset equalis, adhuc equa-
litas posset absolute apprehendi. Quam
sententiam approbat Vasquez rom. 2.
disput. 234. cap. 1. in primam partem
sancti Thomæ. Ex quo sic formo ra-
tionem. Nulla existente æqualitate
Dei, intellectus Angelicus per simpli-
cem apprehensionem talem æqualita-
tem valeret apprehendere; ergo entia
rationis efficeret. Maior est Scoti, &
alibi examinanda. Minor probatur.
Ens rationis est impossibile appre-
hensum: sed æqualitas Dei, cum crea-
tura adhuc absolute impossibilis pos-
set apprehendi ab Angelo; ergo per
simplicem apprehensionem entia ra-

tionis machinaretur. Pater conse-
quentia, quia apprehenderet impossi-
bile. Nec valet dicere illud obiectum
esse simplex. nam contrà est, quòd
omne impossibile est quid relatiuum,
vt diximus difficultate prima art. 3. &
præcipuè æqualitas quæ verè relatio
est; ergo in tali casu Angelus per sim-
plicem actum fingeret tale ens.

Ratione etiam probatur. Prima in-
tellectus apprehensio potest vnum
extremum in ordine ad aliud; cum
quo est impossibile, cognoscere,
vtpote spiritualitatem in ordine ad
petram, non affirmando, neque ne-
gando; ergo entia rationis efficeret.
Probo consequentiam. nam iste ordo
est impossibilis in re; ergo totaliter
causatus ab intellectu, & ens rationis.
Proinde dicemus in quaest. vniuersali,
vniuersale logicum, omnesque eius
species, per simplicem operationem
intellectus possibilis fabricari.

Ad fundamentum Vasquez resp.
concedendo primam operationem
non posse causare relationes compo-
sitas, negando scilicet & affirmando. ne-
go tamen implicare simplices fingere
relationes. Notàter dico *fingere*, quia
nullus negat actus relatiuos posse ap-
prehendi aliis actibus simplicibus; to-
ta ergo controuersia, vtàm primò
efficere valeat, quæ est conditio re-
quisita ad ens rationis ex dicendis
art. sequenti.

Ad fundamentum Hurtado resp.
concedendo, ens rationis esse quid
falsum in re, id est, non entitatem fir-
mam & ratam, imò impossibilem, &
ita ista simplex comparatio rei impos-
sibilis erit falsa, quia rem impossi-
bilem practicè apprehendit, non tamen
error, aut mendacium; ad hoc enim
requititur affirmatio falsitatis, vel ne-
gatio veritatis, & hoc munus est se-
cundæ operationis intellectus, vt de-
cui

cuit Scotus supra, & nos ex mente Aristotelis explicabimus articulo 4.

23. *Obiectio.* Sed argues, facere ens rationis est cognoscere rem aliter quam est: sed per simplicem operationem intellectus res sicuti est in se apprehenditur; ergo non facit ens rationis. Maior propositio probatur. Ens rationis est figuratum; debet ergo res aliter quam sunt considerare. Minor etiam probatur, non iudicat impossibile possibile; ergo cognoscit sicuti est in se. Resp. ad rationem entis rationis non spectare necessariò errorem intellectus (vt latius art. 4.) sed solum quòd aliquod esse apprehendamus in re impossibile, & totaliter ab operatione intellectus dependens, ad quod non solum non requiritur error, imò poterit esse iudicium & assensus oppositus. v. g. Si ego agnoscerem æqualitatem Dei in ordine ad me, possem habere iudicium istius impossibilitatis, & hoc non obstarer vt actus primus alicuius impossibilis apprehensi foret casualitius. Vnde Doctor vbi supra affirmat Angelum sine errore apprehendisse æqualitatem Dei in ordine ad se.

ARTICVLVS III.

Verum memoria possit entia rationis fingere.

19. *Memoria.* Respondetur negatiue, cum communi sententia docuit Doctor in 2. dist. 1. quæst. 1. §. *quantum*, verè sequitur secundum instant. Ratio est perspicua, quia memoria in hoc distinguitur ab intellectu, ex dicendis tertio de anima, quòd iste præsentium, illa præteritorum est, vnde memoria est rerum cognitarum; nusquam enim recordamur eorum, quæ in apprehensione non extiterunt. Tum sic. Ens rationis machinat per practicam, seu facti-

uam operationem intellectus: at memoria non facit obiectum, sed cognitum, seu fictum supponit; ergo non erit factiua entis rationis, sed, quasi ita dicam, est speculatiua ipsius esse, cuius recordatur. Sicut si Angelus chimæram à me factam cognosceret, non ex eo diceremus ens rationis effecisse, sed cognouisse, vt difficultate sequenti clariùs explicabimus.

ARTICVLVS IV.

Fiántne entia rationis per secundam operationem intellectus.

VNanims consensus est, secundam operationem intellectus entia rationis propriissimè efficere: ipsius equidem est falsum de subiecto prædicare, vt humanitatem de equo, indistinguibilia separare, & inunibilia vnire. Solum potest venire in controuersiam, vt rùm non solum per assensum, sed etiam per dissensum negotietur, quod sic intelligo, vt rùm intellectus noster entia rationis fingat, non solum quando formando istam propositionem, *Homo est equus*, ipsi assentitur, quod in confesso est apud omnes; sed etiam quando ipsam per dissensum producit. v. g. volo explicare in quo consistat chimæra, & dico, est impossibile apprehensum: vt quando dicimus, *Homo est equus*, in tali actu non solum non assentitur intellectus huic propositioni, imò dissentitur eius falsitati; de hoc ergo secundo est difficultas.

Negare tenentur omnes illi auctores, opinantes ens rationis non posse sine fallacia intellectus machinari. nam qui dissentiendo figmentum considerat, non fallitur in eius apprehensione, imò falsitatem vt talem cognoscit.

30.
*Affertum
 Authoris.*

Nobis dicendum est cum aliquibus recentioribus, per actum dissensus posse entia rationis fieri, hoc univoco iuncto fundamento, quo totum entium rationis aedificium superstruitur. Ens rationis est impossibile primo apprehensum: sed per actum dissensus potest aliquod impossibile primo fabricari; ergo. Maior patet ex art. 2. primae difficultatis. Minor probatur, quaecumque creatura cognoscendo quidditatem entis rationis, eiusque falsitatem fugiendo, valet exemplum ponere in aliquo ente chimærico. v. g. Homo est equus, istud ens erit impossibile, & per dissensum causarum, quia eius falsitati intellectus dissentitur; ergo ens rationis sic formabitur.

Obiectio. Argues contra. Intellectus rem ut est in se apprehendit; ergo verum dicit, ac per consequens ens rationis non negotiabitur. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, cuius ratio est. nam de ratione entis rationis non est quod intellectus fallatur, quin imò ei per accidens competit rem aliter quam est iudicare; solum ergo de per se exigit, ut sit entitas impossibilis primo ab intellectu machinata. Nec video quo fundamento possit negari chimæram cognitam ab intellectu nostro esse ens rationis, nisi intellectus in eius apprehensione fallatur, cum à diversis principiis falsitas actus & negotiatio chimærae usurpetur, ut perspicue notavit Philosophus 1. Perihermeniatarum cap. 1. his verbis, *Hippocentaurus enim aliquid quidem significat: ac nondum verum est, aut falsum, nisi esse, aut non esse additum, aut simpliciter, aut respectu temporis fuerit.* Unde expressè ex Philosopho deducitur, posse fieri ens rationis, quin in ipso sit veritas, vel falsitas formalis, spectatur enim ut

aliquod impossibile apprehensum sit falsum iudicium intellectus, quo affirmet eius existentiam, in re, vel possibilitatem, quo ablato ens rationis erit cum sola falsitate logica, id est, cum repugnantia in esse.

ARTICVLVS V.

Possitne voluntas entia rationis fabricare.

Negativa pars est communis inter Thomistas, & paucissimi extra scholam Scoti, defendunt oppositum. Fundamentum est, ens rationis habet primum esse à potentia fabricante: sed voluntas nullum esse primum potest dare per suum actum; ergo nec facere ens rationis. Minor, in qua est difficultas, probatur, ex axioma communi, *Nihil volitum quin præcognitum; ergo quodcumque obiectum sit amatum à voluntate, debet esse prius cognitum ab intellectu, & sic à voluntate non expectabit primum esse.*

31.
Voluntas.

Inter Scotistas certum debet esse voluntatem entia rationis efficere, comparando aliqua extrema inter se repugnantia. Probant aliqui ex Scoto in 1. dist. 26. quæst. unica, §. *si dicatur*, num. 14. ubi ita habet, *Omnis enim potentia collatus potest obiectum suum comparare ad aliud, & in eo sic comparato causare respectum rationis, qui non est ex natura rei, sed ex actu potentia, & ita, sicut ratio comparando obiectum suum potest causare in eo respectum rationis, sic & voluntas comparando obiectum suum potest causare in eo respectum aliquem, qui potest dici respectus appetitiuus, & aliis causatur in obiecto utibili per actum usus, quando voluntas utitur aliquo, & talis potest dici causari in Deo, quando volo illud bonum infinitum in se esse mihi bonum.* Sed his verbis, licet Scotus doceat

ceat voluntatem actus collatiuos efficiere, non tamen essent rigoroſa entia rationis, quia non sunt chimærici, & communicari bonitatem Dei neutri extremorum repugnat; propterea in 4. distinct. 1. quaest. 2. §. de ſecundo, verſ. ex iſtis, num. 5. docet Sacramentum non eſſe ens rationis rigoroſum, quia non eſt impoſſibile, nec repugnat fieri à Deo.

Sed manifeſtè colligò ex Doctore voluntatem poſſe talia impoſſibilia machinari. In 2. distinct. 6. quaest. 2. §. quia tamen, verſ. ad tertium, docet, Angelum potuiſſe appetere beatitudinem Dei ſibi, ſe ſolo & diuina æqualitate cognitiſ; ergo voluntas primò poſteſt aliquod impoſſibile in eſſe obiectiuo producere, ipſa enim ex ſe potentia perfectiſſima collatiua eſt. Itaque inefficaci affectu inordinabilia poſteſt ordinare: vt ſi homo appeteret habere ſpiritualitatem Angeli. Quòd autem voluntas impoſſibilia poſſit appetere affectu inefficaci, vt impoſſibilia propoſita, tenet Vaſquez ex mente Philoſophi vbi ſuprà. diſputatione 234. cap. 2. num. 1. Ratio à priori Scoti eſt, quia omnis potentia quæ poſteſt facere actum circa obiectum, tam exiſtens, quàm non exiſtens, illum poſteſt comparate ad aliud quod ex natura rei non ordinatur: ſed voluntas eſt huiuſmodi; ergo. Idem habet Doctor in 1. distinct. 45. quaest. vnica, verſ. liceat hic, num. 4. & quodlibeto 17. §. de ſecundo, & in 4. diſt. 16. quaest. 2. num. 7.

Ad argumenta reſp. concedendo, voluntatem noſtram non poſſe efficiere entia rationis vt primò cognita, quia cùm non ſit intellectus, intelligere non valet; negamus tamen contra Thomiſtas, non eſſe potentiam collatiuam, nec ſic ad impoſſibilia tendentem, propterea entia rationis

non debent dici, ſed impoſſibilia voluta, aut collationes voluntatis ſeu voluntatis entia, vt notaui Scotus vbi ſuprà. Proinde Vaſquez vbi ſuprà diſput. 115. cap. 2. reprehendit Caietanum ſuper quaest. 18. primæ partii ſancti Thomæ imponentem Scoto, quòd voluntas vera entia rationis efficiat, quippe vt primò operata à voluntate. Negari non poſteſt, quòd illi reſpectus tam poſſibiles, quàm impoſſibiles primò fuerint reſpectati ab intellectu, quàm cauſati à voluntate.

DIFFICULTAS IV.

Poſſitne Deus entia rationis efficiere.

ARTICVLVS I.

Proponitur magis communior ſententia.

OMnes illi authores, qui aſſerunt entia rationis præciſè accepta ex actibus intellectus falſis, errantibus in cognitione rei oriri, conſequenter ex fide & euidenti ratione negare debent Deum poſſe entia rationis efficiere, abſit à fidelium mentibus errorem, aut iudicium falſum Deo non abnegare: ſed huius fundamenti falſitatem oſtendimus difficultate 3. art. 4. & 2.

ARTICVLVS II.

Proponuntur varia dicta circa noſtram ſententiam.

DIco primò, negari non poſteſt Deum efficiere entia rationis, largo modo dando eſſe cognitum rebus. Probat, Deus non ſolum omnia cognoscit, imò comprehendit, & exinde probauimus difficult. 2. creaturas

32.
Aſſertio
prima.

possibiles habere primum esse cognitum, seu diminutum à Deo : sed hoc est ens rationis largo modo ; ergo.

*Affertio
secundæ.*

Dico secundò. Deus potest facere entia rationis magis stricta, cognoscendo res, ad modum extraneæ entitatis. hanc sententiam debent sustinere omnes illi authores, qui in materia de scientia Dei opinantur, Deum per habitus oppositos attingere priuationes. Addo ergo quòd etsi Deus ipsas sine cognitione habituum valeat comprehendere, ad eius perfectionem spectat, per habitus etiam attingere; sic Angelos non solum sicuti in se sunt, sed ad modum materialis entis, & corporei cõprehendit Deus. Quod vnico fundamento fulcitur. De ratione infiniti comprehendentis est, vt obiectum omni modo quo cognoscibile est penetret : sed priuationes & Angeli, non solum secundum se, sed ad modum alterius entis, sunt attingibiles ; ergo vt sic à Deo infinito comprehensore.

*Obiectio
prima.*

Obstabis primò. Quòd dicit imperfectionem in creaturis, debito iure Deo est abnegandum, sicut omnis perfectio concedenda; sed cognoscere res ad modum alterius est imperfectio in creaturis ; ergo Deo non est tribuendum. Notanter dixi cognoscere ad modum alterius, & non per impropiam speciem, quia Deus non vtitur speciebus, sicut alia entia creata. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. nam cognoscere res ad modum alterius, non dicit imperfectionem in creaturis, sed non posse sicuti sunt in se attingere : Deus autem qui omnibus modis potest non solum non accipit imperfectionem, imò ad eius infinitam comprehensionem spectat. Quod perspicuo elucidatur exemplo, venari res per suos effectus in creatura dicit imperfectionem, non absolute, sed arguitiue, quia

Soluitur.

inde infertur indigere ista mendicatione exteriori, vt causas internas possit penetrare : sic per ea, quæ facta sunt, multoties intellecta conspiciamus, tamen diuinæ perfectioni non obuertatur, quia res non solum à posteriori comprehendit. Negandum ergo est cognoscere res ad modum alterius absolute dicere imperfectiorem, propterea concedendum est Deo.

Obstabis secundò hinc esse falsitatem ; ergo longè à Deo. Probat. antecedens, falsitas est inadæquatio cognitionis cum re : sed cognitio ista est ad modum materialis, obiectum tamen est spirituale ; ergo est falsitas. Resp. falsitatem esse in iudicio, & assensu. Hic tamè non solum non assentitur, imò dissentitur, nec rationabile videtur dicere, quotiescunque Deum ad modum obiecti corporei & colorati percipimus, falli intellectum nostrum.

*Obiectio
secundæ.*

Diluitur.

Dico tertio. Deus facit entia rigorosa & præcisè sumpta. Probat. Ens rationis est impossibile apprehensum, cuius totum suum esse ab ipsa apprehensione mendicatur : sed Deus ab æterno cognouit impossibilia, scilicet hominem esse Angelum, & alia huiusmodi ; ergo facit entia rationis. quam conclusionem sic perlustro. Sicut Deus cognoscendo non repugnantiam logicam creaturarum possibilem dedit eis aliquod esse cognitum, ita cognoscendo repugnantiam aliarum, dedit eis aliud esse cognitum & diminutum : sed istud esse est rei impossibile, repugnans esse sub alio esse ; ergo ens rationis. quæ conclusio nimis certa mihi videtur.

*Affertio
tertia.*

Dico quarto. Diuinæ perfectioni non obuertatur entia rationis collatiua negotiari per actum dissensus. Probat. ista non oriuntur necessario ex actu erroneo, aut falso intellectus iudicio : sed possunt fieri per dissensum, ex dictis diffic. 3. art. 4. ergo non

*Affertio
quarta.*

implè

implicat à Deo fieri : quidni implicat quòd Deus Hippocentaurum & alia huiusmodi, quæ ab humano intellectu quotidie sine errore fabricantur, negotiatur: imò ipsi omnes comminationes & actus imperfectionem non arguentes necessariò concedendi sunt.

Infinita.

Dices quòd comparare prædicatum repugnans cum subiecto est falsa prædicatio ; ergo Deus hominem cum Angelo nequit componere. Resp. distinguendo minorem per assensum, concedo; per dissensum, nego. de quibus latius in materia de scientia Dei disputatur, vbi hanc esse Doctoris mentem ostendemus.

Dilutio.

Argues quòd iste actus dissensus potius est destructivus, quàm factivus entis rationis ; ergo per illum non fiunt entia rationis. Resp. esse destructivum assensus, factivum tamen obiecti impossibilem.

Argumentum contra.

Remota.

ARTICVLVS III.

Vtrum ex eo quòd Deus cognoscat entia rationis à creaturis ficta, sequatur illa negotiari.

Vasquez tomo 2. primæ partis disp. 118. num. 12. tenet affirmatiuam partem, cum eo alij recentiores ipsius affectæ. Fundamentum est. Impossibile est Deum cognoscere ens rationis factum à nobis, quin etiam figmentum nostrum passivum cognoscat, actus enim nequit cognosci, obiecto terminatiuo incognito; ergo si Deus illud obiectum impossibile apprehenderet, consequenter entia rationis efficeret, quorum totum suum esse est cognosci: si ergo implicat fieri; ergo & cognosci. Alia fundamenta infra adducentur impugnando nostram sententiam.

Sed hæc sententia vera non est, supponit enim Deum entia rationis non cognoscere, quòd falsum existimo, primò, quia Deus comprehendit nostros

actus humanos chimericos; ergo cognoscit eorundem obiecta. Patet consequentia, quia actus comprehendi non potest, quin cognoscatur de quo obiecto sit, sed obiectum earum fictivum est ens rationis; ergo Deus cognoscit nostrum ens rationis. Huic argumento respondet Vasquez, Deum cognoscere extrema realia quæ sunt illius actus obiectum, non tamè universionem fictam, quia actus non dicit ordinem transcendentalem ad eam universionem, sed ad extrema realia. sed contrà est, quòd illa extrema realia non finguntur ab intellectu, cum verum esse firmum & ratum habeant; ergo cognoscere illa realia extrema, ex quibus materialiter chimæra fabricatur, non est cognoscere ens rationis, ac per consequens, si Deus cognoscit nostros actus, consequenter & chimæram secundum esse formale. Confirmatur. Deus scit nos nunc agere de chimæra; ergo illam cognoscit: sed Angelus & homo chimæra non sunt; ergo debet Deus cognoscere compositionem illam, qua componimus hominem cum Angelo.

Suaris disp. 54. Metaph. sect. 2. n. 23. affirmat dubitari non posse Deum entia rationis cognoscere, neque ex hoc sequi illa efficere, quam sententiam nos duobus dictis elucidamus.

Dico primò. Ex eo quòd Deus cognoscat entia rationis, non sequitur illa efficere per illum actum. Probat. nam ens rationis habet esse per actum practicum nostri intellectus, seu per cognitionem factivam: sed ille actus quo Deus cognoscit ens rationis à me factum, non est factivus, sed speculativus; ergo per illum ens rationis non machinatur. Probat. exemplo in doctrina sancti Thomæ satis communi. Diuinus intellectus dat primam futuritionem rebus, tamen quando recognoscit obiectum,

Assertum primum.

non dat illi esse futurum, nec illa cognitio est practica, seu factiua, sed merè speculatiua, cùm uerfetur circa obiectum iam factum: sic intellectus diuinus, si cognosceret primarium impossibile, illa cognitio effet practica, & illius obiecti factiua; tamen cùm impossibile fictum à nobis comprehendit, iam illa cognitio est speculatiua, & per consequens per illam tale ens non facit.

*Affertum
secundum.*

Dico secundò. Infertur optimè, si Deus cognoscit ens rationis fictum à nobis; ergo potest facere ens rationis per alium actum. Probatur cōsequentiā. nam si non implicat quòd obiectum figmenti secundariò obiciatur intellectui, quare obstat quòd primariò ipsi obiciatur: sicut enim speculare falsum, non est falsitas; ita neque machinari figmentum per dissensum, vt latius diximus art. preced.

Contra nostram resolutionem aliqua sese offerunt. Primum, si Deus cognoscit ens rationis ab homine factum; ergo illud cognouit ab æterno, antequam realiter effingeretur ab intellectu creato; ergo ab æterno aliud esse obiectiuum à solo Deo pendens habet; ergo fit à Deo ens rationis ex vi istius cognitionis. Probo consequentiā, illud obiectum non habet ens in se, neque potest habere; ergo solum habet esse obiectiuè in intellectu. Si autem dicas, ens rationis cognosci ab æterno, vt fingibile ab homine, contrā est, quia illud esse obiectiuam æternam tantum habet à

Obiectio.

Solutio.

Deo. Respondetur huic argumento, concedendo primam & secundam consequentiā, etenim sicut cætera entia habent ab æterno esse obiectiuè in mente Dei, ita entia rationis. Nego tamen consequentiā tertiam nam eo modo cognoscit Deus res ab æterno, quo pro sui temporis differentia

sunt. Vnde cùm tale ens numero nullum habeat esse futurum, nisi fictum ab ista causa secunda: hinc est quòd eodem modo cognitum fuit ab æterno, & sic actus Dei non terminatur immediatè ad figmentum factibile vt sic, sed factibile à tali humano intellectu.

Secundò obiicies, facere & cognoscere ens rationis sunt formaliter idem; ergo si Deus cognoscit, illud efficit. Resp. distinguendo antecedens, facere & cognoscere practicè concedo, speculatiuè nego. istam cognitionem actiuam entis rationis posse dici practicam, docet Doctor 6. Metaph. quæst. 1. §. ad primum argumentum, num. 14.

*Alia obiectio.
Remouetur.*

QVÆSTIO III. De obiecto Logica.

QUÆ perfectionem cuiuscunque scientiæ, ex obiecti cognitione venemur, antequam ad alia accedamus, de isto excitatur controuersia. Quia tamen ignoratis vniuersalioribus rationibus obiecti, particulares distinctè apprehendere non ualemus; omnis quippe distincta cognitio ab vniuersalioribus incipit, vt ex mente Scoti quæst. 2. Summularum difficult. 1. art. 1. notauimus; priùs de obiecto in communi sermonem instituemus. 2. An Logicus agat de actibus actiuis, vel passiuis intellectus. 3. Quod sit obiectum formale Logica.

DIFFICULTAS I.

De obiecto in communi.

ARTICVLVS I.

Quid per obiectum intelligamus.

SVpponit commune Peripatheticorum placitum, obiectum, subiectum & mate

*Obiectum
quid.*

& materiam (vt ad nos attinet.) Eandem omnino rem, sub diuersis tamen considerationibus, denotare esseque illud extrinsecum, circa quod scientia versatur, & à quo extrinsecam emendicat specificationem. Dicitur obiectum in quantum obicitur attingendum à scientia, (omnis enim perfecta & realis scientia suum obiectum motuum præsupponit.) Dicitur subiectum (non inhesionis, quia hoc est intellectus,) sed attributionis, vt explicat Scotus 1. Priorum quæst. 2. §. *quæritur ad secundum*, quia passiones per scientiam demonstrabiles in ipso componuntur, & de ipso prædicantur. Ex eodem principio oritur quod materia nuncupetur, vt perspicue notauit Doctor in 3. quæst. Prologi quæst. 2. laterali, §. *ad primum*, num. 18. Nam sicut in rebus factiuis illud materia dicitur, quod formatur ab artifice aliqua futura; ita obiectum materia dicitur non in qua, quia actus scientis est immanens in ipso intellectu, & non transiens. Dicitur ergo circa quam, cum scientis actus demonstrando obiecti passiones circa ipsum versetur.

Secundò noto cum Doctore in 2. dist. 24. quæst. 1. §. *est igitur*, vers. *ad aliud*, num. 6. obiectum bipartiri, in materiale & formale: istud adæquatum solet appellari, cum per se à scientia, vel potentia attingatur; illud inadæquatum, quia ratione obiecti adæquari, vel tanquam pars illius, vel vt aliquo alio modo ad eius cognitionem conducit, à scientia, vel potentia contemplatur. v. g. color in communi est obiectum adæquatum; visus, quia omnia visibilia transcendit; albedo & nigredo, sunt inadæquata obiecta, seu materialia, quia sub illa ratione coloris, tanquam species, vel partes illius subiectiue continentur. Deus Opt. Max. totam Theologiam

adæquat, seu est obiectum ipsius adæquatum ad Sacramenta & virtutes obiecta inadæquata, seu materialia, quia per ordinem ad ipsum contemplantur.

In obiecto isto formali duo inueniuntur, & res illa qua primariò, & per se respicitur à scientia, vocaturque ratio formalis *qua*, seu obiectum formale *quod*, & ratio sub qua ab illa scientia contemplatur, diciturque obiectum formale *quo*, seu ratio *sub qua*; sic in obiecto nimis extenso & à pluribus scientiis attingibile, diuersa media attingibilitatis, seu rationes sub quibus consideramus, quibus quasi determinatur & limitatur, ad specialem rationem in speciali scientia contemplandam. v. g. Deus considerabilis est à Theologo, Philosopho & Metaphysico, & est obiectum quod, seu materia circa quam istarum sententiarum; propterea distinguimus in ipso diuersas rationes, sub quibus à Theologo sub ratione Deitatis, à Philosopho sub ratione immaterialitatis, à Metaphysico sub ratione entis attingitur, ex hisque duabus rationibus *qua*, & *sub qua*, tanquam ex materia & forma vna adæquata & completa ratio obiecti coalescit. Colligitur clarè ex doctrina Scoti q. 3. Prologi sententiarum §. *contra istas*, num. 11. cum eo est Liquerus §. *ex his dictis*. Vtrum autem quando obiectum quod non est extensum, datur ratio sub qua in illo; affirmatiue in Metaphysica respondemus, vbi istam rationem sub qua tanquam constitutiuam obiecti ponemus.

Tertiò suppono, obiectum materiale aliud esse proximum, aliud remotum: proximum obiectum dicitur, quod ratione sui ad scientiam spectat, sic ad Physicam, quæ de corpore naturali agit, sua essentialia principia ma-

Materia

2.
Obiectum
bipartitum.

3.
Obiectum
materiale
proximum.

teria & forma, quibus constat, attinent. Obiectum remotum dicitur quod per accidens & ratione alterius attingitur. sic de accidentibus Philosophus agit, & Theologus de peccatis tanquam de prohibentibus virtutes.

Alia obiecta dicitur.

Vltimò suppono, obiectum aliud attributionis, aliud principalitatis. Obiectum attributionis est vltimus finis, ad quem omnia, quæ in scientia tractantur, reducuntur, vel cuius gratia contemplantur. sic Deus est obiectum attributionis in Theologia, quia eius gratia de virtutibus aliisque mysteriis Theologicis disputat Theologus, ad ipsumque ordinat: propterea obiectum formale, seu adæquatum, alij finem appellant, non scientis, sed scientiæ. nam tota connexio conclusionum in hoc sistit, vt in ordine ad vnum totale obiectum coordinentur. Propterea Scotus in 3. quæst. vniuersali, & in prologo sententiarum q. 3. §. *ex dictis*, num. 7. obiectum attributionis finem appellat, & num. 19. ita habet: *Nihil aliud est finis scientiæ, quam attingere per actum proprium obiectum illius scientiæ.*

ARTICVLVS II.

De conditionibus obiecti adæquati.

4. *Obiectum adæquatum quid.*

DOCTOR subtilis quæst. 3. prologi, vers. *de secundo dico*, num. 4. obiectum primum & adæquatum sic definit, confirmatque in 1. dist. 3. quæst. 2. vers. *formetur ergo*, num. 9. cui subscribit Vasquez 1. part. disputat. 10. cap. 5. num. 20. *Dico quod ratio primi subiecti est continere in se primò virtualiter omnes veritates illius habitus cuius est, quod probò primò sic, quia obiectum primum continet propositiones immediatas; quia subiectum istarum continet prædicatum, & ita*

evidentiam totius propositionis. Sunt enim istæ propositiones per se notæ, vt notauit Liquetus §. de secundo dico, quia prædicatum formaliter primò inest subiecto, & non ratione alterius. Ideoque ex terminis talis propositio est nota (ipsæ enim suas passiones inferunt, cum ex cognitione earum rectè in cognitionem passionum deuenimus, dicunturque mediatae veritates, quia non primariò insunt subiecto, sed præsupponunt illud iam primò constitutum tanquã causam à qua promanant.) Ergo subiectum propositionum immediatarum continet omnes veritates illius habitus. Probo idem secundò, quia primitas hic accipitur ex primo Posteriorum, text. 14. & 15. ex definitione vniuersalis, secundum quod dicit adæquationem. Obiectum autem se habet ad habitum tanquam causa ad effectum, non enim est causa adæquata, nisi contineat virtualiter totum effectum; ergo, &c. Expono quod dixi (primò virtualiter.) quia sicut illud est primum ens, quod non dependet ab alio, sed alia ab illo; ita ergo continere est ab alijs non dependere in continendo, sed alia ab ipse, hoc est, quod per impossibile circumscripto omni alio. v. g. si separentur passiones à subiecto, quod in sententia Scoti repugnat, vel alia attributa obiecto, manente intellectu eius. hoc est, obiecti, adhuc contineret. Nam subiectum simpliciter in virtute contineret passiones tanquam origo ipsarum, etsi non existerent: sicut Deus creaturas, etsi omni existentia carerent, & nihil aliud continet, nisi per rationem eius. neque posset causare veram earum cognitionem.

Ex hac definitione aliqua conditiones veri obiecti inferuntur, quas refert ipse Doctor lib. 1. Priorum q. 2. §. *quantum ad secundum.*

Prima est quod subiectum debet esse primò notum in illa scientia, cuius est subiectum.

Veri obiecti conditiones.

Prima.

subiectum. Ratio est conspicua. nam si obiectum est causa conclusionum, subiectumque de quo passiones demonstrantur, & quid ex terminis constans, impossibile erit quod assumatur ut causa veritatum, nisi prius cognoscatur; ignoratis enim principiis, seu causis, effectus formaliter ignoratur. quam conditionem docuit Arist. 1. Posteriorum text. 2. & Scotus iterum in 3. dist. 14. q. 2. §. ad secundum, n. 12. & q. 3. vniuersali, & q. 3. prologi, §. ad primum, et si in ista q. de obiecto attributionis loquatur expressè, ut infra dicemus.

Secunda. *Secunda est, quod tale subiectum debet esse commune ad omnia considerata in illa scientia, & ista sequitur ex precedenti, quia communiora & magis confusa sunt ad cognoscendum priora, ut docuit Arist. 1. Physicorum, intellige in cognitione distincta.*

Tertia. *Tertia conditio, subiectum debet esse adequatum, ita quod non transcendat considerationem scientia, cuius est subiectum.*

Quarta. *Quarta conditio quod debet predicari explicite, vel implicite respectu passionum principalium illius scientia.*

Quinta. *Quinta quod possit dici in recto, vel in obliquo de subiectis aliarum cognitionum minus principalium, qua determinantur in illa scientia.*

Sexta. *Sexta quod per ipsum possit convenienter responderi ad quaestionem querentem, de qua determinetur in illa scientia. Et notandum quod secunda conditio non debet intelligi quod subiectum sit commune secundum predicationem, sed sufficit quod omnia considerata in illa scientia reducantur ad illud subiectum, vel ut principium, vel ut pars subiecti, vel ut pars totius subiecti, vel principii, vel partis eius, & ita de alijs modis, quibus fit reductio unius ad alterum, quod confirmat q. 3. prologi, num. 15.*

Septima. *Septima conditio est, quod obiectum habeat passiones, alias non erit quid de ipso demonstraretur. hanc proposuit Doctor lib. 3. Metaphys. in explicat.*

text. Philosophi summa 2. cap. 1. n. 17.

Aliam conditionem ponunt aliqui, nempe quod obiectum sit definibile, quod si de vera definitione fiat sermo obiecto adequato, conuenire non potest. Patet. nam ens secundum Philosophum 4. Metaphys. cap. 2. text. 2. est obiectum Metaphysicæ, & tamen definibile non est, cum genere & differentia careat, & Deus Theologiæ obiectum, & propter eandem rationem vera definitione caret; si verò de definitione quid nominis intelligant, admitrenda sanè est, quia obiectum debet recognosci ex prima conditione.

Alia ed. dicit.

Sed contra definitionem primi obiecti supra allatam insurgit ipse Scotus ibidem num. 5. sic, *Sicut se habet obiectum primum potentia ad potentiam, ita obiectum primum habitus, se habet ad habitum; sed obiectum primum potentia est aliquid commune ad omnia per se obiecta illius potentia; ergo primum obiectum habitus est aliquid commune ad omnia per se obiecta eius, & non aliquid virtualiter continens.*

Obiectio prima.

Item secundo, quia in scientiis assignatur communiter pro obiecto primo, aliquod quod est commune ad omnia illa, qua considerantur in illa scientia, sicut in Geometria linea, Arithmetica numerus, in Metaphysica ens. Vnde subinfert noster Aureolus in prologo sententiarum art. 4. quaest. de obiecto Logicae in responsione ad quaestionem, & Caiet. 1. part. summæ q. 1. art. 5. & Gabr. q. 9. prologi, sic: Sed commune non continet veritates inferiorum; ergo obiectum non debet continere omnes veritates scientia. Probatur minor ad exemplo, *Animal est commune ad hominem & equum; & tamen non est potens causare cognitionem veritatum ipsorum, tota enim virtus animalis ex se non est sufficiens ad causandam cognitionem istius veritatis, Homo est risibilis, aut,*

Secunda.

Equus est inhibibilis, est enim quoddam prius, à quo non valet subsistendi consequentia.

6.

Difficultatē primi argumenti subtilissimè euacuat. Scotus ibidem, sic: *Ad primum respondeo quòd proportio obiecti ad potentiam, est proportio motiui ad mobile, vel actiui ad passiuum. Proportio obiecti ad habitum est sicut proportio causa ad effectum. idemque notauit in 1. dist. 3. q. 3. §. sed contra, n. 24. & in 2. dist. 9. & in 3. dist. 13. & in 4. dist. 18. Quandoque autem aliquod agens agit in aliquod passum, potest quodlibet agens eiusdem actionis in quodlibet passum eiusdem rationis agere. Sicut calor, quia comparatur ad subiectum tanquam ad transmutabile, vbicunque ratio caloris reperiatur, & calefactibile, necessariò sequitur calefactio. sic color comparatur ad visum, & ens ad intellectum, ideòque omnia colorata à visu percipiuntur, & omnia entia sub illo conceptu ab intellectu attinguntur, etsi speciales rationes pro statu isto non moueāt. Patet de Angelis & spiritibus, vt notauit Doctor in primo vbi supra; Ergo prima extrema proportionis actiui ad passiuum sunt cōmuniā ad omnia per se extrema illius proportionis. Nā inter illa communissima, quippe transmutans & trāsmutabile, est adequatio, quia in quocunque est ratio vnius, illud respicit quodlibet, in quo est ratio alterius, sed prima extrema proportionis cause ad effectum non sunt communissima, quia inter illa non est adequatio. Non enim sequitur, si commune potest causare habitum, quod est speciale, possit & econuerso. Tota enim vniuersalis propositio, *Omnis homo est animal*, valet causare scientiam istius conclusionis vniuersalis, *Omnis homo est sensibilis*, nequaquam ista, *Petrus est animal*; sub illa vniuersali contenta; non enim quodlibet contentum sub illo communi respicit habitum illum, vt*

effectum eius, sed tantum aliquod primum obiectum contentiuum, quod virtualiter continet omnia, ad qua habitus se extendit.

Ad secundum dico quòd multorum habituum specie differentiu potest esse aliquod obiectum commune, sicut ab obiectis eorum potest abstrahi obiectum commune, & hoc modo in sciētis assignatur obiectū commune, à quo non est habitus vnus secundū speciem, sed tantum secundū genus. Vnde meritò inferunt communiter Scotistæ, Scotum solum de specifico obiecto tradidisse definitionē, neutiquam de generico, secundum quod genus est, & respicit multa inferiora contēta sub ipso. Obiectum enim specificum ita virtualiter continet veritates suæ scientiæ, vt sit causa potens causare cognitionem omnium passionum; in hoc ergo distinguuntur genus ab specie, vt dicemus quæst. 7. & 8. quòd species habet aliquas passiones non receptas à genere, vtpote homo risibilitatem; tamen indiuidua speciei nullas habent passiones ab specie non receptas, quod optimè notauit noster Ioannes de Bassolis, quæst. 3. prologi, §. secundò pono, vers. tertia conuenientia. Rursus Scotus in 1. dist. 3. q. 3. §. alia opinio, num. 5. ideo negat Deum esse obiectum adequatum intellectus, quia plura mouent, quæ non sunt Deus, & aliter esse dicendum de scientia, quia habet obiectum attributionis; ergo suam definitionem tradidit de specifico obiecto, non de generico.

Obiicies tertid. Causæ & effectus realiter distinguuntur: sed passiones secundum Scotum, ideo continentur in subiecto, quia illas potest causare; ergo realiter ab ipso distinguuntur, quod ipse negat. Resp. Doctorem non affirmare obiectū continere virtualiter passiones, potius in ipso formaliter

7.

Solutur.

liter

liter sunt : sed veritates quæ sunt in obiecto , alias producendo , in nobis scientiam, risibilitatem, vel alias passionibus quas demonstrat , produceret.

8. Ex quibus patet, quomodo conciliandæ sint aliquæ autoritates Scoti, quæ videntur inter se aduersari in prologo, vbi supra §. *ex dictis*, num. 7. docet causalitatem obiecti, seu virtualem continentiam in ordine ad causandum esse in genere causæ finalis ; sic enim habet. *Primum obiectum continet virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est primum obiectum : sed nihil continet omnes veritates Theologicas nisi Deus ; ergo, &c. Probatio minoris nihil aliud continet eas ut causa, sine ut illud, ad quod habent attributionem, nisi Deus, &c.* Sed attributionis obiectum, seu finis scientiæ non distinguuntur, , vt supra art. 1. n...ergo causalitas est in genere causæ finalis. §. autem *ad primum*, num. 18. docet, *quod subiectum scientiæ secundum veritatem non pertinet ad genus causæ materialis, sed ad genus causæ efficientis.* Conciliantur autem facillimè, si primam veritatem de obiecto totali & communi, seu de obiecto attributionis intelligamus, est enim illud, propter quod, seu cuius gratia omnes speciales rationes in scientia contemplantur, respectu cuius se habent tanquam media ; secundam verò de obiecto specifico, quod non solum tanquam finis, sed vt vera causa efficiens influit in cognitionem veritatum ; assumitur enim vt formale medium ad inferendas veritates, seu conclusiones.

quod magis elucidabitur quæst. 4. diff. 3.

DIFFICULTAS II.

Agat ne Logicus de actibus actiuis, an passiuis intellectus.

ARTICVLVS I.

Proponitur & refutatur aliquorum recentiorum sententia.

9. **S** Alablanca quæst. 3. proœmiali, & Hurtado disp. 1. Logicæ, sect. 5. quos alij sequuntur, sustinet Logicum agere de actibus formalibus, seu actiuis intellectus, citatur Fonseca lib. 2. Metaph. c. 3. q. 1. sect. 5. sed ex eo solum potest colligi quod asserat obiectum Logicæ non esse ens rationis. quæ consequentia non est euidens, ex dicendis diff. 3. art. 3. pro cuius intelligentia supponit Hurtado actus passiuos, seu obiectiuos intellectus esse tales formaliter ab actiuis, & consequenter, rationem definiendi & diuidendi syllogizandi esse intrinsecè in actibus actiuis, extrinsecè verò in passiuis, vt nos de denominationibus extrinsecis diximus, q. 2. diff. 2. art. 4. Vnde sic format rationem : Cõceptus obiectiuus sũt tales extrinsecè à formalibus, ergo formales intrinsecè habent id, quod obiectiuus extrinsecè. Tum sic ; ergo definitio, diuisio, argumentatio, &c. non solum actiuis actibus, sed etiam passiuis debet competere, & potiori iure actiuis proinde contra alios subinfert tam actus actiuos, quàm passiuos, attingi per se à Logico : actiuos, quia sunt formaliter instrumenta Logica ; passiuos, quia de rebus conceptis multa demonstrat Logicus.

9. Nonnullorũ sententia.

Sed hæc sententia falsa est quantum ad partem asserentem, Logicum

agere de actibus actibus, & concedendo omnia ipsius supposita, tanquam vera in nostra sententia, relictis variis impugnationibus, quæ parum vrgent, sic insurgo. Disputare de actibus formalibus intellectus, seu actibus attinet ad Philosophum, & ad Metaphysicum; ergo non ad Logicum. Non me latet posse responderi ex sententia ipsius Hurrado, §. 83. distinguendo antecedens, ad Metaphysicum enim spectat agere de ipsis secundum prædicata essentialia, & attributa intrinseca; ad Logicum verò secundum quod sunt actiua definitiones & diuisiones. Contrà, vel in istis actibus consideratur quod sint rationes actiua definiendi, aut syllogizandi, vel quod sint representationes definitionis & diuisionis. Primum est muneris Philosophi, tertio de anima, vbi de modo operandi intellectus sermo instituitur. Secundum tantum infert Logicum agere de conceptibus formalibus vt quo, de obiectiuis vt quod, & negati non potest. Nam sicut qui videt obiectum, suam visionem vt quo attingit, vt latius secundo de anima; ita quia agit de conceptu isto obiectiuo, syllogismus consequenter vt quo agere debet de eius formali representatione conceptu, sine quo totum eius esse corrumpit: at sicut quando cognoscit hominem representatum in speculo cognitio ad speculum, non terminatur vt quod, nec potest dici habere speculum pro obiecto; ita etsi Logicus vt quo de actibus formalibus necessario disputet, nequit inferri quod de eis pertineat agere ad Logicum; eadem enim de causa omnes alia scientia de actibus formalibus tanquam de obiecto formali agerent, quia sine ipsis sua obiecta attingere non valent, omnis quippe scientia obiectum cognitum supponit ex

difficultate prima; ergo in scientia de homine obiectum formale non esset homo, sed conceptus quo in mente representatur. quæ sententia ex dicendis difficultate sequenti art. i. magis refutabitur. Probabimus enim Logicam habere pro obiecto ens rationis: sed actus actiui non sunt ens rationis, cum verum esse reale habeant ponibile in prædicamento qualitatis; ergo.

ARTICVLVS II.

Proponitur nostra sententia.

PLacitum nostrum est, Logici muneris esse de actibus passiuis intellectus vt quod disputare. Fundamentum potissimum est. nam Logica eò tedit, sicut & omnes alia scientia, vt de suo obiecto demonstret passiones & proprietates: sed non demonstrat passiones actuum formalium, sed obiectiuorum; ergo. Maior patet ex dictis difficultate prima, & clarius dicendis q. 4. Probatur minor. nam Logicus non demonstrat passiones de actibus nostri intellectus, cum ex dictis art. præcedenti, hoc sit muneris Philosophi, sed solum de obiecto istius actus, nempe de definitione facta ab eo; ergo de actibus passiuis agit Logicus. Confirmatur. Ad Logicum spectat agere de prædicationibus: sed vnus conceptus actiuus non prædicatur de alio; non enim valet dicere: Conceptus hominis est conceptus animalis; valet tamen, Homo est animal, quæ representantur ab ipsis; similiter nec valet dicere, conceptus generis est conceptus vniuersalis; bene tamen genus est vniuersale; ergo de actibus passiuis, quibus prædicatio competit, diuisio, aut definitio, nõ verò de actiuis, quæ tantum vt quo attinguntur, Logicus disputat.

IO.
*Sententia
auctoris.*

ARTICVLVS III.

Aliqua argumenta proponuntur & enodantur.

II. *Argumentum primum.*

Primum, Logicus non solum demonstrat passiones sui obiecti, sed etiam docet definire, diuidere & argumentari: at omnia ista sunt actus formales, seu actiui intellectus; ergo de eis agit Logicus. Resp. distinguendo antecedens, docet definire, diuidere, dando cognitionem, quomodo isti actus fiât, & quomodo causent, nego: dat præcepta quibus debet constare diuisio & alia instrumenta logica, concedo. At hoc actibus passiuis conuenit. Probat. nam Logica scientificè docet; ergo demonstrando passiones & cõditiones sui obiecti, hoc enim est de ratione scientiæ, vt dicemus q. 5. sed tales passiones non demonstrantur de actibus actiuis, sed de passiuis, vt supra; ergo.

Argumentum secundum.

Secundum argumentum. Definitio obiectiua est talis à formali, & idem iudicium est de aliis Logicis instrumentis; ergo potiori iure conueniunt hæ passiones formali, quàm obiectiue. Resp. concedenda instrumenta logica ex dictis q. 2. diff. 2. a. 5. nullum habere esse firmum & reale, nisi extrinsecum, & mendicatum ab intellectu, in quem refunditur eorum tota firmitas & realitas, vt de esse diminuto, seu cognito diximus supra articulo 3.

Expeditur.

Missio.

Tamen inde solum licet inferre actus actiuos esse perfectiores in entitate, & intrinsecè entia firma & reata, non autem eis conuenire passiones actiuæ passiuorum, nisi solum vt quo, seu tanquam causis, propter dicta art. præcedenti. Resp. ergo in forma cõcedendo antecedens, & distinguendo cõsequentiã vt quo, concedo, vt quod, nego.

Argumentum tertium.

Tertium argumentum. Veritas est

adaquatio intellectus ad rem: sed Logicus agit de veritate & falsitate propositionum; ergo de actibus actiuis intellectus, in quibus veritas fundatur. Argumentum istud petit cognitionem cuiusdam questionis in 3. de anima explicandæ, in quo scilicet veritas & falsitas consistat. In presenti sufficit dicere quod sicut sunt actus actiui & passiuus intellectus, ita & veritas actiua & passiuua; Logicus enim non inquit, vt rûm actus intellectus sit verus, aut falsus, sed vt rûm obiectum actus veritatẽ, aut falsitatem cõtineat.

DIFFICULTAS III.

De obiecto formali Logica.

ARTICVLVS I.

Examinatur vt rûm Logicus agat de ente rationis.

Non est idẽ inquirere, vt rûm ens rationis sit obiectum adæquatum Logici, ac inquirere, vt rûm ea de quibus agit Logicus sub ente rationis, contineantur, siue sit triplex operatio intellectus, siue modus sciendi: sicut non est idem dicere ens reale esse obiectum Philosophiæ, ac dicere obiectum Philosophiæ quod est corpus naturale, ex dicendis quæst. 1. Physic. esse quid reale, ac per consequens hoc prædicatum realitatis transcendere omnia, de quibus agit Physicus; sic ergo nos inquirimus, vt rûm omnia partialia obiecta Logici, eiusque adæquatum obiectum, huic prædicato ens rationis subiiciantur.

Partem negatiuã tenet Fonseca lib. 2. Metaph. cap. 3. quæst. 1. Hurtado, Salablanca supra relati. Fundamentum est quod Logicus agit de actibus actiuis, qui quid reale important, vnde

Partem negatiuã qui tenent.

vnde parum impugnat argumeta, quæ contra istam sententiam adducuntur, nempe Logicum agere de definitione & diuisione, quæ entia rationis sunt. Nā ipsi facilliter se expediunt dicendo agere de actibus actiuis, solum qui quid reale sunt, proinde optime impugnabitur ex dictis difficultate præcedenti, vbi ostendimus Logicum de actibus passiuis agere; & addit Hurtado §. 23. quod etiam concedamus actus etiam obiectiuos esse obiectum Logicæ, non sequitur esse entia rationis. Nam omne esse extrinsecum, vt q. 2. difficult. 2. asseruimus, proueniens ab aliquo esse reali, reale est: sed sic est quod actus actiui reales sunt; ergo & passiuui, cuius falsitas ex nostræ sententiæ probatione satis impugnabitur. Et obiter notare oportet auctores huius sententiæ proposito fundamento non satis probare Logicum non agere de contentis sub ente rationis. Nam vel loquuntur de ente rationis rigoroso, & hoc nulli affirmant esse obiectum Logicæ: quod si affirmarent, nec suo fundamento sufficienter impugnaretur. Ratio est, quia etiam ens rationis rigorosum fit per verum actum intellectus; ergo ob eandem rationem diceretur ens reale. Si ergo de ente rationis in latiori significatione vsurpato fiat sermo, solum erit quæstio de nomine & de modo intelligendi extrinsecas denominationes ab actibus intellectus resultantibus. Supposito autem quod non detur in re natura una in pluribus posituè, illi actus etiam reales, totaliter erunt ab intellectu; obiecta tamen solum obiectiuè in ipso, ac per consequens entia rationis. Rursus eo fundamento solum probant obiectum Logicæ non esse ens rationis, vt alij intelligunt, non verò vt intelligunt ipsi, præcipuè quod Hurtado disp. 1.

Logicæ sect. 4. fatetur ex mente Sancti Thomæ, genera & species dici entia rationis; solum ergo erit quæstio, in quo consistat formalis ratio entis rationis, supponendo tanquam certum, ens rationis esse prædicatum obiecti logici, sicut ens reale obiecti philosophici.

Commune Peripatheticorum placitum asserit formale obiectum Logicæ esse ens rationis logicum, seu secundam intentionem: ita Doctor expressè quæst. 3. prologi §. contra istas, num. 11. & q. 3. vniuersali. Item secundo Elenchorum, & passim in Logica Angelicus Doctor 4. Metaph. sect. 4. ex antiquis Auerroes lib. 4. Metaph. tract. 2. Auicenna lib. 10. suæ Metaph. Durand. 1. distinct. 19. q. 5. Iauellus 6. Metaph. q. 7. Petrus Niger q. 12. in suo Clypeo, Flandria 4. Metaph. q. 5. art. 2. & 1. Posteriorū q. 1. art. 2. & 3. Zimarra annotatione vltima super quæst. lib. 2. Metaph. Balduinus quæst. 2. Angelus tractatu de præcognitionibus Logicæ, Albertus 1. Metaph. cap. 1. & in sua Logica, in princip. Egidius in initio Elenchorū, Soncinas in initio prædicabilium, Heruæus tractatu de secundis intentionibus parte vltima. art. 3. Gandauo 2. Metaph. cap. 12. & 4. Metaph. q. 6. Caietanus cap. de genere, Sotus q. 5. proemiali in Logicam, est communior inter recentiores, colligitur ex Arist. 4. Metaph. textu 5. dicente quod Logicus & Metaphysicus agunt de omni ente: sed Metaphysicus de ente reali agit, & de iis quæ continentur sub ipso; ergo Logicus de contentis sub ente rationis. Non me later auctoritatem istam Arist. explicari à Socin. q. 1. in prædicabilia de obiecto materiali, quia in hoc conueniunt Logica & Metaphysica, quod vtraque habet pro materiali obiecto quodcumque ens. Ego verò alio fundamento

19.

Peripatheticorum
placitum.

damento q. 7. probabo, vniuersale & omnia contenta sub ipso, syllogismū & alia instrumenta logica, esse actus factos intellectus, vnde consequenter dicendum Logicam de ente rationis agere, forsan propter hoc Doctor in prologo vbi supra, scientiam istam non realem, sed rationalem vocat, quia eius obiectum totaliter pendet ab intellectu. quod si ita non sit, opinio recentioram nō displicet; falsum tamen est dicere scientiam istam rationalem dici, quia obiectum eius intra animam est. Nam propter hoc omnes aliæ scientiæ rationales valent dici, quæ agunt de actibus internis, & apprehensis obiecti. Proinde Rhodophonus Briso, q. 4. proœmial. cōgruentissimè ens rationis, obiectum prædicationis appellat, quia de omnibus in Logica contentis prædicatur; & Mauritijs Hybernus q. 3. expositionis in Logicam Scoti. Vnde sic formo rationem: Ens rationis prædicatur de omnibus per se in Logica consideratis; ergo omnia instrumenta logica sunt formaliter entia rationis. Probatur consequentia, ad hoc vt aliquid prædicetur de alio formaliter, debet illi inesse: sed ens rationis formaliter prædicatur de definitione, diuisione, &c. ergo illi inest.

Contra nostram conclusionem aliquibus argumentis insurgunt aduersarij. Primum. Logica est scientia, quæ de suo obiecto passiones & proprietates demonstrat: sed ens rationis nihil est; ergo neque habet essentiam, nec passiones, & consequenter non erit obiectum in scientia. Resp. concedendo ens rationis non habere veram essentiam, nec veras passiones, vt dicemus q. 6. diffic. 3. art. vlt. & q. 3. Summularum, diffic. 1. a. 2. ex hoc diximus secundum Doctorem definitione quid nominis definiri, non verò quid rei;

tamen inde solū infertur, scientiam non esse veram & propriam, sicut neque obiectum eius est verè ens.

Secundum argumentum. Ens rationis nihil est; ergo non valet ab intellectu attingi. Resp. inde elici solū, ens rationis non esse obiectum motuum intellectus, quod admittit Scotus in 5. distinct. 1. q. 1. §. *ista ergo*, n. 21. non verò non esse terminatum, mouetur enim intellectus ad ipsius cognitionem, vel à materiali, seu denominato entis rationis, vel ab alijs speciebus, quod exemplo perspicuo explicat Doctor de cognoscente domū. Nōne illa ratio formalis domus mouet? Neutiquam, quia quidam respectus est, (si aliquid est.) sed solū illa ratio materialis, quæ perceptibilis est, cognitio tamen nostra ad formalem compositionem domus valet terminari. sic intellectus noster vt cognoscat Hippocētaurum, ab speciebus cerui & hirci mouetur, terminatur tamen ad hircoceruum, vel Hypocentaurum, de quo latius in libris de anima.

Tertium argumentum. Ens rationis est ens imperfectissimum & indirectè causatum; ergo eius esse ad nullam scientiam spectat, neque erit obiectum Logicæ. Resp. concedendo gratis nullam scientiam posse agere de ente rationis vt sic. Negamus tamen quòd non possit de aliquibus contentis sub ipso, qualis est Logica. Restat ergo solū examinare, quale ex contentis sub eo obiectum formale Logicæ sit.

ARTICVLVS II.

Quid senserint Nominales Scoti discipuli.

Multis abhinc annis damnatur vt temeraria & sine fundamen-

Obiectum
prædicationis, pro
ente rationis.

Argumentum
ab
aduersariis.
Primum.

ro, quædam sententia, asserens, voces esse obiectum logicale, quæ sententia tribuitur quibusdam Scoti discipulis, Okamo, & aliis: sed non constat inter authores, an de vocibus vocalibus, an de mentalibus loquantur, & forsan propter hoc calumniantur Doctores, quorum nunquam studuere doctrinis.

*Verum
voces &
nomina
sunt obie-
cta Logi-
ca.*

Rosselenus, Magister Petri Abailardi fuit primus, qui in scholis Philosophorum introduxit voces & nomina esse Dialecticæ obiecta & Philosophiæ; postea verò Abailardus in Theologia commiscuit, quam sententiam Rosselini refutat D. Anselmus in epistola de Incarnatione Verbi, vbi ait *quod monendi sunt illi utique nostri temporis Dialectici, qui non nisi flatum vocis vniuersale appellant.* florebant enim in eodem tempore Anselmus & Rosselinus anno 1080. quam sententiam sequitur Quintilianus lib. 12. cap. 2. eamque fuisse Stoicorum opinionem testatur Laërtius lib. 3. de vita Leonis. Post multa tempora Okamus cum suis asseruere voces esse Logicæ obiectum. Sed isti non primam sequuntur sententiam, nec de vocibus vocalibus, sed de conceptibus mentalibus expressè loquuntur, vt optimè notauit Hurtado disp. 1. Logicæ sect. 3. §. 15. habet expressè Okamus in 1. dist. 1. quæst. 8. Vbi conceptus mentis voces usurpat, & in proemio libri prædicabilium postquam affirmat Logicum de genere, specie, &c. disputare, subdit, genera & species propriè dici conceptus rerum vniuersalium, existentes in anima; voces verò externas impropiè, quatenus notificant internos animi conceptus. Item cap. 7. de numero & sufficientia prædicamentorum hæc inter alia quæ nostram confirmant explicationem habet: *Hic est primò sciendum quod ista non est diuisio rerum extra animam, sed*

est principaliter vocum incomplexarum & proportionabiliter, est intentionum in anima, vel passionum anima, seu conceptuum correspondentium vocibus significatiuis. Vbi satis clarè ostenditur per voces, conceptus mentales & internos intelligere.

Hæc autem sententia sic explicata multos habet patronos, quia si de vocibus actiuis loquatur, meo videri non differt à sententia Hurtado Salablanca, & aliorum recentiorum, vt supra. Quid enim aliud denotat actus actiuus intellectus, nisi actiuam vocem ipsius? & expressius Aureolus tenet in prologo sententiarum fol. 66. vocem vt expressiuam conceptuum esse Logicæ obiectum, vbi per conceptus intelligit obiectiuos. Si ergo de passiuis actibus intelligant, coincidunt cum sententia Scoti, expressè enim asserit, vt dicemus q. 6. diffic. 4. art. 3. Logicum agere de secundis intentionibus in actu signato, quæ nihil sunt nisi conceptus passiuus intellectus pro rebus significatis supponentes. Hoc enim obiectum genus non attingitur à Logico pro re denominata, non enim ipse de substantia, nec de animali disputat, sed de hac voce genus pro ipsis supponens. Et Suarius disp. 1. Metaph. sect. 4. num. 27. in hoc distinguit Metaphysicam à Logica, quod Metaphysica agit de rebus, Logica verò tantum dirigit conceptus, & docet quibus verbis, seu qua verborum forma exprimiendi sint, vt vim habeant suadendi & demonstrandi, quod ex Dialecticæ vsu satis est perspicuum. Hanc eandem sententiam tuetur Plato in Phædro, vbi garrulam vocat Dialecticam, hac ratione, quia de vocibus agit; & Aristoteles in antepredicamentis de vocibus agit, & Porphyrius idem videretur sentire, qui suum librum scripsit de quinque

*Dialecti-
ca garru-
lula cur.*

que vocibus. Ammonius in initio prædicabilium, & credo esse sententiam communem, quia in hoc distinguitur Logica ab aliis scientiis, quod Logica de conceptibus denominantibus per se disputat, vt de genere, specie, &c. Non enim, vt nuper dicebam, Logicus agit de homine, aut equo significatis per speciem, sed de secunda intentione denominante naturas.

Dialecticorum axioma.

Propterea tritum axioma inter Dialecticos est, Dialecticam agere de secundis intentionibus per se, de primis verò per accidens. Aliæ verò scientiæ de conceptibus & nominibus tantum agunt, quia per conceptus demonstrant passiones sui obiecti realis, vt pote Philosophia corporis naturalis; nominibus verò, quia cum res ad scholas adducere non possimus, vt mur nominibus pro rebus. In hoc ergo Logica & aliæ scientiæ reales distinguuntur, quod istæ de obiectis denominatis, illa verò de formis passiuis, seu actiuis secundum diuersas sententias agunt. Neque hoc negare possunt qui definitum vniuersalium secundam intentionem esse directè affirmant. Idem debet sentire Sæctius, qui q. 17. proœmiali, conclusione 8. docet secundam intentionem, vt sic, esse obiectum Logicæ.

ARTICVLVS III.

Proponitur & refellitur sententia asserens esse triplicem operationem intellectus.

15. Sci triplicem operationem intellectus asserunt.

SECUNDA sententia sustinet triplicem operationem passiuam intellectus, vt ab ipso dirigibilem, esse obiectum Logicæ, tenet Suarius 1. tomo Metaph. disp. 1. sect. 4. Ruvius quæst. 6. proœmiali, Masius quæst. 2. & alij recentiores. Fundamentum est.

nā omnia, de quibus agit Logicus, sub ipsis comprehenduntur; ergo. Probatur antecedens. Primæ operationi, quæ est simplex apprehensio, correspondet quædam pars Logicæ, in qua de simplicibus, seu de prædicamentis, in quibus omnia simplicia ad decem classes reducuntur. Secundæ operationi, quæ est compositio, seu diuisio, correspondet secunda pars Logicæ continens libros Perihermeniarum, seu de interpretatione, in quibus de enuntiatione, quæ est ratio significans verum, vel falsum, differitur. Tertiæ operationi, quæ est discursus, seu ratiocinatio, correspondet tertia, & vltima pars Logicæ, in qua de syllogismis, analyticis, topicis, & sophisticis est sermo, quæ correspondentia satis demonstrat obiectum adequatū Logicæ esse triplicem operationem intellectus. Confirmatur, ab aliqua sciētia debet considerari triplex operatio intellectus, vt dirigibilis per ipsum in formam modi sciendi: sed hæc nulla nisi Logica; ergo.

Reputatur.

Sed hanc sententiam sic impugno primò, quia Logicus non agit de operationibus intellectus, nisi vt dirigibiles; ergo quod formaliter constituit obiectum, est illa directio, seu oratio: at nulla potest ita comprehendere triplicem operationem sicut syllogismus; ergo potiori iure in sententia ipsorum debet dici obiectum Logicæ. Secundò illa dirigibilitas actiū intellectus est potentia passiuæ suæ naturalis, siue obediēcialis respectu ordinationis actualis; ergo talis dirigibilitas obiectum formale non erit: sicut enim album formaliter dicit albedinem; ita operationes directè & formaliter dicent directionem: materialiter verò operationes ipsas. Confirmatur, quia Logicus & Metaphysicus, vt notauit Suarez vbi supra, in

hoc distinguuntur quòd Metaphysicus agit de operationibus ipsis, Logicus verò de directione & ordine ipsarum; ita ergo erit obiectum formale.

ARTICVLVS IV.

Impugnatur sententia asserens ens rationis esse obiectum formale Logica, seu secundam intentionem.

16. **S**anctius vbi supra, sustinet, secundam intentionem in concreto, seu relatiuum rationis, quod dicit de formali secundam intentionem esse obiectum Logicae, allegat pro se auctores in primo articulo, docentes Logicum agere de entibus rationis. Fundamentum huius sententiae est, quia nullum datur obiectum sub se comprehendens omnia instrumenta logicalia, nisi secunda intentio; hæc enim denominat, seu connotat, genus, species, vniuersale, definitionem, &c. ergo obiectum Logicae debet dici, quæ sententia satis probabilis est, & multo magis in sententia sancti Thomæ, quæ communiter obiecta transcendentia suprema in scientiis assignat. Sed impugnari potest primò, quia alia obiecta immediatiora possunt dari, ad quæ omnia logicalia reducuntur; ergo illud erit obiectum Logicae. Secundò, quia obiectum est finis scientiæ: sed finis Logicae non est secunda intentio vt sic, sed modus sciendi, aut syllogisticus, vt infra; ergo. Itaque ista sententia est admitenda quantum ad hoc quod asserit, secundam intentionem esse obiectum Logicae; reiicienda tamen, quia vsurpat ipsum nimis abstractè.

ARTICVLVS V.

Quid senserit Doctor.

Communiter Scotista sustinent ^{17.} ^{Doctore placitū.} obiectum Logicae esse syllogisticum in communi, vt quid superius ad probabile demonstratum, non genericè, quia, vt diximus q.6. Summularum, omnes istæ species tantum accidentaliter distinguuntur, est enim diuisio syllogismi, accidentis in subiecta. Hanc sententiam sustinet Scotus q.3. vniuersali, ibidem Tartaretus, Philippus Faber theoremate 5. Mauritius, Seuerinus, Ioannes Anglicus, & alij Scotista, super Logicam Scoti. Item etiã aliqui Thomista recentiores in schola Complutensi, Louanienses, Colonienses, & Ægidius Romanus in proemialibus Logicae. Fundamentum huius sententiae est desumptum ex Doctore vbi supra §.dicendum ergo. *quia habet primam conditionem, statim enim post determinationem de eius partibus in veteri Logica, in primo Priorum, præmittit eius definitionem Philosophus, & secundam habet, quia in eodem multas passionem de ipso ostendit per illam definitionem, vt modum & figuram in illis deesse, & in modalibus, vt habere tres terminos in illo capite. Quoniam igitur in illis figuris per hoc quod est ex necessitate accidere conclusionem, &c. & tertiam similiter habet; propter ipsum enim in veteri Logica determinatur de eius partibus integralibus, scilicet de incompleto, & enuntiatione; & de partibus subiecti, in libro Topicorum Priorum, Posteriorum, & de alijs speciebus argumentationis, quia illa reducuntur ad ipsam, sicut imperfectum ad perfectum, & de syllogismo sophistico, & de priuatione eius, quia eiusdem est cognoscere habitum, & priuationem; sic ergo penes eius diuisionem & attributa illi:*

illi patet diuisio Logica. Sed obiectum cuiuscunque scientiæ est, ad quod ordinantur omnia, quæ in tali scientia tractantur; ergo syllogismus erit obiectum Logicæ, quia in ipso simplicia tanquam materia remota inveniuntur propositio & definitio, tanquam proxima, & ipsemet in Logica à Philosopho perlustratur.

18. Ipse Doctor lib. 1. Priorum q. 2. expressè negat syllogismum esse obiectum Logicæ. Fatetur tamen secunda conclusione quòd iste terminus instrumentum sciendi est subiectum in tota Logica, ita enim habet. *Prima conclusio quòd iste terminus syllogismus non est subiectum in tota Logica, probatur, quia subiectum debet esse commune ad omnia considerata in illa scientia cuius est subiectum: sed iste terminus syllogismus non est communis ad omnia considerata in Logica; ergo. Maior patet per unam conditionem prius positam. Minor patet quia in Logica determinatur de definitione, & diuisione de enthymemate, & inductione, ad quæ iste terminus syllogismus non est communis. Secunda conclusio est quòd iste terminus instrumentum sciendi est subiectum in Logica. Probatur per conditiones positas (& à nobis connumeratas difficultate 1. art. 2.) quia est communis ad omnia considerata in Logica, nec transcendit metas Logicæ; igitur, &c. Ex dictis potest haberi subiectum huius libri quòd orane instrumentum sciendi est diuisio, vel argumentatio: si est diuisio, hic est liber diuisionum Boëtij. Unde quia iste modus sciendi per diuisionem est valde imperfectus, ideo de ipso non curat Arist. si de definitione. sic est secundus Posteriorum, & sextus Topicorum: si autem determinetur de argumentatione, tunc quia iste modus sciendi est perfectissimus inter alios, ideo de ipso Arist. fecit quasi totam Logicam. Unde consideratio de argumentatione, vel est de argumentatione quantum ad*

se totam, vel quantum ad eius partes: si quantum ad partes eius, vel quantum ad partes propinquas, vel remotas. Si quantum ad remotas, sic est liber predicamentorum, ad cuius supplementum facti sunt libri Porphyrii, & sex principiorum: si quantum ad propinquas, sic est liber Peribermeniarum, qui est de enuntiatione, & pars propinqua argumentationis. Si autem fiat consideratio de argumentatione quantum ad se totam, vel hæc est quantum ad proprietates communes se tenentes ex parte necessitatis illationis, & sic est liber Priorum, cuius subiectum est argumentatio quantum ad eius proprietates generales pertinentes ad necessitatem illationis. Vel consideratur de argumentatione, quantum ad proprietates speciales contractus ad aliquam materiam specialem, & hoc quinque modis, vel quia contrahitur ad materiam probabilem, & sic est liber Topicorum, qui est de syllogismo dialectico; vel ad materiam necessariam, & sic est liber Posteriorum, qui est de demonstratione; vel ad materiam probabilem apparenter, & sic est consideratio de syllogismo sophistico, in libris Elenchorum, vel ad materiam persuasivam circa humana agibilia, & sic est liber Rhetoricæ; vel ad materiam anime elicitum propter delectationem, & sic est Poësis. Patet igitur qualiter iste terminus argumentatio est subiectum in isto libro, non simpliciter, sed quantum ad proprietates communes, quæ se tenent ex parte necessaria illationis, & hæc de tertio.

En duas Doctoris subtilis circa obiectum Logicæ opiniones, ad litteram propositas, quarum vna alteram respuit; potest ergo ambigi quæ istarum amplectenda sit. Aliqui Scotistæ volunt Doctorem in hoc primo Priorum sic esse intelligendum, quòd loquatur de modo sciendi, analogicè, seu antonomasticè, pro famosiori significato, quod est syllogismus: sed hæc explicatio nimis extorta est,

negat expressè Doctor esse syllogismum, & postea probat esse instrumentum scientiæ. Secundò si de instrumento sciendi pro famosiori significato loqueretur, potius demonstrationem tanquam præcipuum instrumentum sciendi usurparemus, quam syllogismum, quia iste etiam de probabilibus differit. Philippus Faber theoremate 6. cap. 3. & cum eo alij Scotistæ, negant libros illos Priorum esse Doctoris; ducuntur ad hoc asserendum, quia plura in his libris negat Doctor quæ in aliis expressè concesserat, utpote syllogismum esse obiectum Logicæ, quod in vniuersalibus quæstionibus apertè supponit. Secundò, quia plura argumenta quæ in hoc loco insoluta reliquit, dicendo solùm *ad rationes*, patet ex dictis in quæst. 3. vniuersalium resoluit, vbi probat obiectum totius Logicæ esse syllogismum. Sed hæ rationis, meo videri non probant sufficienter hos libros non esse Doctoris, quia eadem ratione possemus dicere tractatum vniuersalium esse alterius Doctoris, quia quæstione 12. vniuersali, & quæst. 17. Prædicamentali §. *ad quæstionem*, negat ens esse vniuocum, quòd sæpius in libris sententiarum & in Metaphysica probat & supponit. Confirmatur, quia frequenter experimur Principes authores suam retractare sententiam. Erit ergo optimum argumentum, iste mutauit sententiam; ergo hæc scripta alterius Doctoris sunt? Nequaquam certè. facilius posset explicari Doctor quòd in hoc libro priorum de obiecto prædicationis loquatur, cuius est dici de omnibus, quæ in illa scientia proximè pertractantur, inde est quòd non alia ratione negat syllogismum esse obiectum Logicæ, affirmatque esse instrumentum scientiæ, nisi quia

istud de omnibus proximè contentis in Logica prædicatur. Syllogismus verò nequit de definitione prædicari, quæ sententia ita intellecta potest confirmari cum prima, si dicamus instrumentum scientiæ esse prædicationis obiectum, syllogismum verò attributionis.

Si autem velis probabiliter istam sententiam de instrumento sciendi in sententia Doctoris defendere, probabilis satis est, eamque sustinent quamplures recentiores, & hoc vniuerso fundamento potest probari: Obiectum scientiæ est illud, quod dicitur de omnibus in illa scientia contentis, & omnia ordinantur in ipsum: sed modus sciendi, de omnibus obiectis proximis partialibus Logicæ prædicatur; ergo erit obiectum illius. Minorem probat Doctor, quia hæc est bona prædicatio, definitio est modus sciendi: diuisio est modus sciendi; ergo. Confirmatur. nam obiectum est finis scientiæ, ut diximus difficultate 1. sed eò tendit Logicus, ut instrumentum modumque sciendi, aliis scientiis tribuat; ergo erit obiectum illius.

Si autem obiicias, non esse de ratione obiecti adæquati, quòd dicatur de omnibus inadæquatis obiectis, ideo Deus obiectum Theologiæ est, etiam si non prædicetur de charitate, &c. Eo solùm quòd omnia ordinantur ad ipsum, & ea in virtute continent; ergo non bene inferitur ex eo quòd prædicetur de omnibus obiectis esse adæquatum obiectum. Resp. quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Ratio est, quia etsi sola prædicatio non sufficiat ad obiectum adæquatum, prædicatio tamen proxima hoc bene inferit, quia denotat perfectissimam continentiam, secundum quam continet omnia inferiora tanquam subiecta, de quibus prædi

prædicatur. Obstabis, ergo hac ratione ens deberet dici obiectum Theologiæ, quia de omnibus inadæquatis obiectis prædicatur. Resp. Deum poni obiectum Theologiæ, quia cum sit nobilissima scientia, debet habere nobilissimum obiectum. Replicabis, ergo ob hanc rationem demonstratio debet esse obiectum Logicæ. Resp. negando paritatem, quia obiectum est finis scientiæ, ens autem in communi non potest esse finis Dei. At instrumentum scientiæ potest esse finis demonstrationis. Nec debemus tribuere scientiis obiectum in entitate perfectissimum, sed perfectissimum in continendo, ea quæ tractantur in illa scientia, aliàs Deus diceretur obiectum Metaphysicæ; cum ergo modus sciendi proximius contineat, quàm demonstratio, ideo debet dici obiectum totius Logicæ. sic Deus non solum in entitate, sed etiam in modo continendi, omnia theologica obiecta exuperat, vt notauit Doctor quæst. 3. prologi num. 12.

ARTICVLVS VI.

Proponitur sequenda sententia.

21.
Scotista-
rum se-
quenda
sententia.

ETI non careat probabilitate, vt diximus, instrumentum sciendi esse obiectum Logicæ, sequemur tamen communem Scotistarum sententiam asserentem syllogismum esse totius Logicæ obiectum. Fundamentum huius sententiæ est, quod syllogismo conueniunt omnes conditiones requisitæ ad rationem obiecti. Nam non solum præsupponitur quod sit, sed etiam definitur ab Aristotele 1. Priorum, & de ipso demonstrantur passionibus; ergo. Secundo probatur hæc opinio, & simul reiicitur sententia, asserens esse in-

strumentum sciendi, argumento petito ex communi Logicorum prologo, quod ab Aristotele multis in locis, præcipue secundo Metaphysicæ propè finem, vsurparunt, vbi Dialecticam ipsam modum sciendi appellat: sed solus syllogismus formalis vt præscindit à probabili & demonstratiuo actus sciendi modificat & determinat; ergo. Probatur minor. Nam definitio & diuisio, etsi supponatur ad scientiam, non tamen modum sciendi tribuunt, nisi quatenus vi syllogistica diriguntur. Patet in hac definitione, *Homo est animal rationale*, quæ nec scientia est, nec potest modum sciendi tribuere, nisi in syllogismo constituitur: vt cum dicimus, *Omnis homo est animal, Petrus est homo; ergo Petrus est animal*; ergo definitio non est proprie instrumentum sciendi. Tertiò probatur, & simul reiicitur sententia Balduini citati à Fabro, dicente definitionem esse obiectum. Reiicitur etiam sententia aliorum, dicentium esse orationem. nam illud est obiectum scientiæ quod intenditur per se: sed cognitio partis non intenditur per se, sed refertur ad cognitionem totius, tanquam ad finem, vt cognitio materiæ & formæ, ad cognitionem totius compositi: sed definitio, oratio, & etiam diuisio sunt partes syllogismi; ergo solum syllogismus est qui per se tanquam finis cognoscitur in Logicæ. Probatur minor, de definitione, & suo modo de oratione. Nam definitio ex sua natura petit vt ex illa conclusio inferatur, & petit simul cum illa declarare essentiam & proprietatem obiecti, quia essentia prius cognita ex natura sua ducit in cognitionem passionis, & petit vt per illam passio cognoscatur: sed hoc est esse ex natura sua partem

partem syllogismi, præcipuè demonstratiui. Nam syllogismus nihil aliud est præter definitionem & cognitionem passionis ex illa deductam; ergo definitio ex natura sua, & etiam oratio suo modo, nihil aliud est, quàm pars syllogismi, ac per consequens syllogismus est finis adæquatus, & obiectum Logicæ.

22. *Sententia Alberti*
Alberti
M. rej-
situr.
Ex quibus etiam reicitur sententia Alberti Magni, lib. 5. Prædicamen. Auicena & aliorum, asserentium obiectum Logicæ esse argumentationem. Primo, quia quamuis verum sit quòd omnia ad argumentationem reducuntur, non tamen proximè, sed remotè, quatenus syllogismus sub argumentatione continetur, vnde est quòd Philosophus, vt bene notauit Doctor quæstione 3. vniuersali, §. *ad rationem positiois*, nunquam definiuit argumentationem, quæ est vna ex præcipuis conditionibus, ad obiectum formale requisitis. Confirmatur, quia neque de argumentatione in communi, in tota Logicæ demonstrantur passionis. Confirmatur secundò, quia vel argumentatio in communi, est æquiucum ad syllogismum, enthymema & exemplum, &c. Et tunc cum non sit vnum scibile, quia æquiucum plura importat, neque erit vna scientia. Vel est Analogum, quia vniucum nequit esse, cum enthymema, exemplum, &c. sint argumentationes penes ordinem ad syllogismum, (quod verum iudicat Doctor quæst. 3. vniuersali) & tunc cum Analogum supponat pro famosiori significato, argumentatio idem erit quòd syllogismus, vt notauit Philippus Faber theoremate 6. cap. 4.

23. Si tamen obicias, demonstratio-
nem esse perfectissimam speciem ar-
gumentationis; ergo, si argumenta-

tio analogicè vsurperetur, pro demon-
stratione supponet. Resp. Verum esse
supponere pro demonstratione, tan-
quam pro perfectissima specie, & cæ-
terarum mensura; tamen non suppo-
net pro demonstratione tanquam pro
perfectissimo continente, omnia quæ
tractantur in Logica; & ratio est, quia
etsi demonstratio, ob suam perfe-
ctionem, sit principalitatis obie-
ctum, non tamen formale, vt aliqui
ex antiquis Græcis, quos refert Fon-
seca 2. *Metaphysic. cap. 3. quæst. 1.*
& sequitur Hurtado, disputat. 1. Lo-
gicæ sectione 7. Nam Logicus non
solum agit & docet modum disse-
rendi ex necessariis, sed ex probabi-
libus scientiam comparare. Cum au-
tem hæc omnia sub syllogismo in
communi contineantur, saltem ma-
terialiter, non ad demonstrationem,
sed ad ipsum, omnia instrumenta
Logicæ ordinantur. Si autem obii-
cias Aristotelem in initio libri Prio-
rum, vbi dixit illam tractationem
esse circa demonstrationem, quod
idem est ac habere pro obiecto de-
monstrationem. Resp. Aristotelem
ibi agere de forma syllogizandi, quæ
eadem est in demonstratione & aliis
syllogismis. Eam autem demonstra-
tionem appellauit, vel quia ratione
formæ omnes syllogismi necessariò
concludunt, vel, vt alij dicunt, ibi
per demonstrationem intelligere for-
mam, vt connotat præcipuum sub-
iectum, nempe materiam demonstra-
bilem; sed hoc quid aliud est quàm di-
cere, demonstrationem esse obiectum
Priorum; sed inde non licet inferre
esse obiectum totius Logicæ, sed

illius partis, quod nos non
impugnamus in
præsenti.

ARTICVLVS VII.

Proponuntur aliqua argumenta contra nostram conclusionem, & enodantur.

24.
Obiectio
prima.
Soluitur.

Obiicitur primò. Syllogismus non continet definitionem, nec diuisionem; ergo non continet omnia quæ tractantur in Logica. Resp. definitionem explicare naturam rerum, diuisionem æquiuoca & confusa aperire, vt sic iam aperiunt tanquam ancille, vt syllogismus clariùs & distinctiùs suam efficaciam manifestet; pertinent ergo ad syllogismum tanquam ancillæ, seu proximæ dispositiones præuix, vt syllogismus rectè & perfectè conficiatur, sicut notauit Faber theoremate 16. vbi probat, definitionem non esse instrumentum logicum. Et ratio est, quia de iis solum agitur in Logica, vt sunt modi sciendi logici: sed non sunt modi sciendi, nisi quatenus partes syllogismi; ergo. Dices, diuisionem & definitionem, adhuc præcisè à syllogismo, esse ignoti manifestatiua; ergo instrumenta sciendi. Resp. verum esse antecedens: sed hoc non præstant per illationem vnius ex alio, sed notificando entitatem rei, sicut nomina & verba grammaticalia, quæ non generant scientiam.

Obiectio

Occurritur.

Obiectio
secunda.

Soluitur.

Obiicitur secundò inductionem, enthymema, & exemplum, non reduci ad syllogismum, & de iis agit Logicus; ergo. Resp. negando antecedens, nam totam vim conferendi habent à syllogismo quod in virtute continent. Vnde Aristot. in secundo Priorum, vbi de eisdem tractat, ad syllogismum reducit, & Doctor ibidem quæst. 8. inductionem ad syllogismum pertinere affirmat, & virtute propositionis vniuersalis, in ipsa contentæ sit

syllogismus in *Barbara*. nam vniuersale, de quo aliquid concludere volumus, in sua singularia distribuitur, quæ distributio postea fit minor. v. g. *Franciscus currit, Ioseph currit, & in cæteris simili modo, quæ propositio est vniuersalis materialiter, licet non formaliter. Sed omnis homo est Franciscus, & Ioseph, &c. ergo omnis homo currit.* Exemplum etiam reducitur ad tertiam figuram in modo *Datist*, hoc modo, *Quod euenit Francisco, id euenit Antonio: sed Franciscus peruenit ad magistratum; ergo & Antonius.* Enthymema facillimè reducitur. nam subtrahitur minor propositio, quæ clarissimè sub antecedenti continetur. v. g. in hoc enthymemate, *Omnis homo est animal; ergo Petrus est animal.* Siletur hæc propositio, *Petrus est homo*, quæ posita perficitur syllogismus in *Darij*, modo primæ figuræ.

Tertiò obiicitur. Nihil potest esse subiectum totius & partis adæquatè: sed syllogismus est obiectum adæquatè librorum de priori resolutione qui sunt partes Logicæ; ergo non est obiectum totius Logicæ. Resp. cum Doctore vbi suprà. *Ad secundum principale dico quòd syllogismus quo ad proprietates formaliter ipsum consequentes est subiectum libri Priorum: est autem obiectum totius Logicæ quo ad omnes passionem in se, vel in suis partibus integralibus, & subiectiuis, vel reducibilibus ad ipsum.* Resp. ergo in forma distinguendo maiorem, non potest esse obiectum totius & partis secundum eandem rationem, concedo: secundum diuersam, nego. Syllogismus autem est obiectum totius Logicæ secundum totam suam latitudinem materialem: librorum autem de priori solum secundum formam abstrahendo ab hac, vel illa materia, vt dicebamus in fine articuli præcedentis. Vnde

25.
Obiectio
tertia.

Remouetur.

falsò quidam neoterici Scotistæ affirmant libros Priorum agere de materia necessaria. nam hæc est differentia inter libros Priorum & Posteriorum. nam ij agunt de materia, scilicet demonstratione; illi verò de forma, quæ præscindit à materia probabili, & demonstratiua.

*Obiectio
quarta.*

Quartò obiiicitur ex Aristotele, lib. de sensu & sensato: Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: sed syllogismus, cum immaterialis & ens rationis sit, non fuit in sensu; ergo neque in intellectu. Resp. Philolophum ita esse intelligendum, vt omnia quæ sunt in intellectu, priùs fuerint in sensu, per se, vel per alienam speciem: syllogismus autem cum ens rationis sit, & totum suam esse sit ab intellectu, nunquam in sensu fuit per speciem propriam, sed per alienam materialem, ad modum cuius cognoscitur, de quo in 3. de anima.

Instãtia.

Instabis, euidentiã, certitudinem & claritatẽ esse proprietates reales syllogismi; ergo syllogismus à quo promanant, non erunt quid rationis, sed quid reale. Resp. esse proprietates syllogismi pro materiali, non pro formali, quia vt sic ens rationis est, vt docuit Doctor quæst. 3. vniuersali, & 1. Elenchorum in fine, & 3. Prolegi.

Exertitur.

Instabis secundò tales proprietates non emanasse à materiali, nisi quatenus substernitur formæ; ergo. Resp. verum esse: sed inde solùm inferitur ordinem istum esse conditionem sine qua non, quæ potest esse quid rationis, non tamen sequitur esse formam realem. Vnde falsò quidam neotericus Scotista conclusione 2. in hac quæst. ait, ens rationis esse obiectum materiale proximum Logicæ. quia de illo proximè disputatur, præcipuè cum conclusione 1. affirmet Syllogismum esse obiectum formale, quia si syllo-

gismus est ens rationis formaliter; ergo non tanquam materia, sed tanquam prædicatum constitutum pertinet ad syllogismum, vt nos supra initio quæstionis supposuimus, nisi vsurpet ens rationis in latissima significatione; sed de hoc non proximè, sed per accidens & remotè disputat Logicus.

Quintò obiiicitur, ex Doctore q. 3. vniuersalium, quòd omnis scientia est per syllogismum: sed ponendo, obiectum Logicæ esse syllogismum, iam dabitur scientia de syllogismo; ergo per syllogismum cognosceretur syllogismus: sed inde sequitur absurdum; ergo. Probat minor, primò daretur processus in infinitum, vel idem esset notius & ignotius, respectu sui. Probo sequelam, & inquirò, an de syllogismo particulari, per quem datur scientia de syllogismo in communi, habeatur scientia: si affirmes; ergo scientia de particulari est per alium syllogismum: si concedas esse per alium, tunc erit quæstio de illo alio, & sic in infinitum: si dicas per se ipsum causare scientiam de se; ergo est notior, in quantum per ipsum habemus scientiam, & ignotior, quatenus scientia habetur de ipso. Resp. Doctor. Ad primum argumentum concedo, quòd scientia est de syllogismo, per syllogismum aliquem particularẽ. Ad primũ contra hoc dico quòd syllogismus iste, per quem habetur scientia, notus est quoad veritatem præmissarum, quia sunt propositiones immediate illatiuæ conclusionis, & quantum ad illationem conclusionis ex præmissis, quia illatio est per se manifesta, cum syllogismus perfectus sit, qui nullius indiget ad hoc, vt appareat necessarius, ex primo Priorum cap. 2. id est, ad hoc vt manifestum sit conclusionem sequi ex præmissis: sed iste syllogismus

26.
*Obiectio
quinta.
Resoluitur.*

*Alia instantia.
Occurritur.*

gismus per quem habetur scientia, est ignotus quoad passionem illam quæ demonstratur de syllogismo in communi, secundum quam ipse syllogismus in communi est ignotus, non enim quæritur cognitio de syllogismo in communi, nisi quoad passionem, & ita non est idem notum & ignotum secundum idem. Neque sequitur processus in infinitum. nam illa scientia, quæ habetur de particulari, habetur per se ipsum, quatenus illa passio demonstratur de syllogismo in communi, per particularem, quia tunc etiam demonstratur de particulari, licet non per se primò, sed in quantum syllogismus particularis sub communi continetur.

Obiectio sexta.

Ultimò obiicies, syllogismum esse ens rationis pro formali; ergo indirectè causatur ab intellectu, & consequenter indirectè pertinebit ad Logicum. Resp. quòd siue causetur directè, siue indirectè, de quo iam diximus quæst. 2. difficult. 1. nihil est ad propositum, quia causa efficiens non est de conceptu intrinseco rei, unde bene poterit intellectus reflecti super syllogismum passivum, siue directè, siue indirectè ab ipso causatum, ut notavit Scotus quæst. 5. vniuersali, & in ipso propriam differentiam & passionem contemplari.

Dilatio.

27. Obiectum formale in Logica quod.

Petes primò quòd sit obiectum formale quo in Logica. Resp. tot esse obiecta formalia quo, quot rationes formales assentiendi in ipsa. Unde cum per distinctum medium formale, veritates definitionis ac syllogismi demonstramus, proinde quodlibet obiectum parziale, diuersa ratione formali sub qua gaudet: & inde inferemus quæst. sequenti, Logicam non esse simplicem qualitatem. nam et si habeat unū obiectum in specie, nempe syllogismum; non est tamen obiectum

formale quo, seu attributionis totius Logicæ, sed illius partis solùm, in qua formaliter agit de ipso, quia non possumus ex cognitione formali syllogismi, veritates speciales Logicæ demonstrare: sed qualibet specifica veritas distincto specie medio comprobatur, unde minus bene quidam neotericus noster existimauit syllogismum secundum rationem formalem esse obiectum totius Logicæ, quia expressè affirmat Doctor quæst. 3. vniuersali esse obiectum secundum partes integrales & subiectiuas, seu reducibiles ad ipsam; formaliter verò solùm pertinere ad libros Priorum, ut nuper dicebamus obiectione 3.

Petes secundò quòd sit obiectum principalitatis in Logica. Resp. demonstrationem. Ratio est manifesta. nam inter omnia alia obiecta inadæquata, seu materialia primum obtinet locum, ea enim est perfectissimum instrumentum sciendi.

28. Obiectum principalitatis in Logica quod.

QVÆSTIO IV.

De unitate & distinctione Logica.

HABEMVS ex superioribus quid sit Logica, & eius obiectum: Nunc autem de unitate inter se, & distinctione ab aliis scientiis occurrit disputare per tres sequentes difficultates.

DIFFICULTAS I.

Quomodo Logica distinguatur ab aliis.

ARTICVLVS I.

In quo differant Logica, & Metaphysica.

Magnam inter se habent affinitatem Logica & Metaphysica, propterea

Logica
& Meta-
physica
differunt.

propterea earum munera non sine controuersia ab authoribus inuestigantur. Ego tamen breuiter cum Suario, disp. 1. Metaphys. sect. 4. affirmo in hoc distingui, quod Metaphysicus præcisè naturas rerum demonstrat, in earumque indagacione versatur. Logicus verò eò tendit, vt tradat instrumenta sciendi, dispositionem & modum, quem actus habere debent, vt in modo & figura scientia comparetur, propterea Aristot. 2. Metaphys. cap. 3. docet, *absurdum esse scientiam simul & modum sciendi querere.* quia sine Logica, quæ modum sciendi tradit, aliæ perfectè comparari nequeunt. Nec ex hoc licet inferre, Logicum non indagare scientificè naturam suorum obiectorum, quia oppositum planè constat, cum Aristoteles essentiam syllogismi, eiusque passiones, aliorumque obiectorum per ipsam Logicam demonstrauerit, bene tamen inferitur, eam circa omnes scientias versari, vt eis modum inferendi tribuat, quod Metaphysica non fortitur.

ARTICVLVS II.

In quo Rhetorica & Dialectica distinguantur.

2. **R**atio dubitandi est, quia Rhetorica, & Grammatica de nomine, & verbo, modoque loquendi pertractant, de quibus & Dialectici, vt nos in Summulis fecimus, cuius dubij resolutionem optimè tradit sanctus Hieronymus, Hispalens. Episcopus, lib. 2. originum, cap. 23. his verbis, *Dialecticam & Rhetoricam Varro, in nouem disciplinarum libris, tali similitudine definiuit, Dialectica & Rhetorica est quod in manu hominis pugnus astrictus, & palma distensa, illa verba contrahens (nempe Dialectica) ista distendens*

(nempe Rhetorica.) *Dialectica quidem ad differendas res acutior, Rhetorica ad illa qua nititur docenda fecundior, illa ad scholas nonnunquam venit: ista ingiter procedit in foro, illa requirit rarissimos studiosos; hæc autem frequenter & populos.* Solùm ergo Logica, seu Dialectica, & Rhetorica distinguuntur, quod Logica concessum modum dicendi, seu enuntiandi, Rhetorica verò fecundum & extensum circa quæcunque docet obiecta, est enim quid per omnia transcendens sicut Logica.

Logica
& Rhetorica
differunt.

Habemus ergo Logicam à Metaphysica distingui, quia dat modum sciendi, quem illa non præbet; à Rhetorica verò ratione fecunditatis & extensionis verborum. Potest etiam inde distinctio ab aliis scientiis venari, quia nulla modum sciendi habet pro obiecto propter ipsam, estque optimum distinguendi argumentum ab obiectis ad habitus in scientiis.

Logica à
Meta-
physica
distinguitur.

DIFFICULTAS II.

Quomodo Logica docens & vtens distinguantur.

EX prima quæst. habemus diuisionem Logicæ in docentem & vtentem; venit disputandum quomodo inter se distinguantur, an formaliter, an realiter, proceditque quæstio, de eis respectu vnius conclusionis, vtrum Logica, quæ docet facere syllogismos, & quæ vtitur, distinguantur. nam respectu diuersarum non est quæstio, cum vsus definitionis non oriatur ab habitu syllogismi, suppositis infra dicendis quod Logica non est vna simplex qualitas.

Logica
docens &
vtens inter se
differunt.

ARTICVLVS I.

Probatnr, esse vnum habitum secundum substantiam.

3.
Logica
docens &
vtens,
vnu ha-
bitus.

Certum est inter recentiores, Logicam docentem, & vtentem esse vnum habitum secundum substantiam. colligitur ex Doctore quæstione 1. Ethicorum, tenet Ruuius quæst. 3. proœmiali, &c. & probatur efficacissimo argumento: Non sunt multiplicandi habitus, sine necessitate: sed nulla vrget ponere istos habitus realiter distinctos; ergo. Probatnr maior, quia natura superflua destruit, vel non admittit. Minor etiam probatur, quia nulla apparet implicatio, quòd idem habitus doceat, & vtatur talibus præceptis; ergo. quod argumentorum solutione patebit.

Argu-
mentum
primum.

Primum argumentum. Musica est duplex habitus, vnus qui dicitur *theorica*, causatus ex actibus, quibus regulæ consonantiarum cognoscuntur, & alius causatus de ipso exercitio, qui dicitur *practica*; ergo ob eandem causam alios duos in Logica debemus concedere. Resp. disparem esse rationem, quia in Musico est duplex subiectum, nempe intellectus respectu theoreticæ, sine speculationis, & brachium, vel manus, respectu exercitij, seu practicæ; ideòque debent esse duo habitus. quia vnum accidens nequit duo subiecta informare, quæ doctrina est Scoti in 3. distinct. 33. §. ad secundum, num. 18. vbi in potentiis externis habitus admittit. Vel posset responderi cum Suatio 2. tomo, Metaphys. disput. 44. sect. 2. negando, generari habitum in manu Musici, sed prouenire ab habitu intellectus. Vel tertio illum non esse habitum, sed quandam facilitatem in manu Musici, ex frequentatione actuum compa-

Soluitur.

ratur; manus enim non est subiectum capax habitus, ex dicendis in Metaphysica, ex aliquorum opinione.

Secundum argumentum, syllogismus factus, v.g. in Philosophia naturali, non procedit ab ipsa Philosophia, quæ non tradit præcepta syllogizandi, nec à Logica docente, quæ tradit præcepta in communi; ergo debet dari aliqua Logica vtens distincta, à qua tales actus procedant. Ob huius argumenti difficultatem variè opinantur aliqui recentiores, Vasquez 1. tomo primæ partis, disp. 8. num. 19. sustinet tot esse Logicas vtentes, quot scientiæ, in quibus talibus præceptis vtimur, & explicans istum modum dicendi, quidam neotericus addit quòd quando Logica est circa proprium obiectum, vtpote quando demonstrat passionem definitionis, definitque syllogismum, tunc ab eodem habitu docentis procedit & vsus; tamen, si circa diuersas scientias, tot sunt vtentes Logicæ, quot scientiæ. Quæ sententia si ita intelligatur, vt quæuis scientia sit vsus Logicæ, fautor; si verò, tot esse habitus Logicæ vtentis, quot scientiæ, nego. nam multiplicantur habitus in necessitate. Rursus quòd cum ipsa quæ tractantur in Logica, se habeant tanquam materia, respectu vtentis Logicæ, eadem erit ratio ac in aliis scientiis. v.g. quidditas definitionis est materia aliquando habitus syllogistici; sunt enim distincti habitus, qui versantur circa definitionem, & syllogismum, vt infra, nisi loquatur de eodem habitu respectu sui ipsius. Vt quando dicit: Definitio est oratio, tamen hic non est vsus, sed docere. nam vsus debet esse in materia distincta: sicut artifex non dicitur vti sua arte, quando eius regulas contemplatur, sed cum statuat facit. Ad argumentum ergo

Argu-
mentum
secundum.

resp. talem actum Philosophiæ, videlicet syllogismum factum in ea, procedere ab utroque habitu Philosophiæ & Logicæ. Ab habitu Philosophiæ secundum rationem particularem talis scientiæ; ab habitu verò Logicæ secundum rationem formalem syllogisticam: petit enim talis actus duplicem habitum inter se subordinatum, alium Philosophiæ, qui versatur circa rei essentiam, alium Logicæ, qui dat formam & modum cognoscendi:

ARTICVLVS II.

An supposito quòd sint vnus habitus, aliqualem patiantur distinctionem.

Aliqui ex Scotistis dicunt formaliter distingui. Fundamentum est. nam ideo animalitas, & rationalitas in homine, ex dicendis quærit. 6. difficult. prima, formaliter distinguuntur, quia habent diuersos effectus independentes: sed Logica docens, & vtens habent effectus distinctissimos; ergo arguunt distinctionem formalem in principiis. Sed hæc sententia mihi non placet, quia ea quæ distinguuntur formaliter, vel se habent tanquam superius ad inferius, aut tanquam passio & essentia, seu vt potentia & subiectum: sed neutrum istorum hinc inuenitur, vt discurrenti patebit; ergo non distinguuntur formaliter.

4. Resp. Logicam docentem & vtentem, nec distingui realiter, nec formaliter ab intrinseco, bene tamen per ordinem ad diuersos actus, quos causant, ex quibus resultant denominationes Logicæ vtentis & docentis. Vnde cum actus realiter distinguantur, consequenter denominationes & denominata. Itaque Logica vtens &

docens sunt vnus & idem habitus secundum entitatem: distinguuntur tamen realiter extrinsecè, ob diuersas denominationes, ab actibus docendi & vtendi causatas. Hanc doctrinam colligo ex Doctore in 2. dist. 27. quæst. vnica §. *differunt etiam*, num. 4. vbi charitatem à gratia, etiam si sint vnus habitus ex diuersis connotatis, & denominationibus, realiter distinguit, & in 3. libro de anima dicemus ex sententia eiusdem, memoriam, & intellectum esse idem formaliter, per diuersa tamen connotata realiter distingui.

Sed contra nostram conclusionem est difficillimum argumentum quòd habitus intenduntur per actus: at Logica docens non intenditur per actus Logicæ vtentis, neque contrà; ergo non sunt vna entitas. Maior est certa. Minor experientia comprobatur: nam per actus docendi, non redditur quis facilis ad vtendum, seu construendum syllogismos, bene tamen ad docendum; ergo sunt entitates realiter distinctæ, & non solum denominatiuæ. Ad hoc communiter responderetur intendi Logicam in quantum docentem, non in quantum vtentem: sed contrà militat argumentum, & manet semper in sua vi. nam actus non intendit extrinsecam denominationem, sed intrinsecam entitatem habitus; ergo si per actus Logicæ docentis non intenditur vtens, est signum euidentis quòd realiter distinguantur, secundum entitatem.

Facilius posset responderi in sententia Tartareti quæst. 5. proœmiali, §. *tertia propositio*, vbi asserit, illam facilitatem ex frequentatione actuum Logicæ vtentis adquisitionem, non esse Logicam docentem, aut vtentem, sed facilitatem quandam, seu promptitudinem inclinante ad consimiles actus eliciendos. citat pro se Scotum in 3. sentent.

sentent. dist. 33. Sed hæc doctrina falsa est. nam facilitas est quid concomitans habitus acquisitos, unde cum Logica utens sit ex actuum frequentatione acquisita, consequenter & eius facilitas, ad consimiles actus producendos. colligo ex Doctore ubi supra §. hæc opinio, vers. *Dato quòd voluntas*. ubi probat posse dari virtutes acquisitas in voluntate, his verbis. *Cum igitur voluntas non sit magis determinata ex se ad unum, quam intellectus, sed potest in ipsa ex actibus eius frequenter elicitis quedam habitus generari, inclinans ad similes actus, & illam dico virtutem.* sed habitus virtutis acquisitæ est idem quod ipsa facilitas; ergo facilitas Logicæ utentis est idem cum habitu acquisito.

5. Resp. ergo, actus tam Logicæ utentis, quam docentis, intendere absolutam entitatem habitus, tamen non inde sequitur, per actus Logicæ utentis debere facilitare potentiam ad utendum, vel econtra. Ratio conspicua est, quia habitus naturales non sunt faciles ab intrinseco, sed in quantum causantur à consimilibus actibus. Unde si Deus, ut potest, causaret habitum physicæ in intellectu meo, habitus iste iuaret ad connaturalitatem actus, non tamen ad facilitatem, requiritur enim ad hoc quòd cause- tur à consimilibus actibus vincen- tibus difficultatem potentiæ. Proinde etsi iste habitus Logicæ intendatur à quocunque actu tam docendi, quam utendi, tamen facilitas solum acquiritur secundum ordinem. Ad illum actum causatum intensio, ponamus casum, Logicum habere tres actus Logicæ docentis, & nullum utentis, in tali casu Logica absolute erit in- tenta, ut res & principium producen- di actus intentos in 3. gradu tam utendi, quam docendi, cum hac diffe-

rentia quòd faciliter præbebit docu- mentum, difficiliter usum. In quo au- tem consistant facilitas & difficultas, in Metaphysica examinabitur.

DIFFICULTAS III.

De unitate omnium conclusio- num logicalium.

HAbemus distinctionem Logicæ docentis & utentis. Occurrit iam perlustrandum, quam unitatem conclusiones Logicæ inter sese obseruent.

ARTICVLVS I.

Prænotantur aliqua pro intelligen- tia quæstionis.

NOtandum est primò, quòd vnum, secundum Aristotelem 1. Meta- phys. cap. 5. est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; ita lignum con- tinuum, & non diuisum in partes, dicitur vnum. Hæc autem vnitas, ut quæst. 6. difficult. 1. latius explicabi- mus, est triplex, numerica, specifica, & generica. Prima est propria indiuidui, 2. speciei, 3. generis.

Notan- dum pri- mum. Vnum quid.

Secundò notandum est ex Scoto in 4. dist. 8. quæst. 1. vnum esse duplex, al- terum vnitate indiuisibilitatis; vel simplicitatis, cuius complementum nihil extrinsecum spectat: alterum vnitate integritatis, vel ordinis; se- cundum quam plura dicuntur vnum, ex eo quòd ad aliquod vnum ordi- nantur, ut docuit Arist. 5. Metaphys. cap. 6. quale est ciuitas & exercitus.

6. *Notan- dum se- cundum. Vnum duplex.*

Tertiò supponendum est ex com- muni consensu, Logicam esse habi- tum, seu qualitatem à consimilibus artibus causatam: sed cum ex qualita- tibus, aliæ sint simplices, secundum extensionem, & indiuisibiles: aliæ compositæ ex plurium qualitate- rum aggrega-

Notan- dum ter- tium.

aggregatione, propterea excitatur
præsens difficultas.

*Notan-
dū quar-
tū.*

Ultimò notandum, non esse sermo-
nem de Logica adquisitā ex plurium
actuum frequentatione circa vnam
conclusionem, cum indubitabile sit,
esse omnino simplicem qualitatem,
quia caret obiectis, ad quæ possit ex-
tendi, tota enim extensio illius circa
vnum obiectum formale ordinatur,
sed quatenus circa diuersas conclu-
siones versatur.

ARTICVLVS II.

Utrum Logica sit vna simplex qualitas.

*Partem
affirmā-
tē qui
teneant.*

Affirmatiuam partem tenet An-
gelicus Doctor 1. 2. quæst. 52.
art. 3. & quæst. 54. art. 4. vbi Caiet.
quæst. 54. art. 4. Capreolus quæst. 3.
prologi. Ferrara primo contra gentes
cap. 56. Valquez 1. parte disput. 9.
num. 1. & 2. 2. disput. 8. num. 15. Sa-
las 1. 2. quæst. 52. tract. 10. disput. 5.
sect. 1. Valentia tom. 2. disp. 4. quæst. 6.
puncto 3. Ruuius quæst. 4. proœmia-
li. Fundamentum potissimum est, quia
etsi sunt plura obiecta materialia in
Logica, sunt tamen scibilia sub vnica
& indiuisibili ratione formali, sicque
sufficiētia ad vnam simplicem qua-
litatem causandam; quorum argu-
menta in fine contra nostram resolu-
tionem proponentur, & istius falsitas
statim oppugnabitur.

*7.
Negātem
qui.*

Negatiuam & huic oppositam sen-
tentiam, tenet Doctor quæst. 3. pro-
logi, 2. laterali, versad secundum di-
co, num. 5. & in 3. distinct. 25. quæst. 2.
§. ad secundum, & in distinct. 36. §.
quantum ergo. Liquetaus & Tartare-
tus in prologo relato, Gregorius
quæst. 3. art. 1. Okamus quæst. 1. &
Gabriel quæst. 8. ex Thomistis Son-

cinas 6. Metaph. quæst. 9. Sotus quæst.
3. proœmiali, Toletus ibidem, Fonse-
ca 5. Metaphysic. cap. 7. quæst. 5. sect. 2.
Suarius 2. tomo Metaphys. disput. 44.
sect. 11. à num. 45. vsque ad 48. Hur-
rado disput. 1. Metaph. sect. 7. & disp.
16. de anima sect. 4. Egidius de præ-
sentat. lib. 1. de beatitudine, quæst. 8.
art. 5. num. 27. & 29. Fundamentum
nostræ sententiæ declaratur sic, &
consequenter probatur. Nam nos non
negamus, omnes conclusiones Logi-
cas, cuidam obiecto formali subster-
ni, siue sit modus sciendi, siue syllo-
gismus, nec quoddam respectu talis ob-
iecti, reliquæ rationes dicantur mate-
riales, nec quoddam habitus tendens in
illam præcisam & formalem ratio-
nem obiecti, sit vnus & simplex, vt
inferiùs explicabimus. Tamen Logi-
cus, non solùm intendit omnia hæc
ad vnum obiectum formale ordinare,
sed sui muneris est illorum quiddita-
tes & passiones indagare; quomodo
enim per rationem formalem, modi
sciendi, aut syllogismi definitionem,
& diuisionem venabitur? Cùm ergo
omnes istæ conclusiones per distincta
media demonstrantur non subordi-
nata in isto genere, proinde non
vnam simplicem qualitatem, sed plu-
res specie distinctas producant. Hac
de causa Doctor in 1. distinct. 3. quæst.
7. num. 41. docet, cognitionem albi &
nigri specie differre, quia causantur
ab obiectis, specie distinctis, & statim
subdit, *Cùm arguis ultra, quod tunc om-
nes habitus, talium specie differrent, con-
cedo de habitibus qui habentur virtute
propria talium obiectorum.* Ex quibus sic
probo nostram sententiam.

Primò habitus specificantur ab ob-
iectis: sed in Logica sunt plura ob-
iecta specie distincta; ergo & habitus.
Respondent Thomistæ variè huic ar-
gumento. Primò aliqui dicunt, illa
obiecta

objecta distingui tātū materialiter, non formaliter, quia omnia considerat Logica in ordine ad suū obiectum formale. Contrā, (quidquid sit de formali eorum distinctione, vel materiali) actus circa illa obiecta distinguuntur specie; ergo & habitus. Patet consequentia. nam habitus generatur ab actibus repetitis, vt à causa adæquata, v. g. assensus conclusionis circa definitionem pluries repetitus, sine assensu circa syllogismum est sufficiens, & adæquata causa ad generandum habitum inclināntem intellectum ad similes assensus circa definitionem, & assensus circa syllogismum, est etiā causa adæquata, producens habitum inclināntem ad consimiles assensus circa syllogismum; sed ad pluralitatem causarum adæquatarum, sequitur pluralitas effectuum; ergo isti duo habitus, (idēque est de aliis, dummodo circa diuersas specie conclusiones versentur) sunt distincti, & eo modo quo actus, vel assensus, quia duæ causæ adæquatæ distinctæ speciei, semper producant suos effectus specie distinctos.

Propterea respondent alij actus speciei distinctos posse eundem terminum habere. Patet de motu circulari, & recto terminatis ad vnum indiuisibile centri; ergo. Ex distinctione specifica istorum actuum non sequitur distinctio specifica habituum. Sed contra est, quod motus prædicti nihil producant in termino, & ita cum sit quid extrinsecum, potest esse terminus plurium relationum; sed actus sciētiae verè productiui sunt, propterea distinctos effectus debet producere. Non me latet posse responderi, nec hīc produci aliquem terminum, quia qualitas non per additionem gradus ad gradum, sed per maiorem radicationem in subiecto extenditur;

sed contrā, quidquid sit de hoc (de quo in libris de generatione) semper difficultas subsistit; quid enim facit radicatio maior istius conclusionis, definitio est oratio ad eliciendam conclusionem circa syllogismum.

Confirmatur nostrum fundamentum, si quis habens prius habitum circa definitionem progrediatur, vt sciat aliquid de syllogismo, aliquam entitatem realem de nouo addit priori habitui, vt communiter aduersarij fatentur; tunc sic illa noua entitas, vel est eiusdem speciei cum præexistenti, vel diuersæ. Si secundum, habemus intentum; si primum, & ex illis simplex habitus componitur, sicut albedo ex pluribus gradibus. Contrā, iam non differrent in habitu intentionis & extensiuum augmentum, quod est contra D. Thomam 1. 2. quæst. 52. art. 1. & eius expositores, secundum quos habitus intenduntur, multiplicatione actuum circa eandem conclusionem, & circa diuersas extenduntur. Nec potest dici, habitum extendi ratione subiecti, sicut albedo in corpore, penes diuersitatem partium, quia subiectum habitus est intellectus carens partibus. Ex quibus Okam in proœmio Logicæ sic conficit argumentum. Quando aliqua sic se habent, quod aliquid stat cum vno, quod non stat cum alio illorum: illa non sunt eiusdem rationis; sed accipio scientiam qua scitur conclusio vna libri Posteriorum, & scientia qua scitur conclusio alia eiusdem libri, & sit vna A, & alia B. tunc sic, cum scientia qua scitur A, stat ignorantia, siue error circa B. igitur A. & B. non sunt eiusdem rationis.

Secundò probatur nostra sententia, quia, vt diximus quæst. 1. habitus ponitur ad vincendum subiecti diffi-

cultatem; ergo ad vincendas distinctas difficultates, distincti habitus praequiruntur. atqui distincta difficultas est in Logica circa syllogismum, ac circa definitionem, vel aliud instrumentum. Rursus in exercitio, quaelibet harum diuerso specie actu repetito superatur; ergo & diuerso specie habitu.

9. Aliqui Thomistae fatentur, hos actus specie distingui, tamen cum sint circa idem obiectum formale, eundem habitum producant: sed contra, quod illud obiectum, quodcumque sit, non potest esse ratio continens tanquam causa omnes veritates quarumlibet conclusionum; ergo. Respondent obiectum esse quasi causam æquiuocam vniuersalem continentem effectus specie distinctos non formaliter, sed virtualiter, & ita obiectum Logicae, potest esse causa vnica diuersis actibus specie distinctis, eundem habitum producens. Contra. nam quouis obiecto assignato, euidenter cognosces non posse esse causam cuiusuis veritatis. nam vel est triplex operatio intellectus, & hæc cum sit simplex ratio, quomodo poterit per modum motiui simplicis omnes veritates causare? Vel ens rationis, aut modus sciendi, & neque ista cum sint superiora & inferiores rationes in se, tanquam causae continere non valeant, ut ostendimus quaestione 2. artic. 2. difficultate 1. Rursus. nam continentia virtualis est optima in causis non rationalibus, non tamen in rationalibus, quæ per cognitionem operantur: at ista virtus est incognita in obiecte; ergo. Minor probatur, quia intellectus noster ex cognitione entis rationis non potest inferre cognitionem inferiorum.

Totum discursum experientia con-

firmatur, qua videmus aliquos habere vnius conclusionis scientificam notitiam; ignorantis aliis; ergo. Notitia superadueniens, alterius conclusionis specie distincta est, quia obiectum illud specie distinguitur, ut fatentur aduersarij.

ARTICVLVS III.

Proponuntur varia argumenta contra nostram conclusionem.

PRIMUM argumentum respectu plurimum obiectorum materialium, est vna potentia visiva, quia subsunt vni obiecto formali; ergo & vnus habitus respectu vnius obiecti formalis. Confirmatur. nam omnis perfectio debet suo perfectibili proportionari: sed est vna potentia respectu vnius scientiæ; ergo vnus habitus. Resp. disparem esse rationem de habitu & potentia; potentia enim ex se est indeterminata, & habitus est determinatio potentia, in ordine ad suum effectum, & implicat vnum habitum in specie determinare potentiam ad effectus specie distinctos non subordinatos. Notanter dico, *non subordinatos*, quia actus amoris Dei, & proximi causantur à potentia, cum vnico habitu, & nihilominus specie distinguuntur, subordinantur tamen inter se. Ad confirmationem resp. probare omnes scientias, ab eodem habitu indivisibiliter posse provenire, quandoquidem in eodem intellectu subiectantur; in eo ergo sistit proportio, quod si subiectum est speciale, forma etiam sit specialis, & in aliis quæ non sunt huius loci, & videri possunt apud Scotum in 1. distinct. 3. quaest. 3. §. *contra illud, vers. Respondeo.*

Secundum argumentum. Habitus infusi sunt simplices qualitates, ut fides,

10.
Argu-
mentis
contra-
ria.
Primum.

Secundum.

fides, spes, charitas, etsi sint plura obiecta credenda specie diuersa; ergo idem potest contingere in habitibus acquisitis. Resp. disparem esse rationem. nam omnia fidei dogmata, ex vnico formalissimo motiuo credimus, non enim intellectus fidelium his propositionibus, Deus est trinus & vnus, Verbum est incarnatum, assentitur propter veritates quas in se habent, nec à rationibus intrinsecis obiectorum mouetur, sed solum ex vnico motiuo, quia Deus dicit: in scientiis tamen diuersis conclusionibus, sub diuersis mediis formalibus assentitur, cuius rei rationem perspicue docuit Doctor in 3. dist. 25. quaest. 2. num. 3. in fine. Nam cum motiuum credendi sit extrinsecum, potest adaptari rebus specie distinctis, secus est de motiuo conclusionis, quod cum intrinsecum sit, non potest esse vnum in diuersis conclusionibus specie distinctis, si quaelibet sub speciali ratione formali contempletur.

ARTICVLVS IV.

Quam unitatem habeat Logica.

Primè notauit Suarius vbi supra num. 6. ad unitatem scientiæ non requiri simplicitatem, sed sufficere aliam quamcunque unitatem, quem sequitur Hurtado disputat. 1. Metaph. sect. 7. Vnde Caietanus 1. p. quaest. 1. artic. 3. ait totam doctrinam D. Thomæ de unitate Theologiæ eandem habere veritatem, siue habitus sit vnus, siue plures, dummodo obiecta ordinentur ad vnum.

Dicendum ergo est, Logicam esse vnam scientiam à sui obiecti unitate: tenet expressè Scotus, de quibuslibet scientiis, in 1. distinct. 6. quaest. vltima, num. 21. & quaest. 7. num. 41.

& quaest. 8. num. 4. & in 3. dist. 36. quaest. 1. quale ergo fuerit obiectum, talem unitatem præstabit scientiæ. Cum ergo ex suprascriptis syllogismus non sit obiectum secundum rationem formalem, sed secundum materialem, in qua plures rationes attingibiles continentur, & de quibus diuersæ passionibus possunt demonstrari; hinc est Logicam solum dicendam fore vnam materialiter, seu unitate ordinis, vel attributionis, qualem habet syllogismus, & hanc unitatem sufficere in scientiis, colligitur manifestè ex Aristotele 4. Metaph. cap. 2. text. 2. vbi de Metaphysica docet, non esse scientiam vnam, quia vnus obiecti in genere: sed quia omnia ordinantur ad ens; docet igitur Scotus scientiam esse formaliter de illo obiecto, ad quod cætera partialia ordinantur, propterea potest dici vnus habitus formalis respectu obiecti adæquati, virtualis verò, respectu cæterorum obiectorum materialium, seu inadæquatorum, hæc enim habet in 3. vbi supra. Qualiter enim omnes prudentiæ sint vnus habitus, & omnes habitus Geometriæ pertineant ad vnam scientiam vniuersalem, dictum est quaest. 1. supra 6. Metaphysicæ, quia ibi debet intelligi unitas non formalis, sed virtualis; habitus enim ille, qui est de primo obiecto, est formaliter vnus, & est virtualiter omnium quæ continentur in illo primo obiecto: sed non est formaliter omnium illorum. Cum ergo in nostra sententia obiectum Logicæ sit attributionis, consequenter scientia, quæ de ipso agit, vna formaliter erit ex obiecto attributionis, respectu verò aliorum vna virtualiter.

Petes an ista unitas possit dici generica, vel specifica.

Resp. vtrumque colligi ex Doctore.

11.
Vnde
Logica,
44.

nam in 3. nuper citato affirmat, unitatem istam habituum posse dici genericam. Idem tenet quaest. 3. prologi citata, in qua eo solum affirmat Theologiam posse dici vnam, quia datur vnus habitus genericus, abstrahens ab specialibus habitibus inferioribus: sed non est intelligendum Doctorem admittere habitum in genere, cum certum sit nullum genus dari praecisum ab specie, sed abstrahibilem esse conceptum vnum, omnibus obiectis communem, de quo possit dari vna scientia genericè simplex. In quo sensu Albertus de Saxonia quaest. 1. vniuersali, conclusionem 1. tenet posse dari vnam simplicem scientiam de quinque vniuersalibus. Nam de eis potest simul formari vna conclusio scibilis, & demonstrabilis, sicut ista, *Nullum vniuersale est substantia*; tunc habitus istius conclusionis erit scientia vna simpliciter, quod docuit expressè Doctor in 3. dist. 31. quaest. vnica. §. *Respondeo*. In primo autem dist. 3. quaest. 7. num. 41. docuit modum secundum quem plures habitus specie distincti vnam specificam scientiam valeant constituere. Sic enim habet. *Et cum dicis, quomodo tunc esset vna scientia de pluribus speciebus specialissimis. Resp. quòd vna species specialissima potest includere multas alias species virtualiter, siue passiones earum, siue per modum causa, siue per alium ordinem essentialem, & tunc habitus ille qui est formaliter illius obiecti primi includentis, alia est virtualiter aliorum obiectorum, licet non formaliter. Primum est igitur ille habitus vnus ab unitate primi obiecti virtualiter, continentis omnia, qua continentur in illo: non est autem proprius, cuiusque virtualiter, contento in primo obiecto, sed qui essent proprii illis, essent distincti, sicut illa sunt distincta. Quibus verbis perspicue demonstrat*

scientiam posse dici vnam in specie; quia obiectum, ad quod omnia partialia ordinantur, species quaedam est. Cum ergo ex quaest. 6. Summularum difficultate 3. artic. 2. syllogismus quid specificum sit, & non genericum, Logicam vnam in specie nominabimus, quia eius obiectum tale est. Posset tamen dici vna genericè, non ab unitate obiecti proprii, sed quia ab habitibus specie distinctis, potest abstrahi conceptus vnus genericus illis conueniens; sicut enim qui dicit animal, nec dicit hominem, nec leonem, sed aliquid ipsis commune; ita qui dicit Logicam, profert genericum conceptum conuenientem habitui, definitionis, syllogismi, &c. Legatur Doctor lib. 6. Met. quaest. 1. n. 8. ibidem Anton. Andreas quaest. 3.

QVÆSTIO V.

Utrum Logica sit scientia, & qualiter.

SERVAUIMVS in superioribus quaestionibus Aristotelicum ordinem. Circa scientiæ indagacionem in 2. Posteriorum cap. 5. examinauimus, an sit in rerum natura, quid sit, id est, quam essentiam habeat, propter quid sit, id est, ad quem finem vel obiectum ordinetur. Nunc autem, qualis sit, venit elucidandum, id est, an sit scientia. Nec modò disputare praesumo, an sit practica, vel speculatiua, quia de his in Metaph. vbi de scientia in communi erit sermo.

& inde ad speciales
descendemus.

* * *

DIFFICULTAS VNICA.

Vtrum Logica sit scientia.

ARTICVLVS I.

*Prænotantur aliqua pro elucida-
tione quæstionis.*

*1. Notandū
primum.
Scientia
bifariam
sumitur.*

PRænotandum est primò, scientiam bifariam vsurpari. Primò largè pro quacunque cognitione intellectus, qua ratione fidem & opinionem comprehendit. Secundò præse pro sola cognitione clara & euidenti, per causas comparata; tunc enim scire putamus cum res per causas veniamur, vt dixit Arist. 1. Posterior. c. 1. Hæc autem scientia quandoque accipitur pro actu, quia est actualis assensus conclusionis scientificæ, tandiu durans, quandiu intellectus operatur; quandoque verò pro habitu, qui est facilitas in intellectu ex pluribus actibus repetitis generata, in eo perseverans adhuc cessante ab operatione, illa dicitur actualis scientia, ista habitualis. Ex quibus congruentissimè sic scientiam definire possumus. *Est habitus certus & euidens rei necessaria per demonstrationem adquisitus.* Habitus ponitur loco generis, per quem conuenit cum aliis habitibus positus ab Aristotele 6. Ethicorum c. 3. Cæteræ particule ponuntur loco differentiarum. Per ly *certus* differt ab opinione, quæ non est certa, sed cum formidine partis oppositæ; per ly *euidens* differt à fide diuina, quæ licet sit certior quacunque scientia creata, non tamen euidens, cum sit ænigmatica, & rerum quæ non perspiciuntur, sed aliquo testimonio reuelantur; per ly *rei necessaria* differt ab arte quæ versatur circa contingens; per ly *per demonstrationem adquisitus* differt ab as-

*Scientia
quid.*

sensu principiorum, qui statim ex sola notitia terminorum euidens est. Prima siquidem principia indemonstrabilia sunt, ideòque prima dicuntur. Ratio est conspicua: nam si scientia est conclusio elicita ex præmissis, illa quæ alia non supponunt, scientifico assensu indigari non valent. Quæstio nostra procedit de scientia, in hac strictiori significatione vsurpata.

Secundò notandum, posse controverti, tam de Logica docente, quam vtente, an scilicet neutra sit scientia, an altera, an vtraque, de quibus sequenti articulo diuersa placita proponemus.

*Notandū
secundū.*

ARTICVLVS II.

Proponuntur aliquorum sententia.

Simplicius, Philoponus, Themistius, & Petrus Niger, quos refert & sequitur Villalpandus, q. 5. proæmiali, affirmant, nec Logicam docentem, nec vtentem posse dici scientiam. Fundamentum est primò, quia Arist. 2. Metaph. cap. 3. docet absurdum esse, simul querere scientiam & modum sciendi, vbi commentator per modum sciendi intelligit Logicam; ergo Logica non est scientia, quia modus sciendi est.

*2.
Sententia
prima.*

Murcia q. 3. proæmiali, sequutus aliquos antiquiores, affirmat Logicam vtentem esse scientiam.

Secunda.

Tertia sententia docet Logicam docentem esse verè & propriè scientiam. ita Doctor quæst. 1. proæmiali §. *dicendum*. Est communis. Negat tamen Logicam vtentem tam actiuam, quam passiuam, esse scientiam, ita expressè Doctor q. 1. vniuersali, §. *dicendum*, cum eo omnes Scotistæ, Philippus Faber, theoremate 1. cap. 5.

Tertia.

S. Thom. 4. Metaph. cap. 2. & alij, quos citat & sequitur Ruvio q. 3. processuali.

ARTICVLVS III.

Duobus dictis explicatur vera sententia.

4.
Assertum
primum.

Dico primò, Logica docens est propriè scientia. Probatur. nam scientia est cognitio rei per suas causas: sed Logica per syllogismum probat demonstrationem esse verè causam, & propriè generare scientiam; ergo est vera scientia. Secundò probat Doctor, quia scientia de suo obiecto demonstrat passiones & proprietates: sed Logica de syllogismo, quod est eius obiectum, demonstrat, habere modum & figuram, quæ sunt eius proprietates; ergo.

Nec obstat Aristoteles iam relatus, asserens absurdum esse, scientiam & modum sciendi simul querere. nam resp. primò cum Doctore vbi suprà, Logicam non esse modum sciendi, sed agere de modo sciendi, scilicet de syllogismo. Vel secundò resp. alij, illam propositionem Aristotelis, intelligendam esse de aliis scientiis à Logica.

Obiectio
prima.

Obiicitur primò scientiam secundum Aristotelem 4. Metaph. cap. 10. debere esse determinatam, & habere obiectum determinatum: sed Logica in omnibus scientiis syllogizat & definit; ergo non est scientia determinata. Resp. scientiam requirere obiectum proximum determinatum, non verò remotum: quapropter proximum obiectum Logicæ est determinatum, nempe syllogismus; quod verò remotum sit in hac, vel illa materia, est per accidens, & specialiter contingit Logicæ, quæ eò dicitur

Expedi-
tur.

scientia communis, quia eius præcepta in omnibus scientiis exercentur, vt docet Doctor q. 2. processuali; ergo.

Obiicitur secundò, Logicam non ^{Obiecto}acquiri per demonstrationem; ergo ^{secundò} non est scientia. Probatur antecedens. nam si acquireretur per demonstrationem, supponeretur ad Logicam demonstratio, & alia Logica docens, conficiens talem demonstrationem. Rursus hæc supponeret aliam, & sic in infinitum. Resp. Logicam acquiri ^{Dilutio.} per demonstrationem, & ad illam non supponi, aliam Logicam perfectam & verè scientiam, sed sufficere Logicam naturalem, vel artificialem imperfectam, quæ reperitur in tyronibus, & solùm ex perceptione præceptorum, & non per demonstrationem generatur.

Dico secundò, Logica vtens actiua ^{Assertum}(nam de passiuua non est dubium) ^{secundò} non est scientia. Probatur primò, quia scientia ex Arist. de suo obiecto demonstrat passiones & proprietates: sed vtens non demonstrat passiones de suo obiecto, sed tota se occupat in dirigendo intellectum, vt vtatur instrumentis à Logica docente traditis; ergo non est scientia. Secundò scientia est cognitio euidens ex antecedenti euidenti: sed dirigere intellectum ad conficiendum syllogismum non est talis cognitio; ergo.

Obiicitur primò contra istam conclusionem, Logicam docentem & vtentem eundem habitum componere, vt diximus q. 4. difficult. 2. art. 1. sed docens ex dicto primo, est scientia; ergo & vtens. Resp. esse eundem habitum, ^{Solutio.} realiter, entitative, & formaliter; distinguui tamen realiter extrinsecè, vt diximus vbi suprà art. 2. Quod sufficit, vt vna sit scientia, & alia non. ^{Replisio}Replicabis secundum Doctorem q. 4. ^{110.}prologi,

prologi, §. dico igitur, verſ. ex iſto ſecundò, practicum & ſpeculatiuum; non poſſe eidem numero, habitui compe- tere, vt nos dicemus in Metaphyſica; ergo nec poterit eſſe ſcientia, & non ſcientia. Reſp. diſparem eſſe rationem. nam ſcientia & ars ſunt accidentia habitus: at verò practicum & ſpecu- latiuum ſunt propriè paſſiones habi- tus, & idem ſubiectum poteſt ſubiacere pluribus accidentibus ſpecie di- uerſis, non verò pluribus paſſionibus, ſpecie diſtinctis, ſicut homo nequit eſſe ſimul riſibile & rugibile.

Exepli- tur.

Obiectio ſecunda.

Diluitur.

Obiectio ſecundò, Logicam vtentem demonſtrare de ſuo obiecto paſ- ſiones. nam efficit demonſtrationem; ergo eſt propriè ſcientia. Reſp. con- cedendo, efficit demonſtrationem, modo compoſitorio: ſed hoc non ſuf- ficit ad rationem ſcientiæ, ſed debet inclinare, ad aſſenſum concluſionis modo reſolutorio, & hoc modo pro- bare de ſuo obiecto paſſiones. nam hoc eſt quod requiritur ad rationem ſcientiæ, & hoc ſuppoſito, non inter- eſt, ſi ſimul ſcientia procedat compo- ſitoriè, & plura ſolùm probabiliter probet, vt facit Logica docens, quæ docet qualiter ſyllogiſmus, definitio, &c. ex principiis ſuis conſtruenda ſint, quia cùm præcipuus eius actus ſit ſcientificus, non obest, quòd alij minus præcipui, non ſint ita perfecti: at præcipuus actus Logicæ vtentis eſt dirigere ad uſum in particulari, quod eſt extra rationem ſcientiæ; ergo.

ſ. Quæſtio.

Reſpoſio.

Petes: ſi Logica vtens non eſt ſcien- tia, quis ergo erit ex habitibus in- tellectus ab Ariſt. numeratis 6. Ethicorum cap. 4. ſcilicet ſapientia, ſcien- tia, ars, prudentia, fides, opinio? Reſp. eſſe artem. Probatur, quia ex Ariſt. ibi- dem ars ſi liberalis eſt, eſt habitus cum vera ratione actiuus: ſed hoc conue- nit Logicæ vtenti; ergo ars eſt. Pro-

batur. nam ars mechanica verſatur circa externam materiam, ideo dici- tur habitus cum vera ratione factiuus: at liberalis ſolùm verſatur circa ope- ra interna intellectus, quod propriiſ- ſimè vtenti competit; ergo eſt ars li- beralis.

Replica.

Reſpoſio.

Replicabis, ſcientiam & artem ſpe- cie diſtingui; ergo nequeunt eidem habitui competere: ſed Logica do- cens & vtens, ſunt vnus & idem ha- bitus; ergo. Reſp. primò diſtingui ſpecie accidentaliter, ideo eidem ſub- iecto poſſunt conuenire, ſicut albedo & dulcedo lacti, & idem actui, ratio adulterij & ſacrilegij, & eadem nu- mero ſcientia, prout in Magiſtro di- citur doctrina, prout in diſcipulo diſciplina. Secundò reſponderi poteſt quòd ſicut poſſibile eſt, ex duabus na- turis & rebus ſpecie diſtinctis, oriri res eiufdem ſpeciei; ita poſſibile erit, ex vnico habitu numero, oriri duas ſpecies diuerſas. Primum probabile reputat Scotus in 2. diſt. 1. q. 5. §. dico, num. 5. quem ſequuntur multi in ma- teria de Angelis, vbi aſſerit intelle- ctualitatem hominis & Angeli, ſeu actus primi intelligendi vtriuſque non diſtingui ſpecie, etiam ſi Angelus & homo ſpecie diſtinguantur. ſic in noſtro caſu, licet Logica docens & vtens, ſint vnus habitus abſolutè, non mirum quòd ſecundùm diuerſas denominationes docendi & vtendi, iſte habitus participet rationem ſcientiæ & artis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Logica ſit ſcientia realis.

Habemus ex articulis præceden- tibus Logicam docentem eſſe ſcientiam, quia de ſuo obiecto paſſio- nis & proprietates demõſtrat. Tamen

6.

ad exactiorem huius veritatis intelligentiam oportet examinare, an sit scientia realis, vel rationis. Nec modò disputo an ille habitus causatus & congenitus ab actibus logicis sit realis, nec ne. nam apertissimum est esse qualitatem realem habitualem causatam ab actibus realibus intellectus, quæ cum sint causæ reales efficientes, effectum realem necessariò inferunt; solùm ergo est difficultas, an possit dici vera scientia realis formaliter, seu quatenus respicit suum obiectum, quod est syllogismus formalis.

*Sententia
negativa
faci-
tur.*

Respondeo Logicam nõ esse scientiam realem, sed rationis, aut rationalem, non quia sit in intellectu, quia vt sic omnes scientiæ rationales nuncupantur; sed quatenus respicit obiecta per se intentionalia, & quæ subiacent secundis intentionibus. tenet expressè Doctor q. 1. Logicæ in fine, vbi Logicam vocat rationalem, vt contrà distinguitur à reali, & in 6. Metaph. q. 1. §. *interdictas*, vers. *secundò videndum*, num. 6. Scientiam speculatiuam diuidit in realem, & rationis, & sub hac Logicam constituit. idem supponit §. *ad argumentum*, vers. *contra illud*, num. 18. & in prologo sententiarum quæst. 3. & 2. laterali, §. *ex his dictis*, vers. *contra viam*, num. 11. Nostrum assertum eo probat quòd scientia realis debet habere obiectum reale, à quo saltem extrinsecè specificetur; sed Logica etsi agat de rebus; hoc tamen est materialiter & per accidens, quatenus subiacent enti rationis, seu secundis intentionibus, vt diximus ex communi sententia q. 3. difficult. 3. art. 1. ergo non debet dici scientia realis, sed rationis.

Ex quibus manifestè ostenditur quòd etiam si Logica sit vera scientia rationis, vt supponit Doctor infra citandus num. 8. tamen comparata ad

scientiam realem, non debet propria scientia existimari. Ratio est conspicua, quia si nequit dici scientia realis, quia obiectum eius est rationis; ergo similiter, quia ens rationis est diminutum & improprium ens, per attributionem ad ens ratum & firmum, vt crebrò diximus quæst. 2. non poterit Logica, quæ de ipso agit, propria existimari, sed impropria, & per attributionem ad veram scientiam.

Secundò in quauius scientia definitio est medium demonstrandi passionnes, vt dicemus quæst. 14. difficult. 3. Sed entis rationis non datur vera definitio, sed solùm quid nominis, vt diximus in Summulis quæst. 3. a. 1. ex Doctore 1. lib. Priorum q. 5. & in 4. sententiarum dist. 1. q. 2. §. *hic primò videndum*, num. 2. per totum. Vnde infert §. *ex his*, num. 8. Sacramentum non esse propriè definibile, quia est formaliter ens rationis; supposuerat enim in fine numeri tertij, veram definitionem & propriè dictam esse *entis positiui per se vnius realis compositi realiter*; ergo si ens rationis non est propriè definibile, nec per ipsum propriè possumus demonstrare passionnes, quod scientia realis necessariò requirit.

Tertiò scientia realis demonstrat veras passionnes de suo obiecto: sed ens rationis non habet veras passionnes; ergo Logica, quæ de ipso agit, non est vera scientia realis. Maior est certa. Probatur minor ex Doctore quæst. 15. vniuersali, §. *ad primum argumentum*. Vbi eo passionnes entis realis & rationis differre arbitratur, quòd passionnes entis rationis ab intellectu causantur; passionnes vero entis realis, ab eius quidditate nulla ope extrinseca promanant. Ratio est perspicua, quia cum ens reale sit perfectum, & rata entitas, independens à suo efficienti in conseruari, valet

valet virtute propria in suas passiones influere; ens verò rationis cum sit diminutum, imperfectissimum, & propè nihil, cuius totum suum esse est cognosci, si passiones in ipso ab intellectu non contemplantur ab eius entitate nullatenus pullulabunt. Ideo sapius quaest. 6. dicimus relationes rationis nec multiplicari, nec minui, nisi ex diuersa cognitione intellectus, quia nihil resultat ab ente rationis, cuius totum esse est cognosci, nisi quod in ipso consideratur.

8. *Obiectio.* Obiicies Doctorem quaest. 2. 3. & 7. vniuersali, vbi non rarè affirmat vniuersale ens rationis, & syllogismum habere passiones; ergo contra ipsius mentem id negamus. Resp. nos confiteri cum Doctore syllogismum, vniuersale, & ens rationis habere passiones; negamus tamen esse veras passiones à natura horum nulla ope intellectus promanantes. quod docet *Solutio.* Doctor vbi supra. Dices; ergo non debent dici passiones. Negamus consequentiam. Ratio est, quia sicut entis rationis naturam per ordinem ad ens reale venamus; quapropter illam vocamus essentiam entis rationis, quam primò ei competere cognoscimus. Sicut eam dicimus essentiam entis realis, quam primum conceptum rei arbitramur; ita similiter in passionibus, eas dicimus passiones entis rationis, quæ ab intellectu iuxta ipsius entis naturam vt secundarios conceptus contemplantur; sicut passiones reales dicimus, quas enti iuxta exigentiam suæ naturæ per se secundariò cognoscimus conuenire, hac solum obseruata differentia, quod istæ à reali quidditate rei promanant, illæ verò intellectus consurgunt ministerio.

Obiectio secunda. Obiicies secundò contra præcipuam conclusionem. Ex obiecto &

potentia gigni notitiam, seu cognitionem: sed obiectum Logicæ non potest causare notitiam sui ipsius; ergo neque scientiam. Maior est certa. Minor probatur, quia syllogismus est ens rationis: sed hoc nequit esse causa realis, vt probat Doctor in 1. dist. 13. quaest. 1. §. *aliter*, num. 7. & in 3. dist. 8. quaest. 1. num. 19. ergo neque erit scientia de ipso, adhuc rationis, quæ qualitas realis sit. Resp. Scorum non negare ens rationis cognitum cognitione reflexa posse causare realem cognitionem ad intra, imò hoc sæpe fatetur, vt diximus quaest. 3. difficultate vltima, solum enim negat ens rationis esse obiectum motiuum cognitionis practicæ qua efficitur, quia cum habeat esse per cognitionem practicam, seu factiuam, nequit mouere ad sui ipsius practicam cognitionem, iam enim esset causa sui ipsius, & prius causaret, quàm haberet esse; semel tamen factum & representatum per species reales optime potest reflexam sui ipsius causare cognitionem.

QVÆSTIO VI.

De vniuersali in communi.

QUOD Vniuersale, concretum quoddam sit, materia constans & forma, de materia, siue de naturis, quæ denominantur *vniuersales*, vt eius naturam facilius & apertius indagare possimus, oportet primo loco exagitare quaestionem; deinde de forma qua naturæ vniuersales denominantur; tertio de definitione eiusdem; quarto, quid primò importet hoc nomen *vniuersale*, seu quid per

definitionem directè & primariò definiatur; quintò, utrùm vniuersale sit obiectum libri Porphyrij; sextò, utrùm sit genus ad quinque prædicabilia; septimò, utrùm prædicabilia sũnt tantùm quinque; octauò, & vltimò, quomodo vniuersalia de suis inferioribus prædicentur.

DIFFICULTAS I.

De naturis qua denominantur vniuersales.

ARTICVLVS I.

Prænotantur aliqua pro intelligentia difficultatis.

SI exactam naturarum vniuersalium intenderemus exhibere notitiam, prolixam satis proponeremus & exagitareremus quaestionem ad Metaphysicam potius, quàm ad Logicam spectantem, tyrociniũque studentium Dialecticæ maximè exuperantem; proinde solùm supponemus aliqua, & præcipuis fundamentis stabiliemus, longam discussionem ad Metaphysicam reuocantes.

I. Suppono ergo primò ex Scotica schola, distinctionem trifariam accipi; alia quippe est distinctio realis, alia formalis, rationis alia. Distinctio realis propriè contingit extremis in suo genere completis, & realiter existentibus, quorum quodlibet, in suo esse actuali, alterum non includit, nec ab eo dependet. sic Petrus & Paulus mutuo realiter distinguuntur, quia alterius esse corrupto alio permanet. Notanter dixi, *saltem in suo genere*, propter materiam & formam, quarum quælibet habet

proprium actum in suo genere, etsi materia saltim naturaliter nequeat extra compositum existere. Ad hanc etiam reducitur modalis distinctio, ut quæ est inter rem & modum eius, exempli causa, inter Franciscum, & eius sessionem, vel deambulationem, quia etsi modus non valeat existere sine sua re, res tamen valet existere sine suo modo. Item distinctio inter includens & inclusum, quæ est inter totum & eius partes, nam totum includit partes, & nihilominus realiter ab eisdem distinguitur, eo præcisè, quòd supra ipsas addit actualem causationem vtriusque, de quo in primo Physico. Distinctio formalis, quæ communiter ab Scotistis *media* dicitur inter realem & rationis, ea est, quæ versatur inter duas formalitates, quarum neutra per vllam potentiam separata subsistit, exempli gratia, quæ est inter substantiam & corporeitatem, & inter animal & rationale, &c. quæ distinctio proprius vocatur distinctio in re, quàm realis, quia fit, nulla mediante forma distinctiua, sed eo præcisè quòd vna formalitas est extra conceptum obiectiuum alterius, propterea non identitas congruentius debet denominari. Distinctio rationis fit opere, seu ministerio intellectus, aliquando cum fundamento in re, ut quando distinguit res quæ fundamentalem, seu præsuppositiuam habent distinctionem; aliquando sine fundamento, quando fingit distinctionem implicantem in re: ut si animalitatem distingueret à se ipsa.

Secundò suppono cum Doctore in 2. distinctione 1. quaestione 1. num. 13. instantia cuiusuis naturæ creatæ, quædam esse naturæ, quædam durationis. Illa dicunt durationem & actuali

I.
Suppositio prima.
Distinctio triplex.
Realis,

et ratio nis.

2.
Suppositio secunda.

Instantia duratio- nis que.
Instantia natura que.
 actualitatem completam, seu existen-
 tiam temporaneis instantibus men-
 suratam, sic est durationis instans,
 in quo lignum, petra, homo, &c.
 actualiter existunt. Instantia naturæ
 dicuntur ea, à quibus non valet sub-
 sistendi consequentia, eo solum quod
 sequentia instantia, seu realitates
 in sequentibus instantibus, duratura
 non includunt: propterea non valet
 dicere, est animal; ergo homo, quia
 in illo esse naturæ animalitatis, nec
 humanitas, nec rationalitas inclu-
 duntur, sed ea respicit indifferenter:
 vnde incompleta duratione, verbi
 gratia, Petri, plura instantia, & prio-
 ritates naturæ continentur, quippe
 eæ, secundum quas substantia præ-
 cedit corpus, corpus animal, ani-
 mal rationale, rationale Perreita-
 tem; proinde prioritates æquè com-
 munitè appellantur, quia ab illis in-
 cipiunt metaphysica prædicata, eo-
 rumque compositio, & natura talem
 ordinem exposcunt, itaque, vt be-
 ne notarunt Conimbricensis cum
 Durando in Prædicabilibus, hæc
 prioritas non est durationis, sed de-
 pendentiz.

3. Supp. in re.
 Tertio suppono, eodem funda-
 mento sustineri, dari prioritates na-
 turæ in re, & distinctionem forma-
 lem, seu non identitatem: in re, in-
 quam, ad vitandum non modi-
 cam æquiuocationem, ob quam plu-
 ra contra nos Thomistæ congerunt
 argumenta. putant ipsi, prioritatem
 in re esse prioritatem existentiz, &
 durationis, seu in qua illud, quod
 est prius, habet esse actuale, sine
 suo posteriore; seu distinctionem in
 re esse, secundam quam vnum ex-
 tremum habet suam actualitatem,
 in qua non dependet ab alio, quod
 ex nostratibus somniauit nullas. Di-

citur ergo distinctio in re, quia in
 vnico esse actuali & existenti stat
 optimè quod vnum prædicatum non
 includat aliud in suo esse reali for-
 maliter, & hanc esse communem
 sententiam, paucissimis neotericis
 demptis, in Metaphys. ostendemus.
 Habemus ergo, istas prioritates &
 distinctiones dicendas esse in re, non
 à parte rei, quia hoc denotat prio-
 ritatem, in qua vnum habet actua-
 litatem independentem ab actuali-
 tate alterius; illud verò in vnica com-
 pleta actualitate metaphysica reali-
 tates, ordinem prioris & posterioris
 obseruantes, & non identitatem in-
 ter se.

Suppono quartò, quod cum vni-
 tas ex Peripathetica schola cum Ari-
 stotele lib. 6. Metaphysic. capite 6.
 & lib. 10. cap. 1. sit carentia diui-
 sionis, tot consequenter erunt vni-
 tates, quot diuisiones, quibus res
 possunt carere; vniuersè ergo ea,
 quæ diuisionem non habent, ea ra-
 tione qua non habent, vnum dicun-
 tur. Primò autem vnum subdividi-
 tur in vnum per se, & per acci-
 dens; hoc plures entitates ad di-
 uersa prædicamenta spectantes im-
 portat. Sic vnum dicuntur, albedo
 & paries; vel ad idem prædicamen-
 tam, dummodo nullam potentiali-
 tatem & actualitatem dicant inter
 se; sic plures lapides, vnitatem com-
 ponunt aggregationis, licet in eo-
 dem prædicamento substantiæ col-
 locentur. Vnum per se determina-
 tam habet entitatem & essentiam,
 in vnico genere, aut specie, siue
 simplicem, seu compositionis ex-
 pertem, vt Deus Opt. Max. siue
 compositam, vt corpora physica,
 quæ materia & forma per se: vt
 verò actu & potentia componuntur,

4.
*Supple-
 tio quart-
 ta.*

Vnitatis duplex formalis.

vel Metaphysicæ species, quæ genere & differentia constituuntur. Harum rerum vnitatis alia est formalis, alia numeralis. Formalis ea est, quæ naturæ conuenit in ea præcisa consideratione & indifferentia, qua à quolibet inferiori præscinditur. Diuiditur autem in genericam, & specificam. Generica dicitur, quæ per plures specificas rationes, seu differentias est contrahibilis: vt animal per rationalitatem, & inhibilitatem; specifica est, quæ pluribus solum numericis differentiis determinari valet: vt homo, Petreitate & Ioanneitate. Numeralis propriè competit indiuiduis, & est ea, qua Petrus est idem sibi, & à quolibet distinctus.

Et numeralis.

His vnitatibus aliam cum communi consensu, vt bene notarunt Patres Coninbricens. quaest. 2. vniuersali, art. 1. & eam expressit Doctor in 2. distinct. 3. quaest. 1. adiunge, videlicet communitatis, quæ conuenit naturis communibus in se præcisè, & quatenus à singularitate præscindunt. Est autem hæc vnitatis nihil aliud, quàm indiuisio rei communis in sua inferiora, & hanc esse concedendam hæc vnica ratione ostenditur. Vnitatis idem est ac indiuisio: sed res communis, in ea prioritate, qua suorum inferiorum contractionem præcedit, est indiuisa, cum se ipsa diuidi nequeat, quia de se nec dicit vniuersalitatem, nec singularitatem; ergo in hac præcisa ratione aliquam aliam habet vnitatem ab aliis distinctam, quam idcirco vocare possumus præcisionis, seu indifferentiæ, aut negatiuam, quia non cadit in naturam, nisi prout præscindit, & veluti à suis inferioribus liberatur. Nota tamen hanc communitatem impropiè ab aliquibus priuatiuam nuncupari, quia pri-

Notandum.

uatio est carentia in subiecto apto ad formam sibi debitam: sed in illo priori naturali incapax est singularitate & vniuersalitate; ergo nequit dici priuatiua, sed negatiua, quia est carentia in subiecto inepto ad talem formam recipiendam, quod latius in Metaphysica discutiemus.

Suppono quintò, naturas superiores, seu prædicata superiora formaliter in re distingui ab inferioribus. v. g. substantia ab animalitate, & animalitas à rationalitate. Probatur, quia nullo operante intellectu, animalitas quæ est in Petro, non includit in suo esse reali præcisè rationalitatem; ergo est non idem in re cum illa. Probatur antecedens primò, quia ipsorum cuius diuersa prædicata conueniunt realia; animal quippe est viuens sensibile, rationalitas dicitur capacitatem rationis; ergo realiter non sunt idem. Probatur consequentia. nam idem in quantum idem eidem gaudet rationibus formalibus: hæc autem formalitates diuersis gaudent prædicatis in re; ergo in se aliquam distinctionem, seu non identitatem realem important. Secundò ratio animalitatis in illo esse communi, quo indifferens est ad rationalitatem & irrationalitatem, quid reale est, & non includens rationes inferiores; ergo in re sunt non idem, qua ratione sufficienter pro nunc probatur communitatem supposito antecedenti probatam in re, & concluso opere rationis, naturis esse adaptandam.

Obiicies primò; ergo iam dantur vniuersalia à parte rei, quod nos infra negabimus. Respondit Doctor vbi suprâ negando sequelam, quia vniuersale est vnum in multis, & de multis proximè prædicabile: ista autem

Suppositio quin. 1a.

Obiect. Respon.

tem

tem communitas non est proxima ratio prædicandi naturam de pluribus, vt infra art. 2.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò. Omne quod est in re, est productum per aliquam actionem, aliàs esset Deus qui improducibilis est; ergo est singulare. nam actiones sunt singularium; ergo nihil commune habet esse extra opus intellectus. Resp. distinguendo antecedens, & primam consequentiam, est productum & singulare per se solum, nego; per se, vel secundariò, concedo. Proinde etsi negari non possit quod natura habeat esse in re, ratione singularitatis; tamen secundum illam rationem præcisam, sicut secundariò conuenit ei singularitas, ita & produci in re: vnde cum illo esse singulari producto bene stat prædicata essentialia in ipso existentia realiter formaliter non includere singularitatem. quod sic ostendo, quia etsi Petreitas sit de intrinseca & constitutiuâ ratione Petri; tamen non est de essentia hominis formaliter, sicut nec rationalitas de essentia animalis, & si sit de quidditate hominis, distinguuntur; ergo in re, de quibus in Metaphysica exactam proponemus disputationem.

Soluitur.

ARTICVLVS II.

Quæ vnitas sit fundamentum proxima logica vniuersalitatis.

Vniuersale lo-
gicorum.

NOTanter inquiritur de vniuersali logico. nam si de metaphysico loquamur, sufficienter hoc conuenit naturis realibus, secundum illam communitatem, qua præscinderet à singularibus, vt docuit Doctor ybi suprâ. Probat, quia

muneris Metaphysici est naturas præcisas & abstractas contemplari: sed hoc habet ex se natura communis; ergo & metaphysicam vniuersalitatem. De vniuersali logico est quæstio.

6.

Authores illi qui in Metaphysica autumant nullam dari vnitatem formalem, præter conceptum confusum indiuiduorum eiusdem speciei, vel specierum eiusdem generis, hoc dicunt esse fundamentum proximum vniuersalitatis, & istum conceptum confusum, quo quis plura indiuidua sub vnica ratione comprehendit, esse sufficientem rationem, vt possit de quocunque indiuiduo formaliter prædicari. hanc sententiam satis clarè docet Okamus cap. de specie. Alij dicunt intellectum prius plures naturas indiuiduales, v.g. plures homines contemplari, & cum inueniat in prædicatis, seu rationibus essentialibus conuenire, abstrahere aliquam rationem illis communem, & hanc vnitatem dicunt esse proximum fundamentum vniuersalis. est communis explicatio Thomistarum, præcipuè eorum qui tuentur vniuersalitatem logicam comparatione negotiari. nam illi, qui dicunt fieri per abstractionem, consequenter proximum fundamentum dicunt esse conuenientiam indiuiduorum in re; duplex ergo concedunt vniuersalitatis fundamentum, proximum vnum, remotum aliud: istud esse conuenientiam illam, seu vnitatem formalem, quam habent naturæ ex se; illud verò conceptum quendam communem, quem intellectus à singularibus præscindit.

Scotistæ verò non multum concordant in explicanda ista vnitate, quæ est vniuersalitatis fundamentum, sed in re omnes conuenire de-

bent, unitatem illam communem negatiuam esse proximum fundamentum vniuersalitatis, docuit Scotus vbi supra, & suadetur hac ratione: Natura communis dicitur, quia ex se indifferens est ad vniuersalitatem & singularitatem: sed vt sic est proximum fundamentum & immediatum singularitatis; ergo & vniuersalitatis. Quod ibi Scotus de vniuersali logico faciat sermonem patet, quia eandem naturam, quam indifferentem ad vniuersalitatem & singularitatem concedit, vocat vniuersale metaphysicum, & negat esse logicum vniuersale, vt videbimus difficultate sequenti. Probatur consequentia. Natura vt sic dicit abstractionem ab omnibus inferioribus; ergo ministerio intellectus possibilis ad illa valet comparari, quod est fieri vniuersale, vt infra. hanc reor esse Doctoris mentem in 2. distinctione 3. quaestione 1. num. 7. & libro 1. Metaphysic. quaestione 6. num. 6. & saepe sapius alibi, cum eo est Antonius Andreas 7. Metaphysic. quaest. 16. Troib. quaest. 8. & alij quamplurimi ex nostris.

Infamia.

Dices naturam vt sic, dicere praecisionem & indifferentiam, non vero conuenientiam indiuiduorum; ergo indiget vt intellectus noster prius abstrahat conceptum conuenientiae indiuiduorum, vt ipsum ad indiuidua possit conferre, quod est omnino conuenire cum modo explicandi Thomistarum. Respond. si loquamur de intellectu independentem a sensibus, vt de anima separata, de Angelo, &c. sufficit si cognoscat naturam secundum sua essentialia praedicata & indiuidua, iisdem praedicatis gaudere, vt possit ad illa comparare; nequit enim intellectus extremis non cognitis causare compa-

Occurritur.

rationem relationem, ad quam fundamentum & terminus requiruntur, vt diximus quaestione 2. de ente rationis, difficultate 1. Proinde requiritur cognitio illa praecisiua naturae & indiuiduorum, vt ad ipsa comparatur & fiat logicum vniuersale. Si tamen de intellectu dependet a sensibus, concludit argumentum. Ratio est conspicua. nam natura pro hoc statu nequit per se cognosci, cum accidentibus careat, & intellectus dependeat a sensibus, qui accidentibus corporeis solum mouentur. Proinde, vt intellectus noster naturas communes agnoscat, oportet prius vt conuenientiam plurium indiuiduorum eiusdem speciei in rationibus essentialibus agnoscat. Deinde vnicum naturae formet conceptum, quem postea ad inferiora valeat comparare, & in ipsis veram praedicationem exercere. Vnde Thomistae optimè explicant unitatem quae est proximum vniuersalis fundamentum, secundum id quod accidit intellectui ob dependentiam a sensibus, non vero secundum id quod habet natura ex se, & potest ab intellectu separato fieri. Vtrum autem ista unitas naturae quam ex se habet,

dici queat unitas positiua, in pluribus dicemus in

Metaphysica.

* * *

D I F F I C

DIFFICULTAS II.

De forma qua natura denominantur vniuersales.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit vniuersale.

8. Vniuersale quid.

9. quotuplex.

Sub diuisio qua disarmita.

Vniuersale to causandi in signifi-
canda.

in essen-
do.

Vniuersale communissimè acceptum ex communi placito & consensu est vnum quid ad multa pertinens, vt vocabulum *homo*, quod plura significat, *caelum* quod plura causat. Diuiditur autem primò in simplex, & complexum. Istud frequenter vsurpatur apud Philosophos commune aliquod effectum; vnde colliguntur plura, vt, Omne totum est maius sua parte, vel propositio quolibet signo vniuersali affecta. Vniuersale simplex est, quidquid spectat ad plura, & non habet connexionem propositionis. Hoc quadrifariam solet partiti, nimirum in vniuersale in causando, in significando, in essendo, & in prædicando.

Vniuersalia in causando dicuntur quaecunque communes rerum causæ, quæ plures effectus valent causare: vt Deus Opt. Max. supernæ mentes, orbis cælestes, &c. Vniuersalia in significando sunt quæ plura indicant, vel significant: sic Cometæ plures morbos impendentes designant, voces, scripta non vnam rem singularem, sed multa indicant: vt nomen *homo*, sine voce prolatum, siue scriptum, siue efformatum mente, id enim non vnum, aut alterum naturæ indiuiduum, sed omnia speciei indiuidua significat. Vniuersalia in essendo sunt communes naturæ in multis inferioribus existentes: vt

homo & leo, qui in suis inferioribus, v. g. Petro & Francisco, hoc & illo leone existunt. Vniuersalia in prædicando sunt ea, quæ de multis dicuntur: vt homo & leo, de cunctis hominibus & leonibus. Ex vniuersalibus istis, ea quæ sunt in causando & significando à cæterorum vniuersalium numero eiciuntur, nam Deus Opt. Max. orbis cælestes, & cætera causæ, quas vniuersales appellamus, simpliciter & absolute singulares sunt, & nihil magis vniuersalitati oppositum, & ab eo remotum quam singularitas. Voces ibidem ob eandem rationem excluduntur. nam perspicuum est hanc vocem *homo*, quid singulare esse, si absolute de vera vniuersalitate loquamur. Solùm ergo vniuersale in essendo & prædicando verè dicuntur vniuersalia; reliqua verò vniuersalia obiectiue solùm dicuntur, quia habent obiecta vniuersalia, quæ significant vel effectus vniuersales, quos causant. Vtrum autem vniuersale in essendo & prædicando distinguantur, dicemus infra difficultate 3. articulo 3.

in prædicando.

Secundò diuidi solet vniuersale, vt notauit Suarez 1. tom. Metaph. disput. 6. sect. 8. in Metaphysicum, Physicum, & Logicum. Vniuersale Metaphysicum propriissimè dicitur natura præcisa à singularibus, siue in re prioritate naturæ, vt docuit Doctor in 2. distinct.; quæst. 1. siue solùm per intellectum: vt communiter Thomistæ; metaphysici enim instituti est naturas præcisas & à singularibus abstractas contemplari. Vniuersale physicum dici potest natura ipsa, pro vt in singularibus contracta, & non abs re; quia natura vt sic contracta est quasi materia respectu logicæ vniuersalitaris, & subiectum accidētium, cuius

10. Alia diuisio. Vniuersale Metaphysicum.

Physicū.

Ex logi-
cum.

cuius consideratio non distat à physico instituto. Vniuersale logicum præcisè dicitur quod per operationem intellectus confurgit. Nam quia ad Logicum spectat definire, diuidere, & argumentari, opus est vt secundas intentiones à talibus actibus causatas, quæ potissimè in rebus vniuersalibus fundantur, seu communes naturas denominant, contempletur.

ultima
diuisio in
genus,
species,
differentiam,
prius, &
accidens.

Tandem diuiditur logicum vniuersale in communi, in quinque vniuersalia inferiora, seu in quinque eius species, quæ communiter Porphyrij prædicabilia vocantur; sunt enim genus, species, differentia, proprium & accidens, de quibus sequentibus quaestionibus fiet sermo.

ARTICVLVS II.

Quid senserit Doctor de formis vniuersalibus.

Scoti pla-
situm.

EX dictis difficultate 1. art. 1. & 2. satis constat Scorum admittere vnitatem formalem in rebus priorem numerali, & ab hac distinctam. Solum est difficultas, quæ sit illa forma, qua naturæ sunt logicæ vniuersales, seu prædicabiles de pluribus, vtrum id eis opere intellectus conueniat, an in re, & ante eius operationem.

II.
Consen-
sus com-
munis.

Communis consensus est, formalem vniuersalitatem opere intellectus negotiari, tenet cum Philosopho communis Scholasticorum consensus, & nos in Metaphysica latè examinamus. Solum de mente Doctoris diuersa placita sunt inter authores, vtrum secluso intellectus opere in rebus detur ista vniuersalitas, quod etiam vbi supra explicamus. Pro nunc autem statuimus ad veram vniuer-

Authori
diuersi-
tas.

salitatis intelligentiam sine sufficienti fundamento imponi nostro Doctori concedere logicam vniuersalitatem in re. Negat expressè in 2. dist. 3. quaest. 1. num. 7. & in 7. Metaphys. quaest. 6. num. 5. 6. & 7. & quaest. 18. per totam, & lib. 1. quaest. 6. num. 6. & sæpius alibi statuit logicam vniuersalitatem per solam intellectus operationem resultare. idem supponit in 4. distinct. 43 quaest. 2. num. 11. & passim in quaestionibus vniuersalibus docet, vniuersale logicum habere fundamentum remotum in rebus, & occasionaliter ex ipsis formari.

Sed dices, quòd etsi admittatur expressè sensisse Doctorem vniuersalitatem ministerio intellectus negotiari, oppositum tamen ex eius principiis manifestè deducitur; in locis supra citatis affirmat naturam habere formalem vnitatem, seu esse vnam formaliter in pluribus; ergo in eisdem est vniuersalis formaliter, ante intellectus operationem. Pater consequentia. nam ex dicendis difficultate sequenti vniuersale est vnum in multis & de multis. Resp. sine fundamento sufficienti imponi Scoto, talem vniuersalitatem in re. Ratio est conspicua, quia vniuersale non solum est vnum in multis, sed de multis, secundum Doctorem in 1. Metaphys. quaest. 6. num. 6. vt infra, id est, debet habere talem vnitatem quod proximè de pluribus formali prædicatione valeat enuntiari. Proinde istam vnitatem aptitudinem remotam ad prædicandum sæpius locis supra citatis appellat.

Sed perquires, supposito quòd hæc natura est vna in pluribus, quid ei deficit vt proximè de ipsis queat prædicari. Respondet Doctor, in 2.

12.
Enasis.

Præcluditur.

Quaestio.

Responsio.

vbi

vbi supra, §. ad primum, numero 7. his verbis. *Est ergo in re commune quod non est de se hoc, & per consequens ei de se non repugnat esse non hoc: sed tale commune non est vniuersale in actu, quia deficit ei illa differentia, secundum quam completiue vniuersale est vniuersale, secundum quam, scilicet ipsum idem aliqua identitate est predicabile de quolibet indiuiduo, ita quod quodlibet sit ipsum;* quod paulo antea magis explicauerat. Itaque quamuis natura in illo priori indifferens sit, & vna formaliter; tamen secundum illam prioritatem non est vna in singulis indiuiduis, sed ad quælibet indifferens. Dicitur autem natura magis propriè, vna ad plura, seu plura respiciens indifferenter; quam vna in pluribus. Ideo nequit de quolibet proximè prædicari, quod requiritur ad logicam vniuersalitatem. Ratio est, quia in prædicatione formali prædicatum debet aliqua identitate cum subiecto identificari: sed natura secluso opere intellectus non identificatur singulis indiuiduis, de quibus dicitur, & ei subiacent; oportet ergo quod intellectus causet aliquam vnitatem, secundum quam cum singularibus identificetur, & ita de quouis proximè possit prædicari, quod requiritur ad veram rationem vniuersalis, vt infra. & hac ratione satis ostenditur implicare logicam vniuersalitatem antecedere omnem intellectus operationem.

Obiectio.

Obiicies, naturam communem solùm distingui à singularitate formaliter, vt ex Doctore ostendemus in Metaphysica; ergo à parte rei idem est cum hoc, & illo singulari, & consequenter de ipsis prædicabilibus proximè. Resp. tot esse naturas communes, quot indiuidua, quia de na-

Sciuntur.

tura existenti cuiuslibet indiuidui, verificatur quod communis sit, seu indifferens, & ita à sua singularitate solùm formaliter distinguitur, & eam sibi identificat; loquendo tamen de natura in specie non identificatur in re cum singulis indiuiduis, sed vel ea indifferenter respicit, quatenus sua prædicata essentialia præcisa & priora non magis exigunt hanc, quam illam singularitatem: vel per contractionem partitur in re, vel est vna per intellectum cum pluribus identificata modo difficult. 1. explicatō. de quo satis in Metaphysica, vbi etiam examinamus per quam operationem intellectus ista vniuersalitas efficiatur, hæc enim difficultas limites logicos transilit.

Obiicies secundò, accidens in cōmuni prædicari de hoc & illo subiecto vniuersaliter, v.g. albedo de homine, & equo; & tamen ab eis realiter differt; ergo vniuersale non debet identificari cum inferioribus, de quibus prædicatur. Resp. quod sicut intellectus in prædicationibus essentialibus identificat naturam vnā cum pluribus inferioribus, et si in re non sit eadem, vt nuper dicebam; ita in accidentalibus, vnde albedinem in communi non vnit & identificat formaliter cum homine & equo, vt sic, sed cum homine & equo albo, quatenus vnicum & eandem formalem conceptum albedinis participant.

Obiectio secunda.

Responso.

* * *

DIFFICULTAS III.

De definitionibus vniuersalis,
& eius essentia.

ARTICVLVS I.

Quae sit definitio logici vniuersalis.

Vniuersale triplex.

TRifariam Philosophus vniuersale definiuit. In 7. Metaph. c. 13. textu 45. sic habet: Vniuersale est aptum quid, ut in pluribus insit; & in 1. de interpretatione cap. 5. est aptum ut de pluribus dicatur; ac demum in libris de posteriori resolutione lib. 1. cap. 18. textu 34. & lib. 2. cap. 18. textu 27. in fine, vniuersale est quod est vnum in multis, & de multis. Quibus definitionibus suppositis, venit dubitandum, quae earum vniuersali logico adscribenda sit.

14. Sed cum Conimbricensibus, q. 1. in Praefatione Porphyrij art. 5. tenendum est, primam definitionem, quae datur per aptitudinem essendi, in pluribus vniuersali metaphysico adscribendam esse, ibi enim Philosophus more metaphysico coniunctionem naturae vniuersalis cum suis inferioribus considerauit. Ratio est conspicua, quia muneris metaphysici est naturas abstractas contemplari: sed natura in quantum apta, ut in pluribus insit, est ab eis abstracta; ergo vniuersale metaphysicum. Maior est certa. Probat minor, aptitudo distinguitur ab actu: sed natura significatur per istam definitionem solum ut apta ad essendum in pluribus; ergo praecisa & abstracta ab eis. Confirmatur, quia per eam non explicatur vniuersale logicum, cum non explicet naturam vnam per identitatem in pluribus, quod requiritur ad praedicationem vnius de pluribus; nec explicatur vniuersale physicum, quia

non dicit vnam in pluribus, sed solum aptitudinem ad hoc; ergo conuenienter adaptari debet metaphysico vniuersali. Duas alias definitiones quae dantur per praedicationem, vniuersali logico conuenire asserimus, eis enim logico more per praedicationem vniuersale definiuit, quae praedictio ex coniunctione rei communis cum suis inferioribus confurgit, iuxta illud eiusdem Aristotelis in 1. lib. Perihemeniarum cap. 3. quia res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa: vnde manauit vulgaris illa diuisio vniuersalis, in vniuersale in essendo, & praedicando, quae potius duae voces sunt, quibus vna natura vniuersalis explicatur, quam diuersorum vniuersalium significatio, si aptitudo illa ad praedicandum in secunda definitione posita pro aptitudine remota accipiatur, ut dicemus articulo sequenti. Nam homo, v. g. vniuersalis in essendo dicitur, quatenus est in indiuiduis hominibus. Vniuersalis vero in praedicando appellatur, prout de eisdem vere potest enuntiar, quae duo in illa vltima definitione perspicue aperiuntur. Cum dicitur, vniuersale est vnum in multis, ecce vniuersale in essendo; & de multis, ecce vniuersale in praedicando. quam definitionem proprie vniuersali logico competere docuit expressè Doctor in 2. dist. 5. q. 1. §. ad primum, num. 8.

Ex qua definitione tres vniuersalis condiciones inferuntur. Prima, vniuersale esse vnum non solum nomine, sed ratione & essentia, proinde à vera ratione vniuersalis reiciuntur composita per accidens & aggregata: ut domus, exercitus, & acruus. quia etsi eodem nomine gaudeant, non tamen eadem essentia. Remouentur insidem ob eandem conditionem à vera ratione vniuersalis, omnia

15.
Vniuersalis condiciones tres.
Prima.

nia complexa, vt animal rationale, quatenus hæ voces distincta prædicata adsignificant. Item homo albus, & alia, quæ diuersa nomina sortiuntur. Item Analoga & æuiuoca, defectu vnitatis rationis.

Secunda.

Secunda conditio est, quod vniuersale sit proximè aptum prædicari. (proximè inquam, quia seclusa vnitatem nuper explicata remotè natura est in indiuiduis à parte rei prædicabilis.) Definitur autem vniuersale per aptitudinem prædicandi, non per actum, quia vt quidpiam sit vniuersale, non est necessarium quod actu prædicetur de multis, sed quod de eis valeat prædicari, siue de vno tantum dicatur, siue de nullo.

Tertia.

Tertia conditio est, quod ista prædicabilitas sit de pluribus, quod sic intellige, vt ea, de quibus vniuersale dici potest, sint plura, (non actualia, sed possibilis, vel opere intellectus ficta, aliàs sol non esset vniuersalis, quia eius specifica natura in vnico indiuiduo conseruatur) secundum illud nomen quod rem vniuersalem significat, & ipsamet res vniuersalis in eisdem multiplicata sit, vt accidit Patricio & Columbano, si cum homine in communi conferantur, dicuntur enim plures in humana natura, quia hæc manet in ipsis distributa, hæc de causa Deus Opt. Max. respectu diuinarum personarum non dicitur vniuersalis,

quia etsi dicantur tres personæ diuinæ, non tamen tres Diji, nec Deitas multiplicatur in ipsis, vt fides adstruit.

ARTICVLVS II.

Fiat ne natura vniuersalis per abstractionem à singularibus, an per comparationem ad ipsa.

NON est logici instituti examinare, per quas operationes intellectus fiant abstractiones & comparationes naturarum vniuersalium, & an per directam, an reflexam comparationem resultent relationes rationis, hoc enim in 3. lib. de anima propriè examinatur, vbi ostendimus hoc pertinere ad intellectum possibilem; solum ergo intendimus indagare, vtrum natura fiat logicè vniuersalis, quatenus à singularibus abstrahitur, vel in quantum semel abstracta comparatur ad ea.

Pro quo notandum est, quod hoc nomen *abstractio* vnus ab alio separationem importat, quam communiter bipartitur in realem, & rationis. Realis est cum vnum ab alio re ipsa seiungitur: vt animus à corpore, capillus à capite. In qua illud obseruandum est, vt bene notarunt Conimbricenses, non censerì propriam abstractionem, nisi vtrumque eorum quæ separantur, remaneat: vnde non dicimus separari, seu abstrahi calorem ab aqua, lumen ab aère, cum sol recedit, quia calor & lumen extinguuntur. Intentionalis abstractio ea est, qua aliquid per cognitionem separatur ab alio, cui nihilominus in re coniunctum esse potest: vnde contingit abstractionem istam bifariam vsurpari, alia est præcisua, alia positua, hæc dicit actualem & positua denudationem naturæ à singularibus, excludendo eorum formales rationes, tanquam à rationibus essentialibus distinctas, vel quæ non sunt de

16.
Abstractio nomen.
Abstractio realis quid.

Quid intentionalis.

Diuiditur in præcisua, & positua, & quid ea sint.

conceptu essentiali naturæ: illa solum dicit conceptum ad naturam terminatum, non includendo singularitatem: vt si quidditatem hominis contemplerur, non considerando rationes singulares. Vnde in nulla sententia sufficit hæc abstractio ad logicum vniuersale, quia non est proximè prædicabile, nec relatiuum; cum singularia, ad quæ relatio est terminanda, quasi ignorentur, & sic communis affirmat consensus, vniuersale logicum respicere debere aliquo modo indiuidua, vt sit formaliter tale. Ratio est conspicua, quia vniuersale logicum formale est secunda intentio: sed omnis secunda intentio est relatiua; ergo vniuersale. Tunc sic relatio rationis debet habere extrema cognita, vt probauimus in quæst. 2. difficult. 1. de ente rationis; ergo debent extrema vniuersalis præcognosci: sed abstractio præcisua solum inuoluit vnus extremi cognitionem; ergo requiritur positiua præcisio in quacunque sententia ad veram vniuersalitatem logicam. Solum controuersia esse potest, an requiratur respectus reflexus, seu per cognitionem reflexam causatus; an sufficiat comparatio simplex, de quo nos in Metaph. excipe Suarez citandum statim, qui eo ipso quodd vniuersalitatem absolutam concedit, consequenter fateri tenetur per præcisiuam abstractionem posse formari, quia vt sic natura vna & communis est.

17. *Sententia prima, vniuersale fieri per abstractionem intellectus.* His suppositis prima sententia asserit vniuersale fieri per abstractionem intellectus, ita D. Thom. 1. parte quæst. 85. art. 1. in corpore, & quæst. 16. art. 3. ad secundum, & 7. metaph. lectione 13. & de ente & essentia cap. 4. & pluribus aliis locis. Durandus in 1. dist. 3. quæst. 5. num. 27. &

in 2. dist. 3. q. 7. num. 12. Flandria 3. metaph. q. 2. art. 2. & 7. metaph. q. 56. art. 1. Idem sentire videtur Fonseca 5. metaph. cap. 28. quæst. 5. & 6. Soto in Logica quæst. 3. vniuersali, Suarez 1. tomo metaph. disp. 6. sect. 7. num. 8. vbi præter vniuersalitatem respectiuam, quam nobiscum fatetur fieri per comparisonem, aliam absolutam admittit, abstractione intellectus consurgentem, desumpsit à Conimbricensibus, quæst. 5. & 6. in præfationem Porphyrij art. 3. eandem sententiam sequitur Toletus q. 17. vniuersali. Zumel 1. parte q. 13. art. 7. conclusionem 3. Capreolus in 3. dist. 5. q. 3. Hurtado in Logica, disp. 3. sect. 2. & in metaph. disp. 5. sect. 8. §. 95. Fundamentum huius sententiæ est quodd vniuersale est vnum in multis & de multis: sed natura vt sic abstracta vna est denudata à rationibus indiuidualibus, & indifferens, vt sit & in eis; ergo. Secundò, si natura daretur à parte rei præcisa à singularibus, vt Plato autumauit, & alij imponunt Doctori, verè esset vniuersalis; ergo præcisa opere intellectus, à singularibusque denudata, talem vniuersalitatem habebit.

18. Secunda sententia est Doctoris in 2. dist. 3. q. 1. vbi docet vniuersale esse proximè prædicabile, cum per intellectum est in pluribus vna: sed natura non est in pluribus nisi per comparisonem; ergo nec vniuersalitas alio modo resultat. citatur quæst. 15. vniuersali; sed ibi solum docet rationem vniuersalis esse prædicari de pluribus, quod non probat nostram conclusionem. Fundamentum huius sententiæ est, primò quodd definitio vniuersalis, quæ datur per esse in pluribus, & posse de ipsis prædicari, adscribenda est logico vniuersalis, ex dictis artic. præcedenti: sed natura nequit

18. *Secunda, esse proximè prædicabile.*

nequit esse vna in pluribus, nisi per comparatiuam cognitionem; ergo per eam naturæ fiunt vniuersales. Probat-ur minor, natura per abstractionem tantum habet quod sit vna, & vt sic fateor quod est fundamentum logi- ci vniuersalis, deficit tamen ei vt sit formaliter vniuersalis respiciens ad indiuidua; hæc autem nequit fieri, nisi per comparationem; ergo. Quam credo esse sententiam Caietani cap. 4. de ente & essentia.

Huic argumento respondent ali- qui, quod posita tali abstractione natu- ræ, statim ex vi extremorum resul- tat relatio quædam & ordo naturæ superioris ad inferiora: sed contrà est, quod vel ista relatio est realis, vel rationis. Si primum, est impossibile, quia relatio realis ex dicendis cum communi sententia in Metaphysi- ca quæst. 16. est inter extrema rea- liter distincta: at prædicata supe- riora & inferiora solum formaliter distinguuntur; ergo. Si dicas esse relationem rationis, contrà est, quod re- latio rationis, vt nomen sonat, ea est, quæ solo ministerio intellectus con- surgit; ergo necessarium est, vt noster intellectus naturam abstractâ in ordi- ne ad inferiora consideret, vt dicantur relata: sed hæc est comparatio; ergo.

Alij secundò fatentur, ex quibus est Hurtado in Metaphysica nuper ci- tatus, intellectum considerare natu- ram, vt sic abstractam respicietem in- feriora, de quibus valet prædicari; ta- men ista nequit dici comparatio, cum non sit actus reflexus intellectus. Sed contrà est, quod nostra sententia non requirit ad vniuersalitatẽ Logicam comparationem reflexam intellectus, sed solum actum simplicẽ, quo ipsam naturam in ordine ad plura conside- rat: hoc autem comparare est, & non abstrahere. Ratio est, quia abstractio

dicit præcisionem & denudationem ab inferioribus; ergo ordo ad infe- riora dicit comparationem; non er- go sufficit abstractio ad vniuersalita- tem, sed necessaria est comparatio, siue simplex, siue composita ad com- pletam rationem vniuersalis.

Secundò probatur nostra conclu- sio, & directè impugnatur Suarius. Abstractum ex communi placito, vt infra, nequit de concreto prædicari: sed natura in illa vniuersalitate abso- luta, quam concedit Suarez, est abstra- cta; ergo nequit de inferioribus con- cretis proximè prædicari, quod re- quiritur ad formalissimam vniuersa- litatem.

Obiicies primò. Naturam vt sic non esse singularem: sed inter singu- lare & vniuersale non est medium; ergo erit vniuersalis. Resp. esse vni- uersale metaphysicum, cuius instituti est, naturas abstractas tam præcisue, quàm posituè contemplari; implicat tamen esse vniuersale logicum; quia ad Logicum solum attinet de rebus vt subiacent secundis intentionibus disputare: at quælibet secunda inten- tio (vt bene notauit Doctor in 1. dist. 23. §. *contra istud*) respicit superius & inferius; ergo est actus collatiuus. No- que Aristoteles aliam credo logicam vniuersalitatẽ agnouit, vnde minus bene quidam neotericus istam sen- tentiam impugnat, quasi in ea non admittatur vnitas sufficiens ad vni- uersalitatẽ, quia in hoc non peccat, sed quatenus negat ordinem ad in- feriora necessariò ad prædicabilita- tem proximam requisitum.

Tertiò probatur nostra sententia, in eo distinguitur vniuersale meta- physicum à logico, vt obseruauit Hurtado disp. 3. Logicæ sect. 2. §. 15. quod ex metaphysico nulla sequitur prædicabilitas quæ logico necessariò

Obiectio.

Soluitur.

competit : sed natura ex vi præcisua nisi ei accrescat respicientia ad inferiora, solum est vniuersale metaphysicum; ergo à ratione prædicabilitatis & logicæ vniuersalitatis alienatur. Rationem perspicuam docuit Doctor quaest. 37. vniuersali, §. *contra*, quia abstractum dicit indifferentiam: indifferentia autem disiunctionem, prædicabilitas verò connotat necessariò coniunctionem & vnionem extremorum.

Alia obiectio.

Responsio.

Obiicies naturam habere verum esse in pluribus; sufficit ergo ab intellectu præscindi rationem superiorem à rationibus inferioribus, vt possit de eis logicè prædicari. Resp. ex dictis difficultate 2. articul. 2. istam prædicationem (si aliqua est) non esse vnius naturæ superioris, respectu plurium, quod requiritur ad vniuersalitatem logicam. nam à parte rei naturæ solum sunt vniuersales remotè, vt ibidem ostendimus, nec possunt esse vnum per identitatem in pluribus, quod requiritur ad logicam vniuersalitatem naturarum respectu suorum inferiorum, de quibus quidditatiuè dicuntur.

19. Ex quibus manifestè infertur naturas non posse constitui vniuersales per abstractionem, quia siue abstractio consistat in illa denominatione, qua natura dicitur abstracta, siue in illa vnitatem rationis, quæ illi accrescit ex abstractione ab inferioribus, vt volunt alij, siue in negatione differentiarum individualium, vt contendunt alij, siue in illa non repugnantia ad essendum in pluribus; semper natura concipitur sine ordine ad inferiora, quod est contra rationem logicæ prædicationis, in qua abstractum nequit de concreto prædicari. Ex quibus satisfit fundamento oppositæ sententiæ, quia natura in illa abstractio-

ne est vniuersale metaphysicum, & non logicum, de quo est difficultas.

Inquires vtùm illa natura vt sic abstracta possit dici fundamentum proximum prædicationis signatæ. Resp. negatiuè. Ratio est, quia prædicationis signatæ, vt infra explicabimus, est secundum quam natura consideratur, proximè prædicabilis exercitè, seu prædicatione dicente, hoc est hoc: vt cum dicimus, genus prædicatur de specie, seu potest prædicari de specie; ergo homo est animal. Itaque vniuersale signatum, seu prædicationis signatæ nihil est aliud, quàm ille actus, quo intellectus proximè prædicabilem exercitè naturam considerat: sed natura in illa abstractione non est proximè prædicabilis; ergo insufficiens ad prædicationem signatam. Probatur minor, quia vt aliquid prædicetur de alio, debet esse in illo; ergo vt prædicetur natura vna de pluribus, debet esse in illis: sed hoc non habet natura abstracta; ergo nec sine chimæra poterit concipi proximè prædicabilis, seu poterit intellectus affirmare, quod est prædicabilis de pluribus.

Obiicies naturam vt sic abstractam posse ordinari ad inferiora; ergo erit signatum vniuersale, quandoquidem posito tali respectu, potest exerceri prædicationis. Resp. inde solum inferri, naturam vt sic abstractam, esse fundamentum proximum signatæ vniuersalitatis, quia super ipsam fundatur proximè actus intellectus, quo natura refertur ad plura; hæc tamen relatio non est signata prædicationis, sed forma, qua constituitur vniuersale signatum, & qua supposita intellectus potest enuntiare naturam esse de pluribus prædicabilem: cum autem hæc enuntiatio supponat primam collationem intellectus, hinc est quod

20.
Quaestio.
Solutio.

Instituta.
Solutio.

quòd prædicatio signata non fundetur proximè in natura abstracta, sed vt subest vniuersalitati causatæ ab intellectu.

ARTICVLVS III.

Quæ sit essentia logici vniuersalis.

21.
Logicum
vniuersale
quid.
Contra-
uersum.

Communis consensus est, vniuersale logicum esse de pluribus prædicabile, hoc probant definitiones Aristotelis artic. 1. positæ. Solùm controuertitur, vtrum prædicabilitas supponat aliud prius constituens vniuersalitatem, an sit primus eius conceptus, an verò ex esse in pluribus, & prædicari de ipsis vna completa essentia coalescat.

Nonnul-
lorum af-
fertio.

Toletus, Sotus, Albertus, Veracru- & alij affirmant prædicabilitatem solùm esse passionem vniuersalis. Fundamentum est, quid prius est vt res sit, quàm quod prædicetur; ergo prædicabilitas supponit esse, ac per consequens non est de essentia. Probatur consequentia, quia essentia est primus conceptus rei. Secundò vniuersalitas supponitur ad prædicationem; ergo est aliquid prius ipsa, & consequenter ista nequit esse de essentia. Communis sententia inter Scotistas tenet prædicabilitatem esse de essentia vniuersalis, citatur Scotus in 2. dist. 3. quaest. 1. §. ex hoc apparet; sed ex eo loco magis colligitur essentiam vniuersalis constitui per esse in pluribus opere intellectus, ibi enim approbat definitionem, quæ datur per esse vnum in pluribus & de pluribus, vnde cum in hac definitione includatur & esse & posse prædicari, videretur quòd primum sit essentia, secundum passio: sed ista & alia sequentibus dictis enodabo.

Scotista-
rum sen-
tentia.

22. Dico primò. Essentia vniuersalis

est in pluribus esse vnum, & de illis prædicari posse. colligitur ex Doctore nuper relato, vbi cum naturam logici vniuersalis manifestare intendere, definitionem illam Aristoteles proposuit, & per eam vniuersale declarauit; ergo signum est hanc excogitasse esse definitionem essentialem, aliàs cum ipsum alia definitiones non laterent, vt patet ex quaest. 6. vniuersali, aliam proposuisset, si magis vniuersali conuenire cognouisset. Rursus hic affirmauit quòd si esse in pluribus est essentia vniuersalis, prædicari est passio, & è contra: sed in 2. citato, vbi maiorem habet auctoritatem, quia posterius dictum solùm definitionem, quæ datur per esse, in pluribus proposuit; ergo debet teneri essentialis. Probatur etiam ratione ex ipso Scoto deducta, illud est essentialiter alicui, quod primò competit illi: sed prius est quòd natura sit in pluribus, quàm quod prædicetur; ergo esse in pluribus proximam prædicabilitatem constituit, quæ est de essentia logici vniuersalis. Maior est certa. Probatur minor, vt aliquid prædicetur de alio (vt infra,) oportet vt sit in illo; ergo vt natura de pluribus prædicetur, debet supponi per identitatem in pluribus; hæc ergo erit ratio vniuersalis logici.

Affertum
auctoris
primum.

Sed obstabis primò, etiam supponitur natura abstracta antequam sit in pluribus, & nihilominus non dicimus vt sic esse essentialiter vniuersalem; ergo etiam supponatur esse in pluribus ad prædicationem, non dicemus hoc esse de essentia vniuersalis, sed quandam prædicabilitatem posteriorem. Pro solutionis intelligentia clariori, oportet annotare, duplicem prædicabilitatem in natura vna in pluribus posse considerari, vnã eandem omnino curã esse in pluribus: nam eo ipso

Obiectio.

Solutio.

ipso

ipso quòd natura vna est in pluribus, est proximè de ipsis prædicabilis, nulla alia ratione spectata. Aliam prædicabilitatem potest intellectus considerare ipsa vnitatem in pluribus posteriorem, & hanc libenter admittemus esse vniuersalis passionem, huius doctrinæ fundamentum colligo ex Doctore quæst. 15. vniuersali, §. *ad primum argumentum*, vbi distinguit passiones reales, & rationis, quòd reales pullulant & oriuntur ex natura ipsius rei, cui insunt: at passiones rationis fiunt per actum ipsius intellectus. Ratio est, quia ens rationis tantum habet esse, quantum concipitur; ergo vt habeat passiones, debent ab eodem concipi vt tales, de quo latius in *Metaph.* tunc sic nullo intellectu considerante natura, quæ vna est in pluribus, est proximè de illis prædicabilis. nam nihil ei ad veram deficit vniuersalitatem; ergo illa prædicabilitas non est passio, sed idem quòd essentia diuerso nomine significata; si verò postea intellectus aliquam prædicabilitatem consideret formaliter præcisam à ratione essendi in pluribus, dicatur, si placet, passio vniuersalis modo iam explicato.

Ad rationem dubitandi respondeatur concedendo maiorem, & negando paritatem. Ratio disparitatis est quòd natura in illo statu abstractionis est intra metaphysicos limites, & ideo nequit dici logicum vniuersale, cum nec limites eius attingat; quando verò in pluribus consideratur, iam respicit inferiora, & est secunda intentio quòd requiritur ad logicam vniuersalitatem, vt probauimus anteriori articulo: ideo non sufficit esse priorem, quia est talis in diuerso genere, non in eodem, quòd requiritur ad essentialem prioritatem. Cum autem dicis prædicabilitatem esse posteriorem.

Respondetur concedendo de prædicabilitate, quam considerat intellectus, non verò de ea, quæ inest naturæ, vt in pluribus est per intellectum, & illam non possumus dicere esse de essentia vniuersalis, quia supponit iam naturam cum omnibus conditionibus ad veram vniuersalitatem logicam requisitis.

Dico secundò esse vnum in pluribus & de pluribus positum in definitione Arist. vnam dicunt vniuersalis essentiam. Probat ex suprâ explicatis, quia naturæ ea præcisâ ratione, qua est in pluribus, nihil deficit vt proximè de eis prædicetur; ergo idem significant in vniuersale, & vnicam denotant essentiam.

Obiicies primò, eo ipso quòd homo constituitur rationalis, est risibilis, & nihilominus risibilitas est passio vniuersalis; ergo etiam si prædicabilitas consequatur naturam in pluribus existentem, non inconuenit quòd dicatur eius passio. Resp. negando paritatem. Ratio est, quia cum ridere in homine sit actus distinctus à ratiocinatione, debemus illi concedere distinctam potentiam, & posteriorem ipso homine, à quo tales actus effectiue eliciantur, cum tamen vniuersale non causet suos actus, nec sit ita perfecta entitas & firma, vnde possint pullulare passiones, sed ab alio actu intellectus distincto fiant prædicationes actuales, in ipsa natura, inde est quòd prædicabilitas proxima non sit passio propriè, sed impropiè, quatenus est respectus immediatè fundatus in essentia vniuersalis.

Obiicies secundò. Prius est quòd res sit, quàm quòd sit prædicabilis; ergo illud est de essentia, & istud passio. Resp. distinguendo antecedens, prius est quòd sit in pluribus à parte rei, concedo, per intellectum, nego; ergo

Distinguantur passiones reales, & passionis.

23.
Assertum secundum.

Obiectio prima.

Expeditur.

Obiectio secunda.

Soluitur.

ergo erit vniuersale. distinguo, physicum concedo, logicum, nego. Vnde non prius est quòd natura sit vna in pluribus per intellectum, quàm quòd prædicabilis sit, et si secundùm diuersa connotata explicentur, quia, vt bene notauit noster Mayronus super vniuersalia Arist. passu primo, et si esse in pluribus & dici, seu prædicari posse de eis, absolutè sint idem, tamen connotant distinctos respectus, videlicet ad inferiora, cum quibus vniuersale identificatur, & de quibus valet prædicari.

Obiectio tertia.
Responsio.
Instituta.
Obiicies tertio Doctorem, q. 15. vniuersali, §. dicendum ergo, vbi prædicari affirmat esse essentiam vniuersalis. Resp. intelligendum esse de proxima prædicabilitate, quæ non distinguitur ab esse in pluribus. nam verba in definitione ex omnium Dialecticorum consensu non dicunt actum, sed aptitudinem.

Dispositio.
Dispositio.
Obiabis, definitionem à nobis receptam dari per actum, scilicet per esse in pluribus; ergo solutio ruit. Resp. quòd quando affirmamus verba non dicere actum, non negamus essentiam definitam gaudere suo esse actuali, sed dicimus non debere dari per actus essentialia à tali essentia promanantes; sicut vitiosa esset definitio hominis, si diceremus, Homo est qui ratiocinatur. Nam aliquando potest cessare ab actuali ratiocinatione quòd essentia nequit contingere: sic esse in pluribus denotat idem quòd potentia ad prædicandum de pluribus; actualis autem prædicatio nequit essentialiter constituere logicum vniuersale; quia cessante actuali prædicatione, adhuc remanent naturæ logicè vniuersales.

* * *

DIFFICULTAS IV.

Quid primò definiatur in definitione vniuersalis.

Difficultas ista non differt ab ea, quæ in cap. de genere solet exagitari, quid scilicet in definitione generis definiatur; quia tamen hæc difficultas propriè conuenit singulis speciebus vniuersalis, seu prædicabilibus, propterea de suo genere, scilicet de vniuersali in communi, idem perquirimus, vt inde quid de definito suarum specierum sit tenendum constet perspicuè; quòd enim dicitur de vniuersali in communi, de singulis eius speciebus suo modo affirmandum est.

ARTICVLVS I.

Supponuntur aliqua, in quibus omnes conueniunt.

Supponitur primò, concretū nihil aliud significare inter Dialecticos, quàm duarum partium concernentiam, quarum vna se habet vt materia, seu subiectum, vel potentia actua bilis; alia vt forma, seu actus illius materiæ; quòd bipartiri debet in accidentale & substantiale: istud vel dicit partes per se & primariò concouersantes concretum, seu compositum, quarum vna dicit per se potentiam priuatam omni acta formali: alia dicit puram actam per se & formaliter actuantem potentiam, & hoc dicitur compositum, seu concretum substantiale & per se, vt homo, leo, &c. Vel potentiam substantialem in eo genere completam, actuabilem tamen per aliquem substantialem modum, vt essentia hominis per personalitatem, &

24.
Suppositio prima.

S essentia

essentia per passiones, quæ quid substantiale sunt in sententia Doctoris. Aliud concretum, quippe accidentale, supponit subiectum substantialiter completum, actuale tamen aliqua extrinseca & accidentali forma sic est album & nigrum, quæ concreta supponunt completum subiectum, v. g. hominem, nam præcisa albedine homo esset perfectè talis, quantum ad essentialia & substantialia; ideo ergo homo & albedo causant accidentale concretum, quia constant ex potentia & actu accidentali, respectu tertij.

25.
Suppositio secunda.

Supponunt secundo omnes in concreto hoc accidentali, v. g. vniuersali, de quo est sermo, definitum *quo* esse secundam intentionem vniuersalis, quæ naturæ vniuersales denominantur. Ratio est perspicua, quia illud est definitum *quo* in aliquo concreto, quod formaliter facit obiectum esse definibile: sed quòd vniuersale sit per identitatem in pluribus, & de ipsis prædicabile ex definitione præcedenti, habet efficienter ab intellectu comparante, & formaliter à comparatione passiuæ, seu secunda intentione; ergo ista erit definitum *quo*. qualiter in hac definitione album est disgregatiuum visus, dicimus albedinem esse definitum *quo*. eo solùm quòd albedo est ratio formalis disgregandi visum.

Suppositio tertia.

Tertio supponunt omnes, naturas denominatas solùm materialiter hinc definiri, quia naturis realibus solùm conueniunt essentialiter, & seclusis formis accidentalibus sua prædicata essentialia & descriptiua: sed esse vnã in pluribus per identitatem, & posse de eisdem proximè prædicari, non est naturæ essentialis, aut intrinsecum, sed conuenit intellectus ministerio; ergo solùm materialiter definiuntur naturæ quatenus subiacent

secundæ intentioni vniuersalitatibus. Confirmatur, quia si natura formaliter & intrinsecè esset de pluribus prædicabilis, iam prædicabilitas formalis esset apertè rei, quod refutauimus difficult. præcedenti.

Quarto certum est definitum hoc non esse aggregatum ex natura & secunda intentione vniuersalis, quia aggregatum est ens per accidens: sed ens per accidens nequit definiri, vt docuit expressè Arist. 7. Metaph. textu 21. & nos in Summulis quæst. 3. difficultat. 2. probauimus. Ratio est, quia ens per accidens constat pluribus naturis, quæ nequeunt vna definitione definiri: sed vniuersale definitur; ergo non est ens per accidens, seu aggregatum ex natura & secunda intentione vniuersalis.

Suppositio quarta.

Quinto supponunt omnes definitum *quod* in definitione vniuersalis esse concretum ex natura & secunda intentione: dubitant tamen auctores, an concretum hoc accidentale logicum (& idem iudicium est de physicis) dicat per se priuè & directè materiam, seu naturam denominatam, & per accidens, seu in obliquo formam denominantem; an directè & per se formam, & de connotato seu in obliquo materiam, an vtramque partem in recto.

Suppositio quinta.

ARTICVLVS II.

Proponuntur diuersæ authorum sententiæ.

SANCTUS Thom. opusculo de ente & essentia cap. 4. quem sequitur Iauelus in Logica, titul. 4. c. 2. Paulus Venerus cap. de genere, Sotus ibidem q. vnica, Tolerus q. 1. Ruuius q. 2. Hurtado disp. 4. Logicæ, tenet concretum dicere naturam & secundam intentionem,

26.
Auctores varii in præsentii articulo.

tionem, seu materiam & formam in recto. Fundamentum est quod sicut homo non est sola materia, nec sola anima, sed vtraque parte vnitis in recto componitur, sic album est vniuersale, nec sunt sola vniuersalitas, nec sola natura, nec sola albedo, aut subiectum, sed albedo vnita corpori, & vniuersalitas naturæ. Confirmatur, quando definitur album quod sit digregarium visus, nec verificatur hæc definitio de albedine, nec de toto corpore, sed de corpore albo; ergo vtramque partem dicit in recto.

Alij recentiores defendunt, concretum definibile nec dicere alteram partem in recto, nec vtramque, sed quoddam tertium ex natura & secunda intentione resultans. Fundamentum est, quia vt sic est aliquod vnum à partibus distinctum, cui potest competere definitio; ergo. In quam sententiam videtur inclinare Hurtado vbi supra, dum dicit definitum non esse partes vt sic, sed vt transeunt in tertium: sicut quando definitur exercitus, nec milites, nec duces definiuntur, sed aliquid in quo conueniunt, nempe in ratione exercitus.

ARTICVLVS III.

Proponitur verior sententia.

27. **V**etior sententia & nobis tenenda docet, concretum importare primario & recte formam, in obliquo tamen & de connotato materiam, & consequenter definitum quod esse formam connotantem materiam, tenet Doctor q. 8. vniuersalium §. cum autem, vers. quod obicitur, & quaest. 14. §. attendum igitur, & de concreto vniuersalis tenet expressè q. 3. vniuersali, §. vel potest dici, & de concretis physicis in 4. sententiarum dist. 12. q. 1.

§. ad argumenta, n. 27. est communis inter Scotistas, quibus adhæret Caietanus de ente & essentia c. 4. vbi optimè explicat in concreto vniuersalis definiti secundam intentionem non abstractam ab inferioribus quæ respicit, neque à naturis, quas connotat, eandem sententiam sequitur Salablanca disp. 6. Logicæ q. 1. & alij quâplures.

Probatum primò ex Arist. c. de substantia, vbi docet album solam qualitatem importare non abstractam, vt optimè aduertit Doctor in 4. nuper citatus, sed sub tali modo significandi connotando subiectum, idemque dicit de secunda intentione generis, quaest. 14. vniuersali.

Secundò alij probant ex eodè Arist. 7. Met. text. 21. vbi affirmat ens per accidens non posse defini: sed natura & secunda intentio cõponunt ens per accidens; ergo vtraque in recto, nec essentialiter, nec descriptiuè poterit defini. Respondet aliqui, concedendo non posse defini, definitione propria entis per se, negando tamen non posse improprie defini. Sed contra quod ipsi videntur manifestam inuoluerè contradictionem cum fateantur istam definitionem esse essentialem, vel ad minus descriptiuâ. Secundò respondent alij, Aristotelem solùm negare definitionem totius per aggregationem, non verò entis per accidens. Sed contra est, quod eo totum per aggregationem defini nequit, quod cõstat pluribus naturis per modum plurium: sed idem contingit enti per accidens; ergo. Facilius respondere possent cum Doctore in 1. dist. 26. q. 1. §. ad primum, n. 48. vbi docet alio modo de ente per accidens loqui Logicum, & alio Metaphysicum. Metaphysicus dicit esse ens per accidens, quod includit res duorum generũ, vt patet ex 3. Met. cap. de ente & vno; Logicus

verò propositionem per accidens existimat, quando subiectum non includit veram inhaerentiam praedicatorum, cum tamen secundae intentiones sint in primis, vt in vero subiecto denominationis; hinc fit quòd non efficiant ens per accidens logicum.

Ratione etiam probatur nostra conclusio. Illud dicitur definitum alicuius definitionis, cui per se primò competit definitio: sed praedicatorum de pluribus competit per se primò secundis intentionibus, naturis verò per accidens; ergo secunda intentio vt primam connotat, erit huius definitionis definitum. Probat minor ex vulgari Dialecticorum axiomate, quòd logicus agit de secundis intentionibus per se, de primis verò per accidens, aliàs ista esset essentialis praedicatorum, Homo praedicatorum de pluribus, &c. quia essentialiter comprehenderetur homo sub hac definitione; vnde infert Doctor in prologo q. 2. laterali n. 11. Logicam non esse scientiam realem, etiam agat de rebus, quia de istis per accidens disputat, vt connotantur, & subiacent secundis intentionibus.

Confirmatur primò. Hic definitur vniuersale in communi: sed nulla datur natura vniuersalis vna in pluribus positivè à parte rei; ergo secundò hic definitur vniuersale, vt est genus ad quinque praedicatorum: sed nulla datur natura realis genericè communis eis; ergo. Tertio quando dicimus genus, v. g. nec supponit determinatè pro substantia, nec quantitate; sicut nec species supponit pro homine, aut leone: sed definitum debet esse quid determinatum cum identificetur definitioni; ergo sola secunda intentio connotans primam per se primò & directè in definitione vniuersalis & cuiusuis alterius concreti definitur.

ARTICVLVS IV.

Proponuntur aliqua argumenta contra nostram conclusionem, & enodantur.

Obiicitur primò contra conclusionem, praedicatorum de pluribus competit primis intentionibus, seu entibus denominatis, non tamen formis denominantibus secundum quod denominant; ergo istae non primò definiuntur. Probat antecedens, quia vniuersale non praedicatorum de genere secundum quod genus est, sed vt subiacet ipsi tanquam species, non quam denominat, sed in qua continetur tanquam superius in inferiori, ideo non valet dicere, Species est genus; bene tamen, Homo est animal; ergo haec definitio primò competit naturis, seu rebus denominatis, vt subiacent secundis intentionibus. Pro solutione supponit Doctor quaest. 8. & 14. citata, vniuersali, praedicationem aliam esse in actu exercito, aliam in actu signato, ista solùm dicit rationem praedicatorum formalem, seu qua exercitè res possit praedicatorum; illa actuale exercitium praedicationis: dignoscas autem signatam praedicationem si solùm detur per praedicatorum, vt quòd dicitur genus, praedicatorum de specie; exercitam verò cum ponitur verbum est, & dicitur, Genus est vniuersale, Homo est animal. Ex quibus infert Doctor, quaest. 14. §. *propter argumenta*, nomina concreta secundae intentionis respectu praedicationis supponere pro suis fundamentis, seu naturis quibus insunt, vnde à praedicatorum signatè, ad praedicatorum exercitè non tenet consequentia in eisdem terminis, nõ enim rectè infertur, Genus praedicatorum de specie; ergo species est genus. tamè à praedicatorum per se in intentionibus, ad esse in fundamentis

28.

Obiectio prima.

ris

tis tenet consequentia. Proinde bene inferitur, Genus prædicatur de specie; ergo homo est animal. Si autem obijcias, hanc prædicationem, Anima prædicatur de homine, esse signatam, & tamen in iisdem terminis exercetur, cum dicimus, Homo est animal; ergo falsa est suppositio. Resp. Doctor ibidem in nostro casu primas intentiones supponere pro secundis, quarum naturam in modo prædicandi usurpant, & sic accidentaliter eis convenit talis signatio. Ad argumentum ergo resp. concedendo, prædicationem exercitam convenire primis intentionibus & naturis realibus primariò, ut subiacent secundis intentionibus, à quibus habent posse prædicari, & sic sicut eis accidit prædicari, ita & denominari; tamen hic non definitur uniuersale exercitum, seu prædicabile exercitum, sed signatum, ob rationes suprà positas.

Soluitur.

Infinita.

Obstabis Porphyrium elucidando definitionem generis posuisse exemplum in naturis realibus, v. g. in animali & homine: sed exemplum non esset ad propositum, si solam secundam intentionem intenderet definire; ergo. Resp. Porphyrium usum fuisse naturis realibus, ut clariùs & faciliùs naturam definiti manifestaret. nam quod signatur per definitionem in intentionibus, exercetur in ebus.

Occurrit.

Obiicitur
secundà.

Obijcitur secundò si definitio Porphyrij datur per prædicari signatè, seu per rationem prædicandi; ergo uniuersale in hac definitione non erit definitum quod, sed definitum quo. Resp. in concretis accidentalibus non posse per se & in rigore definirì definitum quod, quia non significant formam per se stantem concretivè, & ut quod, sed alteri adiacentem & ut quo, ita quòd si presè

accipiamus definitum in concretis, non definitur quod est tale, sed quo aliud constituitur. Patet in hoc concreto album, in quo albedo non dicitur alba, sed qua subiectum est album, habet enim albedo ut præcisa à subiecto sua prædicata essentialia, quibus constituitur; tamen secundariò & concretivè, solum connotat & respicit subiectum; ita in nostro casu non definitur secunda intentio quæ prædicatur. Nam nec uniuersale, nec genus, aut quæuis species uniuersalis prædicantur de iis, aut de illis inferioribus, (ut omnes fatentur,) sed quatenus denominant subiecta prædicanda, quia cum sint formæ connotatiuæ, per ordinem ad connotatum, non ut quod debent definirì. Dicitur autem secunda intentio definitum quod, non quatenus respicit subiectum denominatum; sed quatenus in ipsam tendit definitio, seu est quod per ipsam primariò definitur; est ergo secunda intentio in concreto quod definitur, & quo aliud tale est formaliter.

Ex dictis satis constat, definitum in definitione uniuersalis esse secundam intentionem in concreto, & in actu signato, per quam naturæ in pluribus à parte rei diuisæ habent respicere plura sine sui diuisione, & eis identificari, siue comparari ad plura per identitatem, quod idem est ac esse in pluribus logicè, & posse de eisdem prædicari. Idemque dicendum de definitis quinque prædicabilium quantum ad rationem formalem prædicandi.

49.
Cœlusso.

Expedi-
tur.

* * *

DIFFICULTAS V.

*Vtrum vniuersale sit subiectum
libri Porphyrii.*

Hanc difficultatem proponit & resoluit Doctor q.7. vniuersali, & nos examinamus in praesenti, vt in ea aliqua dubia, quae idem Doctor mouet q.4.5. & 6. obiter explicemus.

ARTICVLVS I.

*Proponitur nostra conclusio, &
satisfit aliquibus obie-
ctionibus.*

30. **C**ommunis sententia tenet partem affirmatiuam, ita Doctor quaest. 7. vniuersali, Sanctus Thom. quaest. 9. de obiecto huius libri, Sorus q. 4. vniuersalium, Toletus q. 1. Ruvius quaest. 8. Fundamentum est quod scientia vniuersalium est vna; ergo debet habere vnum subiectum: sed in vniuersali omnia praedicabilia genericè conueniunt, ex dicendis quaestione sequenti; ergo erit subiectum huius libri.

*Obiectio
prima.*

Obiicitur primò. Vniuersale non est ens; ergo nec obiectum. Probatur antecedens ex Boëtio, de vniuocatione & vno, afferente, omne ens esse vnum numero: sed vniuersale est vnum de pluribus praedicabile; ergo nec vnum numero, nec ens. Resp. Boëtium intelligendum esse de ente existenti completè, & à parte rei, non verò de iis, quae sunt per intellectum. Sic venit intelligendus Aristoteles cap. de substantia, dum dicit: Omne quod est aliud optima substantia, aut dicitur de illa, aut est in ea sicut secundae substantiae.

*Obiectio
secunda.*

Obiicitur secundò, vniuersale est figmentum; ergo nequit esse obie-

ctum scientiae. Probatur antecedens, non est à natura; ergo totaliter ab intellectu: sed quod est à solo intellectu, dicitur figmentum; ergo. Resp. *Diluitur.* figmentum nullam supponere occasionem in re, vniuersale tamen materialiter, vel originaliter, aut occasionaliter est à proprietate rei, vt diximus difficultate secunda, nisi velis illum appellare figmentum, quatenus, illa vnitas & entitas, quae constituit naturam vniuersalem, repugnat entitati creatae à parte rei, & ei solo ministerio intellectus potest competere. Quod si dicatur, non inde debet negari vniuersale esse obiectum, quia licet de ente ficto non possit dari vera scientia, sicut nec vera definitio, potest tamen dari scientia impropria & proportionata, sicut & definitio.

Obiicitur tertio, vniuersale non est per se intelligibile, cum nunquam fuerit in sensu: sed obiectum debet praecognosci, vt de ipso demonstrentur passionibus; ergo. Resp. vniuersale esse intelligibile per speciem alterius, per quam etiam fuit in sensu, vt diximus q. 3. diffic. 3. art. 6. *Remouetur.*

Obiicitur quarto si vniuersale habet passionibus; ergo continetur sub praedicabili quarto de proprio; ergo erit superius & inferius, quod est absurdum. Resp. vniuersale esse proprium denominatiue, non verò essentialiter, ideo non implicat quod possit vtrique subiacere denominationi sub diuersis rationibus, est quippe genus, vt connotat species quinque praedicabilium, in ipsisque includitur & proprium, vt modus, seu denominatiue, quatenus determinatur à secunda intentione proprii: sicut enim homo accidentaliter determinat species; sic vniuersale proprium, & genus, de quibus infra. *Obiectio quarta.* *Soluitur.*

Obiici

Obiectio
quinta.

Obiicitur quintò, obiectum debet continere omnia, quæ per se tractantur in scientia: sed vniuersale nec continet indiuiduum, nec speciem subiicibilem, quia non sunt vniuersales; ergo. Resp. speciem & indiuidua contineri sub vniuersali, non quia sint formaliter vniuersalia, sed quatenus terminant relationem vniuersalem, v.g. indiuidua, relationem speciei, & species subiicibiles, relationem generis. Nec hoc argumento bene probant aliqui prædicabile esse obiectum, quia quod non est vniuersale, nec prædicabile, cum prædicabilitas sit essentia vniuersalis; vnde nec species subiicibilis, nec indiuidua sunt prædicabilia proximè secundum quod talia sunt.

Expeditur.

Obiectio
vlt.
soluitur.

Obiicitur vltimò, definitiones omnes Porphyrij dari per prædicari; ergo prædicabilitas est obiectum. Resp. idem omnino & formalissimè importare vniuersale & prædicabile in communi, sicut animal rationale & homo.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia.

ARTICVLVS I.

Proponitur nostra sententia.

31.
Sententiã
negatiuã
qui te-
neant.

NEgat Albertus Magnus, tractatu 2. in Porphyrium c. 9. & Canterus cap. 4. prædicamentorum, quorum sententiam approbat & confirmat Suarius 1. tomo metaph. disp. 6. sect. 8. num. 15. eorumque fundamenta, quia solùm sunt nostræ conclusionis obiectiones, artic. 2. proponemus.

Sententiã
conuincit
appre-
mat.

Communis tamen sententia affirmat. ita Doctor, quæst. 8. vniuersali,

Sanctus Thomas quæst. 2. Iauellus tractatu 4. de prædicabilibus, & alij, quos refert & sequitur Ruuius quæst. 7. num. 75.

Pro intelligentia tamen conclusionis notandum est cum Doctore ibidem §. ad primum, hinc non esse sermonem de naturis quæ vniuersales denominantur, nec de secunda intentione in abstracto, sed de secunda intentione vniuersalis in actu signato, secundum quod est definitum suæ definitionis (de quo difficultate 4.) & vt connotat naturas, seu subiecta, quæ denominat.

Notan-
dum.

Probat ergo conclusio, genus est quod prædicatur in quid de pluribus differentibus specie: sed vniuersale in concreto, & in actu signato acceptum prædicatur de pluribus differentibus specie; ergo est genus. Maior est certa. Probat minor, quia hæc est optima, & quidditatiua prædicatio, genus in actu signato & in concreto sumptum est vniuersale, species est vniuersalis; ergo vniuersale est genus ad ista.

Conclusio.

ARTICVLVS II.

Proponuntur & enodantur aduersariorum obiectiones.

Obiicitur primò, quòd genus debet esse vniuocum: sed vniuersale non est vniuocum ad quinque prædicabilia; ergo nec genus. Maior est certa. Minor probatur, primò ex Arist. cap. 1. antepædicamentorum, vbi distinguit denominatiua ab vniuocis: sed vniuersale est denominatiuum; ergo non vniuocum. Item lib. 4. Metaph. textu 24. docet quòd si omnia accidentaliter prædicarentur, nullum esset vniuersale; ergo vniuersale non est genus ad prædicabile accidentis.

32.
Obiectio-
nes ad-
uersario-
rum.
Prima.

Resp.

dentis. Resp. Aristotelem non separare denominatiua ab vniocis, quia denominatio repugnet vniuocationi, sed quia sunt diuersæ considerationes, & hac de causa etiam ab æquiuocis diuisit.

Ad secundam auctoritatem resp. Philosophum non esse absolutè intelligendum, quia ipse solùm intendit, quòd si omnia essent accidentia, fore, vt nullum daretur primum vniuersale, quod in quid de inferioribus diceretur. Manifestissimum autem est vniuersale esse vniuocum, cum nomen sit commune, & ratio substantiæ, seu essentiæ per nomen significata sit in omnibus eadem, quæ est definitio essentialis vniuocorum.

Secundæ.

Obiicitur secundò. Enti per se & per accidens non datur vniuocus conceptus; sed primum prædicabile prædicatur essentialiter, quantum verò accidentaliter; ergo. Confirmatur, quia genus debet prædicari de omnibus suis inferioribus in quid: at vniuersale prædicatur de proprio & accidenti in quale; ergo. Resp. omnia prædicabilia essentialiter participare rationem vniuersalis, & esse essentialiter rationes prædicandi, cæsi ratione differentiarum aliqua consent naturas prædicabiles in quale, alia subiecta prædicabilia in quid. Ad confirmationem resp. quòd si consideremus prædicabile accidentis vt subiaceret vniuersali, essentialiter continet ipsū tanquam propria species; si verò in ordine ad subiectum quod denominat, vt sic solùm tribuit subiecto denominato, accidentaliter, prædicari posse. Quod sic explico, vniuersale solùm dicit essentialiter, esse formam in actu signato, denominante naturam vnā in pluribus, proximè de ipsis prædicabilem, abstrahendo à prædicatione essentiali, vel accidentali:

Respon-
sur.

hoc tamen omnia prædicabilia essentialiter participant, & ita secundum rationem genericam, æqualiter sunt de pluribus signatè prædicabilia: quòd autem denominent hoc subiectum prædicabile accidentaliter, vel essentialiter, sunt differentia essentialiter vniuersalium. Cæterum ita essentialiter accidens significat, prædicationem exercendam accidentaliter, sicut genus prædicationem essentialiter exercendam.

Obiicitur tertio, differentia & proprium sunt prædicabilia in ordine ad speciem; ergo per attributionem, ac per consequens analogicè. Resp. non esse prædicabilia in ordine ad speciem, sed in ordine ad inferiora illius speciei cuius sunt differentia. Ratio est, quia vniuersale est quid relatiuum, respiciens plura inferiora; species tamen vna est, nec attributio destruit rationem generis, imò ex Aristotele in genere multoties latent æquiuocationes, & vna species metrum est aliarum, & mensura.

*Tertiæ.**Expeditur.*

Obiicitur quarto, genus debet equaliter participari: sed genus prædicatur de speciebus & indiuiduis, species verò solùm de indiuiduis; ergo vniuersale nõ participatur æqualiter, & per consequens nõ est genus. Resp. genus & speciem non gaudere hac differentia secundam rationem communem vniuersalem, sed secundum rationem differentialem; quatenus tales species sunt, quod non obuersatur rationi genericæ superiori, sicut binarius & ternarius, æqualiter participant rationem numeri, tamen binarius minor numerus est ternario, ratione speciali & differentiali.

*Quarta.**Diuisur.*

Obiicitur quinto, ideo ens non est genus, quia includitur in differentiis: sed vniuersale clauditur in differentia tertio prædicabili; ergo non est genus.

Quarta.

Huic

Solutur.

Huic argumento satis probabiliter respondet noster Mayronus super vniuersalia passu. 30. vniuersale, seu prædicabile potius debere dici vniuocum, quàm genus, quia transcendit per omnia prædicabilia, & est ipso genere superius. Nihilominus ad argumentum resp. omittendo maiorem propositionem, de qua in Metaphys. quaest. 2. ad minorem resp. vniuersale non includi in rationibus contrahentibus, sed esse quoddam prædicatum genericum, componens prædicabilia specialia: sicut animal non includitur in rationali, bene tamen in homine. Cùm autem obicitis, differentiam esse vniuersalem; ergo clauditur in differentiis. Resp. differentiam non esse vniuersalem secundum rationem formalem differentiae, sed quatenus species vniuersalis est, vnde illa vltima ratio, quæ constituit vniuersalium quodque prædicabile, non est vniuersalis: sed vniuersalitas speciei integrè constitutæ competit, differentia autem quæ definitur vniuersalis & prædicabilis, non facit differre in actu exercito, sed signat prædicationem exercendam in denominatis. Differentiæ autem denominatæ non prædicantur de toto, secundum rationem formalem differentiae, siue vt faciunt differre, sed vt habent rationem totius potentialis, vt dicemus quaest. sequenti, difficult. 2. si autem differentia prædicatur de hac & illa differentia, hoc ei contingit, sicut denominatio speciei, ob quam talis prædicatio ad secundum prædicabile pertinebit.

35.
Sexta.

Dilectio.

Obicitur sexto, enti reali & rationis nihil datur commune vniuocum: sed vniuersale non solum denominat naturas reales, sed etiam secundas intentiones, & entia rationis; ergo. Resp. concedendo, enti reali & rationis non dari conceptum aliquem nega-

tiue communem, vt dicemus in Metaph. quaest. 2. quia ens rationis, est ens improprium, & secundum quid: ens autem reale, habet esse firmum & verum; repugnat tamen, conceptum aliquem habere indifferentiam realem, respectu veri esse, & secundum quid. Inde tamen non inferitur, non posse dari conceptum aliquem vniuocum enti realis & rationis, ab iis occasionatum, causatumque ab intellectu, nam sicut intellectus ob conuenientiam hominis & equi, in aliquibus prædicatis & proprietatibus abstrahit vnã rationem sensibilitatis, vtrique conuenientem, cur etiam non abstrahet ab ente reali & rationis, aliam rationem communem, cùm experiatur, vtrumque ens sua respicere inferiora. Confirmatur, qualitas & quantitas vniuocè conueniunt in ratione generis, secundum commune placitum, licet in ratione propria & reali genericè distinguantur; ergo idem poterit dici de ente reali & rationis, quæ licet secundum entitatem obuersentur, in ratione respiciendi plura vniuocè possunt conuenire, quam solutionem debent amplecti omnes illi qui sustinent, materiam vniuersalium esse solum plura indiuidua confusè cognita, vt bene notat Hurtado disp. 4. Logica sect. 2. §. 14. quia si sufficit conceptus confusus indiuiduorum ad concipiendũ speciem, cur non etiam conceptus confusus entis realis & rationis, ad abstrahendam rationem vniuersalem ab eis. Poterit responderi, disparẽ esse rationem, quia ens reale & rationis, apparent vt dissimilia, & sic intellectus nequit formare vniuocũ conceptum; indiuidua verè & species repræsentantur, in pluribus prædicatis & proprietatibus conuenire, ideo potest formati conceptus vniuersalis. Sed

contrà primò, quòd conceptus confusus non repræsentat res vt dissimiles, sed potiùs vt similes, & confusè cum aliis conuenientes. Secundò, vt suprà diximus, ens reale & rationis, in ratione respiciendi inferiora conueniunt; si tamen obiicias, modum prædicandi sequi modum essendi: sed à parte rei ens reale & rationis non conueniunt vniuocè; ergo nec possunt vniuocè prædicari. Resp. modum prædicandi proximè sequi modum essendi, non à parte rei, nisi remotè, sed per intellectum & proximè; imò, vt diximus difficult. 3. esse in pluribus per intellectum, & posse de eisdem prædicari, idem sunt. Verum est prædicabilitatem habere remotum fundamentum in rebus, tamen ea quæ non sunt à parte rei, non aliter possunt esse fundamentum, quàm secundùm proprias entitates, secundùm eam conuenientiam, quam possunt habere.

36. *Septima.* Obiicitur septimò. Implicat oppositas denominationes, seu respectus eidem rei competere: sed superius & inferius sunt oppositi respectus; ergo nequeunt vniuersali conuenire. Tunc sic: sed vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, & rursus genus primum prædicabile, est sub vniuersali; ergo est superius & inferius. Resp. distinguendo consequentiam, sub eadem ratione concedo, sub diuersis nego: est enim quid superius secundùm quod respicit inferiora, & eis prædicabilitatem communicat essentialem; inferius tamen, vt subiacer denominationi generis quod est sub ipso. Eadem ratione non implicat genus dici speciem vniuersalis, quia licèt vnum prædicabile non prædicetur exercitè & essentialiter de alio, quia in ipso non continetur, sicut nec dicimus, Homo est leo; signatè tamen & deno-

minatiuè dicimus, Genus est species, quia sub diuersis rationibus vna & eadem res optimè potest diuersis gaudere denominationibus. Quòd non solùm est verum in rebus quæ pendent à ministerio & opere intellectus, verùm etiam relatiuis realibus sæpiùs contingit, vt idem sit pater & filius, superius & inferius, idem & diuersum, respectu diuersorum, vt notauit Doctor quæst. 8. citata §. ad primum argumentum. Si tamen petas, cur hoc repugnet absolutis, & conueniat relatiuis. Resp. absolutum rotaliter esse ad se, & implicat idem esse & non esse absolutè, & ad se; relatiua tamen cùm sint ad aliud, propria natura fundamentali, entitatiuè inuariata, oppositos habere respectus & denominationes non repugnat, quia vera oppositio est respectu eiusdem, non diuersorum.

Obiicias octauò & vltimò. Accidentaliter conuenit generi esse speciem vniuersalis; ergo & prædicari. Resp. negando consequentiam. Ratio est, quia licèt ei accidentaliter competat, denominari species, subiecta vniuersali; tamen significatum per denominationem essentialiter conuenit: sicut dici genus accidentaliter conuenit animali, esse tamen viuens sensibile essentialiter; genus enim intrinsecè participat prædicabilitatem ab vniuersali, denominatiuè tamen rationem speciei & subiicitibilitatis signatæ. Idem dicimus de vniuersali, respectu denominationis generis, quid accidentaliter dicitur genus, essentialiter tamen est prædicabile.

* * *

DIFFICULTAS VII.

De numero predicabilium.

ARTICVLVS I.

Proponitur sententia communis.

37.

Commanis Dialecticorum sententia docet, tantum esse quinque predicabilia, nec plura, nec pauciora, videlicet, genus, species, differentia, proprium, & accidens. Omnisque variis aliorum rationibus, potissima est, qua vtitur Doctor, q. 12. vniuersali §. *propter istas*, quæ talis est. Id quod predicatur de pluribus vt quid incomplexum finitum, vniuocum, & in pluribus positiue vnum, per intellectum, vel predicatur in quid, vel in quale: si in quid, id est, modum per se stantis, vel vt pars essentia, seu subiecti predicationis, & sic est genus, vel vt tota essentia, & sic est species: si in quale, id est, per modum alteri adiacentis, vel essentialiter & in quid, & sic est differentia, vel accidentaliter, & hoc pacto bifariam contingit, vel conuertibiliter, & sic est proprium, vel non conuertibiliter, & sic est accidens commune; dicimus autem differentiam alteri adiacere, quia qualificatiuum nec inest directe, nec imbibitur in qualificato, sicut genus in specie, vel species in indiuiduis, sed illi adiacet, vt determinans & contrahens: propterea differentia communiter dicitur adiacens rei determinatio, tunc tamen erit essentialis, cum determinat componendo essentiam speciei, vt rationalitas quæ cum animalitate componit hominem, tunc verò erit differentia accidentaliter, cum subiectum solum accidentaliter determinat, & componit concretum accidentale, v. g. album,

genus, &c. sed nullus alius modus predicandi excogitabilis est; ergo tantum sunt quinque predicabilia. Confirmatur, quia predicari supponit esse fundamentale in re: sed omnia quæ rebus conueniunt, vel est vt pars essentia, sicut homini animal, vel vt tota essentia, sicut Petro humanitas, vel vt passio, sicut eidem risibilitas, vel vt accidens, sicut albedo parieti, aut cui libet subiecto: sed nullus est alius modus essendi; ergo nec predicandi.

Notanter dixi, in complexum, finitum, vniuocum, & in pluribus vnum positiue, quia istæ quatuor conditiones necessariò quodlibet predicabile concomitantur; defectu primæ propositionis, & definitio, non constituunt predicabilia, etiam si predicentur de aliis, nec ens, defectu secundæ, quia transcendit illimitatè omnia genera & species, defectu tertie, canis, sanum, & cetera æquiuoca, etiã excluduntur, sicut defectu quartæ indiuiduum.

Si autem obiicias, contra secundam conditionem, quod etiam vniuersale transcendit per omnia predicamenta, præbendo eis vniuersalitatem, & nihilominus est genus; ergo & ens ob hanc rationem non debet excludi. Resp. negãdo paritatem, quia vniuersale non transcendit materialiter, nec includitur intrinsecè in omnibus predicamentis; sicut ens, quod de omnibus in quid predicatur, sed solum denominatiue & accidentaliter, quod non est contra rationem generis signati.

Obiectio.

Responso.

ARTICVLVS II.

Satisfit aliquorum obiectiõibus.

Obicitur primò Aristoteles i. libro Topicorum, cap. 2. 3. & 4. vbi solum quatuor enumerat predicabilia, videlicet genus, definitionem, proprium & accidens; ergo nec sunt

Obiectiõibus aliquorum occurritur. Primò.

T 2 quin

quinque, nec ea solum, quæ nos proposuimus. Resp. Philosophum solum enumerasse topica prædicata, seu quæ habent subiectum commune; & sic non meminit speciei, quia de subiectis particularibus prædicatur, nec differentiæ fecit mentionem, quia si est subalterna, conuertitur cum genere, vt notat cap. 3. citato: si autem infima, cum specie, seu definitione. Hanc tamen inter alia prædicabilia connumerauit, quia etsi ei deficient conditiones ad prædicabile logicum necessariæ, non tamen ad prædicabile topicum, de quo ipse differebat.

Secundò.

Obiicitur secundò prædicabilia esse coordinationes prædicamentorum: sed ista sunt decem; ergo totidem prædicabilia. Resp. Prædicabilia non coordinare prædicamenta, quia assimilentur in numero, sed quatenus prædicamenta naturis superioribus & inferioribus componuntur, quas genus & species denominant. *Institur.* Instabis esse decem modos essendi; ergo tot modi prædicandi. Probatur consequentia, quia prædicari sequitur esse. Resp. esse in alio posse bifariam usurpari, vel tanquam in subiecto inhesionis, vel tanquam in subiecto prædicationis: concedimus ergo diuersitatem essendi, in subiecto prædicationis constituere diuersa prædicabilia; negamus tamen idem inferri ex diuersis modis inhaerendi; vnde cum ex discursu articulo 1. facto solum sint quinque modi, quibus superius potest dici de inferioribus, totidem erunt prædicabilia.

39.
Tertio.

Obiicitur tertio. Ens dicitur in quid de pluribus, & tamen nec est genus, nec species; ergo debemus concedere aliud sextum prædicabile. Respondet Doctor, quæst. 12. vniuersali, ens non constituere aliquod prædicabile, quia non est vniucum: sed hoc

sæpius fatetur in Metaph. & libris sententiarum, & nos cum omni Scottistarum placito, dicemus quæst. 2. metaphisicali. Resp. ergo Porphyrium solum proposuisse naturas limitatas, & ponibiles in prædicamento, vt coordinarentur prædicabilibus; cum autem ens, ob suam transcendentiam & limitationem excludatur à prædicamento, ipsius non meminit Porphyrius, nec Philosophus.

Obstabis, accidens in communi non poni in prædicamento, sed esse vniucum ad nouem prædicamenta, & nihilominus constituit quintum prædicabile; ergo solutio nulla. Resp. prædicabile quintum non connotare accidens in communi, secundum illam rationem qua est vniucum nouem prædicamentis, sed quendam conceptum obiectiuum convenientiæ nouem prædicamentorum; sicut nec genus denominat conceptum abstractum ab omnibus prædicamentis, sed ea omnia vt conueniunt in denominabilitate generis respicit. Vel secundò responderi potest, hæc Porphyrium solum proposuisse prædicationes quæ sequentur naturas; cum autem ens, etsi sit prædicatum naturæ, non dicatur natura, inter prædicabilia logica, eius prædicatio non enumeratur. Proinde etiam si indiuiduum habeat sua prædicata, vt dicemus quæstione propria, non constituit speciale prædicabile, quia formaliter non est natura, sed modus, aut formalitas eius. Quod si hæc solutio non placet, dicamus Porphyrium solum principales modos prædicandi proposuisse, alios verò minus principales, quales sunt isti & alij, qui inveniuntur in diuinis prætermisisse.

Quartò obiicitur. Omnia prædicabilia sunt species vniuersalis; ergo frustra multiplicantur, sed deberent reduci

*Alia in
stantia.*

Solutur.

Quartò.

reduci ad genus & speciem. Resp. concedendo esse species subicibiles, non tamen prædicabiles, quia licet genus prædicetur de omnibus & in quid, sola tamen species & genus de suis inferioribus in quid prædicatur, quod requiritur ad rationem generis & speciei.

Replicat.
Expositio
147.

Replicabis, genus esse speciem vniuersalis; ergo vt talis definitur. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, non enim definitur vt subiaceret vniuersali, sed quatenus denominat naturas prædicabiles, vt pars essentiae de pluribus.

40.
Quintè.

Obiicitur quintè & vltimò. Species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero: sed genera inferiora solum numero distinguuntur, secundum Doctorem quæst. 6. quodlibetali, §. de tertio; ergo genus in communi est species. Resp. genus non constituere primum prædicabile quatenus prædicatur de pluribus generibus inferioribus, imò vt sic certum est, ad prædicabile secundum de specie tales prædicationes pertinere. quod idem est de aliis prædicabilibus, cum dicimus, Hoc genus est genus, hæc differentia est differentia, &c. sed vt prædicatur in actu signato, vel quatenus est ratio prædicandi superius de inferioribus, non tanquam tota essentia, sed vt pars illius, & totum potentialiter: vt cum dicimus, Animal prædicatur de homine, substantia de equo.

DIFFICULTAS VIII.

Quomodo vniuersalia de suis inferioribus prædicentur.

ARTICVLVS I.

Præmittuntur aliqua pro intelligentia difficultatis.

41.
Suppositio
prima de
prædicatione ad
tiam,

Primo supponendum est prædicationem aliam esse identicam,

aliam formalem. Identica prædicatio est cuiusuis rei ad se, vt docuit Doctor in 1. dist. 26. quæst. 1. num. 49. Vnde necessarium est increatis extrema istius prædicationis secundum esse fundamentale identificari formaliter, id est, quod neutrum illorum includat aliquid extra formalem conceptum alterius, aliter extrema non prædicarentur vt eadem, sed vt diuersa. v. g. in hac prædicatione, Homo est homo, Petrus est Petrus, vbi nulla est distinctio ex parte fundamenti, nisi quod eadem indiuisibilis ratio gerat vicem subiecti & prædicati, sub eadem ratione.

Ad prædicationem formalem requiritur necessarîo prædicatum contineri formaliter in subiecto, secundum Doctorem in 1. dist. 5. quæst. 1. §. sed loquendo, num. 6. & 7. Ratio est, quia in prædicatione formali, affirmatur prædicatum in esse subiecto: vt cum dicimus, Homo est animal, paries est albus; ergo vt sit prædicatio formalis vera, debet prædicatum quod affirmatur in subiecto contineri. Cum autem subiectum constituitur prædicatis essentialibus, passionibus & accidentibus, v. g. homo constituitur animalitate, risibilitate & albedine, inde inferuntur tres formales prædicationes; alia quippe est essentialis, cum affirmatur essentia de subiecto prædicationis, alia descriptiua, cum prædicatur passio, alia accidentalis, cum accidens affirmatur de subiecto quod informat. Hanc tamen differentiam inter essentielles & accidentales obserua, quod istæ semper prædicantur adiectiue, videlicet per modum alteri adiacentis, seu concernendo aliud, & sic semper sunt formales; prædicationes verò essentielles, cum non semper accipiuntur adiectiue, possunt aliquando identice, & non

et formali.

formaliter usurpari, vt docuit Doctor in 1. distinct. 5. quæst. 5. citata num. 7.

42.

Hæc autem prædicata & possunt considerari concretiuè, & abstractiuè. Concretiuè cum concernunt subiecta, de quibus prædicantur; sic homo concernit suppositum, album subiectum; abstractiuè verò cum intellectus præscindit rationes à subiecto, & connotatione, & solum rationes formales considerat, v. g. humanitatem, albedinem, in quibus præcisionibus humanitas denudatur à supposito, & albedo à subiecto. Obseruat tamen Doctor nuper citatus in 1. num. 6. vt optimè notauit Faber in 1. disput. 32. cap. 2. & Balonis folio 182. ex accidentibus plures posse fieri abstractiones, quàm ex substantiis, & ex accidentibus relatiuis, quàm ex absolutis. Ratio est conspicua, quia abstractio est præcisio rei ab iis quæ concernit extra suam rationem formalem: sed plura concernit accidens quàm substantia, & relatio quàm accidens absolutum; ergo. Probat minor. Substantia duo solum concernit, nempe suppositum & indiuidua, ad quæ secundum naturam est indifferens, vt diximus difficult. 1. accidens verò absolutum concernit subiectum quod informat, & suppositum à quo sustentatur, & indiuidua suæ naturæ, v. g. albedo hanc & illam albedinem, ideo abstrahi potest à supposito, subiecto & singularitate: relatio autem cum connotet subiectum, fundamentum, suppositum & singularitatem, tot modis præscindi potest. legite Doctorem in 1. dist. 5. q. 1. & dist. 8. q. 2. & in 3. dist. 23. q. vnica n. 21. & quodlibet. 13.

Secundò supponendum est prædicationes reducibiles ad prædicabilia debere esse veras, affirmatiuas, & formales. Veras, quia prædicationes prædicabilium supponunt fundamentum

in re, quo carent falsæ prædicationes. Affirmatiuas, quia ad prædicationē requiritur cōparatio, & ordo prædicati ad subiectum: sed negatiua prædicatio est destructio talis vnionis & ordinis; ergo. Formales, quia prædicabilia omnia sunt species vniuersalis, & habent inferiora: sed prædicatio superioris de inferioribus est formalis; ergo.

Tertiò supponunt omnes, concretum de concreto, seu naturam quamlibet, tam accidentalem, quàm substantialem, formaliter prædicari de subiecto quod connotat, & concernit. Fundamentū est, quia ad formalē prædicationē solum exigitur prædicatum contineri formaliter in subiecto: sed in casu posito idem contingit; ergo sunt formales prædicationes, propterea hæc sunt formales prædicationes. Homo est animal, paries est albus.

Quartò supponunt omnes, in prædicationibus substantialibus, abstractum de concreto non posse prædicari, v. g. humanitatem de homine, equinitatem de æquo. Probat Hurtado disp. 3. Logicæ, quem aliqui recentiores sequuntur, quia à parte rei, homo non est idem realiter cum humanitate. nam præter humanitatem homo includit suppositum, quod secundum fidem realiter distinguitur à natura. Sed, ni fallor, hæc ratio infirma est, primò, quia prædicationes formales accidentales verè formales sunt, & tamen prædicatum realiter distinguitur à subiecto, cum dicimus, Patricius est rufus, &c. Confirmatur, quia natura substantialis concretiuè accepta, realiter distinguitur à supposito, & nihilominus de eodem formaliter prædicatur, vt ipse Hurtado fatetur; ergo distinctio inter prædicatum & subiectum non est causa quòd prædicatio sit, vel non sit formalis, sed quòd prædicatum connotet subiectum, quod abstracta

Suppositio terrena.

44-
Suppositio quarta.43-
Suppositio secunda.

abstractum non habet. Pater manifeste de albedine, quæ dum connotatiuè accipitur, de homine prædicatur: si tamen abstractiue, nullus admittit de subiecto posse prædicari. Propterea omnes reiiciunt istam prædicationem, Homo est albedo, quia prædicatum non concernit subiectum, sed ab eo præcindit, quod magis explicabitur articulo sequenti. Solum est difficultas inter auctores, an abstractum possit de abstracto prædicari.

ARTICVLVS II.

An abstractum prædicetur de abstracto.

Abstractum superius prædicari de inferiori.

Sonus q. 3. vniuersali, Canterus cap. de differentia, Mercatus cap. de genere, conclus. 2. Oña q. 3. vniuersali, quos nonnulli recentiores sequuntur, affirmant, abstractum superius prædicari de inferiori, in naturis, v.g. animalitatem de humanitate, &c. Fundamentum est, quod ideo concretum prædicatur de concreto, quia in eo includitur: sed etiam abstractum superius continetur in inferiori, cum sit pars illius, quia animalitas pars est humanitatis; ergo poterit de illa prædicari. Confirmatur, quia ob hanc rationem qualitas prædicatur de albedineitate, cum dicimus, Albedineitas est qualitas; ergo.

Hurtado disp. 3. Logicæ sect. 3. concedit omnes prædicationes extremorum quæ non distinguuntur in re, ideo admittit has prædicationes, Humanitas est rationalitas, rationalitas est animalitas, iustitia Dei est misericordia; reiicit autem istam, Petrus est humanitas, quia Petrus supra rationem naturæ connotat personalitatem, distinctam realiter a prædicatis essentialibus naturæ, vnde ob defectum identitatis eo ipso quod abstrahimus naturam a supposito, nequit de ipso

prædicari, cum nullam cum ipso dicat necessariam connexionem. Fundamentum huius sententiæ est, quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: sed à parte rei animalitas est in humanitate, & misericordia Dei est iustitia; ergo prædicationes istæ sunt admittendæ.

Hæc autem sententia efficacissimè impugnari potest. Primum argumento ad hominem, ab eo quod res est, vel non est. In hac sententia, prædicatio est vera, vel falsa: sed à parte rei homo includit animalitatem necessariò tanquam ipsius constitutum; ergo erit optima prædicatio, Homo est animalitas, quod §. 23. negat. Secundò ideo §. 27. fatetur has prædicationes non esse admittendas, Deus voluntate intelligit & amat intellectu, quia intellectus & voluntas vsurpantur reduplicatiue & formaliter quatenus includunt nostrum modum concipiendi: sed nos etiam accipimus abstractum reduplicatiue, quia à parte rei non dantur abstracta, sed opere intellectus negotiantur: vt optimè notauit Valquez i. parte disp. 119. c. 2. n. 5. ergo eadem erit ratio, nullum enim credo negare à parte rei humanitatem constitui animalitate, sicut nec hominem humanitate.

45. Impugnatur.

Communior & verior sententia sustinet abstractum superius non prædicari de inferioribus formaliter, tenet Doctor in 1. dist. 5. q. 1. §. sed loquendo, n. 5. & dist. 8. q. 4. §. ad argumentum principale, & q. 16. vniuersalium, quem sequuntur Lichetus & Tartaretus, præcipuè in distinctionem 8. citatam Balonis, fol. 186. & deinceps, Canariensis 1. p. q. 28. art. 2. disp. 2. Caiet. opusc. de ente & essentia c. 3. & 4. Suarius 1. tomo Met. disp. 6. sect. 10. Ruuius in hoc tractatu, Salabianca disp. 5. q. 2. dub. 2. est communis inter Scotistas.

Abstractum superius non prædicari de inferioribus formaliter.

ARTICVLVS III.

Explicatur nostra sententia.

*Sententia
Auctoris.
Assertio
prima.*

Dico primò, quoties prædicatum dicit aliquam rationem præcisam formaliter à subiecto, falsa est prædicatio, vnde omnes istæ, Humanitas est animalitas, rationalitas est animalitas, homo est humanitas, albedo est albedeitas, sunt falsæ. Ratio est perspicua, quia in prædicatione formali prædicatum debet respicere & connotare subiectum: sed abstractum excludit formaliter omnem connotationem; ergo de nullo subiecto valet prædicari. Confirmatur, ex dictis difficultate 3. art. 2. vbi eo probauimus, vniuersale fieri per comparisonem. *quid*, vt superius prædicetur de inferioribus, debet ipsa respicere, & in ipsis contemplari: ab abstractum dicit præcisionem & enudationem à subiecto; ergo.

Confirmatur ex dicendis quæst. 7. difficultate 2. nam pars non prædicatur de toto, sed abstractum solum dicit partem ab inferiori præcisam; ergo de ipso nequit prædicari.

Ex quo fundamento inferitur primò quodcumque concretum, tam de abstracto physico, quàm metaphysico posse prædicari, vnde hæc erunt optimæ prædicationes, Albedo est qualitas, humanitas est animal. nam etsi subiectum, prædicationis abstractum sit, tamen prædicatum concernit subiectum, & in eo concipitur, quod solum requiritur ad formalis prædicationis veritatem.

Secundò inferitur, tam in creatis, quàm in diuinis, non posse prædicari formaliter formalitates, quarum vna non continet aliam, defectu connotationis prædicati: vnde istæ erunt falsæ enuntiationes formaliter, Misericordia Dei est iustitia, substantia in

homine est animalitas, quia nec misericordia Dei includit formaliter iustitiam, nec substantia animalitatem, tenet Capreolus in 1. dist. 8. q. 14. art. 3. in solutione vndecimi Aureoli, contra primam conclusionem, Gregorius ibidem, q. 2. art. 2. quos sequitur Vasquez 1. parte disp. 119. cap. 2.

Obiicies, istam prædicationem formaliter esse admittendam, Misericordia Dei est infinita, iustitia Dei est infinita; ergo & istam, Misericordia est iustitia. Resp. disparem esse rationem, quia etsi quantum ad distinctionem sit eadem ratio, non tamen quantum ad continentiam, hoc enim habet peculiare infinitas Dei, vt transcendat quidquid in eo est, ideo excludit eam à ratione attributi, Doctor in 1. distinct. 26. quæst. 1. in fine num. 55. & quolibeto 5. & addo quòd si infinitas accipiatur abstractiue ob eandem rationem, nec poterit de villo attributorum prædicari.

Tertiò inferitur, istam prædicationem esse admittendam, Hæc humanitas est humanitas, si hæc humanitas supponat pro natura indiuidua, quia humanitas non solum continetur in supposito, sed etiã in natura indiuiduali.

Dico secundò. In creatis abstractis nulla propositio est vera in sensu identico, quæ non sit vera in formali, (in abstractis, inquam. quia concretuè & ratione tertij certum est posse dari idemtitas propositionis quæ non sit formalis; sic volens est intelligens, sensibilis rationalis, &c.) tenet nostram conclusionem Doctor in 1. distinct. 8. quæst. 5. §. *ad argumentum*, num. 25. Fundamentum est quòd prædicatio dicit connotationem extremorum: sed abstractum vltima abstractione excludit omnem connotationem, & nihil includit concretis; ergo.

*Obiectis.**Solutio.**Illatio
tertia.**48.
Assertio
secunda.**47.
Illatio
prima.**Illatio
secunda.*

Obiectiv.

Obiicies in diuinis prædicari idèti-
cè, & sine ordine ad tertiu, attributa
diuina mutuo inter sese: vt cum dici-
mus, Misericordia Dei est iustitia, iu-
stitia Dei est sapientia; ergo in creatis
intellectus & voluntas, substantia &
rationalitas poterunt adinuicem
identificè prædicari. Resp. Doct. ibi-
dem, negando paritatem. Ratio est
conspicua, quia formalitates creatæ,
secluso tertio, nullam dicunt necessa-
riam connexionem, & identitatem:
vnde si abstrahamus animalitatem ab
homine, nullam dicit substantialem
connexionem cum rationalitate, imò
ad eam est indifferens, solùmque eam
identificat ratione tertij quod com-
ponunt; attributa verò diuina for-
maliter considerata ratione infinita-
tis quam formaliter includunt, mu-
tuò se identificant, quia de ratione
cuiusuis infiniti est, identificare sibi
omnem perfectionem, de quo in tra-
ctatu de attributis.

Solutio.

Ex dictis facilè ruunt contrario-
rum fundamenta; concedimus enim
prædicationes supponere fundamen-
tum in rebus, tamen hoc est remotè:
proximè tamen res non quomodo-
cunque prædicantur, sed vt apprehen-
sæ, vnde necessarium est, quòd prædi-
catum non abstractiue, sed concretie
semper vsurpetur.

heremus prædicabilitatem, idem di-
cendum est ac de cæteris abstractis, &
concretis metaphysicis realibus; si ta-
men accipiamus secundas intentiones
in actu signato, & vt connotant
subiecta quæ denominant, idem di-
cendum est quod de aliis physicis ab-
stractis, hac sola obseruata differentia,
quòd accidentia realia quinti prædi-
cabilis, quando prædicantur de subie-
cto particulari, etiam de communi
prædicantur, & è contra: vnde bene
infertur, Petrus est albus; ergo homo
est albus. Item homo est albus; ergo
aliquis homo est albus, quod nõ con-
tingit secundis intentionibus. Vnde
non bene infertur, Petrus est indiui-
duum; ergo homo est indiuiduum.
Ratio est, quia qualitas realis subie-
ctatur in toto, idèo de omni illo, &
de qualibet enuntiatur parte; secus in-
tentiones secundæ, quæ cum causen-
tur ab intellectu, solùm denominant
subiecta secundam illam rationem,
quam intellectus considerat. Cum ex-
go ratio indiuidui non denominet
naturam vt sic, sed vt determinatam
individualitate, limitatur ad ratio-
nem illam, & nequit de natura vt sic
enuntari, vt optimè notauit Doct. or
q. 16. vniuersali, §. ad tertiu principale.

ARTICVLVS IV.

De prædicationibus secundarum
intentionum.

QVÆSTIO VII.

De genere, primo præ-
dicabili.

49.

DE prædicationibus secundarum
intentionum breuiter dicendum
est, quòd si secundas intentiones con-
sideremus, secundam abstractionem
metaphysicam, v.g. secundum abstra-
ctionem prædicatorum, quæ forma-
liter continent: vt si ab specie abstra-



Habemus ex præcedenti quæst. *Genus.*
diffic. 4. art. 3. cuiuspiam con-
creti definitum esse formam
connotantem subiectum; consequen-
ter ergo definitum definitionis gene-
ris (de quo hîc solet specialiter dubi-
tari) erit secunda intentio generis, in
v actu

actū signato connotans naturam in obliquo, & tanquam terminus connotationis solum definitam; propterea tria præcisè veniunt discutienda. Primum vtrum definitio generis sit exacta & quidditatiua. Secundum vtrum genus prædicetur vt totum, vel vt pars. Tertium de modo quo genus sua respicit inferiora.

DIFFICULTAS I.

Vtrum definitio generis sit exacta, & essentialis.

Aristoteles 1. lib. Topicorum c. 4. & cum eo Porphyrius c. de genere, sic genus dialecticum definit, *genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid.* Dubitatur ergo, sit ne exacta ista definitio.

Genus quid.

ARTICVLVS I.

Proponitur sententia communis.

I.
Communis sententia.

Commune placitum affirmatiuā sustinet sententiā cum Doctore q. 15. vniuersali, §. *dicendum ergo.* Fundamētum est, quod illa est vera & exacta definitio, quæ constat genere & differentia: sed dicta definitio constat vero genere, & vera differentia; ergo. Maior patet ex dictis quæst. tertia Summularum. Minor probatur, quia loco generis ponitur definitio vniuersalis, ac si ipse poneretur, videlicet quod prædicetur de pluribus. In quo cōuenit cum alijs prædicabilibus, quæ q. 6. diffic. 6. diximus, respicere tanquā genus, in eo quod quid ponitur loco differentia, ad distinctionem aliorum prædicabilium, vt diximus ibidem, & patebit ex singulorum prædicabilium explicatione; ergo cum ista definitio, per verum genus & differentiam, naturam explicet definiti, exacta & quidditatiua erit.

Obiicitur primò solam speciem constare genere & differentia, sed ex proposita definitione, genus definitur vero genere & differentia; est ergo species. Resp. genus bifariam vsurpari, aliud est generalissimum, quod nullū supra se continet genus, vt substantia, quantitas. Aliud quod alteri generi subest, respectu cuius dicitur species; tamen quia plures sub se continet, dicitur genus; sic sunt omnia genera intermedia, vt corpus, animal, &c. Argumentum ergo concludit de generibus generalissimis, non verò de intermediis, vnde cum primum prædicabile, genus intermedium sit, & vniuersalis species, non mirum si genere constet & differentia.

Obiectio prima.

Solutio.

Secundò genus definitur genere & differentia; ergo genus continetur sub genere, ac per consequens idem erit superius ac inferius. Resp. non esse inconueniens, si aliquid respectu diuersorum sit superius & inferius, species & genus; est quidem species & inferius quatenus subest generi, genus tamen & superius vt respicit inferiora, de quibus tanquam pars actualis essentia quidditatiuè prædicatur.

Obiectio secunda.

Enodatur.

Tertiò illa particula de pluribus differentibus specie, includit aliquid extra essentiam rei definitæ; ergo non est bona definitio. Resp. illa plura poni in definitione obliquè & connotatiuè. Nam etsi respectus ad plura sit de essentia generis, illa tamen plura extrinseca sunt: sicut de essentia patris est formaliter referri ad filium; iste tamen non est de essentia patris. Neque entia rationis aliter possunt definiri, sicut nec relationes reales, quia forme connotatiuæ sunt; propterea si ea ad entitates absolutas reales cōparemus, nequeunt propriè definiri, vt notauimus q. 3. Summul. diffic. 2. art. 10.

Obiectio tertia.

Solutio.

Quartò nullum ambiguum est definibile.

Obiectio quarta.

Dicitur. nibile: sed genus ambigū respicit de-
cē prædicamenta; ergo. Resp. negando
minorem. Non enim ambigū respicit
prædicamenta, sed eodē modo omnia
determinatē denominat quantum ad
rationē superioris & inferioris. Verū
est quōd ad conceptum generis non
requiritur conceptus decem prædica-
mentorū; sed hoc solum arguit ex-
trinsecē & de connotato pertinere ad
entitatem generis.

ARTICVLVS II.

*Virum definitio generis sit quid-
ditatiua.*

Explicuimus q. 3. Summularū con-
ditiones requisitas ad veram &
essentialē definitionē, quas oportet
nunc pro huius articuli breui intelli-
gentia in memoriā reuocare.

*2. Affirma-
tur.* Resp. affirmatiuē, tenet Doctor in
4. vbi supra §. de secundo, versū finem,
& probatur, quia illa est vera & essen-
tialis definitio, quæ explicat quiddi-
tatem definiti: sed ista notificat essen-
tiam generis, quæ est prædicari de plu-
ribus differentibus specie; ergo. Pro-
batur minor. Nā in ratione prædican-
di conuenit cum aliis prædicabilibus,
& per illam particulam differentibus
specie, ab eisdem differt; ergo.

*Obicitur
primò.* Obicitur primò prædicari esse pas-
sionē vniuersalis: sed præsens definitio
est per prædicari; ergo nō essentialis, sed
descriptiua erit. Confirmatur ex Por-
phyrio c. præsentī, vbi hæc habet, quōd
etiam describētes assignauerunt genus esse,
dicentes, quōd de pluribus & differentibus
specie in eo quōd quid prædicatur. Resp.
*Respon-
detur.* distinguendo maiorem; si prædicari
vsurpetur pro actuali prædicatione,
verū est: si tamen pro potentia ad præ-
dicandum, falsum. Quia posse prædi-
cari, idem est quod esse in multis, ex
dictis q. 6. diffic. 3. art. 3. Ad Porphy-

rium resp. hāc vocari descriptionem,
quia cūm entia rationis excludantur
à vero esse, sic à propria definitione.
Vel dicamus, loquutum fuisse impro-
priè, aliās Philofophus diminutē pro-
cessisset, non definiendo genus essen-
tialiter, sed solum descriptiue, cūm
communis sententia sustineat posse
essentialiter definiri.

Obicitur secundò. Entia rationis *Obicitur
secundò.* non habēt aliud esse quām denomina-
tionibus significatur: sed in hac defi-
nitione denotatur actualis prædicatio,
& non aptitudinalis; ergo non est es-
sentialis definitio. Resp. in hac defi-
nitione definiri prædicationem signatā,
quæ non est aliud quām comparatio
superioris ad inferiora, & hæc est po-
tentia & fundamentum proximum
exercitæ prædicationis, qua superius
enūtiamus de inferioribus; propterea
dicitur actus respectu signatæ prædi-
cationis, & potentia per ordinem ad
exercitam. *Occurritur.*

DIFFICVLTA S II.

*Vtrum genus prædicetur de spe-
ciebus ut totum, an ut pars.*

ARTICVLVS I.

*Premittuntur aliqua pro intelligenti-
a difficultatis.*

Supponit 1. Doctor q. 16. vniuer-
sali, nō esse quæstionem de genere
in actu signato, seu de intentionibus,
quatenus denominantes sunt, sed de
istarum fundamentis in quibus exer-
centur prædicationes, cūm dicimus,
*3. Supponi-
tur pri-
mò.* Homo est animal, species est vniuersalis.

Secundò certum est genus de spe-
ciebus prædicari, docuit Arist. in præ-
dicamentis, vbi eo probat secundas
substantias de primis prædicari, quōd
animal prædicatur de homine. Idem
habet

habet Porphyrius cap. de genere. Probat Doctor §. *ad oppositum*, quia primus modus dicendi per se est quando definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito, ex Arist. 1. Posteriorum textu 9. sed animal est pars hominis; ergo hæc est per se. Homo est animal. Secundò optimè inferitur, Homo currit; ergo animal currit, quia oppositum consequentis non contingit antecedenti; si enim repugnaret animali currere, etiam homini: sed omnis consequentia enthymematica, tenet virtute alicuius mediij, per quod reduci possit in syllogismum, quod non est aliud nisi istud, Homo est animal; ergo hæc prædicatio est necessaria, & per se: solum ergo dubitatur, qualiter genus accipitur.

*Supponitur ter-
tiod.*

Tertiò. Hæc natura generica, Animal, v. g. quadrifariam potest accipi, primò quatenus includit præcisè sua prædicata essentialia, scilicet viuens, sensibile, & sic dicitur totum actuale, quia actu cõtinet hæc duo prædicata, quæ naturam animalis componunt. Secundò vt per differentiam contrahitur, determinatur, & limitatur ad constitutionem, & compositionem speciei, v. g. hominis: vt sic autem dicitur actualis pars, quia actualiter cõcurrit cum rationalitate, ad componendum hominem, quem neutra pars ab alia præcisè valet constituere. Tertiò in illa præcisione, & indifferentia, secundum quam, est contrahibile per diuersas & oppositas differentias, rationalitatem quippe, & rugibilitatem, & vt sic est pars potentialis, quia respicit aliam compartem, cum qua valet compositum constituere. Vnde promanauit adagium illud, *Genus sumitur à materia, & differentia à forma*, desumptum ex Arist. 8. Metaph. textu 9. Nam sicut in composito physico, materia prima est potètia forma actus, ita in Metaph. genus se habet vt po-

tentia determinabilis: differentia verò vt forma, & determinatio respectu speciei quam componunt. Quarto denique quatenus ipsi subsunt plures species, & eas connotat, vt partes materiales subiectiuas, & vt sic dicitur totum potentiale.

Quarto certum est, genus non prædicari de suis speciebus vt totū actuale, quia vna ex præcipuis conditionibus (vt sæpiùs diximus q. 6.) quæ requiruntur ad prædicationem, est quòd prædicatum superius connotet & respiciat subiectum, de quo prædicatur, & in quo est: sed genus vt totū actuale præscindit ab inferioribus; ergo de ipsis nequit prædicari de aliis acceptionibus est controuersia.

Supponitur quartod.

ARTICVLVS II.

Proponitur verior sententia.

COMMUNIOR & VERIOR SENTENTIA
 Docet, genus prædicari de speciebus, vt totum potètia. tenet Doctor q. 16. §. *dicendum*. & q. 20. in fine. Angelicus Doctor in 1. dist. 15. & opusculo de ente & essentia c. 3. ibidem expressè Caietanus, Suarius tomo 1. suæ Metaph. disp. 15. sect. 11. n. 16. Rub. cap. de genere n. 22. Hurtado disp. 4. Logica, sect. 4. Fundamentum est, quòd si genus prædicaretur vt pars, & non vt totum, sequeretur primò quamlibet partem prædicari de suo toto, quod in cõpositis physicis patet esse falsū. Nam hæc est falsa enuntiatio, Homo est materia prima, vel anima rationalis. Ratio à priori est, quia in exercita prædicatione verbum *est* denotat prædicatū esse entitatē subiecti: sed falsum est dicere hominē esse animal præcisè, nõ connotādo rationalitatē; ergo. Cõfirmatur de ratione generis (vt dicemus infra) *est* respicere plures species, tanquam partes subiectiuas, de quibus potest prædicari: sed genus vt est pars speciei

5.
*Cõmune
pianiti.*

speciei, nõ respicit plures species, nec de pluribus valet prædicari, quia solū connotat speciem quam constituit; ergo prædicatur vt totū, non vt pars.

ARTICVLVS III.

Proponuntur variae obiectiones, & enodantur.

6.
Obiectio prima.

Occupatur.

Obiicit primò Caietan. cap. de genere cum aliis, Aristotelem 1. libro de posteriori resolutione c. 4. vbi docet integram definitionem, & singulas eius partes prædicari de definito: sed genus est pars actualis definitionis; ergo vt sic de definito prædicatur. Resp. concedendo animal prædicari de homine, tamen non per modum partis, sed totius potentialis, quod optimè notauit Doctor, quia etsi genus primariò importet materiam, & differentia formam, tamen secundariò, & de consequenti important totum quod connotant, quod peropportuno explicuit exemplo, ex Auicena 5. Metaph. de manuato & capitato, quæ diuersa primò significant, scilicet manum & caput, vtrumque tamen ex consequenti significat totum, ex eo scilicet quòd significat partem per modum totius, vt manuatum exponitur per habens manum, vbi habens non est de significato manuati, sed de modo significandi per modum totius, quia non est partis habere manum, sed totius, ita exponitur animal, id est, homo habens sensum, &c.

Obiectio secunda.

Soluitur.

Secundò, hæc est differentia inter genus & speciem, quòd hæc prædicatur completè, & vt tota essentia inferioris, illud verò tanquam pars essentia; ergo genus prædicatur vt pars. Resp. concedendo prædicationem generis esse incompletam ex parte rei

quæ prædicatur; completam verò ex modo prædicandi, vt explicuimus obiectione 1.

Obiicitur tertio. Ab eo quòd res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa; ergo sicut albedo prædicatur de homine, etiam si sint in eo alia qualitates quæ prædicari possint, vt calor, &c. ita cum homo essentialiter contineat animalitatem & rationalitatem vt partes, quælibet illarum poterit prædicari ea ratione, qua in homine continetur. Respondet optimè, vt arbitror, quidam neotericus in hoc capite, concedendo istas prædicationes esse veras, si partes sumantur vt connotant hominem, quia veram est hominem esse animal. Notat tamen has prædicationes non pertinere ad aliquod ex quinque prædicabilibus, quia prædicabile debet esse totum potentiale, continens sub se plures partes subiectiuas, seu species de quibus possit prædicari. Ad illud de albedine respondetur prædicari vt totum potentiale pertinens ad quintum prædicabile, nisi dicamus quòd hæc prædicatio sit specialis, vt nuper dicebamus.

Obiectio tertia.

Expediatur.

Obiectio quarta.

Occurritur.

Obiicitur quarto. Partes prædicantur secundum quòd connotant subiectum; ergo denominatiuè. Probatur consequentia. Omne concretum est denominatiuum, ex dictis quæst. 6. difficult. 4. art. 1. & 2. ergo. Resp. distinguendo vtramque consequentiam. In concretis accidentalibus, concedo, in substantialibus, nego; concretum enim accidentale definitur denominatiuè, quia differt solo casu, id est, sola inclinatione formæ ad subiectum, respectu abstracti; concretum verò substantiale differt inclinatione formæ ad suppositum, quòd non denominatiuè, sed vniuocè respicit.

Restat nunc ex dictis cum Alberto

7.

de Saxoniam, de genere contendere, ubi asserit, nobiscum genus non praedicari ut partem, diuerso tamen & falso fundamento, quia genus non est pars speciei, sed haec est ita simplex sicut genus. Si tamen ei obiicias, speciem componi genere & differentia? Respondet genus esse partem definitionis, non verò definiti: si autem inites, definitionem, & definitum conuerti; ergo si hoc est simplex, & definitio. Respondet. Negando consequentiam, quia definitio, etsi explicet naturam definiti simplicis, explicat tamen per conceptus complexos; quæ solutio, in sententia Nominalium vera est. Nam ipsi omnem distinctionem formalem & fundamentalem negant in conceptibus obiectiuis, ideo hæc sententia non alio fundamento reiicienda est, nisi in eo quo quaest. 6. difficult. 1. probauimus praedicata essentialia secluso opere intellectus distingui, & de quibus latius in Metaphysica quaest. de distinct. in communi & particulari, erit sermo.

DIFFICULTAS III.

De modo quo genus respicit inferiora.

ARTICULVS I.

Vtrum genus praedicetur immediatè de indiuiduis.

Suppositio.

Supponit Hurtado disp. 4. Logicæ sect. 5. omnes qui negant cum Nominalibus, praecisiones obiectiuas debere fateri genus immediatè praedicari de indiuiduis. Fundamentum est quòd in eorum sententia, sicut species nihil est praeter plura indiuidua, omnino similia; ita genus nihil erit

praeter plura indiuidua, similia in operationibus communibus, dissimilia tamen in cæteris specificis; tunc sic species nihil aliud est, quàm plura indiuidua; sed genus praedicatur de specie; ergo de pluribus indiuiduis. Confirmatur, quia si genus non praedicatur immediatè de indiuiduis; ergo praedicatur de aliqua ratione communi, ab illis abstracta, quæ ratio non erit indiuidua, quod est contra ipsorum sententiam. Ego tamen existimo, hoc suppositum non esse ita certum in sententia Nominalium. Ratio est, quia licet Nominales negent conceptum abstractum à rationibus indiuidualibus; fatentur tamen, illam conuenientiam in ratione specifica, seu illum cõceptum confusum, quem connotat intentio speciei, esse minus communem & immediatius respicere indiuidua, quàm ille conceptus generis; ergo iste poterit mediatè praedicari de indiuiduis, ille verò immediatè. Confirmatur, quia si in eorum sententia non repugnat rationem speciei, etiamsi solum dicat conceptum confusum indiuiduorum, tanquam quid superius praedicari de inferioribus; cur ergo implicabit alium conceptum minus immediatum, & superiorem de indiuiduis praedicari & ita genus mediatè praedicari.

Sed quidquid sit de hoc, dicendum nobis est cum Doctore, quaest. 17. vniuersali, §. ad quaestionem, & aliis recentioribus, genus praedicari de specie quam constituit immediatè; de indiuiduis verò speciei, cuius est intrinseca pars, mediatè. Probat; Genus definitur per ordinem ad speciem, & species per ordinem ad indiuidua; signum ergo est, quempiam istorum immediatè respicere proprios terminos, aliàs species non distingueretur à genere,

9.
Asserit.

genere, si hoc praedicaretur de indiuiduis immediatè. Secundò. Omne superius respicit inferiora, secundùm quod in ipsis determinatè includitur: sed genus primò determinatur ad esse speciei, & postea per rationem indiuiduam; ergo non immediatè, sed mediatè de indiuiduis praedicatur.

10.
Obiicitio
prima.

Obiicitis primò. Ab indiuiduis posse abstrahi immediatè rationem genericam, & de ipsis immediatè praedicari; ergo genus praedicatur immediatè de indiuiduis. Probaturs antecedens, cognita hac & illa sensibilitate, cur non possumus abstrahere conceptum animalis ab eis. Consequentia etiam probatur, nam comparatio, quae requiritur ad vniuersalitatem, datur in natura abstracta; ergo si immediatè potest abstrahi. Ratio communis, generica ab indiuiduis, & ad eadem comparari. Resp. hoc esse possibile in cognitione confusa, & imperfecta, quia si velimus perfectè & distinctè conuenientiam indiuiduorum in genere penetrare, cognoscemus sine dubio, speciem esse primam rationem conuenientiae, & genus mediatam, nam nulli dubium Petrum mediante specie esse animal; ergo intellectus considerans perfectè, & distinctè, entitatem indiuidui & generis, mediatè comparauit ad ipsum. Declaratur magis. Intellectus abstrahens rationem, v.g. animalitatis, vel considerat praecise, hoc est, illud sensibile, vel integram rationem indiuidui. Si primum, praedicatio erit immediata, sed confusa & imperfecta. Si secundum, mediatam, quia indiuiduum mediante specie, rationem generis participat. Ad dimus tamen illam praedicationem immediatam, generis de indiuiduis non esse primam, sed secundam praedicabilis. Ratio est primò, quia speciei

conuenit propriè praedicari immediatè de indiuiduis, quod hinc generi contingit; ergo secundò quod praedicatur immediatè, concipitur tanquam immediatè contractum: sed quod immediatè contrahitur per differentias indiuiduales, est quid completum; ergo genus praedicatur completè, quod est peculiare speciei ex quaestione sequenti.

Dubitabis primò qualiter distinguantur secunda intentio generis quae denominat substantiam, & ea quae denominat qualitatem, vel quantitatem, &c. Respondet Doctor q. 6. quodlibetali, §. de tertio, solum numero differre. Ratio est, quia in ratione denominandi quidditatiuè conueniunt, & solum ratione connotati distinguuntur: sicut albedo hominis & equi, eiusdem sunt speciei; concretata tamen constituta materialiter, & de connotato, specie distinguuntur. Ita quæuis secunda intentio generis, tam generalissimi, quam intermedij, ab aliis solum materialiter distinguuntur; formaliter tamen eiusdem sunt speciei, quia conueniunt in ratione respiciendi connotata, siue hoc connotatum sit genus superius, siue inferius materialiter.

II.
Difficultas
prima.
Enodatur.

Dubitatur secundò, supposito quòd genus praedicatur mediatè de indiuiduis, utrùm vna relatione praedicabilitatis, speciem & indiuidua respiciat? Aliqui respondent affirmatiuè. Si autem obiiciatur eis esse plures terminos; ergo plures relationis. Respondent esse vnicum primum, & plures secundarios, qui possunt vnica relatione connotari, vt de relationibus realibus, tenent communiter Thomistæ in capite de relatione: vnde dicunt patrem vna relatione, plures respicere filios, &c. Ego tamen, licet negem cum Doctore, vnã relationem realem posse

12.
Difficultas
secunda.

Soluitur.

Auctoris
placitum.

posse

posse plures respicere terminos, existimo id non esse denegandum relationibus rationis, quia cum totum istarum esse, sit ab intellectu effectiue, si vnico actu naturam ad speciem & indiuidua referat, vnica erit relatio, quod non contingit relationibus realibus, quæ cum resultent ex natura fundamenti & termini, ex multiplicatione terminorum multiplicatio relationum necessariò inferitur. Tamen in casu nostro maior est difficultas. nam cum genus prius respiciat speciem, quàm indiuidua, videtur actum intellectus prius terminari ad speciem, & deinde ad indiuidua, quod arguit multiplicatam relationum; breuiter tamen dico, quòd cum esse relationis rationis sit effectiue ab intellectu, si vnico actu respiciat speciem & indiuidua, vnica erit relatio; si verò duplici, duplex, de quo in libris de anima.

ARTICVLVS II.

Utrum genus logicum possit conseruari in vnica specie, & species in vnico indiuiduo.

13. **P**ræfens difficultas solùm est de genere logico, quia certum est genus metaphysicum, seu naturam genericam, posse in vnica specie conseruari, & speciem in vnico indiuiduo. Patet in sole, qui solus & indiuiduus est actualiter. Ratio est. nam sicut Deus valet conseruare integram naturam Solis in vno indiuiduo solo, quare non integram entitatem generis in vnica specie; Confirmatur, quia tota quidditas generis in qualibet specie intensiue includitur, sicut & quidditas speciei in quolibet indiuiduo; ergo in vnico inferiori actuali valent conseruari. Si autem obicias,

Infirmitas.

differentiam specificam facere differre vnum ab alio; ergo si absint plura alia, non erit differentia. Resp. differentiam numeralem etiam diuersificare indiuidua, sicut specifica species; hac tamen obseruata distinctione quòd hæc facit differre essentialiter, illa verò solùm numeraliter; ergo sicut differentia numerica conseruatur constitutione vnus indiuidui, ita differentia specifica constitutione vnus speciei.

Ad difficultatem argumenti resp. differentiam solùm primariò importare constitutionem rei tanquàm actum eius, secundariò verò diuersitatem. Vnde ad istum effectum secundarium sufficit si alia extrema possibilis tantum sint. Patet, quia rosa præfens non solùm differt à rosa præfenti, sed à rosa in hyeme, quæ solùm est in potentia obiectiua.

Secundò suppono logicum vniuersale, seu prædicabile respicere plura inferiora. Patet ex definitionibus Aristotelis, & Porphyrij, quibus vniuersale logicum in ordine ad plura perpetuò definiunt authores.

Tertiò suppono cum Doctore in 2. distinct. 3. quæst. 6. quem sequuntur ferè omnes authores, vt in Metaphysica latius examinabimus, nullum dari genus, vel speciem creatam, cui multiplicitas indiuiduorum & specierum repugnet. Disquiruntur ergo duo, primò vtrum logicum vniuersale, sub quo comprehendo genera & species, requirant plura inferiora actu existentia; secundò an plura possibilis.

Dico primò. Vniuersale logicum non requirit plura inferiora actu existentia, sed sufficit si apprehendantur per intellectum. tenet Doctor quæst. 18. vniuersali, & probatur, quia prædicatio logica vniuersalis, solùm petit extrema apprehensa; ergo etiam si

*Diligi-
tur.*

*Respon-
dit ad diffi-
cultatem
argu-
menti.*

*Supposi-
tio secun-
da.*

*Supposi-
tio tert-
tia.*

14.
*Afferunt
primum.*

etiam si extrema non existant à parte rei, dūmodo sint obiectiue in intellectu, sufficienter terminabunt relationem, seu comparisonem. Antecedens parer, quia comparatio rationis supponit extrema solum apprehensa, vt sapius diximus quæst. 2. & 6. Minor probatur. nam veritas essentialis rei non pendet ab existentia, vnde rosa in hyeme vera rosa est, & continet sua prædicata essentialia; ergo à pluribus obiectis possibilibus cognitis, vel futuris potest intellectus abstrahere rationem communem quam de ipsis prædicet. Quomodo autem intellectus possit percipere pura possibilis non existentia, pertinet ad librum tertium de anima, & eadem difficultas est de pluribus naturis spiritualibus, quæ actualiter existunt, & pro hoc statu nequeunt mouere intellectum nostrum.

indiuia apprehensa, et si aliàs sint impossibilia: fictum, inquam, non formaliter, quia formalissimè erit vniuersale, sed materialiter, seu ex parte rei denominatæ, cum in ipsa non sit fundamentum talis comparisonis ad plura. ita intelligo Doctorem q. 18. vniuersali in fine, & S. Thomam 1. p. quæst. 13. art. 9. ibidem Caietanum, §. *aduerte hęc latitudinem*. Probat, ratio formalis vniuersalis, quia relatio & secunda intentio est, solum petit extrema actualiter apprehensa; ergo de per accidens erit ad rationem vniuersalis formaliter, si extrema ista supponant fundamentum in re, vel solum apprehensum. Confirmatur, quia aliqui Gentiles pluralitatem Deorum erroneè opinabantur; ergo poterant prædicare naturam diuinam de hoc & illo Deo.

ARTICVLVS III.

An modus prædicandi in quid separet genus à differentia.

Respondetur affirmatiue, cum Doctore quæst. 19. vniuersali, est communis sententia, quam tenet expressè Aristoteles 4. Topicorum cap. 6. loco 81. Fundamentum est, quod genus prædicatur de specie per modum substantiæ, & per se stantis, ideo nomine substantiuo significatur: sed modus prædicandi in quid est proprius substantiæ, quæ est quidditas rei; ergo prædicatur in quid: differentia autem et si sit pars essentialis speciei, prædicatur tamen per modum alteri adiacentis & in quale, non vt qualitas extrinseca quæ extranea est composito essentiali, & ad rei essentiam non spectat, sed vt pars intrinseca essentialis connotans & determinans genus cum quo constituit speciem; erit ergo 17. Affirmatur.

15. Dico secundò, si plura inferiora sunt impossibilia, nequit dari verum logicum vniuersale. quod sic ostendo: Vniuersale est vnum in multis, & prædicabile de ipsis; ergo vt verè & non fictitiè de pluribus prædicetur, ista debent esse possibilis. Probat, consequentia, quia vera prædicatio supponit fundamentum in re. Obiicies primò cum Thomistis, speciem Angeli in prædicamento: sed non ponitur vt indiuia; ergo vt species. Resp. dato gratis quod species non sit multiplicabilis, distinguendo consequentiam, metaphysica concedo, logica nego. Conceditur ergo posse ab vno indiuio abstrahi rationem superiorem, & vniuersalem metaphysicè, non tamen logicè, quia non sunt plura quæ connotet ad prædicationem.

16. Dico tertio. Ad vniuersale logicum fictum, vel non supponens verum fundamentum in re; sufficiunt plura

sufficiens ratio distinguendi differentiam à genere, quòd hoc prædicetur in quid, illa verò in quale quid.

Obiectio. Obiicies Aristotelem primo libro Posteriorum textu 21. & 7. lib. Topi-
corum cap. 2. loco 31. vbi expressè hæc habet, *Eorum qua sunt in signata oratione, hoc quidem genus, illud autem differentia, & in eo quod quid est, genus & differentia prædicantur*; ergo vtrumque prædicatur eodem modo. *Resp.* Aristotelem solum intendere, differentiam esse prædicatum in quid, quia est de essentia speciei, non tamen prædicari solum in quid, quia ex loco supra citato prædicatur in quale quid, habet enim differentia duos conceptus & esse de essentia compositi, sicque est quid rei, & determinare, seu connotare genus, & sic prædicatur in quale, nec debuit Aristoteles semper vtrumque conceptum explicare.

Obiectio secunda. Secundò differentia se habet per modum formæ, genus autem per modum materiæ: sed forma quæuis est perfectior quàm materia; ergo differentia quàm genus: sed id quod est perfectius, debet perfectiori modo prædicari; ergo differentia prædicatur in quid, quia perfectior est genere. *Resp.* modum prædicandi differentia, esse, meo iudicio, perfectiorem. Nam sicut forma est perfectior materia, quia connotat istam per modum determinantis essentialiter, sic iste modus prædicandi perfectior erit.

Obiectio tertia. Tertio differentia prædicatur in quid de hac & illa differentia; ergo non distinguitur à genere. *Resp.* secundam intentionem generis posse accipi in actu exercito, & in actu signato. Concedo igitur, in actu exercito prædicari in quid de hac & illa differentia, vt sic tamen non pertinet ad tertium prædicabile, sed ad secundum; prædicatur tamen in quale, & in actu

signato, in ordine ad inferiora illius speciei, quæ constituit, vt dicemus q. 9.

QVÆSTIO VIII.

De specie, secundo prædicabili.

QUONIAM species, alia subii-
cibilis, quæ subiacet generi, *Species.*
alia prædicabilis, quæ de pluribus indi-
uiduis primæ & secundæ intentioni-
tali prædicatur, quatuor veniunt
in hac quaestione discutendæ diffi-
cultates. Prima de specie subii-
cibili, secunda de prædicabili, tertia de indi-
uiduo realiter accepto, quarta de ipso
secundè intentionaliter.

DIFFICULTAS I.

De specie subii- cibili, & eius proprietatibus.

ARTICVLVS I.

*Vtrum definitio speciei subii-
cibilis
tradita à Porphyrio sit exacta.*

PORPHYRIUS in hoc capite speciem
subii-
cibile dupliciter definit: Pri-
mò, *Species est qua subii-
citur generi.* Sec-
undò, *species est de qua genus in eo quod
quid prædicatur;* dicimus ergo cum Do-
ctore q. 21. vniuersali, & communiori
sententia, vtramque definitionem esse
exactam. Probat, quia illa est exacta
definitio, quæ adæquatè explicat na-
turam definiti: sed natura speciei subii-
cibilis est subii-
citur generi; ergo vtraque
definitione & qualibet earum opti-
mè explicatur. Probat consequen-
tia. Nam prima hoc expressè signi-
ficat,

18.

*Species
subii-
citur
generi*

ficat, & ex secunda manifestè infertur, quia si de ea genus prædicatur; ergo est subiectum, quia subiectum est, de quo aliud dicitur, vel prædicatur.

Obiectio prima.

Obiicies primò definitionem non debere competere aliis à definito: hæc competit individuo, quia subiacet generi, & de ipso prædicatur; ergo. Respondent aliqui, speciem immediatè subiacere generi, individuum verò mediatè, & hanc esse differèntiam. Sed contrà est, quòd etiam sæpiùs genus mediatè prædicatur de specie, vt patet in hac prædicatione, Homo est substantia, in qua substantia mediante animalitate prædicatur de homine; ergo non satis differunt species subiectibilis & individuum penes mediatam, vel immediatam prædicationem. Ideo responderetur in his definitionibus debere suppleri naturã cõmunis; ita vt faciant hunc sensum, Species est quid commune generi subiectum, vel, vt alij addunt, soli, ita vt sensus sit, Species est, quæ soli generi subicitur; individuum verò non solum generi, sed etiam speciei. Si autem inistes; ergo Porphyrius diminutè processit. Resp. non esse multum curandum de proprietate & rigore definitionum secundarum intentionum.

Solutio.

Instituta Remouetur.

Obiectio secunda.

Secundò. Vnum relatiuum nequit per aliud definiri: sed hinc definitur vnum per aliud; ergo. Probatum maior. nam partes definitionis debent includi in definito: sed vnum relatiuum est extra alium, v. g. filius extra patrem; ergo. Minor etiã probatur, quia genus & species, subiectum & prædicatum, sunt relatiua; ergo nequit vnum per aliud definiri. Resp. distinguendo primam maiorem, non potest definiri per aliud, ita vt correlatiuum sit intrinseca pars definitionis, concedo; non potest definiri per aliud connotatiue & extrinsecè, nego. Ratio

Dilectio.

est, quia sicut implicat correlatiuum esse partem definitionis, quia est extra essentiam definiti; ita ordinem ad illud, cum sit de essentia relatiui, non repugnat esse partem definitionis. Vnde cum omnis ordo & respectus sit ad terminũ, hinc provenit vt nequeat quietatiue explicari nisi per illud.

Tertio genus definitur per ordinem ad speciem, & species per ordinem ad genus; ergo committitur circulus maxime vitandus in definitionibus. Resp. circulum esse vitiosum, cum non determinatè explicatur natura definiti: vt si quis diceret, Pater est qui habet filium, filius est qui habet patrem; vbi non bene intelligitur quòd sit definitum. Si tamen vellemus definire patrem, optimè diceremus, est qui habet filium: cum autem proposito genere determinatè definiamus, per prædicari de pluribus, & proposita specie subiectibili, dicamus, Species est, de qua genus in eo quod quid prædicatur, circulus non committitur. Secundò responderi potest, circulum non esse vitiosum, cum extrema sunt extrinseca, & extra quidditatem definitionis, quia cum extrema per conuersionem varientur, de fundamento in terminum: vt cum dicimus, Genus est quod prædicatur de specie, in qua prædicatione genus est subiectũ; species verò terminus relationis. Cum autem dicimus, species est de qua genus prædicatur, species se habet vt fundamentũ relationis, non committitur circulus, cum extrema non ponantur eodem modo.

Obiectio tertia.

Expediatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum species subiectibilis, quatenus subiectibilis, sit prædicabilis.

DE specie subiectibili & prædicabili, non materialiter & subiectiue

ctiùe, sed formaliter loquendo est difficultas, quatenus subiicibilis respicit genus cui subiacer, & species inferiora, de quibus prædicatur. An isti duo respectus, prædicabilitatis, & subiicibilitatis, ita inter se connectantur, vt vnum sine alio, neque esse, nec adæquatè valeat cognosci: nam certum est speciem materialiter, seu fundamentaliter vt est subiectum harum denominationum, esse intrinsicè & indiuisibiliter ab vtraque denominabilem. nam ea ratione, qua homo cõtinet animal, superius etiam continetur secundùm totam suam entitatem in inferioribus, de quibus potest prædicari.

19. *Speciem subiicibilem esse prædicabilem qui asserant.* Toletus quæst. 1. huius capituli eum Caietano affirmat speciem subiicibilem quatenus subiicibilem esse prædicabilem, diuerso tamen explicant modo. Nam Caietanus dicit prædicabilitatem & vniuersalitatem conuenire subiicibilitati, vt duo passionnes essentiæ à qua promanant. Vnde sicut hæc est optima prædicatio, Homo est risibilis, quia ab eo pullulat risibilitas; ita ista, Species subiicibilis est prædicabilis & vniuersalis; quia à subiicibilitate promanant. Toletus autem probabilius considerat rationem vniuersalis vt essentiam, prædicabilitatem verò & subiicibilitatem vt duas passionnes, quæ ab ipsa pullulant. Fundamentum est, quòd species quomodolibet contempletur, semper continet vniuersalitatem tanquam genus constitutiuum ipsius, v. g. species vniuersalitatem, homo animalitatem; ergo formaliter identificatur ratio speciei cū prædicabilitate & subiicibilitate: sed in sententia istius authoris prædicabilitas est passio vniuersalis; ergo vtraque ratio prædicabilitatis & subiicibilitatis ab ipso tanquam passionnes inseparabiles proma-

nant. Confirmatur, quia species subiicibilis vt subiicibilis, non est singularis formaliter; ergo communis & vniuersalis saltem per identitatem.

Hæc tamen sententia vera non est. Primò, quia prædicabilitatem ponit passionem vniuersalis cùm sit eius essentia, vt supra diximus q. 6. diff. 3. articul. 3. Secundò species dicitur subiicibilis & prædicabilis opere intellectus formaliter; ergo eiusdem ministerio poterit prædicabilitas formalis à subiicibilitate separari. Tertiò, dato quòd prædicabilitas & vniuersalitas identificarentur cum specie subiicibili, nihil probat intentum confirmationis, nempe quòd species subiicibilis nõ est singularis; ergo vniuersalis, quia cùm hoc non conueniat formaliter rebus vt in re existunt, sed solo intellectus ministerio, solum infertur, istam speciem esse vniuersalitatibus capacem, sicut & subiicibilitatis, non tamen sub eadem ratione.

Vera & communis sententia docet speciem subiicibilem formaliter non esse prædicabilem, quæ veritas hac vna efficacissima ratione probatur. Respectus oppositi nequeunt eidem rei sub eadem formali ratione conuenire: sed prædicabilitas & subiicibilitas sunt oppositi respectus; ergo. Maior probatur, quia darentur duo contradictoria simul vera, vel falsa, nam respectu eiusdem formæ prædicaretur affirmatio & eius oppositum. Minor etiam probatur; illi sunt oppositi respectus qui connotant oppositos terminos: sed prædicabilitas connotat inferiora subiecta, de quibus prædicatur; subiicibilitas verò genus cui subiacer: at subiectum & prædicatum superius & inferius formaliter opponuntur; ergo implicat eidem rei sub eadem ratione conuenire. Secundò relatio specificatur à termino: sed termini sũt diuersi

Refelluntur.

20.

Vera sententia.

diuersi & oppositi; ergo & respectus. Si ergo sunt diuersi; ergo nequeunt vnica formalem rationem constituere. Vnde manifestè infertur contra Caietanum & Toletū, quod cum isti respectus sint oppositi, nequit vnum ab alio promanare, nec possunt esse passiones sub eadem ratione eidem rei conuenientes.

21.

Oppositæ sententiæ concedimus speciem materialiter & esse subiicibilem & prædicabilem, quia quatenus continetur sub vniuersali est fundamentum prædicabilitatis, & quatenus connotat inferiora in quibus includitur, est fundamentū prædicabilitatis: tamen subiicibilitas & prædicabilitas formaliter sunt duo respectus distincti & oppositi causati ab intellectu, sicut idem homo secundum substantiam dicitur filius & pater fundamentaliter, quatenus habet substantiam genitam & generantem, formaliter verò vt informatur duabus relationibus, quarū altera terminatur ad patrem, alia ad filium. Nec inconuenit speciem esse relationem. nam sicut ex dicendis in Metaph. vna relatio realis potest esse fundamentum alterius, v. g. vna paternitas potest fundare relationem identitatis ad aliam paternitatē, & diuersitatis ad filiationem; cur etiam in specie, etiam si sit relatio, non poterūt fundari alij respectus rationis subiicibilitatis & prædicabilitatis. Quando autem dicitur speciem infimam non esse singularem, conceditur: negatur tamen inferri esse vniuersalem, quia datur mediū, nempe subiectum commune istarum denominationum, quod vera est vniuersalis species. Propterea quādo illatio esset vera, sufficeret speciem esse vniuersalem specificatiuè, non verò reduplicatiuè, & quatenus subiicibilem, quia implicat, aliquid esse vniuersale in ordine ad suum superius, cum de ipso nequeat prædicari.

Obiicies primò speciem subiicibilem prædicari de hac & illa specie subiicibili, cum dicimus, Species subiicibilis est subiicibilis; ergo est vniuersalis. Resp. speciem subiicibilem comparatam ad hanc & illam speciem subiicibilem, non esse subiicibilem formaliter & vltimatè, sed materialiter, quatenus denominatur à secunda intentione prædicabilitatis, qua respicit hanc & illam speciem subiicibilem inferiorem, supposita prius ipsius intellectu abstractione.

Obiectio prima.

Expedi- tur.

Obiicies secundò, has secundas intentiones esse singulares, vt pote per actionem intellectus causatas; ergo non possunt efficere subiecta formaliter vniuersalia. Resp. distinguendo antecedens, sunt singularia in essendo concedo, in denominando nego. de quo in tertio libro de anima.

Obiectio secunda.

Soluitur.

ARTICVLVS III.

Proponuntur aliqua dubia, & erodantur.

DVbitabis primò, vtrum species subiicibilis & genus formaliter sint relata? Resp. affirmatiuè, cū communi sententia. Ratio est conspicua. nam superius & inferius formaliter referuntur, cum totum esse vnus sit ad aliud se habere: sed genus per operationem intellectus est superius ad species sibi subiectas, & species subiicibiles per eius operationem generi subiiciuntur; ergo per istum actū causabitur relatio rationis interea. Confirmatur. Relatiua sunt simul natura, tēpore & cognitione: sed impossibile est cognoscere speciē formaliter subiicibilem nō cognito genere, & genus prædicabile non cognitis speciebus quas respicit; ergo sunt relatiua. Nec isto argumento intendo respicientiā istam necessariò esse mutuam. nam, vt læpius diximus, cum relationes

22.

Dubium primum. Erodatur.

rationis pendeant necessariò ab intellectu ministerio, si iste solum consideret rationem prædicabilitatis, sufficit cognoscere inferiora quatenus terminant istum respectum non cognita formali respicientia inferiorum ad suum superius; si tamen aliter contingit in relationibus realibus, inde est quòd resultat necessariò ex vi fundamenti & termini, nulla spectata intellectu negotiatione solum; ergo concludit argumentum, speciem subiectionem formaliter referri ad genus, & utrunque extremum posse correlatiuè considerari.

23. *Obiectio prima.* Obiicies primò, vnum relatiuum non prædicari de alio. Ratio est, quia in prædicatione formali, prædicatum debet includi formaliter in subiecto, vt diximus sapiùs quæst. 6. & 7. Sed vnum relatiuum non includit, sed excludit aliud; ergo non potest de ipso prædicari: at genus prædicatur de specie, cum dicimus, Homo est animal, genus est vniuersale; ergo non sunt relatiua. Resp. concedendo maiorem, ad minorem dicitur, genus & speciem posse considerari materialiter & in actu exercito, formaliterque, & in actu signato. Primo modo non sunt relatiua, ideo optimè prædicantur. In secunda verò acceptione sunt relatiua rationis, & sic nequeunt prædicari, ideo omnes istam prædicationem reiiciunt, Species est genus, genus est species, nisi sub diuersis denominationibus contemplantur, vt diximus iam articulo præcedenti de specie subiectioni & prædicabili. Obiicias, vniuersale prædicari de hac & illa specie exercitè, cum dicimus, Species est vniuersalis, genus est vniuersale, & nihilominus sunt relatiua; ergo. Resp. hinc non prædicari vnum relatiuum de alio, sed vnam relationem superiorem de alia inferiori: nam sic

ut in relationibus realibus, relationem in communi de hac & illa relatione prædicamus, cum dicimus, Paternitas est relatio, &c. sic in relationibus rationis formaliter possumus prædicare ratione vniuersalis de hac & illa specie, in quibus includitur. Replicabis vniuersale ex natura sua respicere inferiora, in quibus est & de quibus dicitur; ergo non solum est relatio, sed relatiuum. Probatur antecedens, quia vniuersale est vnum in multis & de multis; ergo nequit intelligi sine ordine ad illa. Consequentia etiã probatur, quia ex quæstione de relatione in Metaph. relatio non est quæ refertur, sed quæ refert; ergo, vt vniuersale referatur ad inferiora, non seipso, sed alia relatione debet referri; ergo erit relatiuum, & non relatio, ac per consequens vnum relatiuum de alio prædicatur. Resp. istud relatiuum superius includi in inferiori penes subiectiuam rationem, subiectiuam, inquam, in qua subicitatur relatio superioris ad inferiora, v. g. prædicabilitas. nam alia ratione vniuersale denominat naturas, & vt sic solum est relatio; alia verò de hoc & illo vniuersali prædicatur exercitè, & vt sic, non solum est relatio, sed relatiuum, quia informatur denominatione superioris & prædicabilis. In his autem relatiuis non inconuenit, si vnum relatiuum de alio prædicetur, sicut in aliis quæ totaliter excluduntur; ideo non possumus dicere, Pater est filius, nisi solum denominationè. Nec species est genus in actu signato, quia vt sic solum consideratur intentio, vt respicit externa obiecta, v. g. naturas específicas & genericas, secus vniuersalitas in actu exercito, quæ tanquam prædicatum intrinsecum continetur in inferioribus, secundum entitatiuam rationem. Confirmatur,

*Replica.**Respon.**Limitatur.**Intelligitur.**Eueritur.*

firmatur,

firmatur, quia sicut secunda intentio speciei prædicatur de naturis accidentaliter, quando dicimus, Homo est species, quia ea connotat accidentaliter; ita vniuersalitas de prædicabilibus, quia ea essentialiter respicit. Ob hanc rationem species intrinsecè denominatur vniuersalis, & non genus, etiamsi vniuersale sit genus, quia vniuersalitas respicit inferiora, quæ entitatiuè constituit, & sic de eisdem prædicatur: denominatio tamen generis accrescit illi, non secundum rationem intrinsecam vniuersalitatæ, quia vt sic solum dicit prædicabilitatem de pluribus, quod omnibus inferioribus communicat, sed vsurpat à primo prædicabili, quatenus de pluribus specie differentibus in quid valet prædicari.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò, relatiua esse simul natura, tempore & cognitione, ex Aristotele cap. de ad aliquid: sed genus & species non sunt simul natura; ergo. Maior cum Philosopho ab omnibus admittitur. Probatur minor, vniuersaliora ex eodem Philosopho, primo Topicorum, sunt prius natura, minus vniuersalibus: sed genus est vniuersalius specie; ergo non est relatiuum ipsius. Resp. distinguendo probationem minoris propositionis, prædicata vniuersaliora sunt priora fundamentaliter, quia ab ipsis non valet subsistendi consequentia, ideo non rectè inferitur, Est animal; ergo est homo, concedo, sunt priora formaliter, nego. Ratio est, quia non solum sunt simul natura & cognitione, imò totum suum esse habent simul à cognitione, ideo vnico actu intellectus comparat naturam superiorem ad inferiora: sicut vnico instanti resultat relatio paternitatis inter patrem & filium, in his ex natura rei, in aliis spectato intellectus ministerio.

Solutio.

Dubitabis secundò, quo pacto species logica dicatur de subiicibili & prædicabili. Aliqui respondent dici æquiuocè, quia sunt omnino diuersa, & solo nomine conueniunt, quæ est definitio æquinocorum. Videtur tamen probabilius affirmandum dici analogicè extrinsecè. Fundamentum est quòd hoc nomen species ex prima u sui impositione significat pulchritudinem realem, vt affirmat Porphyrius in hoc capite, indeque vsurpatum est ad significandam speciem subiicibilem, & prædicabilem, & vt sic quædam pulchritudines sunt naturæ quæ subiacet & prædicatur; ergo, cum dicant istum ordinem & proportionem inter sese, magis accedent ad analogiam, quàm ad puram æquiuocationem, quæ solum importat nominis conuenientiam.

24.
Dubium
secundum.

Ad oppositum fundamentum respond. concedendo esse omnino diuersas, secundum conuenientiam in prædicatis formalibus & intrinsecis: negatur tamen, non dicere aliquam extrinsecam connexionem & proportionem, quod sufficit ad analogiam, de quo infra q. 12. diffic. 2. art. 2.

Occurritur.

Dubitabis tertio, quis istorum respectu conueniat prius speciei: Resp. sub distinctione, si loquamur de ratione fundamentali, prius conuenit speciei subiicibilitas, quàm prædicabilitas, quia prius est quod participet rationem superiorem, quàm quod inferioribus communicetur: si verò formaliter loquamur, cum hoc dependeat à consideratione intellectus, debemus eius ordinem spectare, verum est quòd si ordinate referat, prius considerauit ordinem naturæ ad suum superius, à quo suum esse participat, quàm ad inferiora quibus communicatur, cum esse rei supponatur communicationi eiusdem,

25.
Dubium
tertium.
Solutur.

Dubita

26.
*Dubium
quartum.
Exodur.*

Dubitabis quartò, quis istorum respectuum sit perfectior? Resp. esse diuersi generis, inter quæ non est comparatio, vel si mauius, dicamus cum aliquibus recentioribus respectum prædicabilitatis esse perfectiorem, quia pulchriorem reddit naturam. nam nullû credo dubitare pulchrius esse, & venustius præesse, quàm subiici.

27.
*Dubium
quintum
Respôso.*

Dubitabis quintò, an respectus subiicitibilitatis specie infimæ & subalterne sint eiusdem speciei? Resp. siue dicamus speciem infimam vnico respectu respicere omnia superiora quibus subiacet, siue pluribus, sunt eiusdem speciei. Ratio est, quia nulla apparet ratio distinctionis, cum vtraque subiaceat prædicabilitati. Solùm poterit obici, (dato quòd vnico respectu species subiicitibilis respiciat omnia superiora prædicata,) speciem infimam plures terminos respicere, quàm subalternâ; ergo distinguuntur. Resp. hanc esse distinctionem extrinsecam & nimis accidentariam, & solùm prouenientem à maiori, vel minori termini extensione.

DIFFICULTAS II.

De specie prædicabili.

*Species
prædicabilis
quid.*

Species prædicabilis ea est, quæ de pluribus numero differētibus in eo quòd quid prædicatur. Dubitatur ergo, vtrum ista definitio sit exacta.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum definitio speciei sit exacta.

28. **R**espond. affirmatiuè, & probatur, quia constat vero genere & differentia. *Prædicari* est genus, in quo cõuenit cū aliis prædicabilibus; *differētibus numero in quid*, est differentia qua differt à genere quòd prædicatur de pluribus specie differētibus, & ab

aliis prædicabilibus quæ nõ prædicantur in quid; ergo definitio est exacta.

Obiicies primò quòd genus etiam prædicatur de pluribus numero differētibus; ergo distinctio est nulla. Resp. differre primò, quia genus prædicatur mediâtè ratione speciei quam constituit; species verò immediâtè. Secundò in modo prædicandi, nam genus prædicatur incompletè vt pars essentiæ; species verò vt tota quidditas indiuidui. Instabis; ergo hæc definitio non conuenit speciei subalterne, quæ prædicatur mediâtè de indiuiduis. Resp. concedendo sequelam. Nam species subalterna solùm dicitur species in ordine ad suum superius, & sic est subiicitibilis; dum verò consideratur in ordine ad inferiora, genus est.

Replicabis genus & speciem prædicari de indiuiduis, & neutrum includere differentias cõtrahentes, quia sicut genus respicit indifferēter differentias específicas, sic species numericas. Vnde ergo colligitur genus prædicari incompletè, speciem verò completè? Resp. inde inferri quòd differentia est pars essentialis speciei, ideo genus quòd est cõpars actualis, solùm incompletè valet prædicari, etsi consideretur vt totum potentiale, ex dictis q. 7. diffic. 2. art. 2. species verò est tota quidditas indiuidui, proinde essentialiter & completè de ipso prædicatur: infertur autem perspicuè speciem esse integrâ quidditatem indiuidui independēter à differētia indiuiduali; quia essentia alicuius rei, est à qua promanāt passiones & proprietates: sed omnes passiones indiuiduorum pullulant à ratione específica; ergo. Maior est certa. Probat minor, quia experimur in homine esse aliquas proprietates quæ nõ sunt in animali, & inde colligimus genus non esse integram quidditatem speciei; indiuidua verò taliter

*Obiectio
prima.*

Diluitur.

Instatia.

Solutio.

Replicatio.

Diluitur.

commu

communicât in essentia, vt etiam passiones & proprietates ex æquo communicent, ita vt nullam passionem propriam in aliquo indiuiduo cognoscamus, quam in quouis illius speciei experiri non possimus. quod diuersis speciebus non contingit respectu generis, sed aliquas habent speciales passiones, quæ ratione generis eis nequeunt competere, v.g. risibilitas homini, inihibilitas equo, animal autem in communi nec est inihibile, nec risibile: nullam autem passionem in aliquo indiuiduo contemplabimur, quæ ipsi ratione speciei non conueniat, & quæ non sit communis cæteris indiuiduis; solum ergo differentia indiuidualis est determinatio speciei, vt possit existere, & suas operationes exercere, de quo in Metaphysica.

sic non prædicatur de pluribus differentibus numero, quæ est propria speciei definitio.

DIFFICULTAS III.

De indiuiduo, realiter & materialiter accepto.

PORPHYRIUS bifariam indiuiduum definiuit. Primò per terminos primæ intentionis indiuiduum est, cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit. 29. Indiu-
dium
quærit. Secundò per terminos secundæ intentionis, indiuiduum est quod de vno tantum prædicatur; cum ergo omne definibile debeat esse commune ex omnium Philosophorum sententia, quia de singularibus nec est scientia, neque definitio, vt diximus in Summulis quæst. 3. difficult. 2. art. 1. dubitari solet an indiuidua conueniant in aliquo communi reali, quod definiti possit, vbi sermo non est de indiuiduis secundum rationem essentialem, quia vt sic certum est conuenite in conceptu specifico naturæ humanæ: sed de ipsis secundum præcisam rationem indiuidualem, qua primò differunt ab aliis indiuiduis tam propriæ, quam extraneæ speciei, quam difficultatem in Metaphysica exactè examinamus, & in præsentem partem affirmatiuam supponimus, quam ibidem ex Doctore confirmamus. Dubium.

*Obiectio
secunda.*
Expeditio.
Obiicies secundò quòd ex Aristotele 6. Topicorum vna res, vnica sola definitione potest definiti, sed species definitur duplici definitione, vt subiectibilis & prædicabilis; ergo. Resp. Aristotelem intelligendam esse de ente absoluto, quòd cum vnicam habeat quidditatem, consequenter vnicam definitionem, quia definitio & definitum conuertuntur, secus relativiis contingit; & idem dico de quibuslibet concretis accidentalibus, quæ cum constant pluribus formis quibus denominantur, totidem definitionibus accidentaliter possunt definiti.

ARTICVLVS I.

Utrum prædicta definitio indiuidui realis sit exacta.

R Esp. optimè explicare naturam indiuiduorum, non per partes intrinsecas & essentielles, quia, vt dicemus in Metaphysica, res non sunt indiuiduæ per accidentia, sed per aliquam formalitatem sibi realiter identificata.

*Obiectio
tertia.*
Solutio.
Obiicies tertio. Deus (vt fides adstruit) non est species, & prædicatur in quid de tribus personis; ergo cum ista definitio competat aliis, à definitione erit vitiosa. Resp. essentiam diuinam non prædicari de pluribus differentibus numero, quia non multiplicatur numero in personis in quibus est, sed est vna & indiuisa vnitas, &

tificatam; hæc autem datur per accidentia & proprietates. Explicatur tamen optimè per hæc extrinseca natura indiuiduorum, nam pro hoc statu substantia non est per se cognoscibilis, sed per extrinseca accidentia materialia, tametsi ex se perceptibilis sit, vt optimè aduertit Doctor in 2. distinct. 3. quæst. 6. num. 17. Vnde cum Logices de rebus agat vt subiacent conceptibus intellectus, optimè per hæc extrinseca Porphyrius indiuiduum definiuit; aliter definitio nobis esset ignota, quia nullo alio modo pro hoc statu vnum indiuiduum ab alio separamus, nisi per proceritatem corporis, albedinem, aut nigredinem, localémve separationem; communiter tamen septem proprietates, quibus vnum indiuiduum ab alio distinguit, sequentibus carminibus ab authoribus recensentur.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguis,

Patria, sunt septem quæ non habet vnus & alter.

Quos versus sic intellige. *Forma* temperiem denotat qualitarum, quæ vocatur complexio; *figura* supponit quantitatem & membrorum dispositionem; *locus* & *tempus* dicunt vbi, vel situm quod occupant, instansque natiuitatis; *nomen* cuiusvis appellationem; *sanguis* profapiam, gentem & cognationem; *patria* prouinciam à qua quis trahit originem, & nunquam contingit quempiam in his omnibus cum alio conuenire.

Obiectio. Obiicies, si indiuiduum, vt supponimus, habet vnicum conceptum definibile, & per consequens de hoc & de illo indiuiduo prædicabilem; ergo constituit distinctum prædicabile.

Solutio. Resp. primò istum conceptum communem indiuiduorum solum esse vnum per modum plurium sub vnica

ratione confusè cognitorum. Itaque licet per modum vnus omnia indiuidua cognoscantur, non est quia præscindatur aliquod prædicatum contrahibile ab indiuiduis, sed quia omnes differentie indiuiduales sub vnico conceptu faciendi differre cognoscantur. Secundò respond. Porphyrium solum egisse de prædicabilibus quæ sequuntur modos prædicandi naturarum. Cum ergo indiuiduum non sit natura, sed modus, aut formalitas eius, non debuit inter prædicabile connumerare. Obserua tamen hanc indiuidui realis definitionem solum indiuiduis realibus substantialibus competere, nam cæteris accidentium hæc nequeant conuenire.

DIFFICULTAS IV.

De indiuiduo, secundè intentionaliter sumpto.

NON est sermo de indiuiduo vt subiacet speciei, quia certum est quòd sicut hæc ex difficultate secunda de ipso prædicatur in quid, & vt tota ipsius quidditas & essentia; ita indiuiduum completè ipsi subiicitur, tanquam id de quo completè prædicatur, vt diximus de specie subiicibili respectu generis, cuius est subiectum; solum ergo est difficultas de indiuiduo prædicabili.

ARTICVLVS I.

Verum definitio indiuidui prædicabilis sit exacta.

REsp. affirmatiuè. Ratio est, quia exactè explicat naturam indiuidui, conuenientiámque & distinctionem cum aliis rebus quæ prædicantur, conuenit quippe cum aliis in prædicando, & ab eis differt, quòd cætera quæ

quæ prædicantur, de pluribus dicuntur, indiuidua verò de vno solo enuntiat.

31.
Questio.
Responso.

Petes, vtrum prædicatio indiuidui de indiuiduo sit formalis, vel identica. Resp. primò, si indiuiduum eodem modo concipiatur ex parte subiecti & prædicati, est prædicatio identica. Probat, quia ex quæst. 6. difficult. 8. art. 1. identica prædicatio est eiusdem rei ad se: sed si prædicatum & subiectum secundum eandem rationem præcisè concipiuntur, est eiusdem rei ad se, quia prædicatum sub eodem conceptu entitativo concipitur ac subiectum; ergo erit identica prædicatio. qualis est ista, *Petrus est Petrus, Paulus est Paulus*, & ob eandem rationem hanc puto identicam, *Petrus est hic homo, hic homo est Petrus*, si hunc hominem determinemus ad significationem Petri, quia licet Petrus & hic homo nomine distinguantur, vtriusque tamen significatum formale & determinatum est eadem indiuisibilis entitas, eodem modo concepta. Aliter contingit, si quis concipiat distinctè vnum extremum, aliud verò licet determinatè confusè: vt si quis audiret Petrum interfecisse hominem, & viso illo dicat, *Hic homo est Petrus occisor*, ista est prædicatio formalis, quia subiectum concipitur distinctè, prædicatum verò confusè. nam Petrum non cognoscebat determinatè, sed vagè vt quendam hominem, quod statim explico.

32. Dico secundò, quoties indiuidua ratio quæ se habet ex parte prædicati diuerso modo concepta afficit subiectum, est prædicatio formalis. Probat sic. nam hæc est ratio constitutiva prædicationis formalis ex dictis vbi supra. Et confirmatur à simili. nã sicut hæc est formalis prædicatio, *Homo est animal rationale*, etiam si hæc sit desi-

nitio hominis, & idem cum ipso, eo præcisè quòd prædicatum diuerso modo conceptum, nempe distinctè prædicatur de homine cõfusè cognito; ergo toties prædicatio erit formalis in indiuiduis, quoties prædicatum diuerso modo concipiatur ac subiectum. Vnde infertur omnes istas propositiones, *Petrus est hoc animal, Petrus est hoc album*, & alias huiusmodi, esse formales, quia prædicatum nõ eodem modo concipitur ac subiectum. Confirmatur vtrinq; quia sicut ista est prædicatio formalis & vniuersalis, *Homo est animal*, quia animal ibi accipitur vt totum potentiale respectu istius hominis; quare ista non erit formalis, *Petrus est hoc animal*, cum aliter prædicatum concipiatur ac subiectum.

Obiicies Aristotelem cap. de substantia negantem indiuiduum de aliquo prædicari. Resp. Aristotelem intelligendum esse de aliquo à se distincto, quia indiuiduum solum de se ipso prædicatur, propterea etiam non constituit speciale prædicabile, quia prædicabilia de pluribus prædicantur.

Obiectio.

Enodatur.

Dico tertio conceptus communis indiuiduorum, seu ratio communis indiuidui concepta ab intellectu, potest formaliter prædicari de hoc & illo indiuiduo. Paret, quia sicut hæc est formalis prædicatio: *Genus est vniuersale*, quia vniuersale includitur in genere; ita & ista, *Indiuiduum est indiuiduum*, quia illa ratio communis & indeterminata continetur determinatè in indiuiduis; propterea Doctor in 1. dist. 2. q. 3. §. de septima via, num. 7. concedit istam propositionem formaliter, *Singulare est vniuersale*, quia licet quod concipitur sit singularitas, (vt vtar verbis ipsius;) sed modus concipiendi sub quo concipitur est vniuersalitas, quia quod cõcipitur, vt cõcipitur habet indifferentiã ad plura.

33.

ARTICVLVS II.

*Qualiter indiuiduum vagum
prædicetur.*34.
*Indiui-
duum
vagus
quid.*

Suppono indiuiduum vagum esse
Srem singularem indeterminatam,
& confuse cognitam ab intellectu,
nullo signo determinato designabi-
lem: vt quidam homo, aliquis homo,
cuius indeterminatio ea est, vt eius
significatum vagari possit per quæuis
indiuidua totius speciei, quia de quo-
libet verum est dicere esse aliquem.
Vnde euidenter infertur indiuiduum
vagam formaliter esse opus intelle-
ctus. Ratio est conspicua, quia à parte
rei, omnia singularia determinate
sunt, & propriæ differentie indivi-
duali subiacent, per quam sunt de-
terminatè talia, & à quouis alio di-
stincta: & hinc est quòd quando in-
tellectus vagè concipit aliquod in-
diuiduum vt necessarium ad effectum
aliquem; exercitium nequit fieri nisi
in indiuiduo determinato. v.g. intel-
lectus concipit, potentiam visiuam
esse necessariam ad videndum, &
equum ad equitandum; hoc tamen
implicat exerceri, nisi hac numero
determinata potentia, & hoc numero
equo, quia à parte rei nec datur equus
indeterminatus, nec potentia quan-
tum ad numericam & singularem ra-
tionem, licet in quolibet indiuiduo
speciei sit eadem capacitas & suffi-
cientia. nam quilibet equus sufficit
ad equitandum, & quilibet potentia
visua ad videndum.

35.
*Afferum
Primum.*

Dico primò, si indiuiduum forma-
liter consideretur quatenus denomi-
natur ab intellectu, hæc prædicatio,
Aliquis homo est indiuiduum, est
formalis accidentalis pertinens ad
quintum prædicabile. Probat, quia
ad istud prædicabile reducuntur om-

nes-prædicationes, in quibus acci-
dens de suo subiecto siue signatè, siue
exercitè prædicetur. Sed in hac præ-
dicatione, Aliquis homo est indiui-
duum, prædicatur secunda intentio
indiuidui de natura reali cui accidit;
ergo est prædicatio accidentalis ad
quintum prædicabile reducenda.

Dico secundò, si indiuiduum va-
gum significet vnitatem tanquam
propria passionem ex principiis in-
trinsecis promanantem, v.g. cum dici-
mus, *Petrus est quidam homo*, est prædi-
catio formalis pertinens ad quartum
prædicabile, vt optimè insinuat Sua-
rez primo tomo *Metaphys. disput. 6.
sect. 8. num. 14.* & *Vasquez* tomo se-
cundo primæ partis disp. 130. cap. 3.
quos sequitur *Hurtado* disp. 5. *Logice*
sect. 9. Probat, primò esse formalem
prædicationem, ex dictis art. præce-
denti, quia prædicatum inest formaliter
subiecto, & distincto modo concipi-
tur. nam prædicatum consideratur
indeterminatè & vagè, subiectum ve-
rò determinatè; ergo secundò redu-
cendam esse ad quartum prædicabile,
eo probatur quòd ad quartum prædi-
cabile pertinent omnes prædicationes,
in quibus proprietates prædicantur
de essentia, vt dicemus quæst. 10.
sed vnitatis indiuidui est passio eius,
ex dicendis in *Metaphys.* ergo prædica-
tio ista reducenda est ad quartum
prædicabile.

36.
*Afferum
secundum.*

Dico tertio, si indiuiduum vagum
significet singularè rei quidditatem,
cum dicimus, *Petrus est quidam homo*,
hæc prædicatio pertinet ad secundum
prædicabile. Probat, quia ista est es-
sentialis prædicatio: sed non pertinet
ad primum prædicabile, quia nõ præ-
dicatur incompletè, cum non sit pars
essentiæ: nec ad tertium, quia non
prædicatur in quale, cum non sit dif-
ferentiæ; ergo ad secundum prædicabile.

37.
*Afferum
tertium.*

Confir

Confirmatur primò, quia hæc prædicatio est vniuersalis, & prædicatum est prædicabile de pluribus; ergo pertinet ad aliquod, ex quinque. Probat-ur antecedens, nam aliquis & omne signum indeterminatum, vt diximus in Summalis quæst. 5. difficult. 4. art. 5. æquivalent vniuersali propositioni, vnde indiuiduum indeterminatum, seu vagum, correspondet propositioni vniuersali negatiuæ, quia vt hæc sit falsa, *Aliquis homo est albus*, necessarium est hanc esse veram, *Nullus homo est albus*.

Confirmatur secundò, esse quidditatiuam. nam sicut hæc prædicatio, *Petrus est homo*, est secundi prædicabilis, quia humanitas Petri diuerso modo concepta prædicatur de Petro in quo est, nempe per modum naturæ, quia subiectum dicit determinatam rationem indiuidui, prædicatum verò solum eius quidditatem, in qua cum aliis communicat; quare ista, *Petrus est aliquis homo*, non erit secundi prædicabilis, cum prædicatum conceptum insit subiecto essentialiter, nempe humanitas prædicabilis de quolibet. Item, *Aliquis homo*, ob suam indeterminationem æquualet conceptui communi; ergo erit secundi prædicabilis.

Obiicitur. Obiicies contra dicta, prædicabilia connotare naturas vniuersales: sed indiuiduam vagam solum connotat singulares & indiuiduas naturas; ergo ad nullum prædicabile spectat. Resp. concedendo maiorem, in minori fatemur indiuiduum vagum connotare naturas singulares, non tamen distincte, sed confuse cognititas. nam, *Aliquis homo*, v. g. nec supponit pro humanitate vt sic, nec pro hoc, vel illo indiuiduo speciei determinatè, sed vagè pro quolibet. Vnde cum se habeat per modum vniuersalis & quid-

ditatiui, seu descriptiui conceptus, ad quartum & secundum reducimus prædicabile. Nec verum existit, assertum Hurtado vbi supra §. 102. dicens, idem significare hominem in hac prædicatione, *Petrus est homo*, & in hac, *Petrus est aliquis homo*, quia licet verum sit quòd eadem humanitas prædicetur in vtraque, tamen conceptus hominis supponit solum pro prædicatis essentialibus speciei, etsi connotet subiectum determinatum, tamen *aliquis homo*, quamuis habeat rationem communem & vniuersalem, modo iam explicato, non tamen supponit præcisè pro essentiali ratione speciei, sed inuoluit individualitatem. Vnde etsi reducatur ad secundum prædicabile, ista prædicatio, *Petrus est aliquis homo*, dum prædicatum vsurpatur pro essentia vt sic connotata, tamen non ita propriè, quia secundum prædicabile excludit omnem indiuidualem rationem tam vagam, quam determinatam. Ex parte prædicati, nec sumpta indiuiduatione pro vnitatem, aut passione verè reducitur ad quartum prædicabile, quia non est passio consequens naturam specificam, de cuius prædicatione loquebatur Porphyrius dum constituit prædicabilia (vt diximus difficultate præcedenti,) sed naturam indiuiduam, quæ subiacet determinationi.

QVÆSTIO IX.

De differentia, tertio prædicabili.

GOMMUNITER hinc authores *Differen-* de differentia materialiter & *rentia.* formaliter considerata disputant; nos tamen, ne metas instituti logici

transeamus, breuiter aliqua circa materiale differentiae proponemus, exactam discussionem ad Metaphys. reiciunt, quia hic solum de differentia praedicabili & formali oportet pertractare.

I.
Differentia triplex.

Pro huius autem quaestionis intelligentia communiter Dialectici cum Porphyrio in hoc cap. differentiam diuidunt in communem, propriam & propriissimam. nam cum ex communi Philosophorum placito eodem principio constitutum constituatur & distinguatur, tot erunt genera differendi, quot constituendi. Consideremus ergo quodlibet constitutum perfectum, v. g. Petrum, & inueniemus constitutum essentialiter rationalitate, per quam differt essentialiter à quocunque alterius speciei. Item perficitur passionibus, v. g. risibilitate, quibus descriptiuè differt ab equo, leone, &c. diuersisque accidentibus ornatur, v. g. albedine, qua distinguitur accidentaliter ab Aethiope; erit ergo differentia communis, qua aliqua differunt accidenti communi, vt qua differt Petrus albus à Petro nigro. Propria, qua aliqua differunt accidenti inseparabili, aut passione propria. Tandem differentia propriissima, qua aliqua essentialiter & quidditatiuè distinguuntur. Hæ autem differentiae sic se habent quod propriissima essentialis & inseparabilis est, constituitque speciem. nam rationalitate constituitur homo, & diuiditur animal. Aliæ verò differentiae licet aliquando sint inseparabiles ab intrinseco, vt risibilitas quæ promanat ab essentia hominis, aliæ ab extrinseco, vt albedo in cygno, quæ resultat ab eius temperie: tamen neutra est essentialis, quia non sunt de conceptu quidditatio rei. Differentia autem communis separabilis omnino & est accidentalis, quia

contingit subiecto, vt albedo homini, frigiditas aquæ. Secundò obseruandum est cum Doctore in 2. dist. 3. q. 6. num. 11. 12. & 13. cuique differentiae suo modo quatuor conuenire, primò contrahere, secundò constituere, tertio distinguere, quarto praedicari; an verò isti sint respectus rationis, aut reales, vel diuersæ prioritates, secundum quas differentia his denominationibus subiaceret, dicemus in Metaphysica.

Venit ergo circa istam quaestionem dubitandum, primò vtum diuisio differentiae in communem, propriam & propriissimam, sit exacta; secundò quæ sit quidditas & natura differentiae praedicabilis.

DIFFICULTAS I.

De diuisione differentiae in communem, propriam & propriissimam.

ARTICVLVS I.

An ista diuisio sit exacta.

Resp. affirmatiuè, quia illa est exacta diuisio, vt diximus in Summulis quaest. 4. difficult. 2. art. unico, quæ sit in omnia membra diuisio: sed nullum est assignabile membrum præter numerata; ergo diuisio est exacta. Maior est certa. Minor probatur, ea quæ differunt, vel differunt essentialiter, & sic differentia propriissima, vel accidentaliter, inseparabiliter, & sic differentia propria, vel separabiliter, & hæc est differentia communis: sed nullus alius occurrit modus differendi; ergo.

Obiicies primò sub hac diuisione Obiectis non includi differentiam indiuidua-
primam.
lem:

Communis,
Propria,

Et propriissima.

lem; ergo non est adæquata. Probatur antecedens, quia non est propriissima, cum sit extra essentiam rei, nec propria, aut communis, cum non sit accidens separabile, aut inseparabile; ergo. Resp. differentiam individualement reduci ad propriissimam, quia etsi non sit essentialis; est tamen intrinseca, & ultimo faciens differre. Obstabis Porphyrium differentiam propriissimam comparare ad speciem, ut constitutivam illius: sed hoc nequit individuo competere; ergo nec reduci ad propriissimam differentiam. Resp. Porphyrium solum egisse de differentiis, quæ proprie possunt vniuersalitati subiacere, & per se ad constituendam naturam ordinantur, ideo non meminit differentia individua-
Secuitur.
Inferria.
Dimittit.

lis, cui ista conuenire repugnat. Obiicies secundò, proprias passiones nec esse essentiam, cum ab ista orientur; neque accidens, cum identificentur suo principio; ergo sub nullo istorum membrorum continentur. Resp. reduci ad differentiam propriam, quia inseparabiliter faciunt differre. Replicabis primò esse formalitatem intrinsecam substantialem inseparabilem, sicut differentia individualis; ergo sicut hæc reducitur ad propriissimam differentiam, ita passiones. Resp. in ratione differendi non posse reduci ad propriissimam, quia non primariò, sed consequenter & secundariò faciunt differre; secus differentia individualis, quæ primò facit differre vnum individuum ab alio. Si autem dicas risibilitatem facere differre substantialiter risibile à non risibili, concretiuè vsurpato, quatenus connotat risibilitatem; ergo poterit reduci ad propriissimam. Resp. eodem argumento probari differentiam accidentalem posse reduci ad propriissimam, cum homo albus,
Obiectio secunda.
Responso.
Replicat.
Expenditur.
Responso.
Dissoluitur.

reduplicatiuè per solam albedinem differat à nigro. Resp. ergo propriam passionem supponere subiectum integre constitutum, & ideo nequit facere differre propriissimè. Instabis Porphyrium docuisse differentiam propriam suscipere magis & minus: sed propria passio est substantia; ergo non potest magis & minus suscipere. Resp. Porphyrium non loquutum fuisse vniuersè de omni differentia propria, sed de aliquibus.

Obiicies tertio, diuisionem esse inter opposita; ergo debet esse binembris, quia oppositio solum est inter duo: sed dicta diuisio est trimembris; ergo. Resp. fieri trimembrem, breuitatis gratia; reduci tamen facillimo negotio ad binembrem, si dicamus, differentia alia propriissima, alia non propriissima: rursus non propriissima, alia communis, alia propria, &c.

Alia instantia.

Ocluditur.

Obiectio tertia.

Resoluitur.

ARTICVLVS II.

An diuisa istius diuisionis sint differentia reales.

Respond. affirmatiuè, tenet Auicenna, Albertus Magnus, Sotus, & plures alij in præsentis capite, Ruuio quaest. 2. est mens Porphyrij, & probatur, quia de eadem differentia quam diuisit affirmat facere differre vnum ab alio: sed differentia nullo operante intellectu facit differre, v. g. hominem album ab homine nigro, equum ab homine; ergo ex mente Porphyrij, hæc diuisio de realibus differentiis debet intelligi. Confirmatur ratione, quia vel considerantur ut faciunt differre, vel ut prædicabiles sūt. Si primo modo, formaliter, & seclusa quauis intellectus operatione

operatione, faciunt differre. Si verò ut prædicabiles sunt, non solum pertinent ad tertium, sed ad quartum & quintum prædicabile, cum differentia propria, & communis, non essentialiter, sed in quale accidentaliter prædicentur; ergo realis differentia hinc solum diuiditur.

Obiectio prima.

Obiicit primò Caietanus in hoc c. & cum eo aliqui recentiores, sequi ex nostra conclusione membra diuidentia inter se confundi, ita ut eadem differentia specialis sit communis, propria, & propriissima, quod legibus diuisionis contradicit. Probat sequela. nam eadem albedo, respectu parietis est communis, respectu cygni propria, & quatenus specialis qualitas propriissima, quia specifica ratione albedinis differt à nigredine quidditative & essentialiter. Resp. ad veram diuisionem satis esse quòd membra diuidentia formaliter distinguantur. Paret in diuisione boni, in honestum, utile, & delectabile, cuius membra sunt eadem in virtute; nam quilibet virtus his tribus gaudet formalitatibus. Vnde differentia in casu posito cum secundum diuersas formalitates propria, communis, & propriissima vsurpetur, diuisio hæc non erit extra leges veræ diuisionis.

Obiectio secunda.

Obiicies secundò Logicum agere de differentia prædicabili: sed ut sic est ens rationis; ergo. Probat maior à simili de genere & specie, de quibus agit quatenus habent esse per opus intellectus; ergo idem sentiendum est de differentia. Resp. Logicum agere de rebus ut subiacent secundis intentionibus: differentia autem secundam quod facit differre non est secunda intentio, quia hoc habet secluso opere intellectus. Secundò quaest. secundæ intentiones prædicabiles comparantur ad plura; differentia autem solum ad

id quod formaliter diuersificat. Vnde quamuis Logicus de per se agat de secundis intentionibus, aliquando tamen expedit rerum denominatarum naturam inuestigare, ut iuxta eius exigentiam, & naturam prædicationes exerceantur: ideo Porphyrius explicaturus naturam prædicabilis speciei, in initio capitis aliqua de specie reali præmittit.

ARTICVLVS III.

Qualis sit ista diuisio differentia.

RVius quaest. 2. huius capitis, num. 12. & cum eo nonnulli affirmant diuisionem istam esse analogi in analogata, siue differentia sumatur primè, siue secundè intentionaliter, ut assererat Caietanus. De differentia primè intentionaliter sumpta existimat hoc argumento demonstrare: Analogum est quod per se dicitur de vno, de aliis verò accidentaliter, & per attributionem ad ipsam: sed differentia propriissima facit differre per se, differentia autem propria, & communis accidentaliter, & per attributionem ordinemque ad propriissimam; ergo analogicè dicitur. Si autem differentia secundè intentionaliter vsurpetur, idem affirmat cum Caietano & probat. nam hinc non consideratur differentia quatenus prædicabilis, quia ut sic non solum ad tertium, sed ad quartum & quintum attinet prædicabile, sed pro ratione faciendi differre. At hæc ratio faciendi differre primariò competit propriissimæ differentia, aliis verò per attributionem. nam ideo accidentales differentia nuncupantur; ergo in vtraque acceptione hæc diuisio est analogi in sua analogata.

5. Alij cōcedentes hīc definiri secundam intentionem denominantem rationē faciendi differre, sustinent hanc diuisionem esse vniuocam, ita Salablanca disp. 8. q. 2. Fundamentum est quoddam sicut secunda intentio generis eadem secundum speciem potest denominare quantitatem, substantiam, & cetera prädicamenta, cur etiam eadem secunda intentio differentiae non poterit connotare tres istas differentias. Videretur fauere Porphyrius, qui hanc tria membra, species differentiae appellauit. Resp. Ruusio num. 14. disparem esse rationem de generibus & differentiis, quatenus faciunt differre, quia omnia genera de suis inferioribus prädicantur in quid: differentia autem communis, & propria non participant rationem propriissimae differentiae, & ideo illa est vniuoca, ista analogica. Sed contra est quoddam vniuersale dicitur equaliter de quinque prädicabilibus, & vniuersale prädicatur de eis, & nihilominus aliqua essentialiter, aliqua accidentaliter prädicatur; ergo siue differentia faciat differre proprie, siue propriissimè, poterit vniuersale rationem differentiae participare.

Doctor q. 23. vniuersali §. dicendum, docet hanc diuisionem esse æquiuocam secundo modo, seu æquiuocatione qua vox sic æquiuoca significat unum proprie & ex impositione, aliud transumptiue & ex usu. quod idem est ac analogiam esse, vt patet ex definitione analogorum; statim verò versiculo ad primum docet definiri differentiam penes aliquam vniuocationem, in quibus non sibi contradicit, sed loquitur consequenter ad sua principia, dicemus enim in Metaph. quærit. de vniuocatione entis cum vniuocatione comparati analogiam.

Dico ergo primò, si differentia realiter accipiatur, hæc diuisio non est

generis in species. Probat, differentia: reales formaliter & vltimatè loquendo, sunt conceptus simplices, & vltimæ rerum actualitates: sed si differentia in communi esset genus, differentia: inferiores non essent simplices, sed compositæ ex genere communi, & speciali ratione differentie; ergo hæc diuisio non est generis in species.

Dico secundò, si differentia realiter accipiatur, vniuersale dicitur de omnibus differentiis. tenet expressè Doctor vbi supra, & probatur, quia, vt dicemus in Metaph. ab individualibus rationibus differentiis vltimis personalitatibus & existentibus potest abstrahi conceptus communis vniuersus factim per modum obiecti confusè cogniti; ergo etiam à differentia communi, propria, & propriissima, poterit alius cōceptus vniuersus faciendi differre realiter præsciendi. Obstitabis, conceptum vniuersum æqualiter ab omnibus participari: sed ratio faciendi differre, prius dicitur de differentia propriissima, quàm propria, aut communi; ergo. Resp. cum vniuocatione admittendam esse ex mente Doctoris analogiam, ideo dicemus de ente vbi supra, dici vniuersale de Deo & creaturis secundum vnitatem rationis; analogicè verò, secundum modum essendi, & gradum perfectionis. ita differentia vniuersale dicitur secundum rationem faciendi differre, quia omnes differre faciunt, analogicè tamen secundum modum faciendi differre, quia sicut omnia entia dicunt attributionem ad Deum, ita omnes differentia: ad propriissimam; quod ibidem latius examinatur.

Dico tertio, si differentia vsurpetur pro secunda intentione denominante differentiam communem, propriam, & propriissimam, & comparatur ad rem denominatam, erit diuisio accidentis

*Affertio
secunda.*

Infertio.

Remouetur.

*Affertio
tertia.*

dētis in subiecta, vt diximus q. 6. diffic. 3. art. 2. Summularum, de syllogismo comparato ad probabilem & demonstratiuum, quod solum materialiter distinguantur, formaliter verò solum numero: sicut homo & equus albi; sic denominatio differentiae communis, propriae & propriissimae solo numero distinguuntur, de connotato tamē, seu materialiter specie & genere possunt distingui, quia alia connotat substantiam, alia afficit accidens.

7.
Quaestio.

Petes, cur non dicatur iste cōceptus genericus, cum praedicetur de pluribus differentibus specie, nempe de differentia propria & propriissima, quarum quaelibet sub se cōtinet hanc & illam differentiam, cum dicimus, Haec differentia propriissima, est propriissima:

Responsio.

Haec communis, est communis. Resp. istas praedicationes esse materiales, quia supponunt pro subiectis, quorū ratione dicuntur propriissimae, vel communes; sicut & istae, Hoc genus substantiae distinguitur genere ab hoc genere accidentis: formaliter tamen solo numero distinguuntur, vt diximus quaest. 7. ex Doctore q. 6. quodlibetali, §. de tertio. & ideo ab eis nequit praescindi ratio generis formaliter respiciens speciem signatam.

Instātia.

Instabis formalitatem generis quantumuis indiuiduam de pluribus differentibus specie praedicari, cum dicimus, Genus praedicatur de specie; ergo etiam differentia poterit de communi & propriissima genericè dici. Resp. negādo sequelam, quia genus & species aliter respiciunt inferiora. Nam secunda intentio speciei respicit plura numero distincta, vt integra quidditas indiuidui, genus verò plures species tanquam pars essentiae; differentia verò vt faciens differre. Eodem modo respicit denominata, non quatenus praedicabilia, aut ordinata ad plura,

Occurritur.

sed vt subiacent denominationi differendi: ideo nequit cum fundamento in re formari verus conceptus specificus, aut genericus differentiae; vtrum autem praedicabilis differentia possit denominari genus, dicemus difficultate sequenti.

ARTICVLVS IV.

Proponuntur aliqua dubia, & enodantur.

IN hac quaestione quam plura solent exagitare Dialectici circa differentiam materialiter consideratam, quae ad Metaphysicam proprie spectant, & nos ibi ex professo examinamus, quia non sunt logici instituti, propterea in praesenti aliqualem notitiam & sufficientem ad differentiae praedicabilis cognitionem exhibebimus.

Dubium primum, vtrum genus includat differentias ipsum determinantes. Notandum est vt hoc dubium exactè resolvamus, multum differre inter se, includere & continere; quia continere est proprium naturae superioris, v.g. generis respectu specierum; includere verò est naturarum inferiorū, in quibus superiora per identitatem, & compositionem inueniuntur, ideo Arist. 4. Topicorum c. 1. hac habet, *Manifestum est igitur, quoniam species quidem participant genera: genera autem species non.* Secundò suppono non esse sermonem de genere materialiter, seu identicè, quia vt sic certum est adinuicem contineri genus & differentiam, cum adinuicem identificentur; de genere ergo reali formaliter dubitatur, vtrum includat differentias quae ipsum determinant. Resp. negatiuè, primò, quia genus formaliter est indifferens ad hanc & illam differentiam, quod idem dicitur de quauis

8.

Dubium primum.

Solutio.

quavis natura communi; ergo non includit differentias determinantes. Secundò si differentia includeretur in genere; ergo animal, v.g. formaliter esset rationale & irrationale, & per consequens homo diceretur rationalis & irrationalis, quia quæ formaliter positivè & personaliter superioribus conveniunt, inferioribus etiam cum natura superiori communicantur. Tertio, quia differentia inferunt oppositionem; ergo formaliter nequeat in eodem genere includi, etsi sub ipso contineantur, quatenus ipsum possunt determinare.

Dubium secundum, utrum genus includatur in differentiis: Resp. negativè cum Doctore 7. metaph. q. 17. est sententia Aristotelis 3. metaph. cap. 2. text. 10. Vbi eo solum negat esse genus, quia in differentiis includitur; ergo si genus includeretur in suis differentiis, genus non esset: quomodo autem genus includatur in differentiis, dicemus in metaphysica. Vbi probabimus includi in ipsis, quatenus dicunt totam realitatem differentia. Ratione probatur; illud includitur formaliter in aliquo, quod est de intrinseco, completo, & formali ipsius conceptu; sed animal non est de conceptu rationalitatis; ergo in ipsa non includitur. Maior est certa. Probat minor, nam animal ex dubio antecedenti est indifferens ad hanc & illam differentiam: sed si contineretur in ipsis, non esset indifferens, sed determinatus; ergo.

Dubium tertium, utrum differentia superioris includantur formaliter in inferioribus formaliter sumptis, v. g. utrum corporeitas, seu differentia constitutiva corporis includatur in sensibilitate, & utraque in rationalitate. Respondi negativè

cum Doctore in 4. dist. 11. quaest. 3. §. ad rationes, vers. quod etiam additur, num. 48. est communior sententia. Fundamentum est quòd in qualibet definitione committeretur negatio, nam bis poneretur differentia ut superior, semel ratione generis quòd constituit, & iterum formaliter ratione differentia inferioris, in qua formaliter includeretur. Secundò genus, v.g. animal secundum integram, & formalem rationem, qua est vivens sensibile, non includit rationale, sed indifferenter respicit: sed si sensibilitas, quæ est ratio essentialis animalis, includeretur formaliter in rationalitate, hanc non respiceret indifferenter, cum includeret sensibilitatem constitutivam animalis; ergo differentia inferiores non includunt formaliter superiores. quæ omnia non disputanda, sed supponenda in hac quaest. explicuimus.

Dubium quartum, utrum differentia formaliter suscipiat magis & minus? Indubitabile est aliquam differentiam materialiter consideratam suscipere magis & minus. Patet. nam differentia communis est accidens. Hoc autem ex communi Peripatheticorum placito magis & minus suscipit; de differentia ergo formaliter considerata, & secundum rationem faciendi differre potest dubitari, an suscipiat magis & minus. Et respond. negativè. Ratio est quòd ex art. præcedenti omnes differentia conveniunt in ratione faciendi differre univocè; ergo omnes æqualiter participant istam rationem differendi. v.g. albedo ut quatuor, & ut octo, materialiter loquendo, certum est habere inæqualitatem gradualem. formaliter tamen, sicut in essentia æquales sunt, ita in ratione faciendi differre, licet gradu-

II. Dubium quartum.

Remouetur.

9. Dubium secundum. Dissolvitur.

10. Dubium tertium.

Respondetur.

dualiter differant. nam pluribus gradibus differre facit albedo vt 8. quam albedo vt 4.

DIFFICULTAS II.

De differentia predicabili.

Differentia predicabili quid.

Porphyrus in hoc capite predicabilem differentiam sic definit, est qua predicatur de pluribus differentiis specie in quale quid. Dubitatur ergo, utrum definitio ista sit exacta.

ARTICVLVS I.

Cui differentiae conueniat haec definitio.

12.

Respondet Doctor quaest. 17. vniuersali, cum Diuo Thoma 2. libro de demonstratione cap. 14. solum subalternam differentiam hac definitione definiri. Patet. nam solum subalterna de pluribus differentibus specie predicatur, infima verò de pluribus differentiis numero. Caietanus autem, Sotus & alij in hoc capite intendunt hanc definitionem conuenire differentiae infimae, addendo, vel supplendo aliquid: sed hoc est contra praecipua verae definitionis, quae debet esse clara, adaequata, & sine aliquo defectu; propterea Hurtado disput. 6. Logicae sect. 1. aegre fert hanc exculationem Porphyrij, ideo differentiam predicabilem cum Doctore vbi supra sic definit, est qua predicatur de pluribus in quale quid. Ly predicari, ponitur loco generis, in quo conuenit cum aliis predicabilibus in quale quid, loco differentiae, quibus differt à genere & specie, quae predicantur in quid, &

à proprio & accidenti, quae si predicantur in quale, non tamen in quale quid.

Obiicitur primò hac secunda definitione non explicari differentiam infimam, aut subalternam; ergo est insufficientis. Respond. non posse utramque differentiam vnica definitione definiri explicitè, cum diuersos quaelibet connotet terminos, ideo sufficit tradere definitionem alicuius praedicati utriusque conuenientis. Secundò, quia, vt dicimus inferiùs, differentia infima & subalterna, non distinguuntur essentialiter; ideo sufficienter quidditas differentiae hac definitione explicatur.

Obiicitur secundò omnem bonam definitionem constare genere & differentia: sed, vt diximus difficultate antecedenti, articulo ultimo, differentia non includit genus; ergo non est definibilis. Respond. concedendo maiorem, & distinguendo minorem, differentia materialiter sumpta concedo, secundè intentionaliter sumpta nego. Et vt sic & definibilis est, quia etsi constituat quatenus differentia tertium predicabile denominatiuè, cum tamen ex dicendis infra sit species vniuersalis, vt sic definiri valet, quia species constat genere & differentia.

Obiicitur tertio differentiam propriissimam constituere quidditatem eius, in quo est, aliàs non ponetur in definitione vt pars essentialis; ergo non predicatur in quale, sed in quid. Respond. aliud esse predicari in quid, aliud autem per modum quid, verum est differentiam predicari in quid, non tamen per modum quid; quia non predicatur per modum

Obiectio prima.

Solutur.

Obiectio secunda.

Enodatur.

Obiectio tertia.

Occiditur.

subsisten

Instit.
Dilat.
subsistentis vt genus, sed per modum informantis, seu alteri adiacentis. Instabis, si praedicatur in quid, & non per modum quid; ergo quod praedicatur & modus praedicandi opponuntur. Resp. opposita debere versari circa idem, ideo quid vt res, & quale vt modus non opponuntur, vt patet in hac dictione *plurale*; quae significat plura, & tamen dictio est singularis, & singulari modo plura significat.

Obiectio quarta.
Remouetur.
Obiicies quartò praedicari in quale esse denominatiuè praedicari: sed praedicatio denominatiua denotat praedicatum extraneum subiecto; ergo differentia non praedicatur in quale. Resp. qualitatem bifariam posse usurpari, & pro genere generalissimo qualitatis, & pro quacunque forma, tam accidentali, quam substantiali, vt habetur 5. Metaph. Primo modo omnis praedicatio in quale est accidentalis, & denominatiua, non verò secundo modo. Nam formae substantiales praedicantur in quale, non denominatiuè, quia ad hoc requiritur formam esse accidentalem, & extranei quidditatem; sed intrinsecè & solum in quale, quatenus adiacent, & informant suum constitutum.

Obiectio quinta.
Expeditur.
Obiicies quintò quòd differentia propria, & communis conueniunt per nos vniuocè cum propriissima, & tamen non praedicantur in quid; ergo definitio non est bona. Resp. quòd sicut res diuersorum praedicamentorum ex quaestione de vniuocatione entis possunt vniuocè conuenire, ita & diuersa praedicabilia: vnde licet differentia communis, propria, & propriissima, in ratione faciendi differre, & praedicari in quale conueniant; distinguuntur tamen, quia sola propriissima in quale quid praedicatur, & ea solum hoc tertium constituit praedi-

cabile, de aliis verò duabus agitur in sequentibus.

Petes quare differentia communis & propria non reducantur ad hoc tertium praedicabile. Resp. solam differentiam propriissimam esse proprie differentiam, quia tota eius entitas & essentia ordinatur ad determinandum & constituendum essentialiter metaphysicum compositum, & consequenter ad faciendum differre. Caeterae verò differentiae etsi differre aliquantulum faciant, non tamen primariò, sed impropiè & accidentaliter, ideo in hoc praedicabili differentiae non constituuntur.

13.
Quaestio.
Solutio.

ARTICVLVS II.

Constituaturne differentia tertium praedicabile in ordine ad speciem, vel inferiora speciei quam componit.

Certum est differentiam non constituere tertium praedicabile, quatenus de hac, & illa differentia praedicatur. Ratio est, quia vt sic nò in quale, sed in quid praedicatur: vt cum dicimus, Haec differentia est differentia, & vt sic ad secundum praedicabile spectat.

Secundò certum est cum Doctore quaestione 19. vniuersali §. *ad primum argumentum*, non constituere tertium praedicabile per ordinem ad genus quod determinat, contrahit, & diuidit. Pater primò, quia praedicatum debet includi in subiecto: sed genus est extra rationem differentiae; ergo ista nequit per ordinem ad genus praedicari. Secundò praedicatum vniuersale debet habere rationem superioris: sed differentia respectu generis potius est inferior, quam superior; ergo. Tertio vniuersale debet referri ad plura: sed genus est vnum; ergo.

14.
Ratio.

Dicimus ergo differentiam constituere tertium prædicabile per ordinem ad inferiora illius speciei quam constituit. tenet Doctor ubi supra, Fonseca 5. Metaph. quaest. 19. & 20. Salablanca disput. 8. quaest. 2. Hurtado disp. 6. Logicae sect. 2. Est communis sententia, nec ab ea discedit Tolemus dub. 4. sed solum in modo explicandi, ut legenti patebit. Probatur ergo conclusio, quia uniuersale est *unum in multis & de multis*, ex quaest. 6. difficult. 3. art. 1. ergo debet respicere plura tanquam quid superius ad ipsa: sed differentia in ordine ad speciem istam solam respicit; ergo non per ordinem ad ipsam, sed per ordinem ad individua speciei constituetur uniuersalis: ut sic enim respicit plura, de quibus potest prædicari ut superior, & in quale.

Obiectio prima.

Obiicies primò, prædicabilia respicere plura, de quibus possunt prædicari immediatè, sed differentia mediante specie quam constituit, prædicatur de pluribus; ergo ut sic non constituit tertium prædicabile. Probatur minor. nam ideo rationale prædicatur de Petro, quia prædicatur de homine; ergo est mediata prædicatio. Resp. concedendo esse mediatam, in sensu à nobis explicato, quia differentia prædicatur de indiuiduis quatenus est pars qualificatiua speciei, & hæc non debet dici propria prædicatio mediata, quia ut prædicatio mediata sit, debet supponere causalitatem effectiuam, vel quasi effectiuam mediantem inter primam causam, & effectum. v. g. ista est prædicatio mediata, *Homo est risibilis*, quia est admiratiuus. nam inter hominem, & risibilitatem mediat admiratio tanquam causa risibilitatis: inter differentiam autem & indiuidua speciei constituturæ nihil mediat causatum efficienter; sed species ipsa quæ imme-

Solutio.

diatè constituitur genere, & differentia, immediatè etiam, & formaliter est forma & quidditas totius indiuidui; ideo hæc prædicatio, Petrus est rationalis, quamuis improprie possit dici mediata, quatenus prædicatum respicit indiuidua ratione speciei quam constituit, proprie tamen immediata est.

Obiicies secundò differentiam prædicari de specie, non quatenus singularis est; ergo ut uniuersalis; ergo per ordinem ad speciem est uniuersalis, & tertium prædicabile. Resp. concedendo antecedens, & distinguendo consequentiam, prædicatur ut uniuersalis materialiter concedo, ut uniuersalis formaliter nego, ita ut faciat hunc sensum, differentia illa quæ in ordine ad indiuidua uniuersalis dicitur, de specie prædicatur, sicut species infima comparata generi, neque est uniuersalis formaliter, nec singularis, sed uniuersalis materialiter. Si autem petas, quanta sit ista prædicatio, *Homo est rationalis*. Resp. esse prædicati topicam, seu topicam, quia est de subiecto communi, & cum eo conuertitur, reciprocantur enim subiectum & prædicatum, cum dicimus, *est homo; ergo est rationalis: est rationalis; ergo homo*.

Obiicies tertio indiuidua contineri virtualiter in specie; ergo sufficit ordo ad speciem, ad rationem uniuersalis. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio est, quia prædicabilia sunt uniuersalia formaliter: uniuersalitas autem formalis cum sit respectus actualis ad plura, hæc requirit saltim intellectui obiecta, ut diximus quaestione 7. difficultate 3. artic. 2. ergo non sufficit illa virtualis contentia indiuiduorum, nisi actualiter considerentur plura numero distincta, quia neque erit uniuersalis prædicatio, nec superior.

*Obiectio secunda.**Difficult. 1^{ur}.**Instans.**Difficult. 1^{ur}.**Obiectio tertia.**Explic. 1^{ur}.*

ARTICVLVS III.

Vtrum differentia inferior & superior in eodem prædicabili collocentur.

*Dubitã-
di ratiõ.*

Ratio dubitandi est, quòd eo genus & species differunt essentialiter, diuersaque constituunt prædicabilia, quòd genus prædicatur de pluribus differentibus specie, species de pluribus differentibus numero: sed idem contingit differentie superiori & inferiori; ergo. quòd argumentum ita aliquos vrget, vt Hurta- do disp. 6. Logicæ sect. 4. fateatur aliquando tenuisse diuersa constituere prædicabilia, & probabile reputet Sa- lablanca disp. 8. Logicæ.

15. *Commune
placitũ.*

Communis sententia affirmat vni- cum prædicabile constituere, tenet Doctor quæst. 27. vniuersali, §. *dicen- dum ad quæstionem.* Fundamentum est quòd de ratione differentie solùm est quòd de pluribus in quale quid possit prædicari, vt diximas art. 1. & in hoc distinguitur essentialiter à reliquis prædicabilibus: sed hoc habet vtra- que differentia; ergo non distinguan- tur essentialiter. Secundò est contra commune assertum, admittere sex prædicabilia. Tertiò omnes differen- tie æquè incompletè prædicantur; ergo non habent distinctum modum prædicandi.

*Contra-
uolensẽ-
na occur-
ritur.*

Oppositæ sententie resp. speciem præcisè non distingui à genere, quia hoc prædicatur de pluribus differen- tibus specie, illa verò de pluribus dif- ferentibus numero, hæc enim est ex- trinseca distinctio: sed eo intrinsecè distinguuntur quòd genus prædica- tur vt pars actualis speciei, hæc autem vt tota quidditas individui. Cùm er- go diuerso modo prædicentur, diuer- sa constituunt prædicabilia. Cæterùm

cùm differentia superior & inferior, eodem modo incompletè & in qua- le prædicentur, superflue numerum prædicabilium augeremus.

QVÆSTIO X.

De proprio, quarto prædicabili.

POST QUAM in superioribus *Propriã.* quæstionibus prædicationes, quæ sequuntur rerum quidditates, explicuimus, supersunt earum rerum prædicationes declarandæ, quæ natura essentialiter constitutam con- notant & denominant, & primò de proprio, quarto prædicabili venit disputandum, circa quam quæstio- nem duæ offeruntur discutiendæ diffi- cultates. Prima, vtrum proprium se- cundùm omnes suas acceptiones con- stituat hoc prædicabile; secunda de eius definitione.

DIFFICVLITAS I.

Vtrum proprium secundum om- nes suas acceptiones hoc quartum prædicabile constituat.

ARTICVLVS I.

Præmittuntur quatuor accepi- nes proprii.

PORPHYRIUS in præsentì capite, què **I.** omnes eius interpretes sequuntur, quadrifariam proprium considerat, seu quatuor distinguit & admittit *Propria quatuor
qua.* propria. Primum est quòd conuenit determinatè vnius speciei individuis, non tamen omnibus: vt esse Medicum solis

foliis hominibus competit, non tamen omnibus, sunt enim plures qui non sunt Medici. Secundum quod conuenit omnibus & semper, sed non solis: ut esse bipedem, omnibus & singulis hominibus competit, sed non solis; participant enim hanc proprietatem reliqua animalia. Tertium proprium conuenit omnibus indiuiduis vnus speciei & solis, sed non semper, ut ridere. nam quamuis homo semper ridere possit, non tamen semper ridet. Quartum competit omnibus indiuiduis, & singulis eiusdem speciei, solis & semper: sic homini conuenit risibilitas, & fleibilitas, singulisque indiuiduis speciei communicantur. *Dubium.* Dubitatur ergo, an secundum omnes istas acceptiones constituat quantum praedicabile.

ARTICVLVS II.

Proponuntur duae oppositae sententiae.

2. **A**lbertus Magnus tractatu 6. de proprio cap. 1. & tractatu 7. de accidenti cap. 10. Louanienses cap. praesenti, & alij, quos sequitur Hurtado disp. 6. Logicæ sect. 5. affirmant secundum omnes istas acceptiones proprium constituere quantum praedicabile. Fundamentum est primum quod eas omnes enumerauit Porphyrius in hoc cap. & non in aliis: secundò, quia omnia ista propria habent specialem ordinem ad subiectum, quod nequit accidenti in communi contingere, quia respicit subiectum respiciencia communi & vniuersali; ergo non possunt ad quintum, sed ad quartum praedicabile reduci. Confirmatur, quia omnes istas acceptiones non ita indifferenter respicit subiectum, sicut albedinem, v. g. aut colorem; ergo

non debent dici accidentia communia, sed subiecti proprietates.

Sanctus Thomas opusculo 48. c. 7. Iauellus tractatu 4. praedicabilium cap. 5. Caietanus, Sorus, Toletus cap. praesenti, sustinent hoc praedicabile solum constitui proprio quarto modo, scilicet quod conuenit omni soli & semper. Colligitur ex quaest. 32. vniuersali §. ad quaestionem, & q. 35. §. ad quaestionem dicendum, Doctorem in eandem sententiam conspirasse, quia absolute docet ad praedicationem proprii quarti praedicabilis requiri quod proprium oriatur ex principiis intrinsicis & essentialibus naturae, sed solum proprium quarto modo ex essentialibus principiis sui subiecti promanat; ergo. Fundamentum est, quod accidens commune potest adesse & abesse sine subiecti corruptione: sed proprium tribus primis modis consideratum potest adesse & abesse sine corruptione subiecti; ergo potius accidens commune, quam proprium debet existimari. Probat minor. nam, salua essentia hominis, potest considerari sine bipedalitate aut medicinandi facultate, imò sub opposito istorum: nequit autem sine destructione essentiae entitas hominis sub opposito risibilitatis contemplari; ergo. Sub opposito, inquam, risibilitatis, quia certum est abstractione praecisua posse intellectum essentiam sine passionibus considerare, non tamen sub opposito eius. nam ex negatione passionis optime inferitur destructio essentiae: sicut enim euidenter inferitur à posteriori, ex risibilitate humanitas; ita ab opposito oppositum hominis. Confirmatur, vtræ passiones demonstrantur per quidditatem subiecti, hæc enim est illatio manifesta, Est animal rationale; ergo risibile; sed nõ valet dicere, Est homo; ergo

Obiectio.

Responsio.

Affertio
tertia.

Responsio
ad primum.

Resp. ad
secundum,
& tertium.

Proprium
predicabile
quid.

ergo Medicus; ergo sola prima proprietas per se attinet ad hoc prædicabile. Secundò passiones debent oriri ex quidditate essentia: sed hoc non habent cætera propria; ergo. Si autem obiiciatur eis, nutritibile respectu hominis, & bruti esse prædicatum quarti prædicabilis: sed non conuenit solis indiuiduis vnius speciei; ergo hoc non est de ratione proprii quarti prædicabilis. Resp. inde solum inferri, Porphyrij definitionem non esse solum intelligendam de proprio infimo; sed etiam de subalterno, quia cum proprium subalternum sit, etiam species poterit dici proprium quarto modo, quia omni & soli speciei subalternæ conuenit, & non aliis alterius speciei subalternæ.

vnum ex his prædicabilibus debemus reducere.

Dico tertio. Probabilius est quod pertineant ad quintum prædicabile. hoc probant argumenta secundæ sententiæ, & eo efficacius suadetur, quod eis conueniat definitio accidentis quinti prædicabilis.

Argumentis primæ sententiæ resp. Ad primum, Porphyrium hinc enumerasse alia propria, quia similia sunt vero proprio, & ipsis cognitis melius comprehenditur natura proprii quarto modo; ideo in cap. de differentia meminit differentia propriæ, & communis, & tamen ex communi sententia differentia propria pertinet ad hoc prædicabile, communis autem ad quintum.

Ad secundum resp. concedendo dicta propria respicere specialiter subiectum; hoc tamen non sufficit, si non oriatur ex principiis propriis naturæ: inferitur tamen aliquantulum participare rationem proprii, & eodem modo resp. ad tertium.

ARTICVLVS III.

Explicatur nostra sententia.

3.
Affertio
secundæ
primæ.

Dico primò. Certum est inter aucthores proprium quarto modo pertinere ad hoc prædicabile. docuit Arist. 1. libro Topicorum cap. 4. his verbis, *Proprium est quod non indicat quid est esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur.* Confirmatur ratione, quia nullum aliud proprium ita propriè est tale; ergo ad hoc prædicabile spectat.

DIFFICULTAS II.

Definitur proprium prædicabile.

Proprium prædicabile est illud quod prædicatur in quale conuertibiliter. Ly prædicatur est genus, cæteris prædicabilibus conueniens; ly de pluribus, proprium infimum & subalternum denotantur. nam eis accidit quod ista plura sint species, vel indiuidua; per illam particulam in quale, conuertibiliter differt à differentia, quæ prædicatur in quid, & ab accidenti quod prædicatur in quale. Vtrum autem definitio tradita à Porphyrio proprio prædicabili possit competere, nolo examinare, quia inutile satis est, nec nos legibus commentatorum debemus adstringi. legite Doctorem q. 3 r.

Affertio
secundæ.

Dico secundò. Certum est proprium secundum alias tres primas acceptiones consideratum, aliquid participare à ratione accidentis communis, & aliquid à ratione proprii. Participat ab accidenti communi quod possit adesse & abesse, sine subiecti corruptione saltem supernaturaliter. Item quod non oriatur à principiis essentialibus. A proprio etiam participat specialem aliquem ordinem ad subiectum determinatum, quod non habet accidens in communi, vnde ad

vniuersali, & recentiores commen-
tatores in hoc capite.

ARTICVLVS I.

Satisfit aliquibus obiectionibus.

Obiectis.

Obiicies primò, proprium con-
uertitur cum specie, & non cum
indiuuiduis; ergo debet definiti non
per ordinem ad plura indiuuidua. Pro-
batur antecedens. nam optimè dicitur,
Est homo; ergo risibilis. Est risibi-
lis; ergo homo. non autem, Est risibi-
lis; ergo Petrus. ergo solum de specie
conuersim prædicatur. Confirmatur
ex Aristot. 1. Topicorum c. 4. ubi cum
defineret proprium, sic habet, *proprium
est quod non indicat quid est esse rei, soli
autem inest & conuersim prædicatur.* Sed
hæc prædicatio conuersiua non dicitur
de indiuuiduis, sed de specie; ergo
hæc est quæ definitur. Ob huius argu-
menti efficacitatem affirmat Al-
bertus Magnus tractatu quinto de
proprio, Socus, Toletus & alij in hoc
capite, proprium definiendum esse
non per ordinem ad indiuuidua, sed ad
speciem quam constituit. Sed hoc pla-
citur eidem argumentis oppugna-
tur, quibus q. 9. difficult. 2. art. 2. pro-
bauimus differentiam debere definiti
per ordinem ad inferiora speciei quam
constituit. Resp. ergo illud conuertibi-
liter non debere intelligi cum sub-
iecto prædicationis, sed cum subiecto
adhætionis, ita vt faciat hunc sensum:
Proprium prædicatur de pluribus in
quale, conuertibiliter in ipsis cum es-
sentia, cuius est proprium. nam bene
dicimus, Petrus est homo; ergo est ri-
sibilis: Petrus est risibilis; ergo homo.

ARTICVLVS II.

*An proprium sit distinctum vniuer-
sale ab accidenti.*

Hanc difficultatem mouet Do-
ctor q. 32. vniuersali, & respōdet

affirmatiuè cum Porphyrio in hoc
cap. & Aristot. 1. Topicorum cap. 3.
Fundamentum est quod ex acciden-
tibus aliqua sunt quæ conuertuntur
cum subiecto, & ab ipsius principiis
promanant, quæ magis substantiæ,
quàm accidentia sunt; alia verò extra-
nea sunt suis subiectis, vt albedo, &
calor; ergo illud accidens quod con-
uertibiliter prædicatur, distinctum
debet constituere prædicabile, ab illo
quod non conuertibiliter, sed con-
tingenter prædicatur.

Obiicitur primò. Omne quod inest
composito, præter materiam, & for-
mam, est accidens: sed passio propria,
neque est materia, nec forma; ergo ac-
cidens. Resp. distinguendo, antece-
dens est accidens prædicabile conce-
do, est prædicamentale nego. passio-
nes enim vt distinguuntur ab essentia,
& ei comparantur, accidentia dicun-
tur, quia non prædicantur de ea es-
sentialiter, & in quid, vt genus, spe-
cies & differentia. Ratio est, quia pas-
siones superueniunt rei, essentialiter
constitutæ, & à completa quidditate
promanant. Si tamen istæ passiones
ad accidentia prædicamentalia com-
parentur, dicuntur substantiæ. Primò,
quia ex Doctore in 2. dist. 16. quæst. 1.
identificantur cum substantia. Secun-
dò oriuntur ex quidditate rei, ideo
existimandæ sunt substantiæ in essen-
do, & accidentia prædicabilia, seu in
prædicando.

Obiicies secundò, accidens diuidi
in separabile, & in inseparabile: sed
diuisum logicum, seu metaphysicum,
includitur in membris diuidentibus;
ergo sunt formaliter accidentia. Resp.
diuisum esse accidens prædicabile,
vniuocè conueniens duobus prædica-
bilibus vltimis, & ideo nullam con-
stituit prædicabile: sed conuenit pro-
prio & communi accidenti quatenus
prædi

*Alia de-
finitio
proprij.*

*Obiectio-
ni occur-
ritur.*

5.
*Obiectio
prima.*

Solutio.

*Obiectio
secunda.*

*Respon-
sio.*

prædicantur in quale; membra tamen diuidentia constituunt diuersa prædicabilia, quia licet conueniant in prædicari in quale, specificè tamen, & quidditatiuè distinguuntur, quia proprium prædicatur conuertibiliter, accidens verò non conuertibiliter.

secundè intentionaliter intelligatur, seu de separatione reali; an verò de intellectuali.

ARTICVLVS I.

Proponuntur aliquorum placita, & nostra explicatur sententia.

QVÆSTIO XI.
De accidenti, quinto prædicabili.

6. **A**CCIDENS trifariam definitur à Porphyrio in hoc cap. primò, *Accidens est quod adest & abest sine subiecti corruptione.* Secundò, *Accidens est quod contingit eidem inesse, & non inesse.* quæ ferè in idem coincidunt, nam calor, v.g. sine subiecti corruptione, abest à manu, iterùmque inest ei, & consequenter contingenter & separabiliter ei conuenit. Tertia datur per negationem aliorum prædicabilium, est, *quod neque est genus, neque species, neque differentia, aut proprium, inest autem subiecto.* Ex quibus definitionibus prima communiter ab authoribus admittitur, nam clariùs naturam accidentis exprimit, & conuenit cum illa Aristotelis 4. Topicorum, vbi hæc habet, *Accidens est quod contingit inesse, & non inesse.* Circa quam definitionem venit dubitandum, vtrum de inhærentia reali, vel de affirmatione & negatione sit intelligenda.

DIFFICULTAS I.

De intelligentia definitionis accidentis.

Vertitur in dubium inter auctores, an illa definitio, qua accidens ex mente Porphyrij & Aristotelis definitur per adesse & abesse primè, vel

ALiqui recentiores affirmât prædictam definitionem de inhærentia reali necessariò esse intelligendam. Fundamentum primò desumitur ex autoritate Porphyrij in hoc capite, qui idem accidens definit quod diuidit: sed de altero ex membris diuidentibus nequit intelligi definitio, si ei solùm separatio intellectualis applicetur; ergo de separatione reali est intelligenda. Probatur minor, nam, salua essentia, v.g. cygni, potest ei albedo denegari, & sine ipsius corruptione; ergo si definitio non intelligatur de separatione reali, nullum erit accidens inseparabile. Secundò propria passio potest præcindi à subiecto, salua eius essentia; ergo erit etiã accidens commune, ita Ruuius q. 3.

Nonnullorum placitum.

7. Secunda sententia affirmat hanc definitionem solùm de separatione intellectuali esse intelligendam; ita Doctor q. 35. vniuersali, cum eo communiter Scotistæ, Sanctius Salmanticensis q. 77. Sotus, Caieranus, Louanienses in hoc capite. Fundamentum est quòd definitio debet competere omni definito: sed si non accipiatur secundè intentionaliter, nequit accidenti inseparabili competere; ergo. Ego tamen sic explico.

Dico primò, si hæc definitio solùm de accidenti separabili intelligatur, potest de reali separatione interpretari. Patet experientia, qua experimur manum calefieri & frigescere, non læsa, vel corrupta.

Auctoris assertum primum.

*Afferunt
secundū.*

Dico secundū si hac definitione velimus vtrumque accidens definire, nequit intelligi de reali separatione. Patet, nam accidens inseparabile, non potest separari realiter sine subiecti corruptione; ergo vt vnica definitione vtrumque possimus comprehendere, hæc separatio debet esse intellectualis.

*Oppositis
funda-
mentis
occurri-
tur,
primū.*

Ad opposita fundamenta respond. Ad primum concedendo idem esse definitum & diuisum Porphyrij; tamen accidenti inseparabili non solum conuenit illa definitio, quod possit adesse & abesse, sine subiecti corruptione; sed etiam alia quæ datur per inseparabilitatem realem, quæ magis explicat naturam accidentis inseparabilis. Nec aliter vtrumque accidens vnica definitione potuit definiri, quia separabilitas, & inseparabilitas formaliter dicunt oppositionem, quæ nequit vnica definitione explicari.

Secundū.

Ad secundum resp. Doctor quod accidens abest secundū intellectus operationem per positionem sui oppositi, sine subiecti corruptione, id est, accidens est prædicatum extrinsecum subiecto, sub cuius oppositum potest sine repugnātia intelligi completè: non sic proprium abest, sed solum abstractione præcisua, quatenus possumus essentiam completè considerare, nō concipiendo passiones, non tamen affirmando oppositum earam.

ARTICVLVS II.

*Proponuntur aliqua argumenta
contra definitionem.*

*Obiectio
prima.*

Obiicitur primū, mortuum, combustum, lethalemque morbum esse accidentia, & tamen nequeunt adesse sine subiecti corruptione; ergo falsa est accidentis definitio. Rursum

quæst. 4. admittit esse accidentia, & posse adesse & abesse sine subiecti corruptione. quod sic explicat, considerat mortem in fieri & in facto esse, & vtroque modo affirmat esse accidens. Primū in fieri, est quædam corruptio compositi, quæ quandiu durat habet subiectum proprium tendens in corruptionem. Secundū in facto esse est quædam priuatio rei corruptæ, quæ subiectatur in materia, & sic adest ei sine corruptione, quia materia incorruptibilis est. Quod idem est de combustione & morbo lethali, quæ quandiu durat, subiectum durat, & cū abessent à corpore sano, iam ei adsunt sine ipsius corruptione, quia subiectum cui inhæret morbus, perseverat perseverante morbo. Similiter subiectum combustionis hac perseverante. quod confirmari posset exemplo aliorum accidentium, qui tendunt in generationem compositi, & consequenter in destructionem subiecti, quia generatio vnus est corruptio alterius. Potest tamen impugnari hæc solutio primū, sicut vita non est solius materie, sed compositi; sic priuatio vitæ non est in sola materia, sed in composito. Patet in prædicationibus quæ communiter ab omnibus admittuntur, v. g. *Homo est mortuus, domus est combusta*; ergo subiectantur in composito. Probaturs consequentia Omnis forma denominat subiectum in quo est, in materia enim solum remanet priuatio formæ, qua informabatur. Qualiter autem hæc priuatio sit in subiecto corrupto, dicemus primo Physicorum quæst. 4.

Alij negant hæc accidentia sub hac definitione contineri, quia hic solum ea accidentia definiuntur, quæ possunt alicui subiecto conuenire: mors autem & combustio repugnant suis

suis subiectis ; ergo. ita Caieranus in hoc capite dubio 2. Confirmari potest hæc ratio ex D. Thoma 3. parte quaest. 5. artic. 4. vbi asserit completam essentiam hominis compleri per vnionem ; ergo ista dissoluta destruitur quidditas, ac per consequens, accidens non adest, & abest, sine subiecti corruptione. Quam solutionem amplectuntur quidam recentiores Complutenses disput. 9. q. 1. num. 7. sed impugnari potest, quia etsi vnio componat essentiam actualem, tamen ex destructione vnionis licet corrumpatur actualitas, seu existentia rei, quæ idem sunt, vt dicemus in Metaphys. tamen quidditas rei, seu specifica prædicata quæ hoc prædicato actualitatis priuantur, non destruantur. Confirmatur argumento ad hominem. ipsi fatentur num. 6. existentiam posse negari, aut affirmari salua essentia subiecti. nam siue dicatur, Homo existit, siue homo non existit, semper manet eadem definitio & essentia hominis: sed mors nihil aliud est quàm priuatio actualitatis ; ergo. Quando autem S. Thom. affirmat essentiam compleri per vnionem, meo videri intelligendus est secundum sui temporis differentiam, ita vt essentia possibilis dicat vnionem possibilem, actualis actualem, sicut & præterita præteritam.

Sanctius vbi supra fateretur mortem & combustionem in fieri esse accidentia, quia de subiectis existentibus verificantur ; negat tamen in facto esse dici accidentia, quia eorum positione destruitur subiectum. Sed hæc solutio eodem modo rejici potest ac præcedens. Sotus in hoc capite respondet mortuum esse accidens quinti prædicabilis, ratione corporis de quo mors & vita prædicantur. Sed contra est, quod corpus non moritur, sed

viuens ; ergo. Secundò contrariorum eadem est ratio : sed vita dicebatur de homine ; ergo & mors. Verum est corpus etiam dici viuum, quia ratione formæ est pars viuentis, & non ratione sui.

Alij, quos sequitur Masius in hoc cap. quaest. 3. negant ad istud prædicabile pertinere priuationes ; cum ergo mors, & combustio in facto esse sint priuationes compositi præteriti, non mirum quod non comprehendantur tali definitione : sed contra, quod istæ priuationes accidentaliter de suis subiectis prædicantur ; sed ad nullum aliud prædicatum possunt pertinere, cum non sint passionis, sed accidentia subiectorum.

Possent etiam responderi quod licet ista accidentia ad quintum pertineant prædicabile, vt iam probauimus, tamen non definiuntur hac definitione, quia ea solum comprehenduntur accidentia supponentia subiectum existens & actuale. hæc autem priuationes sunt destructiones subiecti.

Sed facilius responderetur quod cum hæc definitio sit intelligenda de absentia & præsentia intentionali, sufficit quod subiectum possit intelligi sine contradictione sub vita & sub opposito eius, scilicet morte.

Obstabis per mortem & combustionem destrui subiectum ; ergo non potest intelligi sine contradictione incorruptus & mortuus. Resp. sufficere quod possimus concipere hominem incorruptum secundum essentiam, seu quodlibet subiectum, etsi nequeat percipi secundum existentiam, quia hæc destruitur per mortem ; mors enim non opponitur essentiæ rei, sed actualitati ipsius. nam licet actualitas sit eadem cum essentia actuali ; nihilominus non est prædicatum essentiale naturæ. nam solus Deus existit per

Solutio.

Infractio.

Dilutio.

essentiam. Vnde sicut actualitas ista accrescit naturæ, ita eius priuatio sine destructione ipsius. Nec aliud perit accidens; vt patet de accidenti inseparabili; quod sine corruptione sui subiecti nequit realiter separari; tamen quia sine contradictione potest intelligi, tota essentia istius cygni sub nigredine dicimus esse accidens.

Vel si placuerit, poteris respondere satis probabiliter cum quodam recentiori, dictam definitionem accipiendam esse de absentia & presentia reali, qua simul quodlibet accidens adest & abest: affirmat enim prædictus author in hac Porphyrij definitione, non connotari particulare subiectum accidentis, sed commune. v.g. albedinem non connotare hoc, vel illud corpus, sed corpus in communi. Cum autem corpus in communi, secundum intrinsecam, & realem entitatem non corrumpatur per subtractionem realem cuiusuis accidentis, tam separabilis, quam inseparabilis; hinc fit quòd de reali separatione hæc definitio possit intelligi, si absentia & presentia accidentis ad subiectum commune comparatur. Propterea minus placet alterius recentioris solutio asserentis, istam definitionem de reali separatione esse intelligendam, etiamsi subiectum singulare connotetur, eo solum quòd subiectum non deficit ex defectu accidentis, tam separabilis, quam inseparabilis. Si autem ei obiecias quòd nigredo nunquam separatur à coruo realiter, sine eius corruptione; ergo subiectum deficit ob defectum accidentis. Respondet hoc prouenire, quia nulla est potentia naturalis quæ possit tale accidens separare, non verò quia subiectum dependeat à tali accidenti. Sed contra est quòd inseparabilitas accidentis non comparatur ad potentiam

supernaturalem, sed ad naturalem; secundum quam tale indiuiduum sine his accidentibus nequit conseruari, aliàs in sententia Thomistarum, qui affirmant propriam passionem de potentia Dei absoluta posse separari à subiecto, eam diceremus accidens inseparabile, quia proprietate deficiente per aliquam potentiam subiectum non deficeret; propterea si de reali separatione hæc definitio intelligatur, primus modus magis placet.

Neque obstat si dicas, quòd si accidens ad commune subiectum comparatur; ergo nullum est separabile. Consequentia probatur, quia nullum est quod ab omni subiecto absit: sed hæc instantia non vrget, primò, quia absentia accidentis non intelligitur cum conseruatione ipsius accidentis, sed solum quòd corruptis accidentibus subiectum non corrumpitur. Vnde falsum est dicere, quòd nullum est accidens quod ab omni subiecto absit sine subiecti corruptione. Secundò saltem supernaturaliter, accidentia Eucharistica ab omni subiecto absunt, etsi non careant aptitudinali dependentia.

Quòd si istes Porphyrium in ordine ad subiectum singulare hæc accidentia definisse, v.g. nigredinem in ordine ad coruum, &c. Resp. hoc fecisse vt magis naturam inseparabilis accidentis explicaret, & vt eius inseparabilitatem, quæ est respectu singularis subiecti, magis manifestaret. Applicando autem aliam definitionem accidentis, quæ datur per abesse, & adesse, vtrique accidenti tam separabili, quam inseparabili, nequit de reali separatione intelligi, nisi ad subiectum commune comparentur, vt satis manet probatum.

Obiecias secundò. Vitam esse substantiam; ergo priuatio eius erit substantia

Alia instantia.

Solutio.

Obiectio secunda.

Remouetur.

stantialis, ac per consequens pertinebit ad quartum prædicabile. Resp. concedendo habere rationem substantiæ respectu formæ qua priuat, inde tamen inferitur solum non esse accidens prædicamentale, sed prædicabile, quia contingit subiecto, & non oritur ex principiis essentialibus: sicut simitas, seu nasi curbitas in entitate est substantia. quia tamen huic contingit, accidens est, non prædicamentale, quia non est quantitas, nec qualitas, &c. sed prædicabile, quia prædicatur in quale non conuertibiliter.

Obiicitur tertiò definitionem non debere dari per opposita, ex Aristot. 6. Topicorum cap. 2. loco primo. quia extrema oppositionis nequeunt eidem rei competere, sed adesse & abesse opponuntur; ergo hæc definitio est vitiosa. Resp. hanc definitionem non esse intelligendam copulatiuè, sed disiunctiuè. nam accidens non potest simul, & actualiter adesse, & abesse: sed vtrumque successiuè: potentia autem ad actus contrarios non dicit contrarietatem, nec oppositionem. sicut vna numero voluntas est causa amoris, & odij sine contradictione, quia actus istos non simul, sed successiuè producit.

Resoluitur.

DIFFICULTAS II.

Definitur accidens prædicabile.

Alia definitio accidentis prædicabilis.

Accidens prædicabile sic possumus definire, est quod prædicatur de pluribus non conuertibiliter; qua definitione sufficienter explicatur quidditas accidentis in prædicando, per eamque distinguitur à proprio, quod prædicatur conuertibiliter, & à differentia quæ in quale quid dicitur de inferioribus.

ARTICVLVS VNICVS.

Quæ sint illa plura, de quibus accidens non conuertibiliter prædicatur.

Dico primò, certum esse, hæc inferiora non esse indiuidua essentialia accidentis, v. g. albedinem in communi non prædicari in quale de hac & illa albedine singulari. Patet. nam ista prædicatio, Hæc albedo est albedo, est de pluribus differentibus numero in quid; ergo pertinet non ad quintum, sed ad secundum prædicabile. sicut ista, Homo est animal rationale.

IO. Assertum primum.

Dico secundò. Accidens quintum prædicabile constituitur formaliter prædicabile per ordinem ad substantiam, seu ad subiecta, de quibus dicitur, est sententia communis, & probatur, quia solum subiectis quibus inhæret accidit, & de eis non conuertibiliter dicitur; ergo. Probatur antecedens. nam respectu indiuiduorum suæ speciei, nec dicitur accidens, nec inhærens; ergo solum constituit quintum prædicabile per ordinem ad subiecta, de quibus in quale non conuertibiliter prædicatur.

Assertum secundum.

Obiicitur primò quod ex sæpius dictis vniuersale debet esse vniuocum prædicatum; sed accidens nequit vniuocè respicere plura subiecta, ex Aristot. cap. de substantia dicente, accidens non prædicari vniuocè de substantia; ergo neque erit vniuersale, seu prædicabile. Resp. negando minorem, ad Aristot. dicimus, ibi solum negare accidens prædicari in quid de substantia, tãquam vniuoca ratio inclusa formaliter in subiecto, & ideo licet in hoc sensu non sit prædicatum vniuocum, vniuocè tamen prædicatur, quia eodè modo de quolibet subiecto dicitur.

Obiicitio prima.

Dissoluitur.

Secundò. Ad vniuersalitatem sufficit secundum.

Obiicitio sicut secundum.

ficit quòd subiecta prædicationis apprehendantur, etiamsi non existant in re, vt diximus q. 7. difficult. 3. art. 2. sed accidens nequit prædicari de subiecto, nisi in eo existat; ergo non est vniuersale. Resp. concedendo, requiri ad actualem prædicationem accidens inhærere subiecto, quia prædicatum formale debet informare subiectum, vt de ipso possit enuntiari. Negamus tamen ad prædicationem signatam requiri actualem inhærentiam realem accidentis, sed sufficit si subiecta apprehendantur, quibus accidens inhærere, & de quibus dici possit.

Expeditur.

Obiectio tertia.

Distinguitur.

Tertiò diuersa prædicamenta nequeunt vniocè conuenire: sed accidentium sunt nouem prædicamenta; ergo nequeunt vnica definitione definiiri. Resp. negando maiorem, ex dicendis in Metaphys. vbi ostendemus nouem genera accidentium vniocè in ratione accidentis conuenire. Vel secundò responderi poterit, sufficere ad hoc confusum conceptum omnium accidentium, vel, vt alij expli- cant, sufficere ad prædicationem signatam, quòd definitum possit vnica denominatione denominari, etiamsi materialiter sint plura. nam sicut homo albus & equus albus, etsi specie distinguantur, in specifica ratione albedinis conueniunt; ita dato quòd prædicamenta accidentium in nullo reali possint vniocè conuenire, non implicabit quòd vniantur in esse denominationis, seu prædicabilitatis signatæ.

II. Illatio prima.

Ex dictis inferuntur tria. Primum accidentia in abstracto, seu vt præscindunt à subiectis, v. g. albedo, color, &c. non pertinere ad hoc prædicabile. Fundamentum est quòd accidens prædicabile dicit ordinem ad subiectum, de quo enuntiatur: sed abstractum præscindit ab eo, & priua-

tur tali ordine actuali; ergo nec poterit de ipso prædicari.

Secundò inferitur, accidentia posse prædicari de pluribus differenti- bus genere, vt cum dicimus, Substantia est alba, quantitas est alba; & de pluribus differentiibus specie, cum dicimus, Homo est albus, leo est albus; & de pluribus differentiibus numero, cum affirmamus, Petrum esse album, Franciscum esse album.

Illatio secunda.

Tertiò inferitur, maximè differre accidens prædicamentale, & prædicabile. nam accidens prædicamentale, omnino est extra rationem substantiæ, in diuersis que constituitur prædicamentis, vt albedo, quantitas, relatio. Accidens autem prædicabile potest esse secundum entitatem substantiæ, etsi ratione subiecti cui accidit, accidens dicatur. v. g. proceritas corporis, aut crassitudo quid substantiale sunt, tamen quia accidunt suis subiectis, accidentia prædicabilia nuncupantur. Notare tamen oportet, quòd licèt hæc accidentia antonomastice prædicabilia nuncupentur, non eo est, quia alia accidentia prædicamentalia non sint prædicabilia. nam prædicantur de pluribus, sed vt denotemus, accidentia illa solùm esse talia in prædicando, & vt distinguamus hoc modo ab eius accidentibus quæ non solùm in prædicando, sed etiam in essendo accidentia sunt.

Illatio tertia.

Notandū.

Hic ab aliquibus solet disputari, vtrum inhærentia aptitudinalis, seu aptitudo quam habet accidens ad inhærendum, sit quidditas, aut passio accidentis. Sed hanc quæstionem tractamus in Metaphys. vbi ex mente Doctoris affirmamus, hanc aptitudinem non posse essentialiter constituere accidens, quia nullum absolutum quidditatiuè constituitur per ordinem ad aliud, cum ab intrinseco sit ad

Quæstio.

Soluitur.

DIFFICULTAS I.

Quid sint uniuoca, æquiuoca, analogæ, & denominatiuæ.

ARTICVLVS I.

Definiuntur uniuoca, æquiuoca & denominatiuæ.

Arist. 1. cap. primi tractatus prædicamentorum sic uniuoca definit, *sunt quorum nomen est commune, & secundum nomen, eadem substantiæ ratio.* In qua definitione per rationem substantiæ intellige, vel definitionem uniuocorum, vel substantiam rei, aut essentiam rei nominatæ. v. g. animal est nomen uniuocum, quia substantia significata per nomen, v. g. viuens sensibile in omnibus est eadem, nempe in homine, & leone, qui solum quatenus animalia vitam & sensibilitatem participant.

Æquiuocorum definitio hæc est, *Æquiuoca dicuntur, quorum nomen commune est, ratio uero substantiæ nominis accommodata diuersa.* ut canis respectu marini, cælestis est latrabilis, qui solo nomine conueniunt; non tamen in aliqua specifica, aut intrinseca ratione per canem significata. *per canem, inquam, significata, quia nulli dubium in substantia prædicamentali conuenire quæ prædicatum intrinsecum est, de eisque intrinsecè enuntiatur; hæc tamen non significatur per nomen canis, sed aliqua specifica ratio, quæ in omnibus omnino diuersa est.*

Denominatiuæ dicuntur, ex mente Aristotel. *quæ habent appellationem ab alio, secundum nomen solo casu ab illo differentia.* v. g. fortis à fortitudine, à prudentia prudens, &c.

B b in

ad se, & in hoc ab entitate relatiua distinguitur, cuius totum suum esse est ad aliud; cum ergo hæc aptitudo proxima ad inhærendum, sit quidam respectus transcendentalis necessariò connotas subiectum, non poterit essentialiter constituere accidens, sed erit passio ipsius supponens aliquid absolutum constitutum accidentis. Si autem dicas accidens non posse definiri sine ordine ad subiectum. Resp. verum esse propter imperfectionem accidentis & nostræ operationis, non posse accidens quietatiuè definiri, sine ordine ad subiectum, quidditatiuè tamen sine tali ordine est definibile, de quibus satis dicitur ubi suprâ.

Eufasia.

Præclaritas.

QVÆSTIO XII.

De uniuocis, æquiuocis, analogis & denominatiuis.

PHILOSOPHVS hanc questionem in antepredicamentis proponit vtilem satis ad veram prædicamentorum cognitionem. nam cum sola uniuoca in prædicamentis constituantur, æquiuoca uero & analogæ reiciantur, in quo distinguantur, & quid sint, merito examinatur. Item cum nouem accidentium prædicamenta denominatiuè de substantia prædicentur, in quo consistant merito explicatur. Circa quam questionem tria veniunt examinanda. Primum, quæ sint definitiones uniuocorum, æquiuocorum, & denominatiuorum. Secundum, in quo distinguantur analogæ, & uniuocæ. Tertium, in quo uniuocum & genus distinguantur.

I. Uniuoca quæ

Æquiuoca quæ

Denominatiua quæ

in quibus denominatiuis tria reperiuntur, nempe forma denominans, subiectum denominabile, & concretum ex forma & subiecto coalescens. Circa quas definitiones non nulla dubitanda occurrunt.

ARTICVLVS II.

Vtrum definitio vniuocorum denominatiuis conueniat.

Titulus articuli hoc exemplo clarescit, vtrum hoc nomen *album*, quod de homine & equo denominatiue predicatur, cum dicimus, *Homo est albus, equus est albus*, vniuocè dicatur de subiectis denominatis. Negat Ruuius cap. 1. quaestione vnica, & quidam neotericus in principio illustrationis huius capituli. Fundamentum est, quod substantia significata per nomen vniuocum debet esse in omnibus eadem, & ita ab eisdem debet participari intrinsecè: sed denominatiua solum accidentaliter participantur; ergo à ratione vniuoca debent excludi.

2.
Affertio prima.

Dico primò, denominatiua, vniuoca debent nuncupari. tenet expressè Doctor in 1. distinctione 8. quaestione 3. §. *ad argumenta*, vers. *secundum etiam*, num. 14. vbi predicatum vniuocum à predicatione vniuoca in hoc distinguit, quod predicatum vniuocum est illud, cuius ratio est in se vna, siue illa ratio sit ratio subiecti, siue denominet subiectam, siue per accidens dicatur de subiecto; praedicatio verò vniuoca ea est, cuius ratio intrinsecè includitur in subiecto. Vnde ex mente Doctoris denominatiua non praedicantur vniuocè, ita quòd sint de

intrinseca subiecti ratione: sunt tamen vniuoca praedicata quatenus secundum vnã rationem significatam per nomen, et si extrinsecè, ab omnibus participantur. Probat, nam vna & eadem denominatio albi potest à pluribus specie diuersis participari. Non æquiuocè, quia, vt benè notauit Scotus vbi supra, æquiuocum non secundum eandem, sed secundum diuersam rationem participatur; ergo vniuocè. Dices praedicationem denominatiuam esse medium inter vniuocam, & æquiuocam; ergo non oportet denominationem ponere sub vniuocatione. Sed contrà est, quòd denominatiua alia ratione vniuoca dicuntur; alia verò denominatiua, dicuntur denominatiua per ordinem ad subiectum quod denominant, extra ipsius intrinsecam rationem; vniuoca verò quatenus sub vnica ratione à denominatis participantur. nam omnes albi vnica rationem dealbationis participant. Doctorem sequuntur Scotus quaestione vnica huius capituli. Caietanus in expositione definitionis denominatiuorum, Sanctius quaestione 1. praedicamentorum. Confirmari potest hæc veritas, quia vniuersale debet esse vniuocum; sed quartum & quintum predicabile sunt denominatiue vniuersalia, vt diximus dum eorum quidditates explicaremus; ergo denominatiua vniuoca debent nuncupari.

Dico secundò, non satis constat ex Philosopho, an sola vniuoca essentialia, an etiam denominatiua definierit. Ratio est, quòd ipse solum dicit, *rationem substantiam in omnibus esse eandem*. Vnde quamuis demus per substantiam essentiali & quidditatem intelligere, tamen

3.
Affertio secunda.

non

non satis explicat qualiter in omnibus debeat esse eadem, an tantum quidditatiue, an accidentaliter etiam, & extrinsecè? ergo cum denominationum substantia, eadem sit in omnibus, eodemque modo. nam albedo eodem modo denominat parietem & equum, prædicta vniuocorum definitio denominatiuis poterit accommodari.

Obiectio.

Obiicies Philosophum cap. de substantia, affirmare, denominatiua non prædicari nomine & ratione: sed vniuocum est, cuius nomen est commune, & ratio per eum significata, eadem; ergo sentit denominatiua non esse vniuoca. Resp. Aristot. ibi solum intendere excludere denominatiua à ratione secundæ substantiæ, & ita docet non prædicari nomine & ratione, intellige in inferioribus intrinsecè inclusa, quæ vniuocatio solum prædicatis quidditatiuis competit, non verò denominatiuis: vnde hæc habet, *album cum in subiecto sit corpore, prædicatur de subiecto, dicitur enim corpus album; ratio verò aibi nunquam de corpore prædicatur.* Si ergo album dicitur de subiecto, quomodo non prædicatur de ipso? Certè non alia ratione, nisi quia ibi loquitur de prædicatione secundarum substantiarum, quæ in subiectis fundamentaliter includuntur.

4. Quæstio. Resp. sio.

Petes, utrum vniuoca, æquiuoca, & denominatiua primè, an secundè intentionaliter definiantur? Resp. quòd quantum ad Logicum spectat, idem dicendum est de istis, ac diximus de definito vniuersalis quæst. 6. difficultate 4. artic. 3. quòd definiatur secunda intentio in actu signato denominans hanc & illam naturam vniuocam, æquiuocam & denominatiuam. Utrum autem æquiuoca possint verè definiiri, nolo nunc exa-

minare. Negat Doctor theoremate 19. num. 10. cum Aristotele 6. Topic. cap. 2. quos sequitur Mauritius Hybernus in annotatione huius theoremat. Ratio est conspicua, quia æquiuocum plura significat per modum plurium: sed plura, vt plura, nequeunt vna definitione comprehendere, vt diximus in fumulis quæstione 3. difficultate 2. artic. 1. ergo verum est posse dari aliquam æquiuocorum notificationem, vnde Philosophus 5. Metaph. & alibi sæpè, multa nomina multiplicia notificat.

DIFFICULTAS II.

An sit, & quotuplex Analogia.

Communis consensus est dari nomina analogia, ea enim sunt, quorum nomen est commune; ratio verò substantia nec omnino eadem, nec omnino diuersa. Horum expressè meminit Doctor quæstione 8. vniuersali, & tertia prædicamentali, & in 2. distinctione 12. quæst. 2. §. ad primam rationem, versicul. ad aliud de analogia, num. 8. D. Thom. 1. parte quæst. 3. artic. 5. 6. & 10. & alibi sæpè. Hæc autem inter vniuoca, & æquiuoca interuiciuntur, quia conueniunt cum vniuocis, quòd non sunt omnino diuersa, sicut æquiuoca; cum æquiuocis tamen quòd aliquam diuersitatem patiuntur, quam vniuoca non admittunt. Solum potest dubitari, quid per nomen analogum intelligamus? Quæ sit Analogia propria; quæ verò impropria.



ARTICVLVS I.

*Explicantur diuerſe analogorum
accepciones.*

6.
*Analogia
duplex.*

Aliqui Philoſophi duplicem analogiam admittunt, aliam propriam, ſeu intrinſecam, aliam verò impropriam, ſeu extrinſecam. Illam propriam dicunt, quæ participat intrinſecè & propriè rationem ſignificatam per nomen. Sic de ſubſtantia & accidenti ens analogicè intrinſecè & propriè dicitur, quia in ipſis intrinſecè includitur. Eam impropriam analogiam appellant, quando ſignificatum per nomen vni extremorum intrinſecè conuenit, aliis verò extrinſecè & metaphoricè: vt riſus propriè ineſt homini, prato verò metaphoricè. Hanc vocant impropriam analogiam (vt bene notauit Hurado diſputatione 9. Logicæ, ſectiõne 3. §. 80. & cum eo alij recentiores in antepredicamentis) non quia non ſit vera analogia; ſed vt eam diſtinguant à tranſcendentali, in qua ſignificatum per nomen in analogatis intrinſecè includitur, imò hanc affirmant eſſe propriam analogiam, & veriorem, ſi ſignificatum nominis perſcrutemur. Nam analogia Græcis ſonat quod Latinis *proportio*, vt notauit Cicero in ſuo lib. de vniuerſitate, Quintilianus lib. 1. Inſtitutionum cap. 6. id eſt, eſt ſimilitudo quædam ac comparatio, vel conuenientia ſignificatorum per nomen; vnde apprime inferitur in quo analogum ab vniuocis & æqui-uocis differat. Nam riſus, qui eſt propriè analogus, non eſt omnino idem homini & prato, vt eſt animal homini & equo; nec omnino diuerſum: vt eſt canis reſpectu mari-

*Analogia
idem
quod
proportio.*

ni & cœleſtis; ſed aliquam obſeruat proportionem. Nam ſicut riſus in homine prouenit ex interiori hilaritate, cùm bene ſe habet, & aliquo oblectatur obiecto; ſic pratum ridere dicimus, quia bene ſe habeat, & ſua amoenitate, & fecunditate, quaſi tripudiare, laſciuire & luxuriare videatur.

Hæc analogia diuidi poteſt in analogiam proportionis, & proportionalitatis. Conueniunt iſtæ duæ ſpecies quòd habeant nomen commune; rationem verò ſubſtantia diuerſam, ſeruata tamen aliqua attributione, ſeu proportione; eo tamen differunt quòd analogia attributionis, eſt inter duas res ſimiles, quæ aliquam dicunt attributionem inter ſe; ſic ſanitas analogia proportionis, dicitur de vrina, medicina & animali, quatenus ordinantur ad iſtud. Nam ſanitas propriè enuntiat de animali, impropriè tamen de vrina & medicina, quatenus hæc efficit, illa ſanitatem ſignificat. Analogia proportionalitatis eſt proportio duarum proportionum, diuerſa in ſubſtantia, tamen eodem ſignificata nomine, vt proportio, quam dicunt duæ proportiones inter ſe, v. g. cùm dicimus, ſicut ſe habet leo ad ſuas actiones fortiter exercendas; ira Chriſtus ad ſuas. Vnde manifeſtè inferitur, de quibus analogis commune illud proloquium intelligatur; *analogum per ſe ſumptum ſtat pro ſanoſiori ſignificato*. Nam cùm hoc denoter ſignificatum per nomen vni extremorum intrinſecè conuenire, aliis verò extrinſecè & per attributionem de analogis attributionis, & à Thomiſtis extrinſecis nuncupatis intelligendum eſt. quæ omnia quantum ad iſtam ſecundam partem de extrinſeca analogia

7.
*Alia
analogia
diuiſa.*

analogia vera sunt, & à nobis amplectenda.

3. Hanc analogiã attributionis communem analogiẽ proportionis & proportionalitatis admittit Scotus in 1. dist. 3. q. 3. §. *contra istam uniuocationem*, *verf. consimiliter*, num. 17. & dist. 8. q. 3. idem faretur Arist. 4. Metaph. c. 2. vbi aliqua entia admittit, quæ habent vnitatem attributionis, seu ad vnum: idem habet 7. Metaph. cap. 4. circa finem.

Analogia inæqualitatis quæ.

Caietanus in tractatu de nominum analogia cap. 1. 2. & 3. aliam analogiam admittit *inæqualitatis*, & est quando ratio significata per nomen inæqualiter ab inferioribus participatur, vt ratio animalis, de quibus legatur Suarez tomo 2. Metaph. disp. 28. sect. 3. Quam analogiam quidam neotericus impugnat, quia analogia vt nomen sonat, dicit proportionem & attributionem: sed equus non dicitur animal in ordine ad aliud, sed quia intrinsecè continet animalitatem; ergo. Quæ impugnatio non multum vrget, quia, vt inferiùs dicemus, cum vera uniuocatione, imò & cum generica aliqua compatitur attributione.

Quidam neotericus cap. 1. Categoriarum, eam solam dicit esse analogiam, quando analogata inter se proportionem, & similitudinem obseruant; alia verò, quæ licèt dicant habitudinem, nullum tamen proportionem obseruant, æquiuoca ad vnũ appellat, ideo sanum à ratione analogata excludit, & æquiuocum ad vnum appellat, quia licèt vrina, & medicina dicant ordinem ad hominem, quatenus vna efficit, alia indicat sanitatem: nullam tamen proportionem obseruant; sicut risus respectu hominis & prati.

9. Nos tamen breuiter dicimus ana-

logum propriè sumptum esse *vnũ* *Analogum proprie quid.* *nomen*, alteri analogatorum propriè conueniens siue intrinsecè, siue extrinsecè; alijs verò minus propriè & per attributionem ad præcipuum analogatum, vt in prima sententia satis explicuimus. Itaque in omnibus, in quibus est aliquis ordo, & proportio ad vnum primum, quod est quasi metrum & mensura aliorum, ibi est perfecta analogia, siue aliàs sint uniuoca, siue non, de quibus articulo sequenti. Hanc diuidimus in analogiam proportionis, & proportionalitatis, quæ sunt duæ species materialiter distinctæ, formaliter tamen sub vnica definitione contentæ. Ex quibus manifestè infertur ab analogatis nullum conceptum communem esse abstrahibilem, quatenus analogata sunt. Ratio est conspicua, quia si solo nomine conueniant, ratio quæ abstraheretur, iam extraheret analogata à ratione diuersitatis, & uniuoca constitueret: quatenus analogata, inquam, quia sub alia ratione bene possunt uniuocè conuenire, ideo ab homine vrina & medicina conceptum substantiæ prædicamentalis abstrahere valemus.

DIFFICULTAS III.

Utrum ens dicat conceptum uniuocum respectu eorum, de quibus formaliter prædicatur, an analogum?

ARTICVLVS I.

Supponuntur aliqua ad intelligentiam difficultatis.

VT hanc celebrem difficultatem & satis inter vtramque scholam

16.

lam controuersam, enodare & elucidare possumus, plura in difficultatis initio in Metaph. latius examinanda præmittere breuiter & explicare oportet.

Supposi-
tio pri-
ma.

Supponunt primò omnes, ens intrinsecè & quidditatiuè prædicari de omnibus entibus realibus, saltem completis, ita quòd omne ens creatum, siue increatum propriè & formaliter habet suam entitatem, etsi aliàs dependeat, vel non dependeat ab aliis.

Supposi-
tio secun-
da.

Secundò suppono, ens dicere vnum conceptum formalem obiectiuum ab omnibus entibus præcisum, siue iste conceptus distinguatur ab inferioribus, siue sit eadem inferiora confusè cognita, quod explicabimus in Metaph. vbi dicemus ens dicere vnum conceptum communem negatiuè pluribus modis determinabile, vt colligitur manifestè ex Doctore in 1. dist. 8. q. 3. § ad primum argumentum principale, n. 16. què sequitur Philippus Faber expressè theoremate 94. & probatur eisdem argumentis, quibus quæst. 6. difficult. 1. & in Metaph. probamus dari naturam communem negatiuè à parte rei, quia ex se non includit hanc, vel illam rationem determinantem, sed ad omnes esse indifferens; ita ens est vnum commune negatiuè in re, quia de se nec includit substantiam, nec accidens, sed omnia indifferenter respicit.

III.
Supposi-
tio ter-
tia.

Tertiò suppono, ens non includi in modis intrinsecis, & differentiis ab vltima realitate sumptis, neque in passionibus ipsius entis, tenet expressè Doctore in 1. dist. 3. q. 3. §. contra istam uniuocationem, vers. ad videndum autem, num. 15. & deinceps, est expressa omnium Scotistarum. Per modos, intelligo intrinsecas rationes determinantes ens, vt finitum, & infinitum

esse per se, & in alio. Per differentias sumptas ab vltima realitate non intelligo totam differentiam quæ est altera pars compositi, vt aliqui Scotistæ contra Doctorem autumant, quod in Metaphysica, ni fallor, demonstramus: sed illum modum vltimum differentia determinatam ens ad qualificatiuam rationem differentia. nam Doctore vbi supra num. 16. vers. Dico libentissimè, faterur definitum esse bis formaliter ens, videlicet quidditatiuè ratione generis, & qualificatiuè ratione differentia.

Negat Doctore vbi supra, §. Quantum ad secundum, & §. ad quæstionem, vers. Quantum ad primum. n. 6. quia si differentia includant ens uniuocè dictum de eis, & non sunt omnino idè; ergo sunt diuersa aliquid idem entia: talia sunt propriè differentia, ex 5. & 10. Metaph. textu 12. ergo differentia illa vltima propriè erunt differentes; ergo alijs differentiis differunt, quòd illa alia includant ens quidditatiuè, arguitur de eis sicut de prioribus, & ita erit processus in infinitum in differentiis, vel stabitur ad aliquas omnino non includentes ens quidditatiuè, quod est propositum, quia illa solum erunt vltima.

Secundò probatur, quia in compositis physicis fit resolutio in partes primò diuersas, quarum vna nihil includit alterius, ita vt pars determinabilis nihil includat partem determinantis; ergo idem iudicium erit in compositis metaphysicis, ac per consequens differentia ab vltima realitate sumpta non debet includere formaliter ens, vt resolutio fiat in partes omninò diuersas. legatur Doctore vbi supra. Idem tenendum est de modis intrinsecis.

Negat etiam includi formaliter in suis passionibus, quæ sunt res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum, & hac dictione significantur R, E, V, B, A, V, quia

ARTICVLVS II.

Explicatur sententia communior.

quia passio ex Aristotele 1. Posteriorum, textu 9. per se secundo modo prædicatur de subiecto; ergo subiectum ponitur in definitione passionis, tanquam additum, vt habetur ex eodem Aristotele 1. Posteriorum, textu 4. & 7. Metaph. textu 17. Ens igitur in ratione entis tanquam quid additum ponitur in definitione suarum passionum; ergo si cadit in definitione, & quidditate suarum passionum vt additum, nõ prædicabitur quidditatiuè de eis, nec in eisdem formaliter includetur, quod confirmat Doctor ex Philosopho 1. Posteriorum, cap. de statu principiorum, vbi vult quod prædicationes per se non conuertantur, ita quod si prædicatum dicatur de subiecto per se, subiectum dicatur de prædicato per accidens; ergo si ista prædicatio, est per se, secundo modo ens est vnũ, hæc, vnum est ens, non erit per se, sed quasi per accidens, & ratione concreti, sine, idènticè, sicut ista propositio est per accidens, Risibile est homo. Confirmari potest hæc veritas, quia si passiones includunt formaliter ens; ergo sunt descriptiuè, & quidditatiuè entia. Item non solum erunt entia idènticè, sed formaliter, quod videtur absurdum. Nam sicut passio hominis non est homo formaliter, sed solum per identitatem; ita passio entis solum ens idènticum debet existimari, vel quasi aliquid ipsius entis, vt notauit Doctor vbi supra §. *quantum ad secundum*. quæ pro exacta vniuocationis intelligentia sufficiant. nam ea omnia, simul cum argumentis, & obiectionibus contrariorum in Metaph. ex professo declaramus.

* * *

Q Vanquam paucissimi extra scholam Doctoris sint qui concedant ens esse vniuocum, vniuocèque dici de omnibus entibus, in quibus formaliter continetur; tamè non omnes eius analogiam, eadem ratione & fundamento defendunt.

Nonnulli eo affirmant ens esse analogum, quod ens proportionem quadam & per attributionem ad substantiam prædicatur de accidenti, vt risus de prato, per attributionem ad hominè. probant ex Aristotele passim affirmante *accidens esse entis ens*, præcipuè 4. Metaph. cap. 2. textu 2. vbi docet ens dici de suis inferioribus, sicut sanum de vrina, medicina, & animali, & lib. 7. cap. 1. docet, ens simpliciter esse solam substantiam: sed vniuocum æqualiter dicitur de omnibus inferioribus; ergo.

Sed hæc probatio non est sufficiens, primò, quia Aristoteles non excludit ens, à ratione veri entis, imò 5. Metaph. cap. de ente, textu 14. asserit accidens quantum est ex se, esse ens per se, id est, habens propriam, & intrinsicam entitatè, vnde Scotus, in 4. sententiarum distinct. 12. q. 1. §. *ad ista*, vers. *authoritas illa*, n. 16. etsi fateatur, istas & alias autoritates esse Philosophi, docet tamen *intellectum Philosophi in illis exemplis non esse quod simile currat super quatuor pedes, quia secundum Damascenum lib. 3. cap. 26. quod omni ex parte simile est, idem est, non exemplum.* & ideo præmittit, *non enim necesse est exempla prorsus inter se similia esse, atque eiusmodi, nihil omnino desideretur, quandoquidem in exemplis tum similitudinem, tum dissimilitudinem perspicere opus est, siquidem exempla sunt;* paritas ergo est

in

in hoc quòd sicut vrina & medicina ordinantur ad hominem, ita accidens ad substantiam, & hæc omnia ad Deum. Secundò isti admittunt ens analogicè dici de Deo, & creaturis; ergo substantia nõ est ens, quãdoquidem prius ens dicitur de Deo, quàm de ipsa. Confirmat optimè Hurtado. nam sicut Aristoteles, solam substantiam vocat simpliciter ens, ita sacrata lectio dicit solum Deum habere esse; Exodi 3. *Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos.* & Iob 14. *Quis potest mandatum facere de immundo conceptum semine? non & tu qui solus es?* ergo si hoc non obstat vt substantia sit per se ens, neque obstabant aliæ autoritates Philosophi vt accidens dicatur ens.

Secundò ex Philosopho, in quocunque genere est aliqua species, quæ sit metrum, & mensura cæterarum: sed hoc non obstat ad vniuocationem genericam; ergo ordo istorum entium non impedit vniuocationem transcendentalem. Confirmatur, quia accidens non est chimæra, imò seclusa substantia, ens formaliter de ipso prædicatur; ergo non impedit attributio, vel ordo ad substantiam, vt ens possit vniuocè de ipso prædicari.

15.

Alij recentiores affirmant, ens non esse vniuocum, sed analogum, quia per prius dicitur de vno, quàm de alio. Fundamentum est, quòd vniuocum æqualiter dicitur de omnibus inferioribus: sed ens prius dicitur de substantia, quàm de accidenti; ergo non dicitur vniuocè, sed analogicè. Sed neque hoc fundamentum est sufficiens, primò, quia sicut genus pluribus differentiis, perfectione diuersis & inæqualibus contrahitur; sic ens inæqualibus modificatur modis; ergo sicut hæc ratio non extrahit genus à ratione vniuoca, quia in illa præcisa ratione abstracta, v.g. animalitatis in-

differenter respicit quacunque differentiam; sic ens, quia in ratione præcisa omnes modos indifferenter respicit, licet contractum per Deitatem, v.g. sit perfectiori modo, quàm modificatum per esse in alio, hoc non repugnabit vniuocationi, quia ens quantum est ex se, æqualiter & indifferenter communicatur, sicut genus speciebus, etsi vna aliam perfectione præcedat.

Caletanus de analogia nominum cap. 4. & 6. quem sequitur Fonseca 2. Metaph. cap. 2. quæst. 2. sect. 4. concl. 2. & Vasquez 1. parte disp. 22. num. 6. & disp. 114. num. 5. & 6. eo affirmant ens non esse vniuocum, quia non potest abstrahi conceptus entis à substantia, & accidenti: sed vniuocum hæc duo necessariò requirit, nempe abstractionem, & comparisonem; ergo si nequit abstrahi ratio entis ab inferioribus, ipsi vniuocatio repugnabit. Hoc fundamentum sic probant. nam vniuocum abstractum, ab inferioribus omnino præscindit, ita quòd quatenus præcisum in inferioribus non includatur, sed ab ipsis omnino separatur: ratio entis quantumuis præscindatur, semper in inferioribus manet inclusa; ergo. Maior patet à simili. nam animal quatenus ab homine, & equo præcisum, in ipsis non includitur; ergo si ens esset vniuocum, non includeretur in inferioribus. Minorem sic probo. nam illud à quo ens abstrahitur, vel remanet nihil, vel aliquid: si nihil, ergo non est abstractio. quia, vt diximus q. 6. diffic. 3. art. 2. ad veram abstractionem requiritur, vt vtrumque eorum quæ separantur remaneat post separationem. Si aliquid, ergo est ens; non ergo poterit ens præscindi ab inferioribus, quin in eisdem maneat inclusum, ac per cõsequens nec erit vniuocum, sed analogum.

Sed

26.

Sed hoc etiam fundamentum verum non est, ut optinè probat Suarez disp. 2. Metaph. sect. 2. num. 5. cum S. Thoma in prologo primi sententiarum art. 2. ad 2. & in 2. dist. 1. q. 1. art. 1. & nos id in Metaph. examinamus; pro nunc tamen ad impugandum hoc fundamentum, efficacissima est Doctoris ratio in 1. distinct. 3. q. 2. §. 2. *non afferendus. verè. & uniuocationem*, n. 6. quæ abstractionem entis ab inferioribus apertissimè probat, hoc modo. Omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de diuersis, habet conceptum de quo est certus, alium à conceptibus de quibus est dubius: sed intellectus viatoris potest esse certus de aliquo quod sit ens, dubitando de ente finito, vel infinito, creato, vel increato; ergo conceptus entis de aliquo est alius à conceptu isto, vel illo, & ita neuter ex se, sed in vtroque illorum includitur. Maior probatur, quia nullus idem conceptus est certus & dubius; igitur vel alius quod est propositum, vel nullus. Minor probatur. nam Philosophi supponebant (vel nos id de ipsis possumus existimare) aliquod ens esse primum omnium principium: dubitabant tamen an esset ignis, cælum, terra, &c. ergo conceptus entis præscindi poterit à rationibus inferioribus. Qua ratione pro nunc sufficienter conuincitur abstractio entis ab inferioribus; vtrum autem hac eadem ratione probetur uniuocatio, dicemus art. sequenti.

Probatur secundò, quia alioquin ens, neque analogicè posset de suis inferioribus prædicari. Probo sequentiam. nam ut aliquid prædicetur de pluribus, debet esse vniuersale: sed hoc ex communi sententia, ut diximus quest. 6. diffic. 3. vel constituitur abstractione, vel ipsam supponit; ergo

si ens nequit abstrahi, neque de pluribus prædicari: sed falsum est ens non formaliter, de Deo, creaturis, &c. ergo.

Tertiò ens per vos transcendit substantiam & accidens; ergo conceptus entis alius est à conceptu substantiæ, aliàs essent omnino idem formaliter, quod nullus concedet.

Fundamento huius sententiæ facillimè satisfacit in nostra sententia, qui fatemur, ens non includi in modis immediatè contrahentibus, ideo rationalitas, infinitas, &c. non includunt per se ens, sed solùm identicè, idèò optinè poterit abstrahi ratio uniuoca ab inferioribus constitutis his modis, & entitate. Nam si separem entitatem à rationali, rationale non remanet ens, sicut præciso animali ab homine, non remanet sensibilis.

Cùm autem obiicit, quòd illi modi remanentes sunt aliquid, vel nihil. Respon. nec esse aliquid, nec nihil formaliter, sed aliquid per identitatem. Nec scio qualiter hanc veritatem possint effugere qui fatentur genus & differentias esse substantias formaliter. Nam præciso còceptu substantiæ ab inferioribus, inquiram ab eis, vtrum illud quod remanet sit substantia, vel accidens: non accidens; ergo substantia: si substantia; ergo iam abstracta ratione superiori uniuoca, potest in inferioribus permanere, ac per consequens vel debent dicere solùm remanere identicè substantias, vel ad uniuocationem non requiri, quòd conceptus abstractus non remaneat in inferioribus. Vel respondeant aliter ad hoc argumentum, ut eorum responsa reddamus nos ad eorum fundamenta.

Alij recentiores opinantur, ens non esse uniuocum, quia transcendit per omnia genera entium, quibus subscribit Hurtado disp. 9. Logicæ sub-

17.

Obiectio.

Solutio.

Aliorum recentiorum opinio.

sect. 5. Fundamentum est, quod vt ali-
quod sit vniuocum, requiritur neces-
sario, vt ratio contrahens non inclu-
dat rationem contrahibilem: sed sic
est quod ens includitur in suis ratio-
nibus contrahentibus, ob suam tran-
scendentiam; ergo non est vniuocum.
Vnde inferunt ex hac transcendentia
prouenire ens esse analogum, quia
hoc est, cuius ratio significata per no-
men nec est omnino eadem, nec om-
nino diuersa: sed conceptus entis quā-
do concipitur secundum rationem
communem, est quidem idem, quia
tunc nulla apparet dissimilitudo;
quando verò illemet concipitur in
aliquo inferiori, est sibi ipsi dissimi-
lis. nam ratio superior est ens for-
maliter. Item substantia & accidens
sunt entia formaliter; ergo conceptus
entis est æqualis, & inæqualis: æqua-
lis, quatenus sub ratione communi
omnia eodem modo percipiuntur;
inæqualis verò quatenus ita diuersi-
modè, & quasi oppositè in inferiori-
bus continetur. nam in substantia est
ens per se, in accidenti verò in alio;
in Deo ens infinitum, in creatura ve-
rò finitum. Sed hæc ratio quantum
ad æqualitatem & inæqualitatem
contractionis, inefficax est, & falsum
hanc colligi præcisè ex transcenden-
tia entis. Nam quamuis diuersitas
generica ex transcendentia optimè
inferatur, non tamen omnem inæ-
qualitatem, & oppositionem ex tran-
scendentia vniuersalissima prouenire
patet. nam magis opponuntur ratio-
nale, & irrationale, quàm esse per se
& in alio, siquidem ista saltem in
aliquo accidentali concreto possunt
conuenire; illa verò omnino oppo-
nuntur, etsi participant aliqua præ-
dicata communia saltem per identi-
tatem; hoc tamen non obstat vt ani-
mal vniuocè dicatur de eis; ergo ne-

que inæqualitas modorum determi-
nantium ens, repugnabit vniuocatio-
ni. Illud autem quod dicebat de ra-
tione contrahentis esse non contine-
re contrahibile, in nostra sententia
verissimum est, quia fatemur nullum
modum entis includere formaliter
ens; ipsi tamen qui affirmant substan-
tiam prædicamentalem, transcende-
re omnes substantiales differentias, &
modos ipsius substantiæ esse substan-
tiam, quomodo ab hac difficultate
se expedient.

ARTICVLVS III.

*Explicatur sententia Do-
ctoris.*

DOCTOR affirmat ens esse vniuocum 18.
cum Deo & creaturis, substan- *Doct'is*
tiæ & accidenti. ita in 1. dist. 3. q. 2. §. 2. *placitum.*
non asserendo, num. 6. & q. 3. §. Quantum
ad secundum articuli, vers. primam sc.
n. 9. & dist. 8. q. 3. §. ad primū argumen-
tum, n. 27. & 26. & lib. 4. Metaph. q. 1.
per totam, eum sequuntur Lichetus &
Tartaretus ibidem, Antonius An-
dreas 4. Metaph. q. 1. Trombeta q. 2.
Rada 1. parte controuersiarum, con-
trou. 21. Faber theoremate 95. cap. 2.
citantur Ochamus & Gabriel in 1.
dist. 2. Gregorius q. 8.

Pro cuius sententiæ intelligentia 19.
notandum est vniuocationem habere *Notan-*
tres gradus, primus est vnitatis ratio- *dum.*
nis, secundus modus essendi, tertius *Vniuoca-*
æqualitas, vel inæqualitas perfectio- *tionis*
nis. Primus est omnino necessarius *gradus*
ad vniuocationem, & est secundum *tres.*
quem ratio significata per nomen
in omnibus est eadem, præscinden-
do à modo essendi & æqualitate
perfectio-
nis. Secundus gradus est, se-
cundum quem ratione differentia-
rum contrahentium, in inferioribus
superius

superius habet inæqualem perfectionem : sic animal ratione differentiarum, perfectiori modo est in homine, quàm in equo; tamen eodem modo est in omnibus. Tertius gradus est perfectissimus, & importat non solum unitatem rationis sicut primus, & rationem substantiæ ab omnibus participatam ut secundus; sed etiam omnimodam æqualitatem essentialem in suis inferioribus : sic specialissima species determinata individualibus differentiis, æqualiter ab omnibus individuis participatur, ita ut non sit in vno individuo perfectiori modo, quàm in alio. Doctor ergo solum intendit probare ens esse uniuocum, secundum primum gradum uniuocationis. nam certum est ens non participari eodem modo ab inferioribus, cum in substantia sit ens per se; in accidenti verò ens in alio: in Deo ens infinitum, in creatura verò finitum. Nec habere eandem perfectionem in omnibus, quia certum est Deum, & creaturas, perfectione essentiali summè distare; solum ergo intendit esse vnum secundum rationem, & hoc sufficere ad præcisam uniuocationem.

20. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quod uniuocum est, cuius nomen est commune. Ratio verò substantiæ per nomen significata in omnibus est eadem: atqui ratio significata per ens in Deo, creaturis; substantiæ, & accidenti, est eadem; ergo uniuoca. Probat minor. nam ens formaliter prædicatur de Deo & creaturis; ergo uniuocè dicitur de eis, siquidem ratio entis intrinsecè & formaliter est in omnibus. Cuius fundamenti efficacia ea est, ut Suarez 2. tomò Metaphys. disput. 28. sect. 3.

& Vasquez vbi supra fateantur, nulla efficaci ratione à contrariis communiter impugnari. Confirmatur hæc ratio, quia si plures recentiores affirmant, ens ab omnibus inferioribus præcindi, de ipsisque quidditatiuè & formaliter prædicari; ergo nobiscum fatentur, ens esse uniuocum, secundum unitatem rationis. Quod autem uniuocata dicant ordinem inter se, seu superius transcendat per omnia inferiora, primum probat, ens non habere tertium gradum uniuocationis, scilicet æqualitatem perfectionis; secundum verò ens non esse uniuocum in secundo gradu uniuocationis, ita ut eodem modo ab omnibus participetur: nullatenus tamen ens non esse uniuocum secundum unitatem rationis; ergo vel dicendum est hanc esse questionem de nomine, vel sententiam Scoti admittere. nam nos nihil aliud intendimus, quàm quod ens dicat vnum conceptum præcisum in quid, de omnibus inferioribus prædicabile, quod ipsi fatentur.

Confirmatur secundò. nam hæc prædicatio, Deus est ens, creatura est ens, est prædicatio uniuersalis, non genérica; ergo uniuoca. nam omne uniuersale ex q. 6. diffic. 2. uniuocum debet esse.

Confirmatur tertio. Omnis comparatio ex Arist. 7. Physicorum debet esse in aliquo communi uniuoco, ideo hæc est vitiosa comparatio, Homo est magis substantiæ, quàm quantitas, quia in nullo prædicato uniuoco substantiæ conueniunt: sed Deus dicitur magis ens quàm creatura; ergo in ente uniuocè conueniunt.

Doctor autem hanc veritatem aliis 21.

argumentis confirmat in 1. distinctione 3. quaestione 2. & alibi ubi supra, quæ non omnibus congruam habere efficacitatem videntur; ea tamen expendemus iam, suamque efficacitatem ostendemus.

Primum argumentum est; Intellectus certus de vno, & dubius de aliis, potest habere conceptum de quo est certus, distinctum à conceptibus, de quibus est dubius: sed, ut articulo antecedenti dicebamus, impugnantes tertiam sententiam intellectus, potest esse certus, quod aliquid est ens, dubitando an sit hoc, vel illud ens, creatum, vel increatum; ergo concludit Scotus, ens est vniuocum enti creato & increato, substantiæ & accidenti, quam rationem ipse Doctor ibidem præclare illustrat, & magnificat, exemplo Philosophorum, qui fatebantur Deum esse. Item quod illud, quod erat Deus, seu primum principium erat ens: dubitabant tamen, an esset tale, vel tale ens; ergo conceptus entis formaliter inclusus in illis entibus diuersis, alius est à conceptibus inferiorum, ac per consequens vniuocè ea respicit.

Huic argumento occurrunt Caietanus lib. de ente & essentia, cap. 2. & Iauellus 4. Metaphys. quaestione 1. quos etiam sequitur Franciscus Piccolhomineus, lib. de cælo, dicentes, hoc argumentum Scoti probare abstractionem entis, non tamen vniuocationem. quod erat probandum. Sed hæc ratio efficax est, primò, ut ipsi fatentur, probat ens dicere conceptum abstractum. Probo nunc hac ratione ostendi hoc abstractum esse vniuocum; primò, quia secundum eandem rationem ab omnibus abstrahitur; ergo se-

cundum eandem ad omnia explicitè potest comparari. nam si iste qui assertus est omnia ista confuse cognita esse entia, vnum format conceptum confusum entis; ergo optimè potest inferre Scotus, istum conceptum esse vniuocum, quia neuter est ex se, cum non possit esse idem certus & dubius, & in inferioribus ut ipsi admittant formaliter includitur; nihil enim ad vniuocationem requiritur, quam quod vnum in pluribus secundum eandem rationem consideretur. *Quod si non cures, (inquit Doctor num. 7.) de autoritate ista accepta ex diuersitate opinionum philosophantium, sed dicas quod quilibet habet duos conceptus in intellectu suo propinquos, qui propter propinquitatem analogia, videntur esse vnus conceptus. Contra hoc videtur esse, quia ex ista euasione videretur destructa omnis via probandi unitatem alicuius conceptus vniuocam. Si enim dicis hominem habere vnum conceptum ad sortem & Platonem, negabitur & dicetur quod sunt duo: sed videntur vnus propter magnam similitudinem.*

Trombeta in sua quaestione de vniuocatione entis, licet Scotum sequatur: hac tamen insequitur obiectione, quod hæc ratio nihil concludit. Nam illa maior, quam assumit Doctor, falsa videtur. quod pluribus confirmat exemplis. Primò ponantur piscis marinus & canis latrabilis in eodem sacco, & aliquis eorum moueatur: tunc tamen certus sum, canem moueri; dubius tamen, an sit marinus, vel latrabilis; ergo conceptus ille canis vtrique communis erit vniuocus. Secundò Thomista & Scotista certi sunt naturam communem esse ens: dubitant tamen, an sit reale

reale, vel rationis; ergo ex maiori Scoti necessariò inferitur ens vniuocè dici de ente reali & rationis, quod nullus concedit. Sed hæ obiectiões non enervant efficaciam argumenti Doctoris. Nam, vt notat Faber cap. 2. vbi suprà, non est eadem ratio de ente, ac de his conceptibus. nam in primo exemplo, non datur vnus conceptus notus, & alter ignotus, sicut in nostro casu, datur de ente respectu suorum inferiorum; sed datur effectus notus respectu alicuius ignotæ causæ. Nam notus est mihi motus canis, etsi ignorem à quo cane procedat. Vnde bene possum formare vnicam conceptum communem causæ mouentis, non tamen vniuocum istius, vel illius canis. nam ratio significata per canem, de per accidens se habet ad rationem mouendi. Rursus ad rationem vniuocam non solùm requiritur quòd conceptus sit vnus, sed quòd formaliter in inferioribus includatur: sed quamuis intellectus abstrahat conceptum canis, certus est non includi formaliter in motu; ergo ex tali abstractione non sequitur vniuocus conceptus.

23. Ad secundum exemplum respondet Philippus Faber cap. 2. negando dari aliquem conceptum, de quo vtraque schola sit certa, licèt detur conceptus de quo sit dubia. Nam priùs disputant de primo conceptu vniuersalis, an sit ens reale, vel rationis. Sed meo videri, negari non potest, posse haberi conceptus vt sic, cum dubitatione, an sit reale, vel rationis: propterea omnes supponimus naturam communem esse ens, etsi dubitemus, an sit reale, vel rationis. Inde tamen solàm inferitur dari conceptum confusum vtriusque entis, quod de differentis individualibus, differentiis vltimis diximus quæst. 8. difficultate 4.

artic. 1. quamuis ibidem negamus, ab eisdem posse abstrahi aliquem vniuocum conceptum. nam ad vniuocationem non sufficit abstractio, seu cognitio confusa plurium: sed requiritur quòd hoc abstractum indifferenter respiciat inferiora, & in ipsis secundum rationem significatam per nomen formaliter includatur. Cùm autem ab ente reali, & rationis non possit abstrahi similis ratio, neque vna eadem possit formaliter esse in omnibus inferioribus. Exemplum non est contra nos, Philosophi enim in casu nostro verum conceptum entis formabant de Deo, & dubitabant, an iste esset ignis, sol, &c. tamen omnia illa, de quibus erant dubij, formaliter & intrinsecè continebant ens. Alias Doctoris rationes in Metaphysica explicabimus, & earum efficacitatem ostendemus, interim legatur Antonius Andreas 4. Metaphysicæ quæst. 2. ibidem Antonius Trombera, vel Ioannes Canonicus, 2. Physic. quæst. 3. aut Faber, cap. 3. vel ipse Doctor in 1. distinct. 3. quæst. 2. §. secundò non asserendo, versic. secundò principaliter, à num. 8. vsque ad vndecimum.

ARTICVLVS IV.

Satis sit aliquibus obiectiõnibus.

Obiicitur primò Aristoteles 4. Metaphysicæ textu 2. asserens, Metaphysicam non esse vnã scientiam, quia sit vnus generis obiecti, sed quia omnia sunt ad vnum: sed si ens esset vniuocum ab ipso, posset habere Metaphysica suam vnitatem, & non per attributionem; sentit ergo ens non esse vniuocum, sed analogum. Idem 7. Metaphysicæ c. 14. & 15.

dicit quòd accidentia sunt entia, sicut Logici dicunt, non ens esse ens, & non simile esse simile; & sicut vas dicitur salubre, in omnibus istis exemplis non est uniuocatio eius quod dicitur de pluribus.

24.

Item Porphyrius cap. de specie, si quis omnia entia vocet, equiuocè, (inquit) nuncupabit. hæc obiicit Doctor in 1. distinct. 3. quæst. 3. §. contra istam uniuocationem. Ea tamen sic explicat verificul. ad aliud, num. 16. Ad aliud quod dicitur de quarto *Metaphysica* dico quòd Philosophus 10. *Metaphysica* concedit ordinem essentialem inter species eiusdem generis, quia ibi vult quod in quolibet genere est unum primum, quod est mensura aliorum: mensurata autem habent essentialem ordinem ad mensuram, & tamen non obstante attributione, quilibet concederet unum esse conceptum generis: alias genus non predicaretur in quid de pluribus differentibus specie; si enim genus non haberet conceptum alium à conceptibus specierum, nullus conceptus diceretur in quid de pluribus, sed tantum quilibet de se ipso, & tunc nihil predicaretur ut genus de specie, sed ut idem de eodem.

Consimiliter Philosophus dicit in 7. *Physicorum* quòd in genere latent equiuocationes, propter quas non potest fieri comparatio secundum genus. Non enim est equiuocatio, quantum ad Logicum, qui ponit diuersos conceptus, sed quantum ad realem Philosoph. est equiuocatio, quia non est ibi unitas natura. Ita igitur omnes authoritates que sunt in *Metaphysica*, & *Physica*, qua essent de hac materia, possent exponi propter diuersitatem realem illorum, in quibus est attributio; cum quæ tamen fiat unitas conceptus abstrahibilis ab eis, sicut patet in exemplo: concedo tamen quòd totum illud quod accidens est, attributionem essentialem habet ad substantiam, & tamen ab hoc, & ab illo potest conceptus unus communis abstrahi.

Ad illa qua dicuntur de 7. Metaphysica dico quòd littera ultimi §. de illa materia, soluit omnes authoritates Philosophi præhabitas, qua incipit, *Palam autem illud*, &c. ibi enim dicit Philosophus textu 16. quod primo & simpliciter definitio, & quod quid erat esse substantiarum est, & non solum, sed aliorum simpliciter est, non tamen primo. Et probatur hoc, ibi, quia ratio significans idem nomini est definitio, si illud cuius est ratio, est per se unum. Unum verò dicitur sicut & ens, & intellige per se ens; ens autem hoc quidem, hoc aliquid, aliud quantitatem, aliud qualitatem significat, quod verum est de ente per se, quia ens per se in §. lib. text. 28. & textu 24. diuisit in decem genera; igitur quodlibet illorum est unum per se, & ita ratio istorum est definitio, & hoc concludit ibi, quapropter erit hominis albi ratio & definitio. Alio verò modo albi & substantia, quia substantia per se & primo: albi simpliciter & per se, sed non primo: albi hominis secundum quid, & per accidens. Vnde & in illo capitulo tractat principaliter de tali ente per accidens, cuiusmodi est, *Homo albus*, quòd eius non sit definitio. Ens igitur, vel quid vel definitionem habere; quodcumque istorum simpliciter dicitur de accidente sicut de substantia: sed non equè primo, & non obstante ordine potest bene esse uniuocatio.

Ad Porphyrium, ipse allegat Aristot. discendo equiuocè, (inquit scilicet Arist. de quo ibi loquitur;) non inuenitur autem ubi hoc dixerit in *Logica*: in *Metaphysica* autem dicit hoc, sicut iam allegatum est & expositum. Si quis autem vellet pertractare authoritatem Porphyrii, quomodo ratio eius ex Arist. authoritate vallet, ad oppositum suum posset exponi, sed nolo immorari.

Secundò obiicit Doctor eundem Philosophum primo *Physic. sic*, Principium est contra *Parmenidem* & *Melissum*,

25.

Obiectio
secunda

iffum, quod ens multipliciter dicitur, & arguit, quod si omnia sint unum ens; ergo omnia sunt, vel hoc unum ens, vel illud: quod non sequeretur, si ens esset uniuocum, sicut non sequitur, Omnis homo est unus homo; ergo ille unus homo, vel ille unus homo.

Respo.

Respondet num. 18. Dico quod ad opin. illam Parmenidis, & Melissi, destruendam principium est accipere, quod ens dicitur multipliciter, non æquiuocè, sed multipliciter, hoc est, de multis ad inquirendum, de quo illorum intelligant: sicut si diceretur, omnia esse unum animal, contra eos esset distinguere animal, & querere: de quo animali intelligunt, aut omnia esse unum hominem, aut unum equum.

Cum dicitur quod argumentum Philosophi non valet contra eos, si ens esset uniuocum. Resp. quod consequentia ista (descendendo sub predicato stante confuse tantum) non tenet formaliter, sed est fallacia figura dictionis, & fallacia consequentis; tamen si ipsi intellexerunt, sicut Philosophus imponit eis, quod omnia sunt unum, non loquendo de uno confuse, sed de aliquo uno determinato: bene sequitur ad antecedens sic intellectum, quod omnia sint hoc unum, vel illud unum.

26.

Respo.

Instabis si Arist. cognouit entis uniuocationem in casu quo inuestigabat metaphysicè unitatem; cur non dixit scientiam esse vnam ab unitate obiecti, sed per attributionem obiectorum ad unum quod magis infert analogiam, quàm uniuocationem. Resp. eodem argumento posse probari, substantiam, aut Deum esse Metaphysicæ obiectum, quia ad hunc omnia ordinantur obiecta, quod sententia communis non admittit. Resp. ergo ens esse obiectum non solum prædicationis, quia de omnibus entibus formaliter prædicatur, sed etiam attributionis. Nam cum Metaphysica agat de rebus abstra-

Immut.

ctis, omnia ad ens quod est summum abstrahibile in Metaphysica ordinantur. Rursus optimè explicatur obiectum, à quo scientia integra sumit unitatem. Nam cum sit cuius gratia omnia in Metaphysica tractantur, hæc per attributionem ad ipsum optimè explicantur, vt de conclusionibus logicis diximus quæst. 4. difficultate 3. Tandem cum ens non habeat propriam definitionem, nequit esse obiectum formale quo, cuius definitio sumitur tanquam medium ad inferendam conclusionem, vt dicemus quæst. vltima, sed obiectum attributionis, ad quod omnia ordinantur, vt in proœmio Metaphys. dicemus.

Ratione etiam obiicitur primò, uniuocum æqualiter ab inferioribus participari: sed ens inæqualiter participatur à Deo & creaturis, vt constat; ergo. Responderetur hoc esse verum de tertio & perfectissimo gradu uniuocationis, seu de uniuoco specifico, non autem de merè uniuoco, & quod solum dicit unitatem rationis, aliàs neque genus uniuocum diceretur, quia inæqualiter ab inferioribus participatur.

Deus
obiicitur.
Primò.

Respon-
detur.

Secundò, quæ sunt immediatè sub extremis contradictoriis, nihil habent commune uniuocum; sed Deus & creaturæ sunt immediatè sub extremis contradictoriis, & totaliter, scilicet sub dependere, & non dependere, subesse à se, & ab alio; ergo in nullo uniuoco conueniunt. Confirmatur, omnis conceptus communis uniuocus, est neuter eorum, quibus est communis, & uniuocus: sed nullus est conceptus neuter respectu contradictoriorum, quandoquidem necessariò est alter eorum, quia inter contradictoria non datur medium; ergo Deo & creaturis, quæ sunt sub contradictoriis extremis, nihil est commune uniuo

27.
Obiectio
secundæ.

Occurritur.

vniuocum. Respondet Doctor in 1. distinct. 8. quaest. 3. §. *ad argumenta*, num. 11. concedendo Deum & creaturas esse sub extremis contradictoriis; negat tamen esse extrema contradictoria, quia ita certum est, extrema contradictoria in nullo vniuoco conuenire: sicut etiam est certum, quod ea quae sunt sub extremis contradictionis, in aliquo vniuocantur. Nam omnia per se diuidentia aliquod commune sunt talia quod de ipsis dicuntur extrema contradictionis, & tamen vniuocantur in ipso diuiso; aliàs homo & equus non vniuocaretur in animali, quia de vno praedicatur rationalitas, de alio verò irrationalitas.

Ad confirmationem respondet conceptum communem duobus modis esse neutrum, formaliter scilicet, seu praedictiuè. Primo modo conceptus entis non est formaliter conceptus creati, nec increati: si autem intelligatur, quod iste conceptus est ita neuter, quod neutrum contradictoriorum dicatur de eo, falsum est; ita est in rationali, & irrationali, quod conceptus animalis neuter est formaliter; & tamen illud quod concipitur, non est neutrum, sed verè est alterum istorum: alterum enim contradictoriorum dicitur de quolibet, & tamen non oportet, quemlibet conceptum esse formaliter alterum conceptum contradictorium.

28. Arguitur tertio.

Tertio arguitur ex S. Thoma sic. Quando effectus nõ adæquat virtutè causæ, nomen vtrique commune non dicitur vniuocè, sed analogicè de eis: sed creaturæ sunt effectus Dei, quæ non adæquant virtutem eius; ergo in nullo vniuoco conueniunt cum Deo. Quod sic explicat. Nam quando effectus non adæquat virtutem causæ, non recipit secundum eandem ratio-

nem similitudinem eius; ergo cum vniuocum sit, cuius nomen est commune, & eadem ratio significata in omnibus, creatura quæ est effectus in adæquatus Dei, non potest vniuocari cum ipso. Hæc autem ratio inefficax est, & probatur, quia causa æquiuoca vniuocatur cum effectibus, vt patet de sole & igne ab ipso causato, qui vniuocantur in substantia, & tamen effectus iste non adæquat virtutem causæ; ergo. Respondet Suarez. 2. Metaphys. disputat. 28. sect. 3. num. 6. istos effectus æquiuocos non vniuocari cum causa in his, in quibus dependent, sed in quibus non dependent, v.g. in ratione substantiæ: at cum creatura secundum totum suum esse dependeat à Deo vt causa, & præterea virtutem eius non adæquet, hinc fit vt in nullo vniuoco possint conuenire. Sed contrà est, quod nec creatura dependet à Deo quatenus ens vt sic, sed quatenus infinitum, & causatiuum cuiuscunque entis: sicut nec ignis dependet à sole, vt est substantia præcisè, sed quatenus habet potentiam vniuersalem causatiuam; ergo sicut sol & ignis in substantia conueniunt, non obstante inadæquatione effectus; ita Deus & creatura in ente, quamuis creatura non sit effectus adæquatus Dei.

Respondetur.

Confirmatur. Nam in sententia communi Thomistarum, actus & potentia, sub eodem genere qualitatibus collocantur, & tamen nullus actus adæquat totã virtutè suæ causæ; ergo.

Quarto Deus, & creatura, sunt primò diuersa; ergo in nullo vniuoco conueniunt. Resp. Deum & creaturam non esse primò diuersos in conceptibus, bene tamen in realitatibus, quia nulla datur realitas generica in qua conueniant, vt inferius magis explicabitur.

Obicitur quartò. Soluitur.

Quintò

Arguitur
quinto.

Solutur.

Quintò sequeretur Deum non esse simplicissimum. Probatum sequela. nam magis simplex esset conceptus entis, quam Dei, quandoquidem ab hoc posset abstrahi. Resp. conceptum entis esse simpliciozem quantum ad resolubilitatem, non verò quantum ad repugnantiam compositionis. Ratio prioris est, quòd ens non est resolubilis in plures conceptus; sed est ultimus conceptus rei: Deus autem resolui potest in conceptum entis infiniti, substantialis, &c. Quòd autem Deus simplicior sit quantum ad rationem compositionis, sic probò, quia ens saltem modaliter potest componere plura inferiora, quæ indifferenter respicit: Deus autem simplicissimus est, nullam dicens indifferentiam; sed omnia ob suam infinitam perfectionem sibi identificans.

Arguitur
secundo
Difficiliter.

Sextò sequeretur aliquid esse prius Deo: sed Deus est primam ens; ergo. Resp. concedendo aliquid esse prius Deo, prioritate à quo, & hanc negare non possumus. nam illud prius est à quo non valet subsistendi consequentia: sed non valet, est ens; ergo Deus. ergo entitas prior est in hoc sensu ipsa Deitate. Nec inde sequitur Deum non esse primam ens, quia hæc entitas non est alterius, sed Dei, in quo non est contradictio quòd prædicata propria suas prioritates obseruent.

30.
Arguitur
tercio.

Septimò ea quæ conueniunt in aliqua ratione, conueniunt etiam in definitione: sed substantia, & accidens vniuocè conueniunt in ente; ergo non accidens per substantiam. quòd docet Aristot. 3. Metaphys. cap. 1. sed vnica definitione ambo debent definiti. Resp. concedendo, accidens quatenus ens, non posse per substantiam definiti, quia eandem vniuocam rationem participant. Potest tamen

definiri quatenus tale ens, quia diuersas quidditates & naturas habent.

Octauò sequeretur ens posse explicitè poni in definitionibus suorum inferiorum, contra Aristotelem 8. Metaphys. textu 16. sequela patet ex eodem Aristot. 2. Topicorum cap. 2. docente licere in definitionibus omnia prædicata superiora, in quibus definitum vniuocè resoluitur, collocare. Resp. ibi Aristotelem loquutum fuisse de prædicatis genericis, aut specificis, non autem de merè vniuocis.

Arguitur
octauò.

Respon-
detur.

ARTICVLVS V.

Enodantur aliqua dubia.

ANtequam ab hac difficultate discedamus, nonnulla sese offerunt declaranda, quæ hanc difficultatem clariorem & faciliorem reddunt.

Dubitabis primò, *Qualiter vniuocatio entis à genere distinguatur.* Resp. Scotus vbi supra §. ad primum argumentum, num. 16. concedendo, quòd sicut genus contrahitur per aliquos conceptus dicentes quale sic ens; differunt tamen primò quòd ens contrahitur per modos intrinsecos, genus autem per differentias: differunt tamen modus & differentia, quòd modus est de conceptu perfecto rei modificatæ; differentia verò extrinsecum perfectum generis: vt bene notat Scotus num. 27. vers. *Respondeo.* Vnde animal seclusa quavis differentia contrahente perfectè cognoscitur, ibique quietatur intellectus; si tamen ens sine aliquo modo determinante cognoscamus, conceptus iste imperfectus erit, non quia ens in se dicat imperfectionem; sed quia modus ipsi accrescit aliquam perfectionem in qua quietatur intellectus. nam (vt bene notat Doctor) conceptus

31.
Dubium
primum.
Solutur.

communis rei, est conceptus imperfectus: conceptus autem particularis perfectus; unde cum conceptus generis sit iam determinatus, est perfectus, seclusa quavis differentia: conceptus autem entis, cum sit primus, & omnino indeterminatus, si secludas modum primum determinantem, imperfectus est. hæc doctrina est etiam S. Thomæ quæst. 1. de veritate art. 1. Distinguntur secundò quòd ens determinatur per finitum & infinitum, quod generi repugnat, quia nullum infinitum ponitur sub genere, ut dicemus quæst. 13. difficult. 2. art. 2. Tertio differunt quòd genus prædicatur de pluribus differentibus specie; ens tamen de pluribus differentibus genere.

32.

*Institia.
Remouetur.*

Dices, quare ergo substantia & quantitas non dicentur species entis? Resp. quia species constat genere & differentia, substantia verò & quantitas solum entitate & modo, ut dicemus in Metaphysica. legatur Doctor ubi supra.

*Dubitium
secundum.
Enodatur.*

Dubitabis secundò, vtrum ens abstrahens à Deo & creaturis, sit finitum, an infinitum? Resp. Scotus ubi supra, vers. & si dicas, num. 28. ens abstrahens à Deo & creaturis, neque esse finitum, nec infinitum positivè, sed indifferentes ad finitum, & infinitum; esse tamen finitum negativè, id est, non includens infinitatem. Probat, quia aliàs non esset commune, seu indifferentes finito, & infinito. nam si esset infinitum, non posset determinari finitate; si verò finitum, non posset determinari infinitate, aliàs constitutum esset finitum, & infinitum; ergo.

*Obiectio
prima.**Expeditur.*

Obiicies primò, finitum, & infinitum primariò determinare ens, ut docet Doctor; ergo ens debet esse sub aliquo istorum extremorum. Resp. ve-

rum esse de ente determinato, non verò de indeterminato. nam in illo priori, in quo est ens, nec debetur ipsi finitas positiva, vel infinitas, sed ad vtrumque extremum est indifferentes, sicut substantiæ & accidentis transcendentalis ratio, quæ ad infinitatem supponuntur: unde verum est dicere, entitas quæ est in Deo, nec est finita, nec infinita, non tamen entitas Dei, quia hæc iam connotat determinationem infinitatis, & Deitatis.

*Obiectio
secunda.*

Obiicies secundò, ens est indifferentes & determinabile per Deitatem; ergo ex entitate & Deitate potest fieri aliqua compositio saltim modalis. Responderi potest primò negando consequentiam, quia compositio non solum dicit potentiam, seu indifferentiam, sed etiam actum, non determinantem necessariò, & formaliter talem indifferentiam. Unde quamvis ens sit indifferentes ex se, Deitas autem est purus actus, identificans sibi infinita necessitate omnem conceptum, in Deo inclusum. quod videtur esse contra rationem veræ compositionis.

Concluditur.

Quidam neotericus non excusat concedere in Deo compositionem metaphysicam, quia, ut ait Vasquez tomo 2. in primam partem disput. 22. cap. 3. compositio rationis non arguit imperfectionem in obiecto, sed in actu nostro illam fingente. Sed hoc non est aliud quàm dicere posse chimericè fieri compositionem in Deo.

33.

Ego verò nego compositionem metaphysicam in Deo ex prædicatis quidditatiuis, & Deitate, seu ex rationibus attributalibus & ipsa essentia: puto tamen probabile ex entitate, & Deitate fieri modalem compositionem. Ratio prioris est, quòd nullus conceptus infinitus dicit indifferentiam, cum de ratione infiniti sit, identificare sibi omnem perfectionem, unde

ex

ex prædicatis essentialibus Dei, vt iam determinatis per infinitatem, nequit in Deo fieri compositio, quia ob suam summam perfectionem identificatur inter se: ens autem cum secundum illam præcisionem non sit infinitum, neque identificet sibi Deitatem, etiã si Deitas identificet sibi entitatem, non videtur inconueniens aliquam compositionem intrinsecam, & modalem realem, nõ rerum, sed quasi formalitã in Deo admittere, licet primus modus magis castè eneruet difficultatem.

35
Dubium
tertium.
Præcla-
ditur.

Dubitabis vltimò, vtrùm hæc vniuocatio sit realis, vel rationis? Resp. quòd si ens consideretur negatiuè, seu quatenus indifferens ad suos modos, dicitur vniuocum fundamentaliter, sicut animal genus; si verò vt vnum formaliter prædicabile de omnibus inferioribus, vt sic hæc vnitatis, seu vniuocatio est positia & per intellectum. In qua re eodem modo philosophandum est ac de aliis naturis vniuersalibus, de quibus diximus quæst. 6. quæ omnia in Metaphysica (Deo dante) fusiùs examinabimus.

QVÆSTIO XIII.

De Prædicamentis in communi & particulari prout attinent ad Logicum.

RX recentioribus qui logicas tradidere quæstiones, alij prædicamentorum disputationem (quasi in hoc omnes antiqui cum Philosopho sint reprehensibiles) à Dialectico reiecerunt instituto: alij ita ab eis recedunt, & prælixam prædicamentorum perhibent disputationem, vt videatur potius Metaphysicorum vsurpare munus, quàm materiam, seu rerum realium aliqualem cognitionem

exhibere Dialecticis, vt philosophica faciliùs valeant percipere principia. Cæterum cum compertum sit passim in physica de prædicamentibus entitatibus fieri mentionem, quæ si nobis sint ignota, obscurè satis & confusè physicas difficultates percipiemus, breuiter de prædicamentis in comùnè & particulari disputabimus, exactam discussionè in Metaphysicã reiciètes.

DIFFICULTAS I.

De authore & quidditate prædicamenti.

ARTICVLVS I.

De authore prædicamentorum.

IAmblicus, (vt refert Boëtius) dubitat quis fuerit prædicamentorum author? cui aliqui non defuere sequaces, forsã, vt bene notant Patres Conimbricenses in proœmio prædicamentorum, quia similia ab alijs authoribus, eiusdem ætatis opera confecta extiterunt, inter quos refertur primus Architas Tarentinus, qui ens in decem classes distribuit, in cuius rei testimonium testatur Mirandulanus lib. 4. de examine veritatis, eius opus lingua Dorica scriptum adhuc inueniri. idem fecerunt quidam alij Aristotelis discipuli, Theophrastus scilicet, Eudemus, Phœnia, & Eurissus.

Prædicamentorum
author
quis.

Communis tamen consensus Peripatheticorum indubitãter authorem prædicamentorum prædicat Aristotelem Philosophorum principem, natione Macedonium, patria Stagyrites, Nicomachi Medici filium, ante partum Virginis, tercentos & octoginta annos natum: quamuis Bellarminus triginta eũ annos faciat recentiorem. Probat autem optima ratione Boëtius in hoc loco commune hoc assertum, triplici congruentissima ratione.

I.

Primò, quia idem Aristot. in cæteris operibus huius libri facit mentionem. Secundò, quia ipsius operis grauitas, styli breuitas, & subtilitas ipsum Philosophiæ principem prædicant authorem. Tertid, quoniam aliter diminutè processisset, si de syllogismis tractaturus, de propositionibus, quæ sunt proxima materia, & de prædicamentis, quæ sunt remota & proxima propositionum, non disputaret.

ARTICVLVS II.

Quid sit prædicamentum, seu categoria.

2. **L**iber iste prædicamentorum sic *Prædicamentum quid.* inscribitur, sunt categoria Aristotelis, tracto nomine à *κατηγορία*, quod est *prædico*, seu *enuntio*. Est ergo prædicamentum, seu categoria, ex communi & receptissima omnium definitione, *alicuius generis summi realis, & eorum qua sub ipso sunt, naturalis dispositio*, vt constat ex Porphyrio cap. de specie, & Aristotele 1. Posteriorum cap. 18. quod satis liquet in generalissimo genere substantiæ, quæ ita communis est, vt nullam supra se contineat substantiam: plures tamen sub se minus communes, & sic subordinatas, vt vna sub alia constituatur, & superior contineat inferiorem: hæc autem superiorem includat ad ultimam vsque determinationem per singularitatem, qua iam vltimò euacuatur, & quasi determinatur tota communitas naturæ, & efficitur aliis inferioribus omnino incommunicabilis. v.g. substantia in communi est genus generalissimum, cui proximè subest corporea, & incorporea: corporea autem, corruptibilis & incorruptibilis; corruptibili, animata & inani-

mata; animata, sensibilis & insensibilis: viuenti autem sensibili, animal rationale, & irrationale: animali autem rationali, Petrus, & Franciscus, quibus alia non subiacent, sed sunt complementum prædicamentalis ordinis. Ita tamen superius respicit inferiora, vt ipsa solum potestatiuè & tanquam partes subiectiuas materiales contineat. Inferiora tamen si quodlibet superius respiciunt, vt ipsum intrinsecè & essentialiter tanquam partem constitutiua includant. patet in substantia corporea, vbi corporeitas est quædam differentia determinans substantiam in communi ad rationem corpoream, & distinguens ab incorporea; sicque genus intermedium, seu speciem subalternam componit, vt vtrumque prædicatum intrinsecè includat. Idem est de homine respectu totius prædicamenti, qui continet substantiam corpoream, viuentem, sensibilem, rationalem, eo solum quod constat tanquam genere proximo animalitate, quæ est viuens, sensibilis, corporea & substantialis, vt in præsentī clariùs patet.

Sed petes primò, quare in solo prædicamento substantiæ ponitur hæc figura. Resp. non quia in aliis non sint genera & species; sed quia sunt difficiliora cognita substantia. 3. Insuper. Prima.

Petes secundò, quare diuisio fiat in solas duas differentias. Resp. ita videtur supponere Porphyrius in hac diuisione, vbi solum duas differentias diuisiuas proposuit. Fundamentum esse potest, quod priuatiuè opposita circa illud cui nata sunt inesse, sunt semper immediata, & istæ diuisiones, vt patet inductione, fiunt per opposita priuatiuè: si tamen diuisio ista esset in membra positiua, deberet esse multimembris. nam animal non solum Secunda.

solum diuiditur in rationale & irrationale, sed sub irrationali plures species continentur, & ferè innumerabiles. v.g. equus, leo, aquila, cete, &c. Non tamen fit earum mentio, quia tot specierum connumeratio, obscuritatem potius, quàm notitiam generaret.

4.
Tertia.

Petes tertio, quate cum nomen Græcum *κατηγορία* primò impositum sit ad significandum prædicatum, seu prædicationem, iam pro ordine prædicamentali vsurpetur? Resp. quia supremum genus, & omnia alia inferiora se habent tanquam prædicatum respectu inferiorum: vnde meritò prædicamentum idem erit quod prædicatum superius, continens sub se alia inferiora prædicata subordinata, individualique ratione terminata. Ex quibus infert Capreolus in 1. dist. 8. quæst. 2. ad 10. argumentum, prædicamentum formaliter esse relationem ordinis inter superiora & inferiora prædicata. Qualiter autem inter formalitates possit esse relatio realis, dicemus in Metaphys. logicè tamen loquendo hic ordo est rationalis, seu prædicabilitatis & subiicitibilitatis, opere intellectus causatus.

Quarta.

Petes quarto, vtrum differentia priuatiuo modo explicata semper denotet aliquod positiuum? Resp. affirmatiuè sic, incorporeum significat spirituale, irrationale brutum, sub quibus plures aliæ species continentur.

5.
Quinta.

Petes quinto, vtrum species perfectiores sint plures. Resp. videtur omnium imperfectiores esse plures, quia cum sint magis corruptibiles, intendunt efficacius suam multiplicacionem; hoc tamen non est omnino certum, quia plura sunt viuentia, quàm non viuentia, specie distincta, ob multitudinem plantarum: nisi dicas, stellas omnes specie differre; tamen

huic rationi poterit obiiicere Thomista, & vnum falsum alio confundere, omnes Angelos etiam specie differre.

Sexta.

Petes sexto, vtrum de ratione generis generalissimi sit plures sub se continere species: Respondet Doctor in 1. distinct. 8. quæst. 3. num. 19. de ratione generis generalissimi, non esse continere plures species: sed nullum supra se habere genus. ponit exèplum in prædicamèto Quando, quod paucas, vel nullas sub se continet species.

Septima.

Petes septimò, vtrum omnes species specialissimæ æqualiter distent à genere? Resp. concedendo æqualiter distare à genere infimo, non tamen à supremo, quia plura prædicata continet homo, quæ non continet Angelus, nempe corporeitatem, & animalitatem.

Octaua.

Petes octauò, vtrum corporeum & incorporeum conueniat accidētibus? Resp. rigorosè loquendo, corporeum solum competere substantiæ, corporeale verò accidenti, quod est prædicatum transcendens per nouem prædicamenta accidentium: sicut incorporeum positum in prædicamento non dicitur de Deo, qui excluditur à prædicamentali linea; bene tamen aliud transcendens, quod omnes substantiæ spirituales vniuocè communicant.

6.

Nona.

Petes nonò, vtrum corpus positum in prædicamento substantiæ differat à corpore, quod est altera pars compositi: Noster Mayronus passu 4. resp. negatiuè. Primò, quia corpus quod est altera pars compositi, dicitur substantia corporea. Secundò duæ perfectiones substantiales, eiusdem rationis nequeunt eidem supposito conuenire; ergo substantia corporea, quæ est altera pars compositi, nò distinguitur ab ea quæ ponitur directè in prædicamento. Tertio duo corpora non pos-

sunt esse in eodem loco simul; ergo. Quartò, tria dimensio est passio vtriusque corporis, & sic homo bis eadem mensura mensuraretur. Quintò discedente anima solùm manet corpus, quod est altera pars compositi, & tamen dicitur substantia corporea; ergo hæc sola antea erat corporeitatis prædicatum in prædicamento positum. Quibus non obstantibus verior sententia est, corporeitatem prædicamentalem, seu Metaphysicam distingui à corpore physico. Fundamentum est quòd corpus physicum est altera pars compositi; ergo solùm incompletam corporeitatem poterit composito communicare: sed corpus metaphysicum est quid completum resultans ex compositione vtriusque partis, sicut cætera prædicata superiora; ergo saltim formaliter à corpore physico distinguitur, de quibus dicemus in primo libro de generatione, agentes de forma corporeitatis, vbi probabimus, quòd licet eadem forma corporeitatis, quæ erat ingenito viuenti, sola maneat incorrupta, hoc tamen non ponitur directè in prædicamento, sicut nec antea ratione sui ponebatur.

Argumenta Mayroni solùm probant alteram partem compositi esse corpoream, non tamen verè corpus. Vnde cum sint diuersæ rationis, non implicat quòd eidem rei conueniant: nec verum est trinam dimensionem corpori metaphysico conuenire, cum non sit quantum formaliter, quia quantitas ex dicendis in primo de generatione subiectatur in toto composito, ex materia & forma corporeitatis: vnde nec erunt duo corpora in eodem loco quæ faciant distare latera continentis, quod requiritur vt duo corpora non possint esse in eodem loco.

Petes decimò, vtrùm rationale sit vltima hominis differentia? Resp. affirmatiuè, quia hæc debet esse perfectissima in illo genere: in homine autem nihil est perfectius rationalitate.

Petes vndecimò, vtrùm homo conueniat cum Angelis in rationalitate prædicamentali? Resp. negatiuè; conuenit tamen cum eis in quadam rationalitate transcendentali. Ratio est conspicua, nam specifica hominis rationalitas denotat rationalitatem animatam, quæ non competit Angelis, cum non sint compositi physice, sicut homo.

Obiicies Porphyrium posuisse mortalitatem differentiam hominis. Resp. Mayronus hunc fuisse errorem Porphyrij; sed excusari potest, nam forsitan per hanc explicare conabatur differentiam inter Angelum, & hominem, non essentialiter, sed connotatiuè, nam homo per rationalitatem non excusatur à morte, Angelus autem immortalis dicitur, & incorruptibilis.

Petes duodecimò, vtrùm differentia individualis sit perfectior specifica. Ratio dubitandi est, quòd omnes differentie inferiores excedunt perfectione superiores. Resp. hoc esse verum de differentiis essentialibus, quæ dant esse simpliciter, non verò de individualibus, quæ non dant esse essentialia. nam tota perfectio intrinseca individui à prædicatis essentialibus mendicatur, de quibus nonnulla diximus q. 8. difficult. 2. art. v. nico.

ARTICVLVS III.

Ad quam scientiam pertineat agere de prædicamentis.

PRædicamentum trifariam considerare possumus. Primò vt constituitur

Decimo.

Vndecima.

Obiectio. Solutio.

Duodecima.

Instituta.

8.

Prædicamenti triplex sumptio.

taur abstractis entitatibus; dicemus enim in Metaphys. & supposuimus quæst. 6. difficult. 1. art. 1. naturas superiores indifferentes respicere quallibet rationes contrahentes, & determinantes. Secundò quatenus est subiectum accidentium, & de ipso verificantur accidentia, aliæque passiones corruptibiles. Tertio pro vt subiacet enuntiationibus, & prædicationibus intellectualibus.

Dicendum ergo est, prædicamentum in prima acceptione artinere ad Metaphysicum, cuius muneris est naturas abstractas contemplari; in secunda verò acceptione ad physicum spectare, qui de corpore pro vt est subiectum generationis, & corruptionis, disputat. In tertia tandem acceptione, ad Dialecticum pertinere, vt docet Doctor quæst. 2. prædicamentali, quia Dialectici est coordinare naturas superiores & inferiores, vt possint prædicationibus subiacere. Vnde manifestè inferitur Dialecticum non eò tendere, vt absolutè quidditates, & proprietates prædicamentorum contemplantur, quia in hoc sensu satis probabiliter aliqui affirmant nullam determinatam scientiam per se agere de prædicamentis, sed vt cognoscat ordinem, & connexionem prædicati superioris & inferioris, vt bene possit vnum de alio enuntiare: vnde manauit vulgatissimum illud adagium, Logicum agere de primis intentionibus per accidens, de secundis verò per se. Secundò inferitur, obiectum formale huius libri secundùm quòd tractatur à Logico, non esse prædicamentum, secundùm esse reale, sed quatenus informatur secunda intentione, qua istæ naturæ superiores, & inferiores denominantur, poterunt tamen naturæ prædicamentales obiecta materialia nuncupari.

ARTICVLVS IV.

De regulis prædicatorum essentialium.

Quoniam prædicamentum logicum ex art. præcedenti est dispositio prædicatorum, secundùm quod possunt prædicationi subiacere, breuiter aliquas condiciones proponemus, quæ ex mente Philosophi ad prædicationem requiruntur.

Circa quod notandum est cum Philosopho cap. 2. de complexis & incomplexis, quòd ea quæ dicuntur, vel prædicantur de aliquo, quædam dicuntur de subiecto (intellige prædicationis;) & tamen nequeunt esse in subiecto (intellige inhæisionis:) vt animal rationale enuntiat de homine tanquam de subiecto, de quo prædicatur; non inhæret tamen alicui subiecto, nec informat, quia substantiæ repugnat inhærerere, & substantiæ completæ informare. Quædam econtra sunt in subiecto (intellige inhæisionis,) sed de ipso non prædicantur, v. g. Hæc albedo est in papyro; erit tamen falsa prædicatio, si dicamus, Papyrus est hæc albedo. Quædam nec sunt in subiecto inhæisionis, aut prædicationis, nec de ipso prædicantur: vt, hic homo, vel Petrus, nec est in subiecto, nec de aliquo prædicatur, nisi solùm identicè de se ipso, dum dicimus, *Petrus est Petrus*. Tandem alia, & sunt in subiecto inhæisionis, & prædicationis, & de ipso prædicantur. Sic omnia accidentia communia quæ inhærent suis subiectis, & de ipsis dicuntur; quare prædicamus albedinem de pariete, nigredinem de coruo, cum dicimus, *Parietis est albus, coruus est niger*. Quibus suppositis aliquas regulas in prædicatione formali obseruandas oportet proponamus.

9.
Notandum.

IO. Prima regula desumitur ex Arist. cap. 3. prædicamentorum, *Quando alterum prædicatur de altero, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto.* v. g. animal prædicatur de homine; ergo etiam viues sensibile, & substantia, quæ prædicantur de animali. quæ prædicatio, seu consequutio vulgò dicitur de primo ad vltimum.

Obiectio. Sed obiicit Doctor quæst. 9. prædicamentali, aliqua prædicari de prædicato, quæ repugnant dici de subiecto. v. g. genus generalissimum dicitur de substantia, non tamen de animali, & prædicatum dicitur formaliter de prædicato, nequit tamen dici de subiecto secundum quod subiectum est.

Soluitur. Resp. hanc regulam esse veram de rebus in suppositione personali consideratis, seu secundum intrinsecam rei naturam, non verò de eisdem in suppositione simplici, seu quatenus subiacent alicui denominationi, quæ ipsis reduplicatiuè conueniat, de quibus satis diximus quæst. 1. Summularum, difficultate 3. articulo 1. Vnde hæc regula vera est de prædicatis essentialibus, non variato modo prædicandi.

Instiãtia. Instabis ex animalitate non magis inferri hominem quàm brutum; ergo ex animalitate non debemus inferre hominem esse sensibilem. Regula ergo non est firma. Resp. verum esse à superiori ad inferius affirmatiuè non rectè argui, quia superius indifferenter respicit inferiora; tamen in casu nostro non accipitur superius abstractiue, & indifferenter, sed concretiue, & quatenus includitur in inferiori, & vt sic cum huic communicet suam entitatem, ita & omnia quæ ipsi personaliter conueniunt. Illatio ergo ista est optima, *Est homo; ergo animal. Homo est animal; ergo sensibile & vegetabile.* quæ omnia intrinsecè includun-

tur in animali, & ratione huius in homine.

Secunda regula desumitur ex eodem Philosopho cap. 4. *Eorum generum, quorum unum non ponitur sub altero, diuersa sunt essentialia differentia.* v. g. animal & scientia quæ diuersorum sunt generum, scilicet substantiæ, & qualitatibus, diuersis differentiis contrahuntur, & determinantur: quod etiam verum est in generibus oppositis, eiusdem prædicamenti, v. g. substantia corporea & incorporea utraque generi generalissimo substantiæ subternitur, & sic oppositis differentiis contrahuntur, nempe corporea ad esse animalis per sensibilitatem, incorporea ad esse Angeli per intellectualitatem. quod ita intelligendum est, non quod hoc peculiariter competat generibus non subalternatis, quia etiam subalternæ contrahuntur oppositis differentiis, v. g. animalitate & irrationalitate: sed non subalterna genera hoc particulariter dicuntur habere, quia in nulla differentia communi valent conuenire. nam corporeum, & incorporeum, solum conueniunt in substantia: substantia autem non constituitur aliqua differentia, sed modo perfectitatis, & ita in nulla differentia communi conueniunt: propterea subdit, *Subalternatorum generum nihil prohibet easdem esse differentias.* Ratio est, quia prædicata superiora de suis inferioribus prædicantur, & hæc in ipsis conueniunt. verbi gratia, animal substantia sensibilis & insensibilis conueniunt in ratione corporea,

quæ est differentia

substantiæ.

* * *

ARTICVLVS V.

De numero predicamentorum.

12. **N**on modica fuit inter veteres
Dialecticos controuersia circa
praedicamentorum numerum, ut nos
in Metaphysica ex professo examina-
mus. Nunc tamen breuiter, cum Phi-
losopho cap. 4. quem omnes Peripa-
theticici sequuntur, affirmamus nume-
rum esse denarium, ita Doctor q. 11.
praedicamentali, & in 4. distinct. 13.
quaest. 1. § *si ergo*, num. 9. ubi docet esse
sententiam Auicennae & antiquorum
Philosophorum, & in 1. distinct. 8.
quaest. 3. num. 18. & quaest. 11. praedi-
cament. 5. ad quaestionem, quod se-
quentibus verbis explicat Philoso-
phus. *Eorum quae nulla complexione di-
cuntur, singula aut substantiam signifi-
cant, aut quantitatem, aut qualitatem,
aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut
suum esse, aut habere, aut agere, aut pati.
Est autem substantia quidem, ut in sum-
ma dicamus, velut homo, equus: Quanti-
tas autem, ut bicubitum, tricubitum. Qua-
litatis, ut album, Grammaticum: ad ali-
quid, ut duplum, dimidium, manus, &c.
Vbi verò in foro, in byco: Quando au-
tem, ut heri, superiori anno. Suum verò
esse, ut iacet, sedet. Habere autem, ut cal-
ceatum esse, armatum esse. Agere verò, ut
secare, urere: Pati, ut secari, uri.*

13. Maior difficultas est, utrum dena-
rius iste praedicamentorum numerus,
efficaci ratione possit ostendi. Suarez
in Metaphysica disp. 39. sect. 2. n. 17.
affirmat hoc non posse demonstrari.
quod sic explicat. nam sicut de subie-
cto scientiae nequit demonstrari, an
sit: sed hoc supponitur ad scientiam,
ita supponit Metaphysica decem
esse genera entium, quod demonstra-
re non valet. Et probari potest primò,
quia vniuersè quoties diuisio nequit

reduci ad duo membra contradicto-
riè opposita. (nam tunc necesse est sub
alterutro membrorum omnia conti-
neri.) est impossibile demonstratu, tot
esse membra diuidentia, & non plura:
sed ista praedicamenta non diuident
ens per contradictorias differentias;
ergo. Confirmari potest primò ex
Philosopho, qui nullibi hoc demon-
strare conatus est. Secundò ex Docto-
re in 4. dist. 13. quaest. 1. § *si ergo*, num. 9.
ubi solùm propter auctoritatem Auicennae 3. Metaphysicae, fatetur decem
esse genera entium, & q. 11. praedi-
camentali. § *ad quaestionem*, docet non
esse logici muneris demonstrare nume-
rum praedicamentorum: sed debet
supponere, quòd si demonstrabile sit,
ad Metaphysicum attinet. Notat ta-
men Doctor ibidem, hanc diuisionem
non esse generum formaliter, seu se-
cundè intentionaliter, quia ex dictis
q. 8. haec intentiones solùm numero
distinguuntur; sermo ergo est de na-
turis quae praedicationi, & denomina-
tioni subiacent generis. Vnde mani-
festè infertur de his praedicamentis
solùm materialiter & de per accidens
Logicum disputare.

A posteriori tamen colligi potest
numerus determinatus praedicamen-
torum ex diuersis modis efficiendi
subiectum, cum tamen propter praedi-
camentura substantiae (quod omnes
fatentur esse vnum) nouem sint mo-
di efficiendi subiectum, decem con-
sequenter erunt praedicamenta. No-
uem autem esse modos efficiendi
subiectum, optimè probat discursus
Philosophi in principio articuli pro-
positus.

Peres, utrum ens immediatè diui-
datur in decem praedicamenta? Resp. solutio.
negatiuè, immediatè enim diuidi-
tur in substantiam transcendentem,
& accidens. docuit Doctor in 1.

Predica-
mentis
quasi.

distinct. 8. quæst. 3. §. *ad argumenta*, num. 25. hoc vniuocè dicitur de nouem prædicamentis accidentium, estque quoddam prædicatum vniuocum transcendens per ea. Nam omnia conueniunt in ratione accidentali, condistincta à substantia: substantia autem vt sic transcendentalis etiam est conueniens substantiæ finitæ, & infinitæ, de vtraque enim vniuocè prædicatur. Quomodo autem ens, substantia, & accidens in communi, vniuocè possint dici definito & infinito, de rebusque diuersorum prædicamentorum, dicemus in Metaphysica, quæstione de vniuocatione entis.

DIFFICULTAS II.

Quæ res ponantur & excludantur à prædicamento.

ARTICVLVS I.

Ponantur ne res in prædicamento sub nominibus abstractis, an concretis.

15. **L**oquendo de abstractis, v. g. à supposito, & singularitate, de quibus satis diximus quæstione 6. difficultate 8. artic. 1. & 2. communis est consensus, sola concreta constituere prædicamentum. Ratio est conspicua. Nam in prædicamento solum ponuntur naturæ genericæ, & specificæ, ac per consequens de inferioribus prædicabiles: sed abstracta non prædicantur de inferioribus, imò ab ipsis præscindunt, vt diximus q. 7. difficult. 8. artic. 2. ergo abstracta non collocantur in prædicamento, quod satis apertè indicauit Porphyrius, qui non animalitatem, & humanitatem abstractiue, sed hominem & animal

concretiue in prædicamento subscripsit.

Maiores est difficultas de abstractis à subiecto, seu accidentalibus, an concretiue, vel abstractiue ponantur in prædicamento. Nymphus 5. Metaphysicæ, quæstione 3. & 7. Toletus quæstione 2. antepædicamentali, quos alij sequuntur, affirmant accidentia poni concretiue in prædicamento.

Verior tamen est opposita sententia, quam sequitur Doctor quæst. 11. prædicamentali, D. Thom opusculo 41. de ente & essentia cap. 7. ibidem Cætanus, Conimbricenses quæstione 2. prædicamentali artic. 1. Est communis sententia, quam aliqui probant primò ex Aristotele 1. Topicor. cap. 1. loco 3. & 4. vbi ait iustitiam esse in genere, non verò iustum; sed genus idem est quod prædicamentum, & iustitia abstrahit à subiecto; ergo. Ex mente Philosophi non concreta, sed abstracta accidentalia in prædicamento collocantur. Confirmari potest ex eodem Philosopho, qui cum enumerasset species quantitatis, & qualitatis, abstractino nomine, & non concretiuo vsus est, dum refert lineam & corpus species quantitatis: scientiam & ægritudinem, species qualitatis; non verò dicit ægrotum, seu scientem.

Ratione etiam alij probant, quia entia per accidens excluduntur à prædicamento: sed concreta sunt entia per accidens, cum ex rebus diuersorum prædicamentorum coalescant; ergo. Sed hoc argumentum inefficax est, quia ex quæstione 6. difficultate 4. artic. 1. & 2. concretum non est ens per accidens, quia licet duas importet naturas, vnam tamen in recto, nempe formam, aliámque in obliquo, nempe materiam.

Difficultas.

Enodatur.

16.

Communis placitum.

riam. Efficacius ergo probari potest hac ratione, quia in prædicamentis ea solum constituuntur, quæ possunt genera & species denominari, seu ipsis subiacere: at concreto repugnant tales denominationes; ergo. Maior est certa ex dictis supra. Probatur minor, quia ea solum possunt genera, & species denominari, quæ significant naturam per se stantem, & non alteri adiacentem, aliàs non haberent subiectum essentialiter prædicationis, sed accidentalem, cum contingant substantiis; ergo non in concreto, ut connotant substantiam, sed in abstracto, & quatenus respiciunt sua inferiora, essentialiter ponuntur in prædicamento.

Obiectio prima.
Obiicies primò Aristotelem in hoc capite proposuisse accidentia in concreto; ergo. Resp. verum esse secundum translationem Boëtij, tamen secundum translationem Argyropoli enumerantur in abstracto. Et ne quæ sit verior traductio nunc exquiratur, resp. in his & aliis locis, videlicet 1. Topicorum cap. 7. & lib. 4. cap. 1. loco 4. loquutum fuisse de accidentibus, quatenus afficiunt substantiam, & sic non mirum, si nominibus concretis, & non abstractis utatur.

Obiectio secunda.
Secundò à prædicamento reiiciuntur entia incompleta: sed accidens in abstracto est pars concreti; ergo quid incompletum, & à prædicamento reiiciendum. Resp. accidentia in abstracto esse entitates còpletas, habent enim sua essentialia prædicata, sine alterius rei compositione: negari tamen nequit ob suam imperfectionem semper dependere à subiecto tanquam à conseruante, & sustentante: quod non arguit incompletionem essentialem, ob quam debeant excludi à prædicamento, sed imperfectionem in natura.

Obiectio tertia.
Tertidò diuersitas prædicamentorum ex diuerso modo afficien-

di subiectum inferitur: sed non afficiunt in abstracto subiectum, sed in concreto; ergo ut sic ponuntur in prædicamento. Resp. concedendo maiorem; negamus tamen inde inferri poni in prædicamento, quatenus dicunt talem ordinem. Vnde distinguenda est minor, nõ afficiunt in abstracto actualiter concedo, aptitudinaliter nego. Ratio est, quia à posteriori optimè colligimus diuersitatem accidentium ex diuerso modo afficiendi subiectum cui insunt; tamen cum essentia accidentis non sit in esse, nec ut sic de eius inferioribus prædicetur, hinc fit quòd abstractè in prædicamento collocentur. Confirmatur. nam prædicata superiora de suis inferioribus in recta linea prædicantur, sed non prædicantur de subiecto. Nam optimè dicimus, Albedo est qualitas, non tamen homo est qualitas; ergo.

Soluitur.

ARTICVLVS II.

Vtrum ens simpliciter infinitum ponatur in prædicamento.

NEgat Doctor in 1. dist. 8. q. 3. & consequenter Deum Opt. Max. 5. *tenet opinionem*, num. 16. excludit à prædicamento. Ratio est conspicua. Nam ea ponuntur in prædicamento, quæ possunt contrahi & determinari per differentias; ergo debent esse naturæ, quæ dicant potentialitatem, ut contrahantur per differentias: sed naturæ infinitæ & simplici obuersatur potentialitas; ergo. Maior patet ex dispositione prædicamentali. Minor etiam est certa, quia infinitum est, cui nulla deest perfectio, sed ens in potentia ulterius potest perfici per actum, ut genus per differentias. Nam homo perfectior est animalitate, aliàs homo & equus esset eiusdem

17.

eiusdem perfectionis, si non haberent aliam perfectionem nisi generis; ergo entitates simpliciter infinitæ excludi debent à prædicamento.

Quæ conclusio non est intelligenda de infinitis secundum quid, ut notat Doctor ibidem: unde si daretur linea infinita, in prædicamento poneretur, quia ex propria entitate & natura finita & limitata esset, utpote quid creatum dependens & perfectibile. Idem iudicium est de anima rationali & Angelis, quæ sunt infinitæ durationis à parte post, & nihilominus ad prædicamentum spectant, de quibus in Metaphysica longam proponemus quæstionem; interim, si placuerit, legite Doctorem vbi supra.

ARTICVLVS III.

Virum naturæ æquiuoca & analogæ ponantur in prædicamento.

Responderetur negatiuè. Ratio est manifesta, quia in prædicamento solum ponuntur naturæ superiores & inferiores, secundum quod prædicabiles, & subiicibiles sunt: sed à naturis æquiuocis, & analogis nequit abstrahi aliqua natura superior, quæ essentialiter & quidditatiuè de ipsis prædicetur; ergo. Probatür minor, quia analogæ, & æquiuocæ quatenus talia non conueniunt in substantia significata per nomen, aliàs ab vniuocis non distinguerentur; ergo.

ARTICVLVS IV.

Virum nomina complexa, quæ vnã tantum rem significant, ponantur in prædicamento.

13. **C**ertum est nomina complexa significatiua plura excludi à prædi-

cameto, docuit Arist. c. 4. & sic ostenditur, quia plura ut plura nec sunt genus, nec species, nam vniuersale, ut patet ex q. 6. vnum in multis est, & vnum prædicabile de ipsis: sed in prædicamento solum collocantur naturæ, quæ possunt formaliter prædicari; ergo complexa quæ plura significant, sunt à prædicamento reiicienda.

De complexis ergo quæ vnã tantum rem significant, v. g. animal rationale, quæ significant hominem, est difficultas, vtrum sub hac ratione possint attingere ad prædicamentum. Respon. affirmatiuè cum communiore sententia, & probatur efficaciter, quia vbiunque ponitur definitum, loco eius licet ponere eius quidditatiuam definitionem, nam definitio, & definitum idem omnino important; sed in prædicamento ponitur homo, v. g. ergo licebit etiam ponere animal rationale.

Obiiciunt aliqui, negatiuam sustinentes partem, primò Aristotelem cap. 4. vbi hæc habet, *Eorum quæ nulla complexione dicuntur, vnumquodque, aut substantiam significat*, &c. ergo omnia complexa reiiciuntur à prædicamento. Resp. Aristotelem reiicere complexa secundum rem, non verò secundum nomen. Ratio est, quia in prædicamentis non nomina, sed res collocantur. Cum autem hoc complexum animal rationale possit de suis inferioribus specificè prædicari, cum dicimus, *Petrus est animal rationale*, &c. non est cur à recta linea prædicamentali reiiciatur.

Obiiciunt secundò, in recta linea solum constitui genera, & species: sed ista complexa secundum nomen, nec sunt genera, nec species; ergo. Resp. negando minorem. Nam definitio, & definitum sunt idem: unde si definitum potest

Difficultas.

Enodatur.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio secundum.

Remouetur.

potest denominari genus, & species, etiam definitio. quod satis ostendit hæc prædicatio, *Petrus est animal rationale*, quam esse speciei de indiuiduis negari non potest.

ARTICVLVS V.

Idem entia partialia ponantur in prædicamento.

19. **E**Ntia partialia, seu partes componentes, quædam sunt physica, & hæc substantiam corpoream, seu compositum physicam mediâte vniõne componunt: quædam Metaph. ex quibus totum metaphysicum coalescit, vt genus, & differentia. Item ex partibus quæ non per modum actus, & potentia, sed per continuationem sunt in toto, v.g. partes continui, quædam sunt eiusdem rationis, dicunturque homogeneæ, sic sunt omnes partes quantitatis componentes continuum: quædam sunt diuersæ rationis, etsi non continuentur in composito. sic in corpore, v.g. manus, pes & caput, partes heterogeneæ nuncupantur, quia omnes dissimiles sunt, & distincta forma, & figura in-formatur.

Secundò notandum est, tripliciter posse aliquid in prædicamento collocari, directè scilicet, seu in recta linea, & ad latus, seu reductiuè. Primo modo genera & species ponuntur in prædicamento. Secundo modo differentia, seu passiones, quæ reducuntur ad speciem à qua pullulant, & cum qua identificantur.

Dico primò, certum est genera subalterna, & infima, quæ sunt partes actuales speciei subalternæ, poni directè in prædicamento. Probat, quia in inferioribus continentur, & hæc tanquam partes subiectiuas respi-

ciunt, de ipsisque prædicantur: sed hoc solum requirit recta linea prædicamentalis; ergo.

Dico secundò, differentia metaphysica per se attinent ad prædicamentum, tamen non in recta linea, sed ad latus collocantur. Ratio est conspicua. nam ea solam ponuntur directè in prædicamento, quæ possunt formaliter de inferioribus prædicari: sed differentia vltimæ non continent formaliter genera, nec aliquid superioris, vt examinamus latius in Metaphys. & nonnulla diximus quæst. 9. difficult. 1. art. 5. aliàs daretur processus in infinitum. Nam vltimæ differentia deberent si non essent simplices, aliis determinari, & istæ aliis. Et rursus, genus bis poneretur in specie, semel ratione sui, & iterum ratione differentia. quod est absurdum; non ergo differentias debemus constituere in recta linea, sed ad latus, seu ratione speciei quam constituunt.

Obiicit Ammonius cap. de substantia, non esse sufficiens fundamentum, vt differentias à recta linea excludamus. nam vel excluduntur, quia simplices, vel quia incompletæ. Non primò, quia solæ simplices entitates ex art. 4. ponuntur in prædicamento, non quia incompletæ. nam genus est incompleta pars speciei; ergo. Resp. eo solum reiici quod non continentur formaliter in inferioribus, & ideo de ipsis nequeunt prædicari, ac per consequens nec habere rationem generis, aut speciei; quo fundamento etiam probatur, nec passiones proprias in recta linea collocari.

Dico tertio, partes physica (idè est de heterogeneis, seu diuersæ rationis) non pertinent per se ad prædicamentum Aristotelis; reducuntur tamen ad ipsum, quatenus sunt partes entis completi physici,

E c ; quod

21.
Assertum
secundum.

Obiectio.

Ocluditur.

22.
Assertum
tertium.

20.
Assertum
primum.

quod per se in prædicamento collocatur. docet Doctor quæst. 15. prædicamentali §. *ad questionem*, cum D. Thoma 1. part. quæst. 25. art. 4. Quam veritatem ex eo probare possemus, quòd ex dicendis in 1. libro de generatione totum compositum ex materia & forma corporeitatis non ponitur directè in prædicamento; ergo neque eius partes heterogeneæ. Sed alia ratione in vtraque schola certiori, hanc veritatem sic probamus, quia id solum ponitur directè in prædicamento, quod potest esse subiectum, vel prædicatum formalis prædicationis: sed ab istis partibus heterogeneis nequit abstrahi aliquod prædicatum metaphysicum completum, & prædicabile de illis, cum sint partes compositi, & non compositum ipsum; ergo. Probatum minor. nam in vtraque parte, v.g. materia & forma unitis, & actualiter causantibus, substantia prædicamentalis formaliter continetur; ergo si in qualibet parte corporis substantia prædicamentalis includeretur, iam non vno, sed multis modis compositum esset substantia completa diuersæ rationis, & sic committeretur nugatio. Diuersæ, inquam, rationis. nam si sint eiusdem rationis, non est inconueniens, vt dicemus dicto quarto: in partibus autem diuersæ rationis est absurdum; quia cum quælibet separata non ponatur eodem modo in prædicamento, ac in suo toto, nequeunt per se collocari in prædicamento. Patet. nam si separet manum ab homine, iam sensibilitati non subest; ergo in ipso homine solum quatenus pars & reductiuè in prædicamento collocatur. Vtràm autem corpus separatum, & eius partes ponantur sub substantia corporea, vel non, dicemus in primo de generatio-

ne, vbi examinabimus, an corpus separatum ab anima, sit substantia completa, vel incompleta.

Obiicies animam rationalem cæterâsque formas substantiales esse completam substantiam; ergo in prædicamento debent collocari. Respond. negando antecedens, vt docet Doctor in 2. dist. 1. quæst. 5. §. *dico*, num. 4. & ita nequeunt in prædicamento Aristotelis collocari: sunt tamen substantiæ incompletæ, ex quibus potest aliud simile prædicamentum efformari, sicut ex entibus rationis fecit noster Cardin. Sarnanus in fine Logicæ Doctoris. fauet Doctor q. 15. citata, vbi asserit substantiam de completa, & incompleta, non dici vniuocè, sed analogicè: vnde substantia incompleta non est formaliter substantia, sed analogicè, seu per attributionem ad completam.

Dico quartò contra Ruumum cap. 4. de incomplexis quæst. 1. num. 1 2. partes homogeneas, seu eiusdem rationis directè constitui in prædicamento. Quod sic ostenditur. nam partes homogeneæ sunt eiusdem rationis, & entitatis cum toto, non enim se habent sicut materia, & forma, quarum quælibet quid incompletum est de per se, sed ita participant quidditatem completam, vt quælibet pars includat integra prædicata essentialia. v.g. ac tota quantitas, quod experientia manifestum est. nam quælibet pars quantitatis separata, ita est verè quætitas, ac omnes partes unitæ, quod non contingit materiæ & formæ, aut aliis partibus heterogeneis; ergo cum de quælibet parte homogenea quantitas queat prædicari, non est cur à prædicamento reiciamus. Idem iudicium est de omnibus qualitativis, & substantiis non viuentibus, quæ partibus eiusdem rationis componuntur.

Obiicies,

Obiicies.

Solutio.

23.

Assertum
quartum.

Obiectio. Obiectis, partes in toto habere esse incompletam; ergo non ratione sui, sed ratione totius ponuntur in prædicamento. *Respond.* has dici partes de per accidens, & in ordine ad diuisionem, non tamen respectu superioris cui subiacent. nam de quolibet parte essentia completa quantitatis enuntiatur.

ARTICVLVS VI.

Formam indiuidua ponantur in recta linea.

Respond. affirmatiuè, & probatur. nam indiuiduum essentialiter subiacet omnibus prædicatis essentialibus quæ in recta linea collocantur, eaque formaliter continet. v. g. Petrus est substantia corporea, viuens, sensibilis, & rationalis; ergo tanquam fundamentum & radix totius prædicamenti in eo debet collocari directè.

Obiectio prima. Obiectis primò indiuiduum non esse prædicabile, sed in recta linea, ex supra dictis solum naturæ prædicabiles constituuntur; ergo. *Respond.* prædicamentum non solum esse de prædicabilibus, sed etiam de subiectibilibus: horum autem est indiuiduum.

Obiectio secunda. Obiectis secundò cum Isavello in sua Logica titulo 5. cap. 1. Porphyrium solum enumerasse in prædicamento genera, & species: sed indiuiduum nec est genus, neque species; ergo. *Respond.* Porphyrium solum meminisse prædicatorum essentialium, ideo non mirum quòd indiuidua non reculetur.

Respondetur.

QVÆSTIO XIV.

De prædicamento substantia.

DIFFICVLITAS I.

De acceptionibus & quidditate substantia.

ARTICVLVS I.

In qua acceptione substantia constituat hoc prædicamentum.

SUPPONO primò substantiam quadrifariam accipi posse, vt colligitur ex Arist. i. in hoc capite, & 5. Metaph. cap. 8. textu 15. Primò pro essentia cuiusuis rei, qua ratione ponitur substantia in definitione vniuocorum, cum dicitur, vniuocum est, cuius nomen est commune; ratio verò substantia eadem. Secundò pro ente per se, negatiuè, siue non existenti per inhærentiam in alio. sic quæuis substantia, tam completa, quam in completa substantia dicitur. Tertio pro ente per se, positiuè existenti, cui debetur substantia, seu non inhærentia in alio, aut independentia à quouis tanquam à subiecto, aut supposito, & vt sic abstrahit à finita & infinita, & est prædicatum Deo conueniens, & creaturis vniuocè. ita docet in 1. d. 8. q. 3. §. ad argumentum, num. 14. Quarto pro substantia completa, finita, & limitata, per se existenti, cui etiam debetur substantia.

I.
Suppositio prima.

Secundò suppono, hinc non esse sermonem de substantia, quatenus est genus formaliter, quia vt sic manifestum

Suppositio secunda.

stum est esse secundam intentionem, sed de absoluto & reali substantiæ.

Ratio.

Ex quibus manifestè infertur substantiam in sola acceptione quarta constituere hoc prædicamentum. Probarur, quia non in prima, ut sic enim transcendit per omnia prædicamenta, quæ cum habeant essentiam, consequenter etiam substantiam; non in secunda, quia ut sic comprehendit substantiam completam, & incompletam: diximus autem *diffic. 1.* substantias incompletas reiiciendas esse ab omni prædicamento, quia nequeunt esse genera, aut species: non in tertia, quia in prædicamento solum ponuntur, quæ possunt sub se continere genera, aut species: sed *difficult. 2. art. 2.* diximus entia infinita non esse sub genere; ergo ista substantia, quæ uniuocè finitam continet, & infinitam, nequit esse genus. Concluditur ergo substantiam in quarta acceptione esse genus generalissimum huius prædicamenti, quia est entitas completa finita, continens sub se alias species, nullumque genus supra se habens, quæ sunt conditiones requisitæ ad prædicamentum. Est ergo substantia finita completa, limitata & potens accidentibus substare, quæ hoc constituit prædicamentum. Finita, quia genus est indifferens ad species: infinitum tamen nullam patitur indifferentiam, seu potentialitatem, imò purissimus est actus, identificans sibi omnem perfectionem, ex Doctore in 1. dist. 8. q. 3. §. *tento opinione*, num. 16. Completa, quia debet esse genus: hoc autem substantiæ incompletè nequit competere.

Obiectio.

Obiicitur substantiam esse partem speciei subalternæ; ergo est quid incompletum. Respond. concedendo posse dici incompletam secundum quid, quatenus componit speciem, in

Solutio.

se tamen completa est: dicitur etiam quòd possit substare accidentibus, non quia substantia essentialiter substet, sed ex finitate sua est subiectum accidentium ab ipsis perfectibile, unde Doctor ubi supra cum Augustino 7. de Trinit. cap. 5. docet Deum abusiue dici substantiam, quia substantia dicitur à substando accidentibus, quod Deo repugnat.

ARTICVLVS II.

De essentia substantiæ.

Non agimus de prima & secunda substantia formaliter, quia ut sic, certum est esse secundas intentiones, sed de ea ut est subiectum harum denominationum, & quatenus constituit genus generalissimum huius prædicamenti. *Notandū primū.*

Secundò notandum est esse per se solum significare quandam rationem positivam, cui esse in alio repugnat. Cum autem tripliciter quidpiam possit esse in alio, primò per inhætionem, ut albedo in pariete; secundò per informationem, ut forma substantialis in materia; tertio ut pars in toto, quæ nec est in alio informando, nec inhærendo, sed componendo, ut materia prima ex partibus physicis, caput aut manus ex heterogeneis, quæ nec inhærent, nec informant, sed componunt. Quidquid est, & nec inhæret, nec informat, nec integrat, nec componit, id ens per se est, quia habet omnem negationem essendi in alio. Obiter tamen oportet notare esse per se & in alio diuersas importare entitates. Nam esse per se est quædam positiva ratio, & non esse in alio negatiua. nam sicut me esse Romæ, & non Compluti, sunt diuersa; sic in substantia completa esse *2. Notandū secundū.*

ARTICVLVS III.

Vtrum subsistentia substantiam compleat.

esse per se, & non in alio, quia hoc dicit negationem, illud vero entitatem positivam.

Obiicit. Dico ergo rationem intrinsecam substantiae esse, ita esse per se, vt nec informare, nec inhaerere, neque integrare possit. tenet Doct̃er quodlib. 3. §. *Respondeo*, versùs mediũ, S. Thom. opusculo 42. de natura generis. Probatur illud est de essentia rei, quod ei primò competit, & à quopiam distinguit: sed esse per se est primus conceptus substantiae, distinguens eam à materia prima, quæ in alio est, vt in composito, & à forma, quæ per modum actus informantis est in materia, & accidenti, quod inhaeret subiecto; ergo.

Obiicit prima. Obiicies accidentia Eucharistica non esse in alio, nec per modum informationis, compositionis, aut inhaesionis; ergo non distinguuntur à substantia. Respond. distinguendo antecedens, non sunt in subiecto actualiter, concedo, aptitudinaliter nego: substantia autem, nec actualiter, nec aptitudinaliter inhaerere, componere, aut informare potest.

Obiicit secunda. Obiicies secundò esse per se idem significare, quòd non esse in alio: sed hæc est passio secundum Aristotelem in hoc prædicamento; ergo esse per se non est essentia. Respond. negando maiorem. nã esse per se dicit essentiam positivam, ad quam sequitur negatio essendi in alio, tanquam passio: sicut ad esse hominis sequitur negatio equi, leonis, &c. nam cuiuscunque entitati positivæ competit negatio alterius rei distinctæ.

* * *

Subsistentia ex dicendis in Metaph. 3. *est individualis natura incommunicabilis existentis*; hæc autem ob diuersas connotationes diuersis nominibus appellatur. nam si connotat naturam rationalem, dicitur personalitas: si irrationalem sensibilem, dicitur suppositum; si vero naturam insensibilem, v.g. petram, & alia non viuentia, dicitur subsistentia. Itaque quavis natura substantialis completa, præter essentiam, & singularitatem, habet quendam modum, quo vitimò completur individua natura, & rediditur omnino indeterminabilis ab alia. Dubitatur ergo, vtrum per istum modum subsistendi quidditas substantiae compleatur.

Secundò notare oportet, modum istum subsistentiae realiter distingui à naturis subsistentibus finitis, aliàs natura humana in Christo non careret propria personalitate, quia quòd ab alio realiter non distinguitur, ab ipso nequit separari; vt natura, inquam, finita, vt excipiamus essentiam diuinam, quæ ob suam infinitatem identificat sibi personalitates.

Dico ergo substantiam seclusa personalitate, seu subsistentia, habere esse completum, & perfectum. Probatur, quia quòd est de essentia rei, non ei accrescit, aut contingit: sed esse per se est de essentia substantiae, vt probauimus articulo præcedenti; ergo non potest compleri essentialiter per subsistentiam, quæ quidd extrinsecum est illi, ab eaque realiter distinctum & separabile.

Sed inquires; quid ergo habet substantialis natura per subsistentiam quam

3. Subsistentia quid.

Dubium.

Notandũ.

Afferit̃.

4. Quaestio prima.

quandoquidem à se completa est. Respond. formaliter esse subsistentem per subsistentiam, à se enim solùm habebat esse per se.

Inst. à ia. Diluatur. Si autem instes, quid est hoc esse subsistens? Respond. esse incommunicabilitatem quandam naturæ individualis alteri vt supposito, ita licet natura substantialis completa quantum est ex se sit incommunicabilis alteri tanquam subiecto inhesionis, aut informationis, non tamen est incommunicabilis alteri vt supposito, secusa subsistentia, qua natura vltimò terminatur, & redditur omnino incommunicabilis, qua ratione natura humana Christi impedita propria personalitate Verbo diuino communicatur, & eius personalitate subsistit: ergo subsistentia, supra substantiam addit incommunicabilitatem alteri vt supposito.

5. Quæstio secunda. Solutio. Quæres secundò, cur natura sine personalitate, v.g. natura hominis non homo, sed humanitas dicatur? Pro quò notandum est, à quocunque supposito posse fieri duplicem abstractionem, vnam à supposito, aliam à differentia individuali. Dico ergo quòd loquendo de veritate sermonis natura in prima abstractione homo valet denominari, quia est de natura humana singularis, & quidditatiuè completa: in secunda autem abstractione humanitas dicitur, quia præscindit à peculiari, seu individuali consideratione, & solùm retinet specificam, & quidditatinam. Catholici tamen, licet Verbum diuinum assumpserit naturam singularem: nihilominus nunquam dicant assumpsisse hominem, sed humanitatem, non quia in rigore sermonis sit falsum, sed ad tollendam æquiocationem, ne

videantur concedere verbum diuinum assumpsisse personam. nam per hominem facile quis poterit intelligere non solùm naturam singularem, sed etiam personatam.

ARTICVLVS IV.

De proprietatibus substantiæ.

6. Proprietates substantiæ sunt sex. **S**Ex proprietates ex mente Aristotelis in capite substantiæ, communiter adscribuntur, tres communij ratione substantiæ, vna secundæ substantiæ, aliæ duæ primæ. Hæ sunt proprietates substantiæ in communi, *non esse in subiecto, non habere contrarium, non suscipere magis & minus.* Passio secundæ substantiæ hæc est, *proprium est secundarum substantiarum predicari vniocè de primis.* Proprietates primarum substantiarum sunt *significare hoc aliquid, & esse susceptivus contrariorum;* per singulas ergo discurremus.

Prima. Prima passio est non esse in subiecto. Ratio est. nam substantia, vel est prima, vel secunda, id est, vel est singularis, vel vniuersalis. Si primum, nec est in subiecto, nec dicitur de ipso: si secundum, dicitur de subiecto. Sed in eo non est, vt diximus difficultate I. art. 4. Competit ergo omni substantiæ non esse in alio; qualiter autem non esse in alio distinguatur ab esse per se, diximus in fine articuli secundi.

Secunda. Secunda proprietas substantiæ in communi est non habere contrarium, sunt enim contraria *qua ab eodem subiecto mutuo se expellunt, & sub eodem genere maximè distant;* si ergo proprium est omnibus substantiis non esse in subiecto, fieri non poterit vt contrarium habeant, à quo possunt expelli.

Obiicies,

Obiectio.

Obiicies Aristotelem i. Physic. textu 50. afferentem principia generationis, seu compositi naturalis substantialis esse contraria; ergo sibi contradicit Philosophus. Confirmatur, quia elementa, v. g. aër, aqua, ignis & terra, contrariantur inter se; & tamen sunt substantiæ; ergo. Pro cuius rei intelligentia notandum est cum Philosopho in hoc libro; & 5. Metaph. cap. 10. oppositionem quadrifariam accipi, alia quippe est inter priuationem & habitum, quæ vocatur priuatiua, vt quæ est inter lucem, & tenebras: alia est contradictoria, vt inter affirmationem, & negationem, v. g. inter hominem & non hominem: alia relatiua inter patrem & filium: alia denique contraria, vt inter calidum, & frigidum. Respond. ergo Aristotelem in hoc cap. negare substantiæ oppositionem contrariam. Non tamen contradictoriam, priuatiuam, aut relatiuam, de quibus loquitur in primo Physicorum. Ad confirmationem respond. elementa non contrariari formaliter ratione sui, sed ratione qualitatum quæ ipsis inhaerent.

Partic.
121 127-
122.

Tertia proprietas substantiæ in communi est non suscipere magis & minus. quæ passio sic intelligenda est, vt vna non sit magis substantia, quàm alia in ratione essendi per se; non tamen in ratione substantiæ accidentibus, quia in hac acceptione substantia prima magis substantia est, quàm secunda. quod est dicere, vnâ substantiam non esse magis substantiam, quàm alia intensiue, non tamen extensiue.

Quarta.

Quarta proprietas substantiæ est quòd vna numero permanens sit susceptiua contrariorum, quæ proprietas soli substantiæ competit,

quæ subiectum est accidentium, & sub contrariis potest esse, v. g. aqua iam sub calore, postea sub frigiditate.

Obiicies primò quantitatem in Eucharistia, v. g. modò esse calidam, postea frigidam. ibi tamen non est substantia panis, vt fides docet; ergo non sola substantia est susceptiua contrariorum. Respond. qualitates illas non inhærere qualitati vt quod, sed vt quo; sola ergo substantia est susceptiua contrariorum vt quod, seu subiectum inhærationis huiusmodi; ergo.

Obiectio
prima.

Resolui-
tur.

Obiicies secundò hanc proprietatem non conuenire omni primæ substantiæ. nam Angeli cum spirituales sint, non possunt recipere contrarias qualitates: sed propriæ passiones debent conuenire omni, soli & semper; ergo. Respond. etiam Angelos esse susceptiuos contrariorum, v. g. amoris & odij, quæ qualitates contrariæ sunt.

Obiectio
secunda.

Expedi-
tur.

Petes utrùm hæc proprietas soli primæ substantiæ, an etiam secundæ conuenire possit. Ratio dubitandi est, quòd sola prima substantia est vna numero; ergo illi soli conuenit hæc passio. ob quam rationem Ammonius & Canterus in hoc capite negant secundæ substantiæ posse conuenire. Caietanus in hoc capite affirmat, tam primæ, quàm secundæ conuenire. Ad rationem dubitandi respond. Philosophum sic esse intelligendum quòd dicat, proprium est substantiæ quæ in numero conseruatur, tanquam in subiecto prædicationis, & denominationis esse susceptiuam contrariorum, & in hoc sensu substantia secunda includitur. Sed hæc solutio nulla est. nam secundæ substantiæ solùm sunt per operationem intellectus, vt ipsi fa-

7.
Quæstio.

tentur; ergo eis nequit contingere susceptio contrariorum. Ruuius q. 5. huius prædicamenti dub. 4. affirmat, verba illa Arist. solum de primis substantiis esse intelligenda: si autem sine limitatione diceremus, Proprium est substantiæ esse susceptiuam contrariorum, tam de secunda, quam prima deberet intelligi. Ego tamen respond. Aristotelem ibi loquutum fuisse de subiecto accidentium realium, sed cum accidentia realia solum in primis substantiis inhæreant, de ipsis hæc passio necessarid intelligenda est. Maior probatur, quia solum accidentia realia contrariantur. nam ea quæ fingit intellectus, nunquam ab eodem subiecto se expellunt: vt si consideret eandem aquam sub calore, & frigiditate, &c. Minor primi syllogismi probatur, quia secundæ substantiæ sunt genera & species: sed genera & species sunt accidentia rationis pro formali; ergo in illis talis contrarietas nequit fundari. Vnde miror quod cum ipse Ruu. loco citato num. 63. concedat secundam substantiam esse per intellectum, & neget esse in re, statim concedat esse susceptiuam contrariorum. Si autem de secundis substantiis fundamentaliter loquamur, siue de naturis communibus, vt abstrahunt ab vniuersalitate, & singularitate, cum in nostra schola sint aliquid reale, possunt dici susceptiuæ contrariorum non proximè, sed remotè, quatenus sunt quidditates rei singularis, & existentis, quæ sunt proximæ rationes informationis. nam quod non est singulare existens, nequit concurrere tanquam actus, vel tanquam potentia, vt ex Doctore sæpius dicemus 1. lib. Physic.

quæstione 3. difficultate 2. & 3.

Quinta proprietas substantiæ est quod vniuocè prædicetur, & hæc solum secundæ conuenit substantiæ. Probatur, quia prædicari vniuocè est prædicari nomine & ratione, vt communiter habetur ex Arist. 1. cap. antepædicament. sed sola secunda substantia prædicatur de prima; ergo. Probatur minor. nam prima substantia cum sit singularis, nequit vniuocè de pluribus enuntiar, vt diximus quæst. 3. diffic. 3. & 4. art. 10.

Proprietas quinta.

Sexta proprietas substantiæ est significare hoc aliquid, id est, esse singularem, quam solum conuenire primis substantiis conspicuum est. nam ipsæ solum sunt singulares. Nam quamuis secundæ substantiæ significant aliquid, non tamen determinatum & singulare, sed genericum, aut specificum pluribus communicabile.

Sexta.

ARTICVLVS V.

De diuisione substantiæ in primam & secundam.

Aristoteles in initio huius capituli textu 1. substantiam in primam, & secundam diuisit; hæc dicens appellari genera & species, illam verò esse, quæ neque in subiecto aliquo est, neque de subiecto aliquo dicitur. Duo ergo in hoc articulo exquiri possunt, primum quod sit diuisum in hac diuisione; secundum qualis sit ista diuisio.

8. substantia quatuorplex.

Circa primum quod inquiritur, nempe quod sit diuisum? in hac diuisione plurimi sunt Doctores in explicando qualiter accipiarur. Ego tamen

Diuisio.

Solutio
Aucto-
ritas.

tamen ab hac difficultate facillimo negotio me expedio, & dico diuisum esse naturam metaphysicè communem, quatenus abstrahit ab vniuersalitate & singularitate, de qua diximus ex mente Doctoris quæst. 6. diffic. 1. artic. 1. & 2. Ratio est conspicua, nam non potest esse substantia formalis, seu genericè considerata, quia vt sic est secunda substantia, & diuisum nequit includi in membris diuidentibus, aliàs non esset diuisio, sed communicatio superioris in inferiora, quæ ratione etiam excluditur prima substantia; debet ergo esse aliquid abstrahens à prima, & secunda substantia: hoc autem nihil aliud est, nisi illa natura communis, quæ indifferens est ad vniuersalitatem, quæ constituitur secunda substantia, & singularitatem, quæ constituitur prima; ergo natura communis est diuisum in hac diuisione. Hanc credo esse sententiam Angelici Doctoris tractata de potentia quæst. 9. art. 2. ad 6. & 1. dist. 25. q. 1. artic. 1. vbi dicit, *Ad sextum dicendum quod natura generis substantia diuiditur in primam & secundam, non à parte rei in sententia ipsius, quia ipse negat naturas communes in se, quas nos concedimus vbi supra.*

Obiicies primò substantiam ex dictis supra costituere hoc predicamentum quatenus est ens completum substantans accidentibus; sed substantia, in hac abstractione considerata, non æqualiter participatur à membris diuidentibus; ergo vt sic non est diuisum. Maior est certa. Probatum minor ex Arist. in hoc cap. asserente primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam; ergo non æqualiter participant rationem substantiæ communis. Resp. quod quando Arist. comparauit primam substantiam cum secunda, loquebatur de secunda sub-

stantia, non formali, sed fundamentali, & in hac consideratione substantia prima magis substantia dicitur, quàm secunda, quia proximius substantat accidentibus. Ratio est conspicua, quia substantia secunda, formaliter loquendo, non est ens per se, sed quædam secunda intentio generis, aut speciei, seu relatio rationis, quæ nequit comparari cum prima substantia in ratione essendi per se, & ita non loquebatur de substantia secunda, quatenus est membrum diuidens cum prima. Circa secundum quod inquiritur, qualis sit ista diuisio, supponendum est membra diuidentia multifariam vsurpari posse, vt notat Sanctius in hoc prædicamento quæst. 7. vbi plures acceptiones satis prolixè & parum utiliter exponit, quas omnes ad duas reducemus. Primò enim possunt accipi prima & secunda, substantia pro formis denominantibus, & vt sic certum est esse formam rationis. Probatum, forma denominans intellectualis est quæ confurgit intellectus ministerio, & secluso eo nequit esse: sed denominatio primæ & secundæ substantiæ deficiente actu intellectus deficit, & eo posito confurgit; ergo est quid rationis. Secundò possunt considerari secundum proprium esse intrinsecum, & formale; & sic prima substantia est ens reale, vtpote natura singularis. Secunda verò est ens rationis, quia est genus & species, quæ secundæ substantiæ denominantur. Supposito ergo quod diuisum in hac diuisione sit substantia completa, vt indifferens ad vniuersalitatem & singularitatem,

Dico primò, si in prima acceptione considerentur membra diuidentia, hoc est, pro denominationibus, hæc diuisio est subiecti in accidentia; ita Antonius Andreas in libro prædicamen-

*Diuisio
quales
sunt.*

*9.
Assertio
prima.*

torum cap. de substantia. Canterus ibidem, & quidam neotericus Complutensis quæst. 2. huius prædicamenti. Probat, quia diuisio subiecti in accidentia ex dictis in Summulis quæst. 4. difficult. 1. artic. 1. ea est, quæ subiectum diuiditur in ea, quæ ipsi contingunt, seu accidunt. Sic homo diuiditur in album, & nigrum: sed naturæ communi accidit quod denominetur prima, vel secunda; ergo est diuisio subiecti in accidentia.

*Affertio
secunda.*

Dico secundò, si loquamur de prima & secunda substantia, in secunda acceptione hæc diuisio non est generis in species. Probat, quia genus debet æqualiter ab inferioribus participari: sed in prima substantia includitur intrinsecè substantia communis; quia Petrus, v. g. formaliter est homo, in secunda verò solùm materialiter, seu connotatiuè, quatenus secunda intentione generis denominatur; ergo.

*Affertio
tertia.*

Dico terriò. Hæc diuisio non est vniuoci in vniuocata. Probat, quia ex dictis in Summulis quæstione 1. difficult. 2. artic. 1. vniuocum est, cuius nomen est commune, ratio verò substantiæ eadem: sed ratio substantiæ in communi non est eadem in membris diuidentibus; ergo. Minor probatur. Nam diuisum ex dictis supra est substantia completa: hæc autem est in primis realiter; in secundis verò connotatiuè & materialiter; ergo. Confirmatur, enti reali & rationis non datur aliquid commune vniuocum, ex dicendis in Metaphysica: sed prima substantia est quid reale, secunda verò quid rationis; ergo non participant vniuocè rationem substantiæ communis.

*10.
Affertio
quarta.*

Dico quartò, hæc diuisio non est vera, sed impropria diuisio. Probat, quia est in partes, quarum vna est rea-

lis, alia rationis, in quibus diuisum logicum nequit contineri; ergo diuisio ista impropria dicitur talis. Potest tamen appellari æquiuoca diuisio, quatenus nomen substantiæ ab utroque participatur extremo, licet ratio suæ entitatis sit omnino diuersa; essi mauis dicas esse analogam, quia per attributionem ad substantiam primam quæ perfecta substantia est, secunda substantia formaliter dicitur talis, & etiam ratione substantiæ denominata, quæ verè & realiter substantia est. Obiter tamen aduerte sine sufficienti fundamento nonnullos Scotistas asserere naturas communes esse secundas substantias formaliter & in re. nam secundum Aristotelem, secundæ substantiæ sunt genera, & species, quæ ex mente Scoti non dantur à parte rei, vt ostendimus quæst. 6. difficult. 1. art. 1. & hanc esse veritatem indubitabilem, demonstrauimus in Metaphysica.

*Aduer-
tendum.*

QVÆSTIO XV.

De predicamento Quantitatis.

DIFFICULTAS I.

De quidditate & passionibus quantitatis.

ARTICVLVS I.

Supponuntur aliqua ad intelligentiam quantitatis.

SUPPONO primò ex Doctore in 1. distinct. 19. quæst. 1. num. 6. quantitatem aliam esse mollis, aliam virtutis

*7.
Quanti-
tas
supponit
tio pri-
ma.*

virtutis, seu perfectionis. Quantitas molis, seu dimensionis ea est, quæ corporibus inhærens, ea extendit, aut magnificat. Quantitas perfectionis est cuiusvis rei virtus, seu perfectio, de qua loquitur Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 7. cum dicit, in his enim quæ non mole magna sunt, hoc est, maius esse quod melius. Distinguuntur etiam hæ quantitates, ut notauit Doctor in 1. distinctione 3. 1. quæst. 1. num. 3. quod quantitas perfectionis sæpius identificatur cum natura quam perficit: quantitas autem molis semper distinguitur realiter à subiecto cui inhæret. Vnde manifestum est quantitatem virtutis non pertinere peculiariter ad hoc prædicamentum, sed per omnia transcendere, nam quodlibet genus propria gaudet perfectione, imò Deo optimo, cui repugnat quod in prædicamento collocetur ex dictis diffic. 2. art. 2. Hæc quantitas perfectionis non est deneganda, cum sæpius in Scriptura sacra Magnus proclametur, quod non de quantitate molis, sed virtutis omnes fideles intelligunt.

Secundò suppono quod cum omne diuisibile habeat partes, dupliciter potest contingere habere partes, vel in ordine ad se, vel in ordine ad locum. Primum solum denotat, & infert vnã partem non esse aliam, secundum vnã partem diuersum locum ab alio occupare: vel actualiter, ut secundum legem ordinariam contingit quanto, quod perpetuò occupat locum, facitque distare latera corporis continentis; quapropter expositione vnus corporis aliud ab eodem loco expellitur efficienter: vel potest occupare locum solum aptitudinaliter, ita ut de facto non occupet, dicat tamen aptitudinem, & exigentiam ad occupandum, quod con-

tingit quanto corporis Christi sub speciebus contento, in admirabili Eucharistiæ sacramento, vbi Christus, etsi ex natura sua possit occupare locum, indiuisibiliter existit in ordine ad eum, ideo totus est in tota hostia, & totus in quauis eius parte: vnde manifestè inferitur extensionem actua-lem quantitatis esse accidens illius, ab ipsaque separabilem, ut optimè notauit Doctor in 4. distinctione 10. quæstione 1. num. 14.

ARTICVLVS II.

Quæ sit essentia quantitatis?

Quantitas ex communi omnium ^{2.} sententia, est ens per se extensum, seu quod habet partes extra partes, aptitudinaliter in ordine ad locum, quarum ^{Quantitatis essentia qua.} qualibet ex natura sua habere diuersum locum, vel durationem exposcat. Hoc videtur experientia comprobari, nam si à quolibet ente corporeo quantitatem detrahamus, neque dissensum, nec impenetrabile, neque mensurabile, diuisibile, figurabile, aut locabile permanebit. Doctor vbi supra num. 14. & 17. optimè probat actua-lem extensionem quantitatis non esse de essentia ipsius, sed aptitudinalem extensionem radicalem, seu diuisibilitatem in plures partes. Probat primò, quia hæc extensio actualis potest à Deo separari, non solum per negationem termini, sicut posset facere aliquod corpus quantum extra vniuersum, & tunc non haberet extensionem localem, quia non haberet ali-quod continens, cuius partibus partes contenti commensurarentur; sed etiam posito termino cui, scilicet presenti, posset fieri commensuratio, seu coextensio alterius corporis, possibile esset Deum conseruare quantum, & coexistentiam eius ad aliud quantum; & tamen sine ista coextensione partium

partium unius ad partes alterius, quam dicit positio ista, de qua loquimur.

Quod probō primò sic: Quacumque natura contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis simpliciter, se habet contingenter ad totum genus; intelligo enim simpliciter, quasi non est necessariò ex causa intrinseca. hoc videtur satis manifesta, quia si esset una natura, & à causa intrinseca determinaret sibi tale genus, necessariò determinaret sibi aliquam speciem illius generis; quia una natura non habet intrinsecè ad opposita disiuncta necessitatem, quin habeat necessitatem ad aliquod unum illorum.

Id corpus se habet contingenter ad quamcumque positionem partium in loco. Patet, quia possum mouere corpus meum à quacumque positione ad aliam; ergo corpus habens positionem partium in toto, non simpliciter se habet necessariò ad positionem istam, quæ est prædicamentum, nec ista coexistentia quanti ad quantum est simpliciter necessaria ratio illius positionis secundæ, quia contingit intelligere coexistentiam alicuius ipsi toti, absque hoc quòd intelligatur coexistentia, vel coextensio partium partibus; ergo extrinseca coexistentia accidit quanto, quòd fides adstruit in corpore Christi sub speciebus, quòd hac extensione caret.

Infamia.

Obiicies superficiem necessariò esse coloratam, & tamen contingenter se habet ad quemlibet colorè; ergo quamuis quantum contingere respiciat hanc, & illam positionem, aliquam indefinitè per se exposcit. Respondetur concedendo paritatem, & ideo sicut superficies postulat colorem, ita quantum positionem localem; superficies tamen potest esse sine colore, quia hic vel ille ei contingunt, & eadem ratione quantum, sine actuali positione locali.

Quantitatem autem in concreto, sic Arist. 5. Metaph. cap. 15. definit. *Quantum est diuisibile in ea qua insunt, quorum utrumque, vel unumquodque unum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* id est, quantum est id quòd diuidi potest in partes, quibus componitur, quarum quæuis potest separata persistere, & esse vnum aliquid. Est ergo difficultas, vtrum hæc diuisibilitas sit de essentia quantitatis, & qualiter, vel aliquid prius diuisibilitate competat quantitati, quæ possit eam essentialiter constituere. Cui difficultati breuiter satisfaciet, quia eam latius tractabimus in 6. Physic. & in Metaphysica.

Sententia communis sustinet essentiam quantitatis esse habere partes extra partes. tenet Doctor quæstione 17. prædicamentali, cum eo Antonius Andreas in hoc prædicamento, quæstione 9. §. *Respondeo*, Fonseca 5. Metaphysicæ capite 1, quæstione 2. sectione 2. & 3. Ruu. quæstione 1. Petrus Niger, Sotus, Toletus, in hoc capite. Idem videtur tenere Sanctius in hoc cap. quæst. 19. tenet etiam Doctor expressus in 4. distinct. 10. quæst. 1. §. *Dico ergo*. num. 14. vbi asserit positionem partium non in ordine ad locum, seu quæ dicit ordinem partium in toto esse differentiam quantitatis, & in 5. Metaphysicæ negat rationem diuisibilitatis, & mensuræ esse de essentia quantitatis: vnde videtur inferri aliquod prius, nempe habere partes esse eius quidditatem. Probat, quia illud est de essentia alicuius rei, quòd ei primò cognoscitur conuenire: sed habere partes extra partes est primum quòd cognoscitur quantitati competere; ergo. Maior est certa. Probat minor. nam diuisibilitas nequit primò competere, quia diuisibile dicitur habitu

Quantitas in concreto qua.

Difficultas.

Habitudinem ad diuisionem: sed nullus respectus est de quidditate alicuius absoluti; ergo est passio eius. Nec potest esse ratio mensuræ. Probatur primò, quia ratio mensuræ formaliter est relatio, vt docuit Aristoteles primo Metaphys. cap. 2. sed nullum relationum est de essentia alicuius absoluti; ergo neque mensura de essentia quantitatis. quo argumento vtitur Doctor ad probandum istam conclusionem in Metaphys. vbi supra num. 2. Probatur secundò, essentia rei est inseparabilis: sed non implicat rationem mensuræ separari à quantitate; ergo. Probatur minor, quia si daretur linea infinita, esset quanta, & non mensura, nec mensurabilis; ergo. Tertio ratio generis inest æque primò omnibus speciebus, quia æqualiter dicitur de omnibus: ratio autem mensuræ non, quia non æqualiter de continuis & discretis, sicut patet ex lib. 10. cap. 2. textu; quia magis inest discretis, continuis tamen non nisi in quantum participant quantitatem discretam; ergo ratio mensuræ nequit esse de conceptu quantitatis. Restat ergo quòd cum actualis extensio, diuisibilitas, & ratio mensuræ, non sint de primo conceptu quantitatis, hoc concedendum sit partium intrinsecæ positioni.

Obiicies primò, si quidditas quantitatis est habere partes extra partes; ergo non distinguitur à substantia. Ab hac difficultate facile se expediunt omnes illi, qui cum Vasquez prima parte disput. 196. cap. 3. affirmant substantiam nullas habere partes separabiles, aut continuas, seclusa quantitate. quòd falsum esse, probauimus in 6. Physic. nec his subscribit Doctor in 5. Metaphys. quæst. 9. quia ibi solum argumentatiuè loquitur, cum negat partes substantiæ. nam

oppositura expressè habet in 2. dist. 12. quæst. 2. §. Respondeo, num. 5. & in 4. distinct. 44. quæst. 1. & distinct. 43. quæst. 2. & quæst. 17. prædicamentali. Dicimus ergo ad argumentum, substantiam & quantitatem conuenire in eo quòd vtraque habet partes; differunt tamen quòd partes substantiæ nec occupant locum, nec perunt localiter extendi; partes autem quantitatis semper ab intrinseco localem extensionem exposcunt, & eam communicant substantiæ, & qualitibus: vnde si substantia separata à quantitate diuideretur, partes eius solum essent entitatiuæ, & inextensæ localiter, nec facerent distare latera continentis.

Obiicies secundò Aristotelem de finisse vbi supra, quantum per diuisibilitatem; ergo hæc est essentia quantitatis. Resp. definitionem prædictam non esse essentialem, sed descriptiuam. Nec obstat quòd Aristor. quantitatem non definiert quidditatiuè. nam ipse non intendebat quidditates prædicamentorum exprimere, sed eorum classes ordinare, cuius normam sequutus est Doctor, cum ex eius mente quantitatem definiuit.

ARTICVLVS III.

Quod sit genus huius prædicamenti, & quæ eius species.

Quantitas à nobis definita communiter in continuam, & discretam diuiditur ex mente Philosophi. Continua ea est, cuius partes communi aliquo termino copulantur, vt partes lineæ punctis, partes superficie lineis, partes corporis superficiebus, partes autem temporis instantibus. Vnde colligitur continuam quantitatem, aliam esse permanen-

concluditur.

Obiectis secunda.

Soluitur.

3. Quantitatis species qua.

Obiecta prima.

tem, cuius omnes partes possunt eadem duratione mensurari. huius quantitatis species sunt linea, superficies, & corpus, quarum qualibet tota simul quibilibet instantibus temporis coexistit. Aliam successivam, cuius partes perunt successivam, & vna definit, vt sit alia; sic est tempus, cuius solum vnum nunc habemus; reliqua verò totius temporis vel sunt præterita, vel futura. Sub hac quantitate continua quinque species communiter ponuntur, videlicet linea, superficies, tempus & locus. Vtrum autem locus distinguatur à reliquis speciebus, dicemus in 6. Physicorum. Quantitas discreta est, cuius partes nullo communi termino copulantur, vt quinarium qui componitur ex quantitibus discontinuis, & nullo communi termino copulatis: si enim communi termino coniungantur, quinarium destruent, & vnicam quantitatem component. huius quantitatis discretae duæ sunt species, numerus scilicet, & oratio. Numerus non accipitur hinc pro numero numerante, quia hic est intellectus, nec pro numero numerato formaliter, quia hæc est quædam ratio realis, vel rationis, de quo nunc non disputo; sed pro numero materiali, seu pro aggregatione plurium unitatum discontinuarum ab intellectu numerabilium. Oratio autem est multitudo quantitatum successivarum, seu modularum, quæ in prolatione cuiusvis orationis discontinuantur. Est ergo difficultas in hoc articulo, vtrum quantitas definita habeat quidquid requiritur ad rationem generis generalissimi, & qualiter ab his speciebus enumeratis participetur.

Habemus ex Doctore vbi supra art. præcedenti, essentiam quantitatis

constitui positione partium in toto, seu quantitatem quidditatiuè constare partibus in ordine ad se, quæ ab intrinseco exposcant extendere, & magnificare substantiam, locumque occupare; tamen in quæst. 17. prædicamentali, postquam probauit quantitatem esse genus de pluribus specie differentibus quidditatiuè prædicabile, v.g. de quantitate continua, & discreta. nam inquirentibus, quid est linea, optimè respondetur quod est quantitas, &c. Item esse generalissimum inde patere, quia sub nullo genere continetur: statim dubitat, quæ sit illa vna & potissima ratio, qua quantitas generalissimum huius prædicamenti constituitur, de omnibusque æqualiter enuntiatur, ibique expressè affirmat contra quendam neotericum disput. 3. categoriarum quæst. 2. rationem mensuræ, seu mensurabilitatem, non esse rationem ob quam quantitas de omnibus inferioribus æqualiter dicatur. *Primo, quia ratio generis æqualiter inuenitur in omnibus speciebus, non sic ratio mensura in continuo, & discreto, quia vni maxime proprie, proprium est esse mensuram, & cum illud per se sit principium numeri, ab illo primo derivatur ratio mensura ad numerum, & de numero ad continuum, vt manifestè habetur 10. Metaphys. cap. 2. Si dicatur quod discretum est prius continuo in se non comparando ad suum genus, hoc concedit propositum, quia neutrum participat rationem generis per alterum: sed continuum non habet rationem mensurandi nisi a discreto, vt docetur vbi supra; ergo ratio mensura non est ratio quantitatis vt est genus. Postea concludit quod licet per se mensura conueniat quantitati; non tamen est ratio essentialis quantitatis, secundum quam est genus. Sic enim habet: Ideo dicitur aliter, quod licet per se mensura*

fura conveniat quantitati, non tamen est illa ratio essentialis quantitatis, secundum quam ei attribuitur ratio generis: sed ratio diuisibilitatis, & hoc de illa diuisione, quæ est in partes eiusdem rationis: quod ostenditur tripliciter. Primò in 5. Metaphys. ubi definit quantum, secundum quod potest habere definitionem saltem exprimentem, quid dicitur per nomen: ibi sic notificatur, quantum est, quod est diuisibile in ea qua insunt; quorum singulum natum est esse hoc aliquid. Primò in partes eiusdem rationis; igitur quantitas est per se diuisibilitas in huiusmodi partes. nam ubi est predicatio per se primo modo tenet à concretis ad abstracta. Secundò ostenditur, quia quantitas continua & discreta, non definiuntur hic per mensuram, sed per hoc quorum partes copulantur, &c. Igitur de eorum essentia est esse partibile. Tertiò, quia per rationem diuisibilitatis sumuntur species quantitatis in quinto Metaphysic. comment. 18. quia diuisibile in non continua est numerus, videlicet oratio: in continua secundum diuisionem unam, linea, secundum duas, superficies, secundum tres, corpus, & secundum alias differentias diuisibilitatis possunt fieri tempus & locus.

Obiicitur.

Obiicitur primò essentiam quantitatis constitui positione partium in toto, diuisibilitatem verò esse eius passionem, vt diximus supra; ergo diuisibilitas non communicat quantitati quidditativam rationem, ob quam de pluribus enuntiatur. Responderi posset primò Doctorem hic more Philosophi prædicamentum definisse, non abstractiue, sed concretiue: vnde in præsentis capite non quantitatem, sed quantum definit, & in capite de ad aliquid, seu relationis, non huius, sed relatiuorum quidditatem explanat: nec absque, quia cum accidentia ob suam im-

Soluitur.

perfectiorem & dependentiam nostri intellectus à sensibus sine ordine ad substantiam nequeant quietatiue comprehendi, vt nobis clariorem prædicamentorum perhiberet notitiam, illam affectionem magis cognoscibilem, sensibusque magis patetentem debuit proponere: hæc autem est diuisibilitas, cuius effectus sunt aded sensibiles, vt omnibus euidentissimè pateant. Positio enim entitativa partium, etiam metaphysicè ostendi possit, pro hoc tamen statu sentiri non valet, quia exteriores potentiæ ab accidentibus, & coloribus omnino pro hoc statu pendunt.

f.

Fateor tamen quòd si de prædicamento quantitatis secundum præcisionem metaphysicam loquamur, eadem potissima ratio, quæ essentialiter constituit quantitatem, erit generalissimum huius prædicamenti. nam, vt diximus quæstione 13. difficultate secunda, articulo primo, res in prædicamento sub nominibus abstractis, & non concretis debent constitui, quia in recta linea prædicatum superius de inferioribus enuntiatur; ergo ratio constituens quantitatem, vt sic, & quæ de omnibus inferioribus prædicatur, est quæ denominatur generalissimum genus huius prædicamenti.

Alia obiicitur.

Obiicitur Aristotelem in hoc prædicamento, textu primo, asserentem orationem esse speciem quantitatis, ex eo quòd syllaba longa & breui mensuratur; ergo ratio mensuræ est constitutiva huius prædicamenti. Resp. verum esse, quantitatem esse mensuram, & mensurabilem, inde tamen non infertur hanc rationem esse constitutivam prædicamenti: vnde quamuis diuersæ species quan-

Enodatur.

tiritatis, diuerso modo participant rationem mensuræ, & vna species aliter mensurer, quàm aliam. nam linea mensurat secundùm vnã dimensionem, superficies secundùm duas, corpus verò secundùm tres, etsi omnes in ratione mensurandi conueniant; tamen inde solùm inferitur esse proprietatem quantitatis, non verò rationem constitutiuam huius prædicamenti.

ARTICVLVS IV.

De passionibus quantitatis.

*Affectio-
nes quã-
ritatis
quã.*

Aristot. in hoc cap. tres affectio- nes quantitatis proposuit. Prima est non habere contrarium: secun- da non suscipere magis & minus: ter- tia esse æqualem, vel inæqualem. de quibus nonnulla dubitanda occurrunt.

¶. Contra primam, quæ est non habere contrarium, obiicitur primò, vnã quantitatem alteri contrariari, v. g. locum sursum, loco deorsum, magnitudinem paruitati, &c. ergo. Resp. Aristotelem loquentum fuisse de vera contrarietate. hæc autem est relatiua.

¶. Secundò obiicitur affectionem propriam soli subiecto conuenire: sed hæc conuenit substantiæ, ex dictis quæst. præcedenti difficult. 1. ergo. Resp. hoc argumentum probate non esse passionem quarto modo, sicut ob eandem rationem nec secundam affectionem.

¶. Contra secundam, quæ est non suscipere magis & minus, obiicitur, vnã quantitatem esse altera maiorem; ergo suscipit magis & minus. Confirmatur. nam eadem quantitas crescit & decrescit; ergo. Resp. distinguendo consequentiam, suscipit magis & minus extensiuè concedo, intensiuè nego.

¶. Contra tertiam proprietatem, quæ

est æqualitas, vel inæqualitas, obiicitur primò, æqualitatem & inæqualitatem esse entitates relatiuas: sed nullum relatiuum dimanat intrinsecè ab ente absoluto; ergo. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, dicemus enim quæst. 16. dari aliquas relationes identificatas realiter cum entibus absolutis, ab eisdemque promanantes, quales sunt aptitudinalis inhærentia accidentis, relatio creaturæ ad creatorem, &c.

Obiicitur secundò æqualitatem & inæqualitatem ponderi conuenire, quod est qualitas; ergo non est affectio propria quantitatis. Resp. distinguendo antecedens, conuenit ponderi materialiter, & quatenus quantum est concedo, conuenit ponderi formaliter, seu quatenus qualitas negatur antecedens; vnde pondus, formaliter loquendo, dicitur propriè similis, vel dissimilis, abusiue tamen & materialiter æqualis, vel inæqualis.

Obiicitur tertio, passiones non esse separabiles à subiecto: sed si vnica esset quantitas, nec esset æqualis, nec inæqualis; ergo. Resp. concedendo maiorem, & distinguendo minorem, non esset æqualis aptitudinaliter nego; actualiter concedo.

Alias proprietates communiter authores ex eodem Philosopho non obscure colligunt. Primò diuisibilitatem, non in partes extensas localiter dicunt aliqui, quia hæc est quidditas substantiæ, sed in partes separabiles. Ego autem de vtraque diuisibilitate dico esse passionem. nam vtraque dicit ordinem & respectum: ordo autem non potest esse de quidditate alicuius entis absoluti; ideo nulla diuisibilitas est de essentia quantitatis: sed aliquid ipsi præsuppositum, nempe partium positio, vt diximus art. præcedenti.

Secun

Secunda. Secundam proprietatem asserunt esse finitatem, aut infinitatem, quam desumunt ex Aristot. 1. & 3. Physicorum. Sed contrà obiicitur, quòd proprietas omni inferiori debet conuenire: sed infinitas syncategorematica, de qua est sermo, nequit quantitati discretæ conuenire, nempe numero; ergo. Minor probatur ex Aristot. 5. Metaphysicæ cap. 13. textu 18. vbi affirmat, numerum esse finitum. Resp. Doctor finitatem & infinitatem competere simul quantitati in communi, & similiter quantitati discretæ: finitas tamen conuenit actu; infinitas verò in potentia, seu syncategorematicè, quia sicut quantitas continua est in potentia infinite diuisibilis; sic & numeri sunt infiniti in potentia, nam quælibet quantitatis diuisio auget numerum, sicut quælibet vnio minuit. nam illa addit quantitates numerabiles, vnio verò aufert. Si autem desideratur, quid sit infinitum categorematicum, & syncategorematicum. Resp. categorematicum esse actu infinitum: syncategorematicum verò infinitum est in potentia, non quia dicat potentiam ad actualem infinitatem, sed quia non habet terminum suæ diuisionis, nam quantumcunque quantum diuidas, semper remanet diuisibile, de quibus erit sermo lib. 3. physic. quæst.

Infinitum categorematicum, & syncategorematicum quid.

Proprietate seruitur.

Tertiam aliam proprietatem agnoscunt, nempe esse mensuram: hæc autem est duplex, alia actiua, alia passiuæ. Per mensuram actiuam de magnitudine alicuius rei certificamur, siue ad hoc sit necessarium quòd replicetur, vel non: sic vna de magnitudine panni certificamur, & quia numerus notificat multitudinẽ quantitatum, &c. mensura passiuæ est illa mensurabilitas cuiusuis finitæ quantitatis, tam discretæ, quàm continuæ:

finitæ, inquam, quia si daretur quantitas infinita, nec esset mensurabilis, nec mensura, nisi dicamus vnum infinitum alio posse mensurari, de quo vbi suprâ. Hæc duplex ratio mensuræ omni soli, quantitati & semper competit, propterea proprietas quarto modo existimanda est, si de aptitudinali loquamur. nam plures sunt quantitates actu quæ nec mensurant, nec mensurantur.

ARTICVLVS V.

Vtrum quantitas distinguatur realiter à re quanta.

Quamuis de hac re alibi fusiùs tractandum est, tamen ad exactam quantitatis connexionem, necessarium est scire, sitne accidens distinctum à substantia & aliis accidentibus, an verò ipsis identificata. 7.

Aureolus apud Capreolum in 2. distinct. 18. artic. 2. Okam in 4. dist. 4. & quodlibeto 4. quæst. 29. vsque ad 33. & quodlibeto 7. quæst. 25. & latissime in tractatu de corpore Christi cap. 17. & sequentibus, Gabriel in 2. distinct. 10. & plures alij, estque communis inter Nominales, asserunt quantitatem identificari cum substantiis materialibus, & accidentibus, ita vt quot sint accidentia, vel substantiæ, totidem quantitates erunt. Fundamentum huius sententiæ est quòd quæuis diuisibilitas est per quantitatem: sed singula accidentia, & substantiæ diuidi possunt; ergo habent sibi intrinsecam quantitatem & coæquam, itaque secundum hanc sententiam substantia dicitur substantia quatenus est ens per se, quantitas verò, quatenus diuidi potest, constatque partibus.

Quantitatem identificari cum substantia.

Distingui à substantia & accidentibus commune placitum.

Communis sententia affirmat quantitatem distingui realiter à substantia & accidentibus, esseque accidens genericum omnino ab eis distinctum. tenet Doctor in 4. distinct. 12. quæst. 2. §. *ad questionem*, versiculo *sed de facto*, num. 15. vbi dicit hanc esse communem opinionem, & in 2. distinct. 2. quæst. 9. & distinct. 12. quæst. 1. cum eo Lichetus, & 5. Metaphysicæ q. 9. quem eius interpretes sequuntur. est sententia D. Thomæ 3. parte quæst. 77. art. 2. & in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 1. & 5. Metaphysicæ lectione 5. quem sequuntur, Durandus, Richardus, Maior, & communiter recentiores interpretes, quæ veritas magis conuincitur communi omnium assensu, quam rationum metaphysicæ efficacitate. Probat ergo primò ex Aristotele 3. Metaphysicæ textu 17. vbi ex professo probat quantitatem non esse substantiam. idem probat primo lib. Physicorum contra Melissum asserentem vnum tantum esse principium rerum, & illud infinitum. Cuius falsitatem sic conuincit, finitum & infinitum sunt proprietates quantitatis; ergo si principium rerum naturalium est infinitum, iam concedis aliud principium, nempe quantitatem à substantia distinctum: sed si quantitas & substantia non distinguantur realiter, argumentum Philosophi erit insufficiente; supponit ergo hanc distinctionem. Item secundo libro de anima textu 65. docet quantitatem esse sensibilem per se, substantiam verò per accidens; quantitas, ergo & substantia realiter distinguuntur. Sequelam probo. nam quo pacto aliqua identificantur realiter, eodem participant denominationes, seu prædicationes, quia enim homo est per se rationalis, etiam risi-

bile est rationale, quia risibilitas identificatur cum homine; ergo si quantitas est sensibilis per se, substantia verò per accidens, ex mente Philosophi realiter distinguuntur.

Ratione etiam probatur. nam post consecrationem destructa substantia panis & vini (vt fides adstruit) solum remanet quantitas sensibilis, sub accidentibus panis, & vini; ergo distinguitur realiter à substantia, quandoquidem separatur ab ea. Sed ab hac difficultate facillimo negotio se expediunt Nominales; consentient enim secundum fidem, substantiam panis corrumpi: negant tamen manere eius quantitatem, sed quantitatem aliorum accidentium dicunt permanere.

Secundò probari potest nostra sententia. Implicat idem subiectum plures habere locales extensiones, sed si quodlibet accidens habet suam quantitatem, tot erunt extensiones locales, quot accidentia; ergo. Probat minor, quia quantitatem sequitur extensio localis: sed in quolibet subiecto tot sunt quantitates, quot accidentia; ergo totidem extensiones locales erunt, & per consequens plures magnitudines. Sed etiam huic difficultati facile respondere possunt, esse plures diuersi, non eiusdem ordinis. Sed contra est quòd extendere localiter nihil aliud est, quam facere distare latera continentis: sed quodlibet accidens per se sumptum hoc potest facere ratione suæ quantitatis; ergo tot erunt extensiones eiusdem ordinis, quot accidentia in eodem subiecto.

Obiicies primò tot esse existentias in quolibet composito, quot accidentia, ex dicendis in Metaphysica, & tot præsentias definitiuas, quot entitates præsentis, vt dicemus in 4. Physic.

Solutio. Physic. ergo non erit inconueniens si sint plures extensiones locales in eodem subiecto. Respond. disparerem esse rationem. nam existentia est idem formaliter cum re actuali, ex dicendis ibidem. Vnde cum ex communi sententia, actualitas accidentis distinguatur ab actualitate substantiæ, non mirum si in quolibet concreto accidentali, tot existentias completas concedamus, quot entia. Præsentia etiam definitiua necessariò sequitur entitatem alicuius rei, & ita vna præsentia aliam non impedit, sicut nec vna entitas aliam: tamen cum extensio localis sit in ordine ad locum, faciâtque distare latera continentis, videtur implicatio, quòd non magis faciant distare tres quantitates, quàm vna, eiusdem magnitudinis cum qualibet.

Obiectis secundis. Obiectis secundò, si quantitas distinguitur realiter à substantia; ergo substantia potest esse sine quantitate. Tunc sic vel illa substantia habet partes, vel non: si habet partes; ergo remanet diuisibilis & extensa, non in ordine ad locum, quia non est quanta, nec in ordine ad se, quia omnis diuisibilitas est per quantitatem; ergo quantitas est intrinseca substantia. Si dicas, omnes illas partes, subiectas quantitati post istius separationem, confluere ad punctum; contra est, quòd hoc deberet fieri per motum localem: sed hic est proprius quantitatis; ergo.

Obiectis tertis. Respond. substantiam in tali casu mansuram fore extensam, & cum diuersa partium positione, totam in toto spatio, quod antea occupabat, & partem in parte non circumscriptiuè, sed definitiuè. quod latius explicabitur in sexto libro Physic.

& 4.

Tertio obiectis. Quando quanti-

tas recipitur in substantia, vel recipitur tota in tota substantia, & tota in qualibet parte, vel pars in parte, & tota in toto. Primum est impossibile, quia hoc repugnat accidenti corporeo, & solum spiritualibus potest conuenire. Secundum etiam implicat. nam sequeretur, substantiam ex se habere partes extensas, & non à quantitate. Probo sequelam. nam subiectum supponitur ad formam; ergo partes substantiæ ad partes quantitatis: sed nulla res potest habere partes integrantes extensas, sine quantitate; ergo hæc eadem est cum substantia, & aliis accidentibus. Resp. quantitatem inhærere totam in tota substantia, & partes eius in partibus substantiæ: ad hoc tamen non requiritur quantitatem identificari substantiæ, sed hanc habere partes entitatiuas receptiuas partium quantitatis, vt supposuimus art. 2. & vbi supra explicabimus magis.

Expeditur.

DIFFICULTAS II.

De speciebus quantitatis continue.

8. **P**ostquam de quantitate in communi disputauimus, eius species iam veniunt explicandæ, & primo loco quantitas continua. nam eius partibus discreta quantitas materialiter componitur; est ergo quantitas continua, vt docet Aristot. in *Quantitas* hoc cap. *quius partes aliquo communi termino copulantur.* Terminus communis dicitur indiuisibile illud, quod copulat, connectitur, vnit, seu continuat partes. Ponitur in definitione quantitatis continuæ habere partes loco generis, quia in hoc quantitas continua, & discreta conueniunt; copulatas termino communi loco

loco differentia, quia in hoc differt à quantitate discreta, cuius partes nullo termino communi copulantur.

Quantitatis continua species: qua.

Hæc autem continua quantitas in successivam dividitur, & permanentem. hæc dicit partes simul existentes in continuo, cuius species sunt, linea, superficies, & corpus; illa dicit partes succedentes, & non habentes actualem durationem: huius autem species sunt tempus & motus, de quibus erunt sequentes articuli.

ARTICVLVS I.

Utrum linea, superficies & corpus sint species quantitatis continuæ.

9.

CUm omne corpus quantum sit longum, latum & profundum, hinc est quod tribus dimensionibus mensureretur, longitudine scilicet, latitudine, & profunditate. Longitudo conuenit lineæ, latitudo superficiei, profunditas verò corpori. Omnes istæ species in eo conueniunt quod termino communi copulentur, diuerso tamen modo. nam linea copulatur terminis omnino indiuisibilibus, v.g. punctis; superficies verò lineis indiuisibilibus secundum latitudinem, diuisibilibus verò, secundum longitudinem, & hinc est quod non vniant longitudinem, sed latitudinem quæti; corpus verò, seu profundum superficibus indiuisibilibus secundum profunditatem, diuisibilibus tamen secundum longitudinem & latitudinem. Ex quibus manifestè infertur longitudinem corporis esse à lineis, latitudinem verò à superficibus, profunditatem verò à corpore ipso, quod in se continet lineam, superficiem, & profunditatem, & ita his tribus mensuris dimetitur. Quatuor ergo breui-

ter sequentibus dictis examinantur, Primò an sint species quantitatis continuæ. Secundò an sint diuersæ species. Tertio vtrum infimæ, an subalternæ. Quarto an sint quantitates permanentes, an successiuæ.

Dico primò, linea, superficies, & corpus, sunt species quantitatis continuæ. est communis omnium Philosophorum sententia in hoc prædicamento, & probatur, quia essentia quantitatis continuæ, est habere positionem partium, quæ termino communi copulentur: sed partes lineæ copulantur punctis, partes superficiei lineis, & partes corporis superficibus; ergo sunt quantitates continuæ.

Afferuntur primum.

Dico secundò, linea, superficies, & corpus sunt species distinctæ quantitatis. hanc sententiam negare debent omnes authores qui affirmant, lineam, punctum, & superficiem non esse entia positiua, sed meras negationes, debentque dicere consequenter, solum corpus de prædicamento quantitatis esse speciem quantitatis continuæ. sic Durandus in 2. sententiarum distinct. 2. quaest. 4. Okam in tractatu de Eucharistia cap. 1. & 2. quod reputat probabile Fonseca lib. 5. Metaphysicæ sect. 4. Salablanca disput. 13. quaest. 1. Hurtado disput. 13. Metaphysicæ sect. 6. Nostra autem sententia communior est, sicut quæ asserit indiuisibilia vnitua, tam partium substantiæ, quàm quantitatis, aut aliorum accidentium esse positiua entia. Quæ conclusio sic probatur, diuersitatem specierum ex diuersitate passionum venamur. nam origo immediata passionum est species: sed linea, superficies & corpus distinctas habent affectiones; ergo specie distinguuntur. Maior est certa. Minor probatur, linea solum est extensa, & diuisibilis secundum longitudinem, superficies

IO. Afferuntur secundum.

Autho-ri placitum.

perficies secundum latitudinem, & longitudinem; corpus vero secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem; ergo ex hac diuersitate affectionum specificam diuersitatem inferre debemus.

tificatiue concedo, primario vero & formaliter nego. Constituitur enim linea positione partium secundum longitudinem; superficies vero positione partium secundum latitudinem. Ad haec autem sequuntur negationes aliarum dimensionum, sicut ad esse hominis non esse equum.

Obiectio prima.

Obiicies primo, vnam speciem non includi in alia, sicut homo non includitur in equo: sed linea & superficies includuntur in corpore; ergo.

Obiicies tertio species debent esse quid completum: linea autem & superficies sunt quid incompletum; ergo.

Obiectio tertia.

Resolvitur.

Resp. distinguendo maiorem, formaliter concedo, materialiter nego. Ad instantiam resp. negando paritatem, quia aliud iudicium debet fieri de speciebus substantialibus ac de accidentalibus, quia cum substantia non habeant subiectum, vna species nequit includi materialiter in alia, accidentia vero cum possint habere subiecta, non mirum quod includantur.

Probo minorem: nam componunt speciem completam, nempe corpus; ergo sunt quid incompletum: sicut materia & forma respectu physici compositi. Resp. lineam & superficiem esse partes incompletas corporis, completas tamen in suo genere, quod in compositis metaphysicis accidere solet. nam animal complet substantiam, & rationale complet animalitatem: sic quamuis linea in sua specie sit completa, & per modum rationis superioris non includatur in corpore, includitur tamen cum superficie materialiter, & sic in hac consideratione quid incompletum est.

Expeditur.

Resoluitur.

Sed contra hanc solutionem obiicies, hanc esse praedicationem formalem, corpus est longum, latum, &c. ergo linea & superficies, non materialiter, sed formaliter includuntur in corpore. Resp. dupliciter posse lineam & superficiem considerari, primo quatenus diuisibiles; secundo vero quatenus indiuisibiles. Primo modo sunt species quantitatis distinctae. Secundo modo solum continentur in corpore, vt indiuisibilia continuatiua illius: cum autem dicitur, corpus est longum, & latum, hic explicantur rationes intrinsecae superficiei & lineae, quae materialiter continentur in corpore: vnde haec praedicatio materialis erit, sicut haec, Homo est materialis, &c.

Vtrum autem linea & superficies contineantur in corpore vt partes materiales illius, an vt partes componentes, an solum indiuisibiliter, an etiam possint a corpore separari, dicemus 6. Physicorum, a quorum explanatione pendet, exacte cognoscere, qualiter linea contineatur in superficie, & vtraque in corpore.

Resolvitur.

Obiectio secunda.

Argues secundo differentias specificas esse quid positium: sed linea, & superficies distinguuntur per carentiam latitudinis, & profunditatis; ergo non differunt specificè. Resp. distinguendo minorem, distinguuntur per negationes secundario & no-

Obiicies quarto terminos rerum excludi a praedicamento: sed linea terminat superficiem, & superficies corpus; ergo. Resp. distinguendo maiorem termini indiuisibilis concedo, diuisibilis nego. Ad minorem resp. lineam, & superficiem non poni in praedicamento quatenus terminant, quia vt sic indiuisibiles sunt, sed quatenus habet partes extra partes, vt supra.

Obiectio quarta.

Dissoluitur.

Resolvitur.

11. *Affertum tertium.* Dico tertio, linea, superficies, & corpus sunt quantitates permanentes. Probatum, quia quantitas permanens est quæ pluribus constat partibus simul coexistentibus, & actualiter durantibus: sed hæc omnia, ut experientia patet, sunt huiusmodi; ergo.

Affertum quartum. Dico quarto, hæc sunt species infimæ. Probatum, quia sub se alias species non continent; ergo.

Obiectio. Obiectis, lineam diuidi in curuam & rectam, superficiem in concuam & contexam, corpus verò in rotundum, & quadratum; ergo habent sub se alias species, & per consequens non sunt infimæ, sed subalternæ. Resp. has esse differentias accidentales, sicut homo paruus solum accidentaliter distinguitur ab homine procero.

12. *Dubium primum.* Dubitari posset primo, vtrum locus sit species quantitatis: sed hoc dependet à quadam quæst. examinanda in 4. Physicorum, scilicet, quid sit locus formaliter. Certum est quòd si sit quantitas, erit species illius; si verò aliqua relatio, non poterit formaliter esse species quantitatis. quam quæstionem ibidem examinabimus.

Dubium secundum. Secundo posset dubitari, vtrum tempus & motus sint species quantitatis successiuæ continuæ. Sed ad hoc requiritur examinare, vtrum tempus & motus distinguantur realiter, & vtrum sint quantitates. quæ omnia examinantur in 4. Physicorum, & ibi hæc resoluitur difficultas.

ARTICVLVS II.

De speciebus quantitatis discretae.

13. *Quantitatis discretae species quæ.* Certum debet esse, admittendam esse quantitatem discretam, distinctam à continuâ, in hoc enim differunt, ut docet Arist. in hoc prædicamento, quòd continua constat par-

tibus termino communi copulatis & vnitis; discreta verò partibus inunitis, & discretis. Cùm autem continuum, aliud sit transcendentale, quod transcendit per omnia prædicamenta; aliud quantitatum, quod solum ad prædicamentum quantitatis spectat; hinc est quòd discretio potest esse quantitatum, & aliarum entitatum, tam spiritualium, quàm materialium. Rursus cùm quantitates continuæ, aliæ sint permanentes, aliæ verò successiuæ; hinc est quòd discretio etiam inter partes successiuas & permanentes sit. huius species est numerus, illius verò oratio: quæ pluribus temporibus constat.

Dubitari posset primo, vtrum numerus sit species quantitatis discretæ? Hic solet disputari, quæ sit forma numeri, de quo agendum est in Metaphysica. Dato autem quòd forma hæc sumatur ab vltima vnitate, siue à quodam respectu rationis causato ex numeratione actuali intellectus, siue ab alia forma reali, omnibus vnitatibus superueniens, & ab eis resultans, ut docet Doctor in 3. distinctione 22. quæstione 1. §. modo ad propositum, num. 18. Dico numerum numerabilem, quod idem est ac multitudo, seu pluralitas quantitatum, esse quantitatem discretam. docet expressè Aristoteles lib. 5. Metaphysicæ capite 13, textu 18. vbi hæc habet. *Multitudo igitur quantum quid, si numerabilis est; magnitudo verò, si mensurabilis: dicitur autem multitudo quidem quæ potentia diuisibilis est in non continens.* Et 8. Metaphysicæ capite 3. docet numerum non esse magis vnum, quàm cumulus; ergo ex mente Aristotelis numerus constituens hanc speciem prædicamentalem non est forma illius, sit hæc, vel

vel illa, sed unitatum multitudo, quæ numerari potest.

Probatum primò. Iste quantitates, ut subiacent numerationi, v.g. rationi ternarij, aut quaternarij, siue hæc forma sit relatio realis, siue rationis, non est ens per se, sed per accidens, quandoquidem contingit entitatibus; numeratis ergo non formaliter, sed materialiter pertinet numerus ad quantitatem.

Secundò hæc forma non est quantitas, nec pertinens ad prædicamentum quantitatis; ergo non potest constituere numerum formaliter ponibilem in prædicamento.

Obiicitur prima. Obiicies cum Okam in 1. distinctione 27. quæstione 2. quem sequitur Fonseca 1. Metaphysicæ cap. 13. quæst. 4. & sectione 4. Suarez 2. tomo Metaphysicæ disputat. 41. sectione 1. assertionem 4. num. 16. & alij recentiores, quos in Metaphysica referemus, qui negant numerum esse veram speciem quantitatis. Primò sic, species debet esse una: sed numerus dicitur plures unitates per modum plurium; ergo non est species quantitatis. Resp. concedendo maiorem; ad minorem dicitur, numerum dicere plura continua in se, unum tamen discretum: unde bene inferitur non esse quantitatem continuam, non verò discretam. quod probatur, nam quantitas essentialiter constituitur positione partium: sed numerus habet distinctam positionem à quantitate continua; ergo constituit distinctam speciem.

Obiicitur secunda. Obiicies secundò, quantitatem discretam à continua solum differre quòd hæc dicitur partes copulatas termino communi, illa partes tali termino carentes: sed hæc differentia est accidentalis, & quasi negativa; ergo. Resp. quòd sicut continua quantitas essentialiter constituitur continuatione

partium, sic discreta discontinuatione, & multitudine. Cum autem dicis quòd hæc differentia est negativa. Resp. quidditatem numeri numerabilis, de quo est sermo, explicari negatione; in se tamè quid positivum esse. nam entitatum multitudo aliquid positivum discretum importat. Plura alia possunt obiici, quæ nos in Metaphysica obiiciemus: sed omnia probant numerum non esse quantitatem continuam, non verò discretam quantitatem impugnat.

Itaque fatentur omnes, numerum esse quantitatem discretam, ut ex Philosopho euidenter constat: negant tamen quamplures esse veram speciem quantitatis, quòd nos fatemur ob rationes supradictas.

Dubitabis secundò, utram quantitas discreta inueniatur in rebus spiritualibus, & non quantis? Affirmant plures antiqui, quibus adhærent nonnulli recentiores. probant ex Augustino & Damasceno, item ex communi modo loquendi Theologorum, qui numerum in omnibus entibus reperiunt, cum dicunt plures esse Angelos. Item enumerant quasunque alias res spirituales; ergo quantitas discreta inuenitur in rebus spiritualibus. confirmari potest ex Aristot. 10. Metaphysicæ, sic definiente numerum, quòd sit *multitudo numerabilis unitate*. sed quælibet entia, tam spiritualia, quam materialia, sunt numerabilia unitate; ergo.

19. Dubium secundum. Communior sententia negat, & communis placitum. probabilius. Probatum, quia si ex eo solum spirituales entitates pertinent ad quantitatem quòd, numerabiles sunt; ergo etiam substantia, & alie qualitates materiales, aut spirituales, quia copulantur termino communi, sub quantitate continua constituentur. Secundò à priori probatur

numerus nulla alia ratione pertinet ad quantitatem, nisi quatenus dicit multitudinem partium carétium termino communi: sed res spirituales, aut alterius prædicamenti, nec sunt quantitates entitatiæ, nec dicunt multitudinem quantitatum, nec subsunt alicui formæ quantitatiæ, cum numerus, de quo loquimur, nullam aliam formam dicat, quàm multitudinem; ergo falsò ponuntur in prædicamento quantitatis.

*Opposi-
tioni oc-
curritur.*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ responderetur concedendo, alias entitates à quantitate esse numerabiles, tamen inde non inferatur esse numerum quantitatum, sed transcendentalem: sicut etiam res spirituales dicuntur magnæ, quæ est propria affectio quantitatis; & tamen hæc magnitudo explicatur de quantitate virtutis, seu perfectionis, non autem de quantitate molli. Posset aliquis inquirere, cur sicut qualitates spirituales & substantiæ ponuntur in prædicamento, non sint etiam aliæ quætitates spirituales, quæ in prædicamento quætitatis collocentur, sed de his dicemus in Metaphysic.

*Dubium
tertium.*

Dubitabis tertio, utrùm oratio sit vera species quantitatis? Per orationem non intelligimus plurium dictionum congruitatem, vt Dialectici communiter intelligunt; sed multitudinem morularum, seu syllabarum, quæ nulla interiecta vnione in quavis oratione, seu dictione reperiuntur. Conueniunt omnes esse quantitatem discretam, vt de numero diximus; negant tamen esse veram speciem ob rationes dictas de numero, itaque omnes illi qui affirmant numerum non esse speciem quantitatis, eodem fundamento probant neque orationem esse veram speciem. Nos tamen dicimus esse veram speciem

quantitatis. ita Doctor quaestione 19. vniuersali. Probatur, quia illa est vera species quantitatis distincta ab aliis, quæ habet distinctam positionem partium: sed oratio habet partes continuas successiuas, quas non habet numerus; ergo. Confirmatur. nam quantitas discreta solum dicit multitudinem vnitatum quantitatarum: sed numerus solum dicit quantitates numerabiles; oratio verò, multitudinem quantitatum successiuarum, quæ mensurantur longitudine & breuitate; ergo. Itaque numerus & oratio solum differunt, quòd numerus vnitatibus mensuratur; oratio verò longitudine, aut breuitate, inde numerum dicimus ternarium, aut quaternarium, orationem verò breuem, aut longam.

Obiicies Doctorem q. 19. vniuersali, asserentem, orationem, & numerum non materialiter solum, sed formaliter distingui; ergo quantitas discreta habet aliquam formam per quam ponitur in prædicamento. Resp. nos non negare quantitatem discretam dicere aliquid posituum, imò hoc probabimus ex Doctore in Metaphysica, & idem dicemus de numero & oratione; dicimus tamen hoc posituum, non esse aliquam vnã formam realem distinctam à discretione quantitatum, sed esse illam numerabilitatem, seu mensurabilitatem quam dicunt numerus, & oratio. Cum ergo oratio dicat mensurabilitatem, numerus verò numerabilitatem ex distinctis affectionibus, diuersas quoque formas específicas discretas veniunt. Itaque nos negamus formam aliquam physicam, constituentem quantitatem discretam, non verò metaphysicam, seu specificam, de qua loquitur Doctor.

Dubitabis vltimò, utrùm numerus, & ora

16.
Obiectis.

*Enfeh-
tur.*

*Dubium
vltimò.*

& oratio sint species infimæ, an subalternæ? Respond. esse species infimas. Fundamentum est. nam numerus & oratio, solum ponuntur in prædicamento quatenus dicunt multitudinem numerabilem & mensurabilem: sed accidit numero quòd dicatur ternarius, vel quaternarius, sicut orationi quòd sit longa, vel brevis; ergo sunt species infimæ. Vnde quamuis ternarius in communi contineat sub se hunc, & illum ternarium; hoc tamen non est quatenus spectat ad quantitatem, sed formaliter, & vt est numerus numeratus, quod est quid rationis proueniens ab actu numerante intellectus.

Resolutio questionis.

Explicuimus iam in tota hac questione genus generalissimum huius prædicamenti, eius passiones, & species: nunc autem claritatis gratia in hoc epilogo complectimur, genus generalissimum est quantitas in communi, quatenus dicit positionem partium. Eius passiones sunt, non habere contrarium, non suscipere magis & minus, esse æqualem, vel inæqualem, diuisibilem, finitam, vel infinitam, mensuram, & mensurabilem. Huius quantitatis subalternæ species & immediate sunt quantitates continua, & discreta. Quantitas continua in quatuor species subdividitur, videlicet lineam, superficiem, corpus & tempus, & istarum quælibet sua continet individua. Quantitas discreta in orationem, & numerum diuiditur, quæ sunt species infimæ quantitatis. Aliæ autem diuisiones quantitatis quæ solent adduci, v.g. quantitatis successiuæ, & permanentis, &c. nunc non ponuntur in prædicamento, quia non est certum, vtràm sint

essentiales, vel accidentales differentiarum, hoc examinabimus in Metaph. & inde patebit resolutio.

QVÆSTIO XVI.

De prædicamento relationis.

Rostquam in superioribus questionibus de substantia, & quantitate egimus, in præsentia iam, iuxta Philosophi logicalem ordinem, de relatione venit disputandum; nec abs re prius de qualitate, quàm relatione tractaremus, tum, quia ipse Philosophus 5. Metaph. sic processit, tum quia omne absolutum præcedit relationem. Denique quia non solum ordine perfectionis qualitas relationem præcedit, sed etiam ordine cognitionis: vt enim quantitatem & substantiam cognoscamus, coloribus indigemus; sequemur tamen ordinem communem Logicorum. Per relationem nihil aliud intelligimus quàm *habitudinem vnus extremi ad aliud.* Est autem hæc duplex, vna rei, rationis altera. Relatio rei ea est quæ inest rebus, etiamsi ab intellectu non cognoscantur, tales sunt habitudines patris ad filium, æqualis & inæqualis, dimidij & dupli. Habitudo rationis totaliter pendet ab intellectu ministerio. sic sunt relationes inter superius & inferius, &c. de quibus plura diximus quæst. 6. per totam. Rursus relatio realis triplex, vna transcendentalis & intrinseca, quæ per omnia transcendit prædicamenta, omnibusque entitatibus identificatur. Alia prædicamentalis, & intrinsecus adueniens, quæ ex vi fundamenti & termini necessariò resultat. Alia realis

I.
Relatio.

Relatio-
nis species
9^{na}.

extrinsecus adueniens, quæ ex mente Doctoris in 4. dist. 13. q. 1. num. 9. ea est, quæ vel per actionem producitur, vel si resultat ex extremis, non est ex vi & efficacitate præcisa ipsorum, sed accrescente aliqua conditione extrinseca, vt explicabimus infra. Ceterum cum relatio sit habitudo inter duo extrema, necessarium est quod sit vnum quod referatur, & aliud quod terminet talem respicientiam. Primum dicitur relatiuum, illud verò ad quod refertur correlatiuum. Rursus quod refertur vocatur *fundamentum*, illud verò ad quod refertur, *terminus* dicitur. Fundamentum autem duplex est, aliud proximum, quod est proxima ratio resultandi relationes, aliud remotum, quod etiam dicitur subiectum, quia subest relationi, quæ cum accidens sit, debet habere subiectum cui inhæreat. v. g. Petrus & leo referuntur relatione diuersitatis. Diuersitas essentialis dicitur fundamentum proximum relationis, Petrus subiectum, seu fundamentum remotum, quia in ipso subiectatur relatio. Item dicitur relatiuum, quia refertur ad leonem: hic autem dicitur terminus, quia terminat relationem diuersitatis. Item correlatiuum, quia mutuo refertur ad hominem, respectu cuius homo dicitur terminus, & correlatiuus. quibus cognitis, plures difficultates veniunt discutiendæ. Prima, an dentur relationes reales? Secunda, an aliquæ identificentur cum fundamento? Tertia, an aliquæ ab eodem realiter distinguantur? Quarta, vtrum dentur relationes extrinsecus aduenientes? Quinta de relatiuis, & eorum proprietatibus.

* * *

DIFFICULTAS I.

Vtrum dentur relationes reales.

NON contendo modò cum authoribus asserentibus relationem non esse formam distinctam à fundamento & termino. nam ipsi non audent negare, dari relationes reales; solùm ergo intendo impugnare Stoicos & Zenonem asserentes omnes esse relationes rationis, & nulla inter sese realiter referri. Vnde immeritò Marginistæ Doctores imponunt Nominalibus, & eorum sequacibus, quod non admittant respicientias reales. nam hoc ipsi fatentur, & solùm negant esse aliquid distinctum à fundamento & termino, cuius rei implicanciam ostendemus difficult. 3.

2.
Relaciones reales.

ARTICVLVS VNICVS.

Probat, dari relationes reales.

DOCTOR in 2. dist. 1. quæst. 4. §. 6. & quia posset, num. 111. quadruplici via hanc veritatem ostendit. Primò, quia opposita sententia destruit unitatem vniuersi. Secundò, quia destruit omnem compositionem in vniuerso substantialem & accidentalem. Tertio, quia destruit omnem causalitatem causarum secundarum. Quarto, quia realitatem scientiarum mathematicarum destruit.

Primum probatur faciliter, quod scilicet destruat unitatem vniuersi, quia secundum Philosophum 12. Metaph. textus 52. unitas vniuersi est in ordine partium ad se inuicem, & ad primum sicut unitas exercitus est in ordine partium exercitus inter se & ad ducem. Et ex hoc contra negantes relationem esse rem extrinsecam intellectus, potest dici verbum Philosophi

Iosephi 12. *Metaph.* quod tales qui sic dicunt, inconnexam faciunt uniuersi substantiam.

Secundum probatur, quia nihil est compositum sine unione partium componentium, ita quod partibus separatis non manet compositum; nihil autem reale dependet ab eo, quod est tantum ratio; & precipue quod est tantum ratio causata per actum intellectus nostri, & saltem reale tale, quod non est artificiale. Igitur nullum totum compositum erit reale naturale, si necessario ad suum esse requirat relationem, qua relatio nihil est nisi ens rationis.

Tertium probatur, quia causatio effectus realis, non requirit ens rationis in causa, & non possunt causa secunda causare nisi proportionata & approximata: igitur si ista approximatio est tantum ens rationis, non poterunt sub ista approximatione causare aliquid reale, quod sine ista approximatione non possunt causare: & si ista approximatio, qua est relatio, nulla res est per se: igitur causa secunda nihil confert ad posse causare.

Quartum probatur, quia omnes conclusiones mathematica demonstrant relationes de subiectis, quod appareat primè ex autoritate Philosophi, 13. *Metaph.* cap. 1. in fine. Boni autem maxime species & ordo & commensuratio, & determinatum, qua maxime ostendunt mathematica scientia; quia illa ars est in proportione & mensuris aliquorum adinuicem.

Secundo patet hoc per experientiam discurrendo per conclusiones mathematicas, in quibus omnibus communiter predicatum est aliqua passio relatiua. Sicut patet incipiendo à prima conclusione Geometrie, ubi ostenditur equalitas laterum de triangulo, vel de linea recta, hoc predicatum posse esse basim, vel latus trianguli æquilateri, & ita in omnibus alijs: Puta quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Passio demonstrata

de tribus angulis, trianguli est ista, scilicet equalitas duobus rectis; & ita est in alijs.

DIFFICULTAS II.

An dentur relationes reales identificata cum fundamento.

Nonnulli negant dari tales relationes, & affirmant omnes à fundamento, seu subiecto, realiter distingui. citatur Caietanus quæst. 45. art. 3. sed ibi solum negat relationem creaturæ ad creatorem esse idem realiter creaturæ. citatur Ferrariensis 4. contra gentes cap. 14. vers. *ad istam rationem.* Fundamentum huius sententiæ est, quod si aliqua relatio identificaretur cum fundamento, maxime dependentia creaturæ ad creatorem: sed hæc non identificatur, ergo. Maior est certa. nam nulla dependentia est adeò intrinseca rebus, quàm ea, quæ dependent à Deo creante, & conseruante. Minor etiam ab inconuenienti probatur. nam sequeretur quod omnia quæ sunt in mundo, essent substantialiter relatiua, cum omnia dependeant à Deo: sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Confirmatur. nam ideo Arist. 4. *Metaph.* contra Heraclitum & Cratillum, negat veritates rerum esse apparentes, quia apparentia est relatio, & sic omnes res essent relatiuæ: sed hoc inconueniens sequitur ex nostra positione; ergo.

Communis sententia sustinet aliquas relationes identificari cum fundamento. ita Doctor in 2. dist. 2. q. 2. in fine, ubi se allegat in eodem 2. dist. 1. quæst. 5. Sed nouus Scholiastes hoc habet in quæst. 4. §. *ad questionem*, n. 21.

&

& in 3. d. 1. quæst. 1. §. *ad aliud*, num. 14.
 & in 1. d. 17. quæst. 3. §. *tenendo*, vers.
hanc viam, num. 7. & theoremate 19.
 numer. 14. Eandem sententiam tenet
 D. Thom. 1. parte quæst. 13. art. 7. ad
 primum quæst. 28. art. 1. Caietanus
 opusculo de ente & essentia cap. 7.
 quæst. 15. Fonseca 5. Metaph. cap. 15.
 quæst. 1. sect. 4. Conimbricenses in
 hoc prædicamento quæst. 1. Suarez
 disput. 47. sect. 5, num. 8. & de relatio-
 ne creaturæ ad creatorem affirmat
 Vasquez 2. tomo 1. partis quæst. 173.
 cap. 3. argumentaque Doctoris, qui-
 bus hæc veritas probatur, dicit esse
 euidentiam.

Hanc veritatem sic probat Doctor
 quæst. 4. secundæ sententiarum dist. 1.
 §. *ad quæstionem*, num. 21. Quando ali-
 qua taliter inte se dependet, vt vnã
 sine alio implicet esse, arguitur iden-
 titas realis: sed creatura nequit esse
 sine dependentia à creatore; ergo hæc
 dependentia identificatur cum crea-
 tura. Maior est certa. nam nullum aliud
 est fundamentum cognoscendi iden-
 titatem realem, nisi inseparabilitas
 extremorum. Minor probatur, quia
sicut impossibile est lapidem esse sine
Deo, ita impossibile est lapidem esse
sine dependentia eius ad Deum. nam si
posset esse sine dependentia, illa posset esse
sine termino illius dependentie, non enim
est impossibilitas essendi absque termi-
no, nisi propter ipsam dependentiam:
non est autem aliquid non necessarium sim-
pliciter, ratio simpliciter necessarij; ergo,
 &c.

Confirmatur, quia nullum intrin-
 secum potest alicui ab extrinsecò
 conuenire: sed dependentia creaturæ
 ad creatorem est intrinseca creaturæ;
 ergo non potest illi conuenire per
 aliquam relationem extrinsecam, seu
 realiter distinctam.

Secundò probat Doctor num. 23.

hoc modo: quod uniformiter dicitur de
 omni alio à Deo, nulli dictò ad Deum
 accidit: sed talis relatio communis omni
 creatura uniformiter dicitur de omni
 alio à Deo, ad ipsam Deum; ergo nulli
 accidit, & ita est idem fundamento. Pro-
 batio maioris, quia si alicui accideret,
 pari ratione & alteri: *supputa si relatio*
effectus ad causam accideret lapidi, &
per consequens esset res alia à lapide: pari
ratione ipsa haberet relationem ad Deum,
et effectus ad causam, & tunc accideret
sibi alia relatio effectus, & ita esset alia
relatio, & sic in infinitum.

Certum ergo debet esse ex funda-
 mentis, quibus Doctor hanc senten-
 tiam probat quòd quotiescunque ali-
 quid nequit intelligi sine termino,
 dependentia, seu respectus ad illum
 identificatur cū absoluta entitate rei.
 Vnde aptitudinalis inhærentia acci-
 dentis ad subiectum, dependentia
 actus, & habitus ab obiecto, sunt idè
 realiter cum suis fundamentis, quia
 esse absolutum accidentis per nullam
 potentiam potest esse sine tali aptitu-
 dine, sicut nec habitus & actus adhuc
 secundum esse absolutum sine ordi-
 ne ad obiectum, de quibus in particu-
 lari in propriis quæstionibus disputa-
 bimus.

Contra primam rationem obiicit *Obiecto.*
 Doctor num. 22. vers. *contra*, quòd ex
 ea sequeretur, quamlibet relationem,
 quæ inest essentia diuinæ, per actum
 intellectus diuini esse eandem illi es-
 sentia. Probatio, quia impossibile est,
 illi essentia esse sine ea: *si enim talis re-*
latio posset esse noua; ergo intellectus diu-
inum posset mutari, quod est impossibile:
sed ponere talem eandem ibi, est ponere
inconueniens, quia tunc esset realis; quid-
quid enim est idem rei, est reale: illa autem
relatio non est realis, ex dist. 30. primi q. 2.
 ergo, &c.

Respondet, impossibilitas separatio-
 nis

Eneda-
 tur.

*nisi potest esse ex ratione ipsius, à quo ali-
quid est inseparabile, & potest esse ab ali-
quo extrinseco. Exemplum huius secundi,
quia secundum Philosophum contradictio
est, caelum esse sine motu: non quidem ex
causa intrinseca in caelo, quia est rece-
ptivum motus, & indifferens ad quietem
sicut ad motum, sed ex causa extrinseca
mouente. Non tamen sequitur quod caelum
sit motus finis, licet non possit esse sine eo.
Modo dico quod impossibilitas essendi
lapidem absque dependentia eius ad Deum
est ex ratione lapidis praecise: ex qua
etiam est ratio impossibilitatis essendi
lapidem sine termino dependentia; quid-
quid enim est ratio requirendi terminum
dependentia, est ratio habendi dependen-
tiam illam: sed in ista instantia adducta,
non est necessitas simpliciter inherencia
talis rationis, nec impossibilitas oppo-
siti ex natura rei, ex parte essentia di-
uina, quasi impossibile sit eam esse nisi exi-
gat terminum ad quem, quem impossi-
bile est non esse: sed tantum est incom-
possibilitas ex causa extrinseca, scilicet in
intellectu divino, causa, inquam, simpli-
citer necessario agente, & ideo incom-
possibilitas est, ex parte eius nouiter
agere.*

Ex qua mirabili doctrina habemus quid respondeamus cuidam argu-mento quod obiicit Caietanus ubi supra, suo videri, euidenti; sic enim ad hominem insurgit contra Doctorem. Partes simul sumptae & unitae nequeant esse sine toto, & nihilominus ex sententia Doctoris, ut probabimus q. 7. Physicorum, realiter distinguuntur à toto: non ergo inseparabilitas conuincit identitatem. Respond. ex dictis, non quamcunque inseparabilitatem concludere identitatem, sed eam solum, quae à principiis intrinsecis rei provenit; cum ergo inseparabilitas partium unitarum à toto, ab aliquo extrinseco

proveniat, nempe ab vnione, non mirum quod realiter distinguantur à toto, quod magis explicabimus quaest. 7. Physicorum.

Secundò obiicies. Creatura nequit esse sine Deo ab intrinseco; ergo Deus & creatura, ob eandem rationem, erunt idem realiter. Respond. disparem esse rationem. nam inter Deum, & creaturam & fundamentum realis distinctionis, quia etsi creatura nequeat esse sine Deo; Deus tamen, etiamsi annihiletur, creatura existit: at creatura non valet existere sine dependentia, nec ista habet esse annihilata creatura.

Ad fundamentum oppositae sententiae respond. concedendo assumptum, quod inconueniens etiam sequitur, si omnes relationes distinguantur realiter à fundamento. Secundò resp. ipse Doctor esse inconueniens quod omnia entia essent relatiua essentialiter, quod intendit Arist. non tamen obstat omnia entia esse relatiua relatione ab essentia distincta.

ARTICVLVS I.

*Qualiter distinguantur praedictae
relationes à suo sub-
iecto.*

ALiqui authores affirmant has relationes esse eandem entitatem fundamenti, quae non est pure absoluta; sed in ipso intrinseco conceptu includit ordinem ad aliud. ita videtur sentire Caietan. de ente & essentia cap. 7. quaest. 15. cui subscribit Suarez disp. 47. Metaphys. section. 3. num. 12. ubi affirmat verisimile esse in entibus creatis, nullum esse ita absolutum, quin in sua essentia includat aliquem transcendentalem respec-

5.
Alia ob-
iectio.
Soluatur.

Opposita
sententia
occurrit.

ctum, saltem quatenus est ens per participationem, per se & essentialiter pendens ab ente per essentiam, nam quamvis actualis dependentia sit relatio ex natura rei, aptitudinalis tamen est ipsa quidditas. huiusmodi sunt, ratio potentiae, habitus, & cuiuspiam partis completæ.

*Relatio-
nes à
funda-
mento
differūt.*

Doctor verò vbi suprâ verſ. *secundum membrum*, num. 25. docet, has relationes distingui formaliter à fundamento, & licet ibi non dicat hanc distinctionem esse ex natura rei; tamen in eius doctrina compertissimum est, omnem distinctionem formalitatum esse ex natura rei. Fundamentum est, quòd omne absolutum est ad se, relatiuum verò ad aliud; ergo hæc relatio & dependentia non potest esse de quidditate alicuius entis absoluti, propterea in 4. dist. 12. quæst. 1. & 7. Metaph. quæst. 1. affirmat aptitudinalem in hærentiam non esse de quidditate accidentis, quia relatio nequit essentialiter constituere ens absolutum. quòd fundamentum explicat Doctor vbi suprâ, doctrina quadam satis necessaria, quia ad identitatem formalem necessarium est quòd aliqua se inuicem includantur, & mutua perfectione identificentur, vt definitio, & definitum: sed relatio ista non includit absolutum, etiam si absolutum ob suam perfectionem eam sibi identificet; ergo non sunt idem formaliter adæquatè, ac per consequens formaliter distinguuntur. quòd exemplo confirmant. Nam sicut essentia continet passiones, non ob istarum perfectionem, sed ob perfectionem essentiae in continendo; ita creatura, vel habitus, &c. non includunt dependentiam ob istius perfectionem: sed quia illæ sunt perfectæ in continendo; ergo non est adæquata identi-

tas, inter absolutum & relationem, sed saltem formaliter distinguuntur.

Obiicies quòd entitas creaturæ, quæ distinguitur à relatione, vel est dependens, vel independens: si independens; ergo eum sit quid creatum, dabitur aliqua creatura independens à Deo: si dependens, inquiri de illa, an sit idem formaliter cum identitate absoluta, vel distincta: si distincta, idem formabo argumentum, si idem; ergo relatio dependentiæ omnino identificatur cum ente absoluto. Respond. illam rationem absolutam præcisè neque esse dependentem, nec independentem formaliter: dependere tamen fundamentaliter, quia ipsi debetur formalis dependentia: sicut homo formaliter nec est risibilis, nec non risibilis; est tamen fundamentaliter risibilis, quatenus, ei in secundo instanti debetur risibilitas.

Obiicies secundò quòd ea quæ ponuntur in prædicamento substantiæ, aut in aliis prædicamentis, realiter distinguuntur ab his, quæ in altero prædicamentorum collocantur: sed relatio ponitur in prædicamento relationis; ergo non potest esse idem realiter cum substantia, aut aliis entibus absolutis. Respond. has relationes identificari cum suis fundamentis, & esse transcendentales: vnde non mirum quòd in diuersis prædicamentis constituantur. Vtram autem omnes istæ relationes sint eiusdem speciei, videtur affirmari à Doctore n. 19. & 26. sed eius mentem in Metaph. examinabimus.

Obiicies tertio plures respectus necessariò poni in definitione absolutorū, v.g. in definitione essentiali accidentis ponitur ordo ad subiectum, similiter actus per obiecta definiuntur; ergo isti respectus sunt de quidditate absoluti entis. Respond. concedendo

Obiectis.

Diluitur.

*Obiectis
secunda.*

Enodatur.

*Obiectis
tertia.*

Solutio.

dendo accidens definiti per subiectum, & similiter actus per obiecta; nego tamen hanc definitionem esse essentialem, est enim descriptiua, quia est per passionem rei. nam, vt docuit August. 7. de Trinit. cap. 1. *Omne quod relatiue dicitur, est aliquid, excepto relatiuo.* ergo ex mente August. respectus iste aliquid addit saltē ratione ratiocinata distinctum (vt plures Thomistæ affirmant) supra entitatem absolutam. Quod autem potentia & accidentia per extrinseca definiuntur, inde prouenit quod sunt entitates imperfectæ, quæ pro hoc statu nequeunt quietate intellectum in earum cognitione sine ordine ad aliquod exterius. Hoc autem argumentum magis vrget Suarez, qui affirmat relationem creaturæ ad Deum esse ei intrinsecam. nam ex hoc necessariò infertur, (vt optimè noctor Doctor contra Henricum) respectum istum debere poni in definitione essentiali rei, quia definitio essentialis integram quidditatem rei manifestat: sed possumus definire, imò frequenter definimus hominem, equum, &c. nulla facta mentione talis respectus; ergo hic est extra quidditatem entis absoluti. Si verò creaturam non possumus sine tali respectu cognoscere, est, quia iam formaliter includitur tanquam passio; sicut ob eandem rationem non possumus cognoscere risibile formaliter sine risibilitate.

Obiicies quartò Augustinum 5. de Trinit. cap. 5. vbi dicit quod in creaturis, *quidquid non secundum substantiam dicitur, restat vt secundum accidens dicatur.* Sed istæ relationes per nos non dicuntur secundum substantiam; ergo sunt accidentia. Respond. concedendo maiorem, quæ est Augustini, & negando minorem. nam istæ rela-

tiones etsi non sint essentielles, sunt tamen substantiales, quia identificantur cum vera substantia, seu essentia rei.

Petes vtrum istæ relationes dicantur transcendentales, an secundum dici? Respondet aliqui relationes secundum dici, esse aliquid rationis. hac relatione dicuntur referri ea quæ merè absoluta sunt, concipiuntur tamen à nobis quasi relatiua. Sic est potentia diuina quam ex nostra imperfectione sine ordine ad suos effectus cognoscere non valemus, etsi in se absolutissima sit; relationes verò transcendentales esse, quæ in re & secluso opere intellectus respiciunt suos terminos. ita sentit Suarez vbi supra num. 9. cui adhæret Vasquez 1. parte disp. 173. cap. 4. vnde secundum hanc sententiam istæ relationes non erant secundum dici, sed transcendentales. Alij verò inter has relationes nullum discrimen nisi denominationum inueniunt, dicunt enim vtramque relationem, eandem esse suo fundamento, seu vnam, & eandem relationem esse transcendentalem, & secundum dici, penes diuersas denominationes. Dicitur transcendentalis, quatenus transcendit per omnia prædicamenta, & secundum dici, quia non absolute denominatur relatio; sed dicitur relatio, quia ad modum veræ relationis concipitur. Ego verò existimo, relationes secundum dici à transcendentalibus non differre. nam vel dicuntur relationes cum fundamento in re, vel sine fundamento. Si primum dicas; ergo iam in fundamento est aliqua realis respicientia, quæ ex dictis supra saltim formaliter debet à suo absoluto differre, & consequenter erit transcendentalis. Si dicas nullum supponere fundamentum; ergo est relatio

7.
Quaestio.
Responsio.

Authoritas.

Obiectio
quarta.

Distinuitur.

tio ficta, de qua nunc non disputamus.

Cōclusio.

Dicendum ergo est sine vlla tergiversatione has relationes dicendas esse transcendentales. ita Doctor in 2. dist. 1. quæst. 4. §. *ad argumenta principalia*, vers. *ad secundum*, num. 26. & in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *ad illud in oppositum*. tum quia transcendentur per omnia prædicamenta, tum quia non requirunt terminos existentes actu, ut patet de actu, & habitu scientiæ: tum denique, quia identificantur inadæquatè cum suis subiectis, quæ prædicamentalibus relationibus non contingunt.

DIFFICULTAS III.

Utrum aliquæ relationes reales distinguantur realiter à fundamento.

8.

Supposuimus difficultate 1. commune placitum admittere relationes reales, & nos ibidem art. 1. cum Doctore ostendimus; nunc etiam supponimus cum Philosopho & communi etiam sententia, concedendas esse relationes prædicamentales, quibus conueniant conditiones difficult. 4. explicandæ; solum ergo controuertitur, an relationes illæ, quæ posito fundamento & termino, de nouo consurgunt necessariò, & ad quas non datur per se motus, seu relationes intrinsecus aduenientes, à suo fundamento realiter distinguantur, an modaliter, an verò formaliter, vel nullo modo.

ARTICVLVS I.

Explicantur diuersa Authorum placita.

PRIMA sententia affirmat relationes reales prædicamentales non distingui realiter à fundamento. hanc sententiam tenent Nominales, Okamus in 1. distinct. 30. q. 4. & quodlib. 6. q. 8. 9. & 10. concl. 1. Gabriel in 1. dist. 3. q. 4. art. 1. concl. 2. Gregorius in 1. dist. 28. q. 2. Suarez 2. tomo Metaph. disp. 47. sect. 2. n. 12. citatur Vasquez tomo 2. primæ partis, disp. 116. num. 7. sed ibi hoc non exprimit, imò disp. 173. cap. 4. hæc habet, *quando fundamenta manere possunt sine relatione, certum debet esse distingui à fundamento, sicut modus à re cuius est modus*. Hanc eandem sententiam sequitur Hurtado disput. 15. Metaph. sectione 2. §. 7. ubi citat pro sua sententia nostrum Doctorem in 3. distinctione 1. quæst. 1. §. *ad aliud in oppositum*, ubi expressè affirmat oppositum, refertur etiam S. Thomas opusculo 48. tractatu 5. de prædicamento ad aliquid cap. 2. & 3. & hanc esse quorundam Thomistarum sententiam fatetur Caietanus 1. parte quæstione 28. art. 2. §. *in responsione*, his subscribunt nonnulli alij recentiores. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quod natura ab omni superfluitate semper abhorruit: sed sine his relationibus distinctis potest saluari vera identitas, distinctio, & similitudo; ergo. Maior ab omnibus admittitur. Minor etiam probatur. nam idem est principium constitutum, & distinctum rei: sed homo sua differentia specifica est indistinctus specificè ab aliis hominibus, diuersus ramen ab equo, & leone; superfluit ergo

ergo alia relationes identificantes & distinguentes. Confirmatur ex definitione similitudinis, nam similia dicuntur quorum qualitas est vna; ergo superfluit alia ratio similitudinis, vt extrema formaliter similia dicantur. Confirmari etiam potest, quia æqualitas siue perfectionis, siue quantitativa, secluso quouis modo saltim per intellectum non potest auferri ab entitatibus eiusdem perfectionis, vel quantitatis; ergo superflue additur aliqua ratio æqualitatis. Aliqua fundamenta obijciemus inferius contra nostram conclusionem.

Sed quanquam Authores relati in hac vniuersali propositione conueniant, nempe relationem non distinguere realiter à fundamento, diuerso tamen explicant modo, nam Suar. inter fundamentum & relationem, aliquam distinctionem formalem, saltim rationis ratiocinatæ, concedit, & affirmat relationem non esse eandem fundamentum, & terminum; sed terminum esse obliquum, & quasi quid connotatum per relationem identificatam cum fundamento. Sed hic modus explicandi non solum patitur communem difficultatem, quam proponemus inferius, probantes, relationem istam realiter distinguere à fundamento; sed etiam in terminis videtur aliqualem habere implicantiã, nam relatio in eius sententia, vel confurgit de nouo ad positionem termini, vel supponebatur iam in fundamento. Si primum dicat; ergo vel relatio includit coëxistentiam vtriusque extremi, vel aliqua forma resultat in fundamento de nouo, quod ipsum actualiter referat, ac per consequens cum adueniat in tempore realiter distinguetur à fundamento, quod nos intendimus. Si dicat secundum, nempe supponi identificatam; ergo funda-

mentum erat relatiuum ante positionem termini actualem, ac per consequens non distinguetur ista relatio à transcendentalibus, nec erit verum dictum Philosophi, quod posito fundamento & termino statim confurgit relatio, quandoquidem iam supponebatur ad terminum. Respondet Suarez, quo ad positionem termini, ponitur noua connotatio, quæ dicitur relatio noua; sed contra est, quod non est noua forma; ergo nec noua connotatio. Secundò hæc relatio non requirit existentiam termini ad suum esse actuale, quandoquidem supponebatur identificata fundamento; ergo siue terminus existat, siue non existat, cum ipsi nihil accrescat, non connotabit de nouo, nec ex hoc dicetur noua relatio. Tertio hæc noua connotatio vel est aliquid extrinsecum, vel intrinsecum, si intrinsecum; ergo per aliquam formam realem, de nouo aduenientem, fundamentum connotat terminum: si extrinsecum; ergo supponit mutationem intrinsecam in aliquo extremorum, non in fundamento, quia iam supponebatur illa ratio connotans, non in termino, cum sit quid extrinsecum, & connotatum; ergo relatio ista nihil erit, nisi dicas esse aliquid rationis, quod difficultate antecedenti satis impugnauimus.

Hurtado vbi supra sect. 3. §. 29. expressè affirmat relationem nullatenus distinguere à fundamento, & termino; sed esse coëxistentiam vtriusque extremi, itaque duo alba similia dicuntur, quia vtrumque extremum coëxistit alteri, cum eadem specifica albedine. Sed hæc etiam sententia non caret particulari implicantiã. Primò argumentor sic, ipse Hurtado fateatur sect. 7. §. 60. relationes prædicamentales mutuas terminari ad abso-

lutum, & etiam dari mutuas relationes; ergo in termino distinguit rationem relatiuam ab absoluta. Non ergo relatio est sola absoluta coëxistentia terminorum. Secundò ipse concedit distinctionem prædicamentorum: sed coëxistentia non constituit prædicamentum relationis; ergo supra hanc conditionem aliquid debet addere saltim extrinsecum, hoc prædicamentum constituens.

Secunda sententia asserit relationem non realiter, sed modaliter distinguere à fundamento. quam difficultatem inferius dicemus esse nominalè, ideo nec eam probo, nec impugno.

ARTICVLVS II.

Explicatur vera sententia, & simul refellitur opposita.

9. **V**erior sententia affirmat relationes prædicamentales, videlicet distinctionis, identitatis, &c. realiter distinguere à fundamento, respicerèque terminum, tãquam obliquum & connotatum. est expressa sententia Doctoris in 2. dist. 1. quæst. 4. §. *contra istam opinionem*, num. 5. & in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *ad illud in oppositum*, num. 14. videtur etiam D. Thomæ 1. part. q. 28. artic. 2. vbi asserit relationem in creatis distinguere realiter à fundamento, secus autem in diuinis, esseque aliquid accidentale in creatis, tenet Caietan. ibidem, vbi affirmat hanc esse sententiam S. Thomæ, idemque sensisse quæst. 8. de potentia artic. 2. vbi asserit relationem in rebus creatis esse accidens. & 4. contra Gentes c. 14. ad medium. vbi docet relationem in creatis comparari ad absolutum, sicut accidens ad subiectum. Vnde Ferraricus merito obseruat, quòd cum sint multæ relationes in substantia

fundatæ, manifestè inferitur ex D. Thoma realiter à fundamento distinguere. tenent alij quam plures, quos refert Ruuius quæst. 14. est communis omnium Scotistarum cõsensus. Hanc sententiam efficacissimis rationibus probat Doctor in 2. vbi supra, & simul impugnat oppositam sententiam.

Probat primò. Nihil identificatur cum eo, à quo sine contradictione potest separari, & sine eo valet existere: sed multæ sunt relationes, sine quibus fundamenta possunt esse sine contradictione; ergo multæ sunt relationes quæ non sunt realiter eadem cum fundamento. Maior probatur, primò quia verificarentur duo contradictoria de aliquo subiecto, nempe quòd sit idem ens realiter, & non idem, quia si separantur; ergo sunt diuersa entia: si non distinguuntur; ergo sunt idem. verificabitur; ergo idèntitas, & diuersitas eiusdè de eodem. Secundò si illa maior negetur, non videtur relinqui vnde possit distinctio entium probari. nam nulla est magis euidentis ratio distinctionis, quàm separabilitas. *Nec alio fundamento vititur Philosophus ad probandum, materiam esse aliam rem à forma, nisi quia manet eadem sub oppositis formis, quo etiam vititur 4. Physic. ad probandum locum esse aliud à locato, quia idem locus manet cum diuersis locatis.* Minor etiam probatur, & experitur in omnibus relationibus, quarum fundamenta possunt esse sine terminis, sicut est in omnibus relationibus equiparentia, sicut sunt, simile, aequale & huiusmodi: si enim hoc album sit, & aliud album non sit, hoc album est sine similitudine: & si album aliud fiat in hoc albo, est similitudo. *Potest igitur esse sine ista & cum ista.* Similiter est in multis relationibus disquiparentia: si enim iste sit homo, & nullus alius subsit potestati suæ, est sine dominatione, & potest esse dominus

dominus seruatorum accessione, sicut dicit Boesius, & ita est de multis alijs, de quibus omnibus non oportet exempla adducere. Alia etiam absurda infert Doctor n. 6. nempe quod videtur negari, Incarnatio, separatio accidentium in Eucharistia, & omnis compositio in entibus, omnisque causalitas causarum secundarum: sed de his alibi dicemus, praecipue 1. Physic. quaestione 7. vbi probabimus omnem compositionem esse relationem.

10. Sed contra hanc rationem arguit Hurtado 1. §. 5. ex hac ratione solum inferri posse distinctionem modalem. Sed contra quod his rationibus solum intendimus probare relationem distingui realiter a fundamento, & si hoc probatur, sufficit. An autem sit verè realis, vel solum modalis, dicemus infra.

Secundò obicit, §. 13. ex hac ratione inferri relationem non distingui realiter a fundamento & termino; ergo & idem realiter ipsis. Confirmari posset hæc sententia vrgentiùs alio argumento Doctoris §. ad quaestionem, num. 21. vbi eo docet relationem creaturæ ad creatorem, esse eandem realiter creaturæ, quia hæc non potest non dependere à Deo: sed fundamentum, & terminus nequeunt esse sine relatione; ergo hæc identificatur cum fundamento & termino. Sed contra est quod licet inseparabilitas non sit ratio adæquata identitati, vt diximus difficultate antecedenti, quia hæc debet provenire non ab extrinseco, sed ab intrinseco: tamen separabilitas est evidens ratio distinctionis, vt diximus supra; cum ergo fundamentum præcisum à termino, possit esse sine relatione, hinc est quod ei separabiliter contingat. Secundò non caret probabilitate, fundamentum & terminum supernatu-

raliter posse esse sine relatione. Tertiò vna & eadem forma numero nequit esse eadem duobus extremis realiter distinctis, quia quando aliquid ab alio realiter distinguitur, etiam omne id quod ipsi identificatur, eadem distinctione distinguitur. nam quia rationale distinguitur ab equo, etiam risibilitas ipsi identificata realiter distinguitur; ergo si necessitas relationis ex coexistentia terminorum provenit, cum non possit duobus extremis realiter distinctis identificari, ab ambobus realiter distinguetur.

Cum autem dicis creaturam non posse esse sine dependentia à Deo. Resp. disparè esse rationem. nam dependentia à Deo ab intrinseco conuenit creaturis, & in nullo instanti temporis creatura est sine tali dependentia; vnde infertur efficacissimè identitas ipsius cum fundamento: dependentia autem duorum similium, v.g. ab extrinseco provenit, nempe ratione coexistentiæ vtriusque extremi, & per alterius descissionem statim corrumpitur, quod manifestè conuincit distinctionem relationis ab vtroque extremo.

Secundò probat. Nihil finitum continet secundum perfectam continentiam, formalem, & virtualement, opposita formaliter, quia quantumcunque concedatur in Deo perfectissima continentia omnium perfectionum; secundum identitatem eorum quæ sunt in eo, non tamen potest continere opposita formaliter absoluta in se, licet ea virtualiter possit continere: sed in eadem quantitate potest fundari æqualitas & inæqualitas respectu diuersorum; ergo signum est, quod cum nihil illimitatum contineat identicè opposita formaliter, has relationes non identificari cum extremis, nec cum altero eorum, sed ab vtrisque realiter distingui.

Tertiò

Euasio.
Occurritur.

Tertio idem non identificat sibi plures formalitates eiusdem rationis, ut patet. nam idem homo non habet plures intellectus, nec plures rationalitates: sed in quocunque albo inveniuntur tot similitudines, quot alba eiusdem rationis; signum ergo est relationes non distingui solam formaliter à fundamento, ut opinatur Suar. sed realiter, ut docet Doctor.

Quarto existentibus duobus albis solum habent suum esse absolutum; ergo ut vnum referatur ad aliud, aliquid debet de nouo accedere. Probo consequentiam, quia absolutum est ad se, relatiuum ad aliud; ergo ut entitas absoluta albi, quae est ad se, sit ad aliud album, aliquid nouum debet ei contingere. Respondebis, hoc respectiuum esse aliquam extrinsecam denominationem ex coexistentia extremorum causata. Sed contra quod omnis extrinseca denominatio realis mutationem intrinsecam supponit: sed per coexistentiam nihil reale additur alteri extremorum; ergo non est unde proueniat talis denominatio, quia non est unde intrinsecè mutantur extrema.

Quinto in definitionibus cuiusque rei natura definiti debet explicitè manifestari: sed in definitione entis absoluti, nihil relatiuum includitur; ergo relatio aliquid est extra eius entitatem. hanc veritatem confirmat Doctor ex Augustino 5. de Trinitate cap. 5. ubi hæc habet, *in rebus creatis quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur.* Sed relatio non est de substantia entis absoluti; ergo est accidens ab eo distinctum. legatur Doctor in 2. ubi supra, qui hanc sententiam optimè explicat, & confirmat autoritate Ambrosij. de Trinitate cap. 5. & Hilarij 12. de Trinitate circa medium, & Simpli-

cij super prædicamenta, & Philosophi 12. Metaph. cap. 2. textu 19. & Auicena 3. Metaph. cap. de relatione.

ARTICVLVS III.

Satisfit contrariorum obiectionibus.

AD fundamentum oppositæ sententiæ respondetur satis constare ex dictis artic. præcedenti relationes non esse superfluas. Ad illud autem quod obiiciant de identitate, diuersitate, & æqualitate, respondetur extrema in re præcisa relatione formali fundamentaliter solum esse eadem, similia, vel æqualia fundamentaliter, non verò formaliter. Cum autem dicis similia esse quorum qualitas est vna. Respondetur per qualitatem aduenire corporibus proximam rationem fundandi relationem. nam si albedinem, v. g. separet à corpore, defectu proximi fundamenti non resultabit relatio similitudinis ad aliud album. Sed contra obiicit Hurtado, §. 16. per aduentum relationis nullam partem accrescere quantitati; ergo non redditur æqualis alteri parti per relationem; sed ista æqualitas prouenit ex proportionem quantitatum, ac per consequens, relatio est superflua. Resp. concedendo relationem nullam partem addere quantitati, inde verò solum infertur, duo quanta præcisa relatione esse fundamentaliter æqualia, non verò formaliter, quia æquale formaliter est ad aliud, & hoc nequit fieri per entitatem absolutam.

Sed obiicies primò contra conclusionem, Deum se ipso à nobis distingui, & esse Dominum, creatoremque omnium, quod saluatur sine relatione superaddita; ergo in creaturis potest dari distinctio, & identitas, nulla

11.

*Obiectis
primis*

nulla superueniente relatione. Confirmatur. nam ideo accidentia separamus à Deo, quia dicunt imperfectiorem, & inhærentiam in nobis; ergo si distinctio importaret formam relatiuam distinguentem, deberemus consequenter dicere, Deum non distinguui à nobis, nec differre. Resp. disparem esse rationem, quia vt Deus distinguatur à nobis, non est necessarium quòd fundet aliquam relationem; sed sufficit si terminet distinctionem creaturarum ad ipsum. hæc de causa non dicitur creans per aliquam formam sibi intrinsecam: sed per terminationem dependentiæ creaturæ, seu creationis passiuæ ad ipsum. Sic etiam Verbum dicitur vnitum nature humanæ, non quia in Verbo fundetur aliqua relatio vnionis, sed quatenus terminat relationem nature humanæ inhærentem. hæc doctrina est Doctoris in 1. dist. 36. quæst. 2.

scilicet. §. Respondeo igitur, num. 9. Sed replicabis; ergo in relatiuis sufficit vna relatio ad distinctionem, vel vnionem, & consequenter superfluet mutua respicientia extremorum. Resp. disparem esse rationem. nam si in Deo non resultat relatio, ideo est, quia Deus non est subiectum capax relationis, vt dicemus inferiùs; tamen in creaturis, cum vtrumque extremum sit capax relationis, & non sit maior ratio, quare in vno resultet, quàm in alio, dicendum est in vtroque resultare. Rursus Deus non distinguitur à creatura realiter intrinsecè, & formaliter, sed fundamentaliter per suam entitatem. formaliter extrinsecè per terminationem relationis creaturæ ad ipsum; formaliter verò intrinsecè solum per aliquam denominationem causatam ab intellectu, de quibus nonnulla dicemus in 3. Physic. vbi ostendemus contra quendam neote-

ricum Scotistam, quòd licet Deus velit, & creet per suam absolutam entitatem, & dicatur extrinsecè volens, & creans, per terminationem dependentiæ rei volitæ; tamen vt dicatur formaliter volens, requiritur aliqua denominatio rationis, qua dicatur formaliter talis.

Obiicies secundò, ad relationem non dari per se motum, vt docuit Aristot. 5. Physicorum: sed si relatio produceretur de nouo, daretur motus ad illam; ergo. Resp. concedendo maiorem, & distinguendo minorem, si produceretur per veram actionem concedo; quia verò resultat ex fundamento & termino, nego. Secundò idem argumentum posset fieri contra sententiam contrariam. nam si ipsi sine actione noua concedunt nouas relationes, passionésque à subiecto promanare, cur idem non dicemus & nos de realibus relationibus? Sed de hoc in Physica quæst. 11. difficult. 4. art. 4. in fine.

Tertiò videtur impossibile hominem album toties mutari intrinsecè, quoties producitur aliquod album de nouo. Resp. Scotus in 1. distinct. 1. quæst. 4. §. ad primam, versic. ad illud, mutationem relatiuam non esse propriam mutationem, quia rigorosa mutatio solàm est ad se: si autem per mutationem intelligas, tam relatiuam, quàm absolutam, & subiectum reputes mutatum, quoties in ordine ad aliud diuerso modo se habet, hoc nullum est inconueniens.

Quartò obiicies, duobus albis distinctissimè existentibus, non est à quo talis relatio producatur, quia non ab agente, cum ad relationem non detur per se motus, non à fundamento, cum hoc eodem modo se habeat, non à termino. nam hic solum dicit terminare, & est quid obliquum in relatione;

Obiectio secunda.

Soluitur.

Obiectio tertia.

Expeditior.

Obiectio quarta.

Existit.

scilicet.

scilicet.

Remouetur.

tione; ergo nulla relatio produceretur de nouo. Resp. relationem istam non produci, sed ex positione vtriusque termini, in quantumuis magna distantia relatio in fundamento resultat, quod informat & ordinat ad terminum.

Obiicitur quinta.

Quintò obiicitur, Petrum, & Paulum distingui substantialiter; ergo non mediante relatione. Probo consequentiam. Omnis forma denominat subiectum in quo est: sed ex dictis ista forma relatiua est accidens; ergo denominabit subiectum non substantialiter, sed accidentaliter diuersum.

Occurritur.

Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio est, nam relatio sapit naturam extremorum, vnde cum extrema sint substantiæ, ista relatio, seu distinctio, substantialiter dicitur.

Influitur.

Cum autem obiicitur formam denominare subiectum in quo est. Resp. formas accidentales non denominare subiecta, secundum rationem genericam, sed præcisè secundam specificam: vnde non valet dicere, Homo est albus; ergo homo est qualitas. ita similiter hæc est optima prædicatio, Petrus est distinctus à Paulo, quia iste est effectus specificus distinctionis, non tamen accidentalitas prædicatur de extremis.

Replacetur.

Replacetur, hanc esse optimam prædicationem, Homo est accidentaliter albus, quia albedo est accidens hominis; ergo & ista, Petrus accidentaliter distinguitur à Paulo, quia distinctio est accidens illius. Resp. primò negando paritatem, non enim est eadem ratio de accidentibus absolutis, & relatiuis. Disparitas est in hoc quòd absolutum accidens, solùm supponit pro se ipso, & ita non alio modo denominat subiectum, quàm sit eius entitas, relationes verò cum supponant pro fundamento, & termino quid

Præcluditur.

in ordine ad aliud denominant, non mirum si sapiant naturam extremorum. Vel secundò resp. non esse inconueniens quòd Petrus dicatur accidentaliter distinctus à Paulo, si loquamur de distinctione formali, & positiua, non verò de fundamentali, quia hoc solùm est dicere, Petrum mediante aliqua forma accidentali positiuè & formaliter à Paulo distingui. quod est verum, cum contingat extremis, quòd actualiter, & positiuè distinguantur. positiuè, inquam, vt intelligatur, quamlibet entitatem eo ipso, quòd sit talis, dicere negationem essendi aliud: hæc autem distinctio non formalis & positiua, sed negatiua est, de quibus dicemus, Deo dante, in Metaphysica quæst. de distinctione.

Sextò obiicitur, quòd daretur processus in infinitum in relationibus. Probo sequelam. nam illa relatio quæ dimanat à fundamento, dependet ab ipso, alia relatione, & illa alia, vsque in infinitum. Resp. Doctor vbi supra num. 16. versiculo *ad quartum*, negando sequelam. nam qualibet relatio, necessariò dependet à suo fundamento, & ita non alia relatione, sed se ipsa refertur. Probatum hoc ex fundamento quod difficultate 2. probauimus, aliquas relationes identificari cum fundamentis. nam sicut dependentia creaturæ à creatore, ipsi identificatur, quatenus nequit non dependere; ita cum hæc relatio non possit non dependere à suo fundamento, non alia relatione, sed se ipsa refertur.

Obiicitur sexta.

Septimò & vltimò obiicitur, relationem non esse cognoscibilem ex se, sed ex terminis; ergo non distinguitur ab eis. Resp. idem contingere accidentibus absolutis aliquando, & multo magis id accidere debet relationibus, quæ cum sint imperfectæ entitatis, per extrinseca notificantur, quamuis

*Difficultatur.**Obiicitur septima.**Diluitur.*

quamuis non careant sua inrinfeca ratione formali.

12.
Dubium.

Dubitari posset, vtrum de potentia Dei absoluta relatio possit esse sine fundamento & termino, & hi, sine relatione? Sed breuiter dico prius, (quia de his alibi) relatio nequit esse sine fundamento & termino. Colligitur manifestè ex Doctore vbi supra, nam si ideo se ipsa refertur ad fundamentum, quia nequit esse sine eo; ergo si de potentia Dei absoluta separari posset, iam non intrinsecè, sed extrinsecè, sicut accidens absolutum actualiter dependeret à subiecto, & sic non se ipsa, sed distincta relatione, est sententia communis, & inde manifestè probatur, quòd relatio est entitas imperfectissima, & quasi modalis, cuius esse est actualiter ordinare. Vnde ob suam imperfectionem per nullam potentiam, sine extremis valet existere.

13.

Dico secundò contra Ruuium quaest. 14. huius praedicationi, num. 35. & Sanctium quaest. 52. in solutione argumentorum ad secundum, fundamentum, & terminum per nullam potentiam posse existere sine relatione. Fundamentum est quòd intelligibile est Patrem genuisse filium, & ad ipsum se habere quin sit mediante relatione formaliter inhaerente; ergo posito vtroque extremo non potest non resultare relatio. Resp. Ruuius patrem seclusa relatione se habere ad filium fundamentaliter, non verò formaliter: sed contra est quòd si saluari potest ratio essendi ad aliud sine relatione; ergo superflue ponimus relationes distinctas à fundamentis.

Obiectio.

Obiicies, fundamentum & terminum realiter distingui à relatione praedicationali; ergo possunt à Deo conseruari sine relatione. Resp. non omnia quae realiter distinguantur

Soluitur.

posse separari adinuicem. nam subsistentia realiter distinguitur ab essentia rei, & nihilominus, secundum probabiliorem opinionem, natura nequit esse sine aliqua subsistentia, quia haec est vltima illius perfectio. sine aliqua, inquam, quia subsistentia Verbi personat naturam humanam Christi, & propriam eius subsistentiam supplet. ita similiter, quanquam relatio sit entitas realiter distincta à fundamento; ceterum cum relatio sit intrinsecum complementum dependentiae, & vltimum, vt docet Doctor in 3. dist. 8. quaest. vnica. §. Hic dicitur, versic. Praeterea, num. 8. adhuc de potentia Dei absoluta nequeunt esse sine relatione. quia tamen haec impossibilitas ab extrinseco prouenit, haec relatio perfectiua realiter ab extremis distinguitur.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum dentur relationes reales extrinsecus aduenientes.

NOtante inquiritur de relationibus realibus, quoniam certum est relationes rationis posse extrinsecus aduenire fundamento & termino, sine vilo eorum concursu, potest enim intellectus, seu voluntas extrema ex natura rei non ordinata, componere & ordinare.

ARTICVLVS I.

In quo differant relationes extrinseca ab intrinsecis.

Communis Thomistarum sententia sustinet, nullas dari relationes extrinsecus aduenientes, ab intrinsecè aduenientibus distinctas, & hanc distinctionem relationum esse

14.

quid fictum, & sine vlllo fundamento inuentum. ita Heruzus quodlibeto 7. quæst. 14. Soncinas 5. Metaphysicæ quæst. 39. Sotus in hoc prædicamento, & 5. Physic. quæst. 2. art. 2. Suarez 2. tomo Metaphysicæ disp. 48. sect. 1. num. 6. 7. & 8. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quod in nullo distinguuntur istæ relationes extrinsecè ab intrinsecè aduenientibus; ergo sine fundamento multiplicantur. Alia obiiciunt quæ non impugnant relationes has in communi, sed in particulari. v. g. vnionem non esse relationem extrinsecus aduenientem, nec sex vltima prædicamenta relationibus istis constitui; sed de his in propriis quæstionibus disputabimus.

Doctor autem in 3. sententiarum dist. 1. quæst. 1. §. *ad aliud in oppositum*, num. 14. & in 4. dist. 6. quæst. 10. §. *contra istud*, versic. *Minor patebit*, num. 3. & dist. 13. quæst. 1. §. *Si ergo debet saluari*, num. 9. & sæpius alibi, expressè docet admittendas esse relationes reales extrinsecus aduenientes à prædicamentalibus, seu intrinsecè aduenientibus distinctas. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quod experimur quamplures inueniri respectus, seu relationes reales carentes conditionibus requisitis ad relationes intrinsecus aduenientes; ergo ab his distinguuntur. Patet primò, nam ratio prædicamentalis posito fundamento & termino, & nullo alio superaddito, statim resultat; relationes verò extrinsecus aduenientes posito termino, & fundamento ex defectu aliquo extrinsecò pluries non resultant. patet in respectu agentis ad passum, contingit enim non raro poni in rerum natura ignem agentem, & lignum quod pari potest per receptionem formæ ignis, & tamen defectu approximationis actio non resultat,

imò accidere potest, quod posita approximatione, ratio non resultat, si sit aliquid retardans, seu impediens productionem formæ, vt notauit Doctor in 4. dist. 13. q. 1. §. *si ergo*, versiculo *istarum trium*, num. 11. ergo relationes istæ distinguuntur.

Contra hanc differentiam obiiciunt aduersarij, quod posito igne & ligno, in debita approximatione, statim consurgit ratio; ergo non distinguitur ab alijs. Probatur antecedens. nam sicut ratio paternitatis, & filiationis pendent ex positione termini; ita & istæ ex positione fundamenti proximi, nempe approximationis. Sed contrà est, quod relationes prædicamentales, posito subiecto, seu fundamento remoto (de hoc enim loquitur Doctor) & termino statim resultat ratio: at posito igne, & ligno, quæ sunt fundamentum remotum, & terminus, potest nõ resultare ratio, adhuc posita approximatione, vt nuper dicebamus; ergo maxima est differentia.

Secundò distinguuntur istæ relationes quod intrinsecus aduenientes terminare motum nõ possunt; extrinsecè verò aliquando producuntur per motum. sic est ratio characteris, vt docet Doctor in 4. dist. 6. q. 10. §. *Contra istud*, versic. *præterea*, num. 4. vbi docet relationem istam characteristicam immediatè à Deo produci in susceptione Baptismi. idem docet de vbi prædicamentali, seu formali in 3. dist. 1. q. 2. §. *ad illud*, versic. *tunc ad Philosophum*, n. 15. Idemque docet ibidem de relatione vnionis naturæ humanæ ad Verbum, quæ producta fuit actione vnitiua totius Trinitatis; ergo cum fundamento has extrinsecas relationes concedimus, cum ad ipsas detur per se motus, & non à fundamento & termino, sed ex ipsis, ab aliquo agente extrinsecò producuntur.

DIFFICULTAS V.

De quidditate, proprietatibus & speciebus relationis.

ARTICVLVS I.

Vtrum actualiter referre sit de quidditate accidentis relativi.

Relatio non est quae refertur ad terminum; sed quae ad istum refert fundamentum. Cum ergo semper intercedat inter duo extrema, & concipi non valeat nisi referendo, dubitatur vtrum referre actualiter sit de quidditate relationis.

25. Negant aliqui hoc solo fundamento, quod solus Deus est actus per essentiam; ergo actualiter referre, non potest esse de quidditate relationis. Pro intelligentia tamen huius dubij, notandum est, actum bifariam accipi posse, primo vt distinguitur a potentia elicente, secundo vt distinguitur a potentia obiectiua. Primus actus solum dicit non esse principium elicitiuum alicuius rei. Secundus autem actus dicit existentiam; vnde optime potest compati aliquid esse actum, & in potentia obiectiua. nam actus a mea voluntate possibilis elici, actus est & in potentia obiectiua, quia omni existentia caret.

Agens prima. Dico primo, actus qui opponitur obiectiuae potentiae, siue actualis existentia, non est de quidditate relationis. Pater. nam omnia entia creata contingenter existunt, & solus Deus existit per essentiam.

Agens secunda. Dico secundo, actualiter referre vt distinguitur a potentia elicente, est de quidditate relationis. Probat. nam nulla est excogitabilis potentia, a qua talis actus possit provenire; ergo. Sic explico, si in homine distin-

guimus actum ratiocinandi ab ipsa ratiocinabilitate; eo est quod in homine est aliqua potentia, quae sapius suspendit actum. nam non semper homo ratiocinatur: sed in nullo instanti potest considerari relatio quin actualiter referat, imo nec de potentia absoluta potest existere, sine extremis, vt diximus supra; ergo actualiter referre est de quidditate relationis, seu esse actum referentem, ne per actualitatem intelligamus existentiam.

Ad fundamentum oppositum respondetur, Deum non dici actum per essentiam vt distinguitur a potentia elicente, sed vt distinguitur a potentia obiectiua; itaque quidditas Dei est esse ens in actu: quidditas autem relationis non est esse in actu, seu existere; sed esse actum nullam dicentem potentiam elicitiuam.

16. Petes primo, vtrum relatio sit res, vel modus? Scotus in 2. sententiarum dist. 1. quaest. 4. §. quod si adhuc proterisatur, num. 13. facile resoluit hanc difficultatem, affirmat enim hanc esse quaestionem de nomine. nam relatio potest dici modus & res; modus, quatenus est imperfecta entitas ad quantumque absolutam comparata, in qua acceptione etiam qualitates absolutae possunt dici modi substantiae, quatenus sunt imperfectiores ipsa. Res, quatenus habet sua praedicata essentialia, quod relationem a modo rigorose accepto perspicue diuersificat, cum modus non constet praedicatis essentialibus, superioribus, & inferioribus, quibus relatio constituitur: vt dicemus art. sequenti. Secundo omne quod cadit sub diuisione entis est res, modi enim ex dicendis in Metaphysica non includunt formaliter ens: at relatio cadit sub diuisione entis, & est formaliter ens, vt patet ex Aristot. 5. Metaphysicae textu 14.

Fundamento opposito occurritur.

ergo est verè res. Concludit ergo Doctor relationem posse dici rem & modum. Confirmat ex Augustino primo de doctrina Christiana, cap. 1. vbi docet, quòd *signum secundum quod tantum est signum, est res aliqua & modus signati.* Ecce qualiter respectus, modo iam explicato.

Petes secundò, vtrum distinguantur in relatione esse *in*, ab esse *ad*. Resp. in relatione duplicem conceptum posse considerari, nempe accidentis vt sic, vt abstrahit ab absoluto & relatiuo, & talis accidentis, nempe relatiui. Dico ergo quòd cum accidens ab intrinseco dependeat à subiecto, qua ratione diximus aptitudinalem inhaerentiam esse eius passionem, inde prouenit relationem quatenus accidens, includere esse in subiecto inhaerentis; at cum relatio quidditatiuè sit actus ordinans fundamentum ad terminum, hinc est quòd quouis relatio propriè dicta & habeat esse in subiecto, secundum rationem superiorem, & ordinare ad terminum secundum relatiuam rationem. Vnde perspicuè infertur qualiter esse *in*, & esse *ad*, distinguantur in relatione. nam si primum conuenit relationi, secundum vniuocam rationem accidentis; secundum verò penes genericam rationem relationis, in ea distinguuntur sicut accidens, & esse relatiuum in relatione, seu tanquam ratio superior & inferior, quod est distinguì formaliter.

ARTICVLVS II.

Quae relationes constituent hoc pradicamentum.

18.
Suppositio prima.

Supponit titulus quaestionis, in hoc pradicamento vnum esse genus generalissimum, quod est relatio in

communi. expressit Doctor quaest. 25. pradicamentali. Probatur hac ratione. In hoc pradicamento vnica est ratio referendi ad aliud, quæ de omnibus relationibus inferioribus pradicatur, ergo hæc erit genus generalissimum in hoc pradicamento. Probatur antecedens. nam omnes relationes speciales, etsi quatenus hoc, vel illo modo referunt, distinguantur; conueniunt tamen in generalissima ratione referendi; ergo cum hæc nullum supra se contineat genus, & de omnibus inferioribus pradicetur, constituetur genus generalissimum huius pradicamenti. Si autem obstes, relationem esse actum referentem vnum ad aliud; ergo in hoc pradicamento, fundamentam, & terminus in communi debent includi. Resp. genus generalissimum non esse relatiuum in communi, quod includit vtrumque extremum, sed relationem in communi, quatenus abstrahit à subiecto, & dicit sua pradicata essentialia, de suisque inferioribus pradicatur.

Secundò supponit Scotus quælibet ^{Suppositio prima.} beto 6. §. de tertio, in fine, & in reportatis lib. 1. dist. 33. quaest. 2. & in 1. dist. 31. quaest. vnica, §. ad quaestionem, n. 2. tres condiciones requiri vt aliqua ponantur in pradicamento, & colliguntur ex Philosopho 3. Physicorum, textu 3. & 5. Metaphys. cap. de ad aliud. Prima est quòd fundamentum sit reale, & terminus sit realis. Secunda quòd extremorum sit distinctio realis. Tertia quòd ex natura extremorum, scilicet fundamenti, & termini, sequatur talis relatio, absque opere alterius potentiae comparantis vnum extremum alteri. Prima conditio quòd extrema sint realia, sic probatur: Relatio resultat ex fundamento & termino; ergo si ista extrema non sint realia, nec resultabit relatio realis,

lis, nulla enim causa quæ non est realis, effectum realem valet producere. Secunda conditio, quòd extrema sint distincta realiter, sic probatur: Relatio realis est quædam oppositio; realis ergo actu præexigit extrema quæ opponantur inter se, & non includantur realiter. Tertia conditio quòd resultet relatio ex natura extremorum, colligitur manifestè ex Philosopho 5. Metaphysicorum, textu 12. asserente ad relationem non dari per se motum: at si ista relatio ex natura extremorum non resultaret, produceretur per actionem & motum; ergo. Aliam conditionem addunt Thomista, scilicet quòd fundamentum proximum distinguatur realiter ab utroque extremo. hanc negat Doctor in quodlibeto 6. vbi supra, & in 1. sententiarum, vbi supra etiam, §. *quantum ad tertiam conditionem*, num. 5. vsque ad 9. & affirmat sufficere fundamentum proximum esse reale, & extrema realiter distingui, vnde concedit, inter personas diuinas similitudinem, identitatem essentialem, de quibus alibi.

Ex dictis inferitur, quæ relationes excludantur ab hoc prædicamento. Per primam conditionem excluduntur relationes rationis, quæ non requirunt extrema realia. Si autem dicas inter has relationes enumerari ab Aristotele relationes imaginis, quæ non habent extrema realiter distincta, & actu existentia. Resp. verum esse, tamen non affirmavit esse prædicamentales. Per tertiam conditionem excluduntur relationes extrinsecus aduenientes, quæ ex difficultate antecedenti non resultant ex vi fundamenti & termini, sed possunt produci per actionem.

Peres, in quo prædicamento collocentur relationes extrinsecus adue-

nientes? Resp. rationem communem huius relationis non esse aliquid genericum, quandoquidem de sex ultimis prædicamentis enuntiatur: sed aliquid vniuocum, quod in hoc prædicamento nequit constitui, aliàs sex vltima prædicamenta ponerentur sub hoc prædicamento, & sic non essent genere suprema.

Responso.

ARTICVLVS III.

De speciebus subalternis relationis.

Tria genera relationum, seu tres species subalternas ex triplici fundamento proximo cognouit Arist. 5. Metaphys. cap. 15. textu 21. Primum quod fundatur in vnitatem & numero, secundum in actione & passione, tertium in mensura & mensurabili.

Species subalternæ quæ.

Circa relationis primi generis intelligentiam notandum est, Aristotelem ibi per vnitatem non intellexisse vnionem partiam; sed conuenientiam in aliquo prædicato communi, & consequenter per diuersitatem nihil aliud intellexit, quàm difconuenientia extremorum: vnde cum tripliciter extrema possint conuenire, nempe in quidditate, seu substantia, item in aliqua qualitate, & quantitate, inde tres species vnitatis Philosophi communiter fatentur, nempe identitatem, similitudinem, & æqualitatem. Identitas fundatur super vnitatem substantialem, seu essentialem, vnde non solum duo homines & duo Angeli dicuntur idem; sed etiam duæ quantitates & qualitates. Similia dicuntur, quorum qualitas est vna, vnde duo homines albi, similes dicuntur, & duæ albedines, eiusdem intensiois, similes etiam dicuntur non in natura, quia hæc est identitas, sed in gradu, quoniam intensio qualita

20. *Notandum.*

Quæstio.

qualitatis accidens illius est, & ita conueniunt in qualitate. Aequalitas fundatur in his, quorum quantitas non excedit, neque exceditur: unde duae qualitates possunt dici aequales, non quatenus habent eandem quidditatem, sed quatenus in partibus, & eadem positione proportionantur. sic duo palmi, & duae vlnae aequales dicuntur. His tribus vnitatibus totidem diuersitates correspondent, ideo diuersa dicuntur, quorum quidditates metaphysicè opponuntur vt homo & equus: dissimilia, quorum qualitates sunt diuersae, vt homo albus & niger, albedo vt duo, & vt quatuor. Inaequalia verò, quorum quantitas est improporcionata, vt palmus & semipalmus. Itaque quaecunque sunt eadem, referuntur vna ex his relationibus; quaecunque verò diuersa, alia ex istis distinguuntur, modo iam explicato.

21. *Corollarium.* Ex quibus colligit Doctor in 1. distinct. 19. quæst. 1. §. *hic primò videndum*, num. 2. quod transumptiue omnia ista cuiusque enti secundum varias considerationes possunt conuenire: nam omne ens est idem alteri secundum aliquod prædicatum commune. Item æquale, vel inaequale secundum magnitudinem perfectionis, de qua dicit August. 7. de Trinitate cap. 7. quod in his quæ non mole magna sunt, idem est maius esse quod melius esse. Denique similitudo, quatenus quodcunque ens sua constat differentia, quæ ex Aristotele §. Metaphysicæ dicitur qualitas rei, unde in hac consideratione Petrus, & Paulus possunt dici similes in rationalitate.

Obiectio. Obiicies quod ex communi modo loquendi Philosophorum, similitudo fundatur in qualitatibus; ergo duae albedines, v.g. non possunt dici æ-

dem, sed similes. Resp. verum esse fundamentum proximum similitudinis esse qualitatem, tamen qualitas non est quæ refertur, sed quale, seu concretum; sicut natura humana vt sic est fundamentum proximum identitatis inter Petrum & Paulum. Cæterum relatio non subiectatur in natura humana, nec ea refertur, sed Petrus & Paulus; ideo Philosophus non dixit, qualitates esse similes, sed similia esse, quorum qualitas est vna. Cum ergo dicimus qualitates fundare relationem identitatis, non loquimur de ipsis quatenus denominant concretas, sed quatenus vnificantur in essentia, & idem dicendum est de quantitativibus & quantis.

Relationes secundi generis fundantur in actione & passione. ita Scotus in 4. distinct. 6. quæst. 10. §. *sed refertur*, num. 11. & distinct. 13. quæst. 1. & §. Metaphysic. cap. 15. in explicatione textus; sic sunt relationes patris ad filium, causæ ad effectum, &c. hæc autem potentia non est actualis generatio, vt aliqui Scotistæ contra Scotum, & contra veritatem affirmant: sed *fundamentum proximum est ipsa potentia generatiua, non loquendo de respectu, quem de se dicit potentia, sed de isto absoluto quod denominatur à respectu.* ita habet Doctor quæst. 10. vbi supra, & num. 10. Probatur primò relationes intrinsecus aduenientes sicut dependent in fieri à fundamento & termino, ita in conseruari, quia sublato fundamento aufertur ratio referendi: sed actio, seu actualis generatio, transit relatione permanente; ergo fundamentum proximum est absolutum potentiae actiuae, & non actualis generatio.

Petes, quid ergo erit actualis generatio respectu relationis. Resp. esse conditionem sine qua non, quoniam

Solutio:

22.

Quæstio
Responso

ca

ea ponitur terminus, sine quo non esset relatio. ita habet Hurtado disputat. 15. Metaphysicæ sect. 10. §. 109. Salablanca disput. 14. quæst. 2. & alij.

Infr. 11a. Instabis; ergo istæ relationes non distinguuntur ab extrinsecè aduenientibus, siquidem spectant aliquam conditionem ut resultent. Resp. dispar. esse rationem. nam relationes extrinsecus aduenientes, posito fundamento, & termino non resultant nisi ponatur aliqua conditio, nempe approximatō, &c. Imò hac posita potest impediri relatio, ut supra diximus; relationes tamen intrinsecus aduenientes solùm requirunt conditionem, ut ponatur terminus, v.g. filius per generationem; positis tamen extremis, relatio necessariò resultat.

Relationes tertij generis fundantur in mensura & mensurabili, sic sunt relationes scientiæ, & scibilis. nam scientia est mensura scibilis, et si scibile non mensuret scientiam, ideo istæ relationes non mutuz communitè appellantur.

Dubium. Dubitari potest, utrum scientia quæ est de objecto non existenti referatur ad ipsum, hac relatione prædicamentali. Respondet Doctor quæst. 13. quodlibetica. §. circa secundum, negativè, sed tunc refertur solùm relatione quadam transcendentali, quæ omnis habitus suum connotat objectum tam existens, quàm non existens; sed de his in Metaphysica erit disputatio.

ARTICVLVS IV.

Explicantur aliqua dubia.

SI exactam notitiam relationis perhibere conamur in Logica, plura

supererunt explicanda, quæ modò breuiter proponemus, & in Metaphysica quæstione de relatione ex professo explicabimus.

Dubium primum, utrum vna relatio possit esse fundamentum alterius? Negat S. Thomas 1. part. quæst. 42. art. 1. ad 4. quem sui sequuntur. Fundamentum est quòd relatio est ratio referendi; ergo non quæ refertur. Affirmat Doctor in 2. dist. 1. quæst. 4. §. ad quæstionem istam, versic. contra istam rationem, num. 23. citat se in 1. distinct. 19. quæst. 1. §. Hic primò est videndum. Idem habet in 4. distinct. 6. quæst. 10. §. hic dicitur, num. 2. & in quæstione 6. quodlibetica. §. de tertio. eum sequuntur omnes eius expositores, & aliqui ex Thomistis. Fundamentum est quòd relatio identitatis, v.g. non est relatio diuersitatis; ergo quamuis relatio identitatis sit qua Petrus & Paulus sunt idem; tamen non potest esse ratio distinguendi se ipsam ab alia relatione; ergo per aliam relationem diuersitatis ab alia relatione distinguitur. Confirmatur primò, si duæ relationes separabiles possunt seipsis identificari, cur non duæ entitates absolutæ? Confirmatur secundò, ex Euclide 5. lib. Geometriæ, vbi definit proportionalitatem esse similitudinem duarum proportionum: sed proportio, & proportionalitas sunt relationes; ergo vna relatio fundatur super aliam.

Obiicies; ergo datur processus in infinitum in relationibus. Respondet Doctor in 2. dist. 1. quæst. 4. §. ad quæstionem, versic. ad istud, num. 24. negando sequelam, quia semper status est in secundis relationibus. nam semper deuenimus ad aliquas quæ se ipsis referuntur, quia vna nequit sine alia conseruari; diximus enim sæpiùs; quòd quando fundamentum nequit

esse sine termino se ipso refertur ad eum. Ponit exemplum Doctor quod Petrus & Paulus, mutuo duabus relationibus identitatis referuntur. hæ duæ identitates postea sunt similes aliis duabus relationibus; hæ verò similitudines se ipsis referuntur. Ratio est, quia implicat vnam istarum relationum conferuari, alia corrupta. Nam cum hæc similitudo sit vnitas identitatum, ex destructione cuiuscunque extremi vtraque identitas, & vtraque similitudo corruit. Nam sicut identitates mutue simul congenerantur, ita simul corrumpuntur. legatur Doctor vbi supra.

24.
Dubium secundum.

Dubium secundum, vtrum relatiuum terminetur ad absolutum, an ad respectiuum? Supponit Caietanus 1. part. quæst. 13. artic. 7. quem sequitur Fonseca tom. 2. Metaphysicæ lib. 1. cap. 15. quæst. 4. sect. 4. relationes non mutuo terminari ad absolutum. Probat, quia in termino nihil est reale præter entitatem absolutam ipsius; ergo. De relationibus mutuis est difficultas. Caiet. vbi supra, quem plures sequuntur, affirmat relatiua terminari ad relatiuum formaliter, non ad absolutum. Fundamentum est quod relatiua sunt simul natura, tempore & cognitione. Item ex Aristotele cap. de ad aliquid, dominus est serui dominus, & è contrà; ergo terminus terminat non secundum esse absolutum, sed quatenus fundat relationem terminatam ad fundamentum. Secundò relatiua sunt opposita; ergo vnum refertur ad aliud, quatenus oppositum formaliter ac per consequens vt relatiuum.

Negat Doctor in 1. distinct. 30. quæst. 1. Lichetus & Tartaretus ibidem, cui subscribunt Suarez 2. tomo Metaphysicæ disput. 4. sect. 16. Hurtado in Metaphysicæ disput. 15. sect. 7.

§. 60. Fundamentum potissimum & à priori huius sententiæ est quod terminare solum est determinatio extrinseca, non ex eo quod ipse est ad aliud, sed quia aliud est ad ipsum; ergo ratio formalis terminandi in termino, non est fundare mutuum relationem, sed ipsa entitas absoluta termini. Itaque filius non terminat relationem paternitatis, quatenus est filius formaliter, sed secundum esse genitum, quod quid absolutum est. Confirmatur, quia Deus terminat relationem creaturæ ad ipsum secundum esse absolutum, cum in Deo nulla sit relatio realis; ergo.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ responderetur, relatiua esse simul natura, non quia terminent secundum esse relatiuum, sed quia in vtroque extremo simul mutue relationes resultant. Dicuntur etiam simul cognitione, quia vnum relatiuum cognoscitur per aliud, & hac de causa Arist. dominum definiuit per seruum, & hunc per dominum eius.

Ad rationem resp. extrema dici opposita, quia diuersa fundamentaliter, aliàs essent relatiua ante relationem, cum hæc oppositio supponatur ad relationem.

Dubium tertium, vtrum multiplicatis terminis multiplicentur relationes eiusdem speciei, in eodem fundamento, hoc est, vtrum vnus pater, qui plures habet filios existentes, vna relatione referatur ad eosdem, an pluribus? D. Thomas in 3. dist. 8. quæst. 1. & 3. parte quæst. 35. artic. 5. ibidem Caietanus & alij plures, quos citat Ruu. in hoc prædicamento quæst. 8. affirmant vnica relatione referri. Fundamentum huius sententiæ est quod ex Arist. 3. Metaph. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 6. omnis numerica distinctio accidentium est per subiecta: sed
in

25.
Dubium tertium.

in casu nostro tantum est unicum subiectum; ergo & unica relatio. Confirmatur, quia non sunt multiplicandi habitus sine necessitate, sed sufficit una relatio, ut pater connotet plures filios, sicut ut unus habitus, ut plures actus eiusdem speciei connaturaliter producantur; ergo.

26.

Doctor in 3. distinctione 8. quaestione unica. §. *hic dicitur*, versicul. *Hae ratio*, num. 8. docet multiplicatis terminis, multiplicari relationes eiusdem speciei in eodem fundamento, est omnium Scotistarum, & eam amplectuntur quamplures Thomistae. Fundamentum est quod ex dicendis in Metaphysica omnes entitates, tam substantiales, quam accidentales, indiuiduantur per aliquam necessitatem, seu indiuidualem differentiam identificatam cum natura singulari; ergo non est attendenda unitas fundamenti ad unitatem accidentium. Secundò si ad multiplicationem terminorum non multiplicarentur relationes, sequeretur manifesta contradictio, v. g. quod positus duobus filiis dependeret pater, & non dependeret ab utroque: dependeret quatenus ad utrumque referretur; non dependeret, quia quolibet pereunte eadem relatio perseveraret; ergo. Tertio posita in patre actione generativa, ponitur relatio; ergo positus pluribus actionibus generativis plures relationes resultabunt. Confirmatur. nam relatio pendet ab utroque extremo; ergo quolibet extremorum multiplicato relationes multiplicabuntur. nam extrema sunt causa naturales, quae si de nouo ponantur, de nouo debent causare.

Vnde patet ad fundamentum oppositum, quod relationes non indiuiduantur à subiectis, licet extrinsecè specificentur & indiuiduen-

tur per terminos, quatenus ex istis diuersitatem relationum facilius veniamur. Item hanc multiplicationem relationum non esse superfluum, aliter enim idem pater non posset plures respicere filios. Ad illud quod dicitur de habitu, resp. disparem esse rationem. nam agens naturale, semper intendit per existentem formam perficere. Vnde pluralitas actuum non plurificat habitus, sed perficit & intendit. Relationes verò cum non ordinentur ad perficiendum subiectum in ordine ad aliquam operationem; sed solum ordinent ipsum ad terminum, oportet, quod diuersitas terminorum diuersificet relationes, quia unicum principium sufficit ad producendos plures actus, non tamen ut eadem respicientia omnes respiciat, quia cum actiones productivae sint diuersae, ita & relationes, quarum sunt fundamentum proximum. Rursus actus de nouo aduenientes aliquid producant in habitu, nempe gradum intensionis: sed noua generatio non intendit relationem paternitatis praecedentem, quia eiusdem rationis est filius de nouo genitus cum praesistenti; ergo est noua relatio.

Obiicit ad multiplicationem formarum multiplicari concreta: sed positus pluribus filiis, non dicitur plures patres, sed unus; ergo tantum est unica relatio paternitatis. Respondet Scotus, vbi supra: §. *tertio ergo*, versic. *ad argumenta*, concreta non plurificari nisi plurificentur tam forma, quam suppositum, sola enim plurificatio forma non sufficit, maxime ubi plures formae sine eiusdem rationis, sine eodem nomine expressè, et hic, possunt esse in eodem; quemadmodum Christus non dicitur plures volentes, est secundum Damascenum habeat plures volitiones. Vnde quamuis

Obiectio.

Solutio.

plures paternitates possint esse in eodem supposito, ob istius vnitatem non plures, sed vnus pater dicitur. Cur autem plures relationes numero diuersæ possint esse in eodem supposito, non autem plures absolutæ, dicemus 1. Physicorum quæst. 5. diffic. 4. art. 3.

DIFFICULTAS VI.

De relatiuis, & eorum proprietatibus.

*Relatiua
quæ.*

Relatiua ex mente Philosophi dicuntur, quorum totum suum esse est ad aliud se habere; vt autem hæc solum relatiua prædicamentalia comprehendant, sic definiunt: Relatiua dicuntur accidentia realia in concreto, quorum totum suum esse est ad aliud se habere, qua definitione excluduntur genera, & species, quæ sunt relatiua rationis, & non realia. Item relatiua transcendentalia, quæ non totaliter, sed secundariò ad aliud se habent, denique relatiua diuina, quæ non sunt accidentalia, sed substantialia.

ARTICVLVS VNICVS.

De proprietatibus relatiuorum.

27.
*Proprietates
relatiuorum
quor.*

Quatuor proprietates relatiuis prædicamentalibus cum Philosopho communiter adscribuntur. Prima est habere cõtrarium ratione fundamenti, non formaliter, vt docet Philosophus cap. de qualitate. Fundamentum est quòd cum relatio, v. g. similitudinis, fundetur in vnitatem qualitatum, & istæ admittant contrarietatem, consequenter relationes fundamentaliter contrariantur. Ita Doctor quæst. 26. prædicamentali in fine. Secunda est suscipere magis &

minus, etiam ratione fundamenti, nam relationes intenduntur ad intensionem qualitatum in quibus fundantur. Tertia est quòd dicantur ad conuertentiam, id est, mutuo inter se referantur, ita vt vtrumquæ extremum non solum habeat rationem fundandi, seu subiecti, sed etiam termini, quod contingit dupliciter. Primò cum relationes vtriusque extremi, eiusdem rationis & nominis sunt, sic duo indiuidua, eiusdem speciei, relationibus identitatis mutuo se respiciunt, dicunturque relatiua æquiparantia: nam sicut Lucas est idem Antonio, ita Antonius idem Lucæ. Secundò cum extrema mutuo referuntur, dissimili tamen relatione; sic pater & filius mutuo se referunt, differunt tamen nomine, & re; ideo relatiua æquiparantia appellantur. Qualiter autem hæc proprietas conueniat relatiuis tertij generis, dicemus in Metaphysica. Quarta proprietates relatiuorum est, vt relatiua sint simul natura, tempore, & cognitione, id est, quòd posito vtroque extremo statim resultet relatio, nec possit cognosci perfectè vnum relatiuum, non cognito alio.

QVÆSTIO XVII.

De qualitate, & alijs sex ultimis prædicamentis.

DIFFICULTAS I.

De qualitate.

QUALITATEM trifariam vsurpat Philosophus 5. Metaphysic. cap. 14.

I.
*Qualitas
sum-*
prio.

cap. 14. Primò pro cuiusvis rei essentialis differentia, in quo sensu diximus quæst. 9. difficultate 2. art. 1. differentiam prædicari de pluribus specie differentibus in quale quid. Secundò pro quocunque accidenti, siue sit qualitas, siue relatio, ideo diximus quæst. 11. accidens in quale non conuertibiliter prædicari. Tertio pro qualitate, qua quales dicimur esse. Dubitatur ergo in qua acceptio- ne qualitas sit genus supremum huius prædicamenti.

ARTICVLVS VNICVS.

De quidditate, affectionibus, & speciebus qualitatibus.

2. **Q**ualitas est. **E**X mente Philosophi, prædicamentalis qualitas dicitur, qua res, quales denominantur; tamen quia hæc definitio non satis explicat prædicamentalem quantitatem, vt in Metaph. dicemus. nam etiam relatione, & differentia, quales denominantur, ideo aliam clariorem in præfenti perhibemus definitionem. Est ergo prædicamentalis qualitas, accidens per se institutum ad perficiendum intrinsecè accidentaliter substantiam in essendo & operando. ita definit Suarez 2. tomo Metaph. disp. 42. sect. 1. per hoc distinguitur qualitas prædicamentalis à relatione quæ perficit, non in ordine ad se, sed in ordine ad aliud. Item à differentia specifica, quia hæc essentialiter perficit, qualitas verò accidentaliter, licet intrinsecè & inherenter.

Obiiciunt. **O**biicies aliquas qualitates esse disconuenientes; ergo. Respond. primò hoc esse per accidens, & in statu præternaturali. Secundò has qualitates esse conuenientes ad generationem alterius compositi.

Tres sunt affectiones qualitatibus. Prima est habere contrarium, calori enim contrariatur frigiditas, virtuti vitium, excipe intentionales qualitates, quoniam contrario carent, vt lux, &c. ideo hæc proprietates non est quarto modo. Secunda affectio est, suscipere magis & minus, secundum intensionem, vna enim albedo intensior est alia, & vnus paries magis albus alio, &c. Tertia proprietates & quæ maximè afficit qualitatem est, vt per eam res dicantur similes, vel dissimiles, similia enim dicuntur, quorum qualitas est vna, diuersa verò quæ diuersis qualitibus informantur.

3. **A**ffectiones qualitatibus quot.

Species proximæ qualitatibus sunt quatuor, nempe habitus, seu dispositio, naturalis potentia, & impotentia; passio & passibilis qualitas; forma & figura.

Species proxima qualitatibus quot.

Habitus est forma quædam, & qualitas constantissima, qua bene, aut malè afficitur subiectum, vt virtus & vitium. Dispositio est qualitas bene, vel malè afficiens subiectum, & ab illo facilè mobilis, in quo distinguitur ab habitu qui difficilè obici potest.

Habitus quid.

Naturalis potentia est qualitas quædam, ex Doct. in dist. 16. §. ex hoc dico, num. 22. qua facilè quis agit, aut resistit: vt vis naturalis, ad currendum, aut perferendos labores, quæ facilitas non conuenit homini ab intrinsecò, sed accrescit ipsi ratione temperamenti, vnde experimur in diuersis hominibus diuersas facilitates naturales. Naturalis impotentia est imbecillitas, qua aliquis ægrè operatur, aut resistit, vt infirmitas, mollicies, &c.

Naturalis potentia quid.

Passio est qualitas citò transiens, & fluida, quæ aut mouet sensum, aut ex

Passio quid.

motu oritur: vt rubor ex verecundia, gaudium, pallor, ira, &c. passibilis qualitas diu permanet, & sensum mutat, aut ex motu aliquo nascitur, vt color diuturnus corporis, amentia in animo.

Figura
quid.

Figura est modus proprius quantitatis, vt forma trianguli, quadranguli, quæ dicitur figura quæ ex delineamentis corporis confurgit, vt docet Doctor in 4. dist. 12. quæst. 4. §. ad quæstionem.

Forma
quid.

Forma est modus quidam quantitatis in reali, qua naturali spectatus, vt forma hominis, leonis, &c. distinguuntur enim per formam visibilem, & exteriorem. Vtràm autem istæ species qualitatis constituantur modis, an propriis differentiis, non est certum inter auctores, sed hoc examinamus in Metaphysica.

DIFFICULTAS II.

De sex ultimis prædicamentis.

SEX vltima prædicamenta sunt, Sactio, passio, vbi, situs, quando, habitus; hæc omnia constituuntur relationibus extrinsecè aduenientibus, vt docet Scotus in 4. dist. 13. q. 1. §. si ergo, num. 9.

4.
Prædicamentum
vbi.

Est ergo, vbi, in loco contineri. Vnde duplex vbi potest considerari, vnum passiuum, aliud actiuum; vbi actiuum est respectus superficiei continentis, ad corpus contentum. Vbi passiuum quod constituit hoc prædicamentum, est respectus extrinsecus corporis contenti ad superficiem continentem.

Situs.

Situs nihil aliud formaliter includit quàm respectum alicuius totius ad partes loci, secundùm positionem in ipso, vt sedere, cubare, &c. distinguuntur autem hæc duo prædicamen-

ta, quòd vbi nec determinat positionem, nec ordinem partium, sicut situs, vnde inuariato sito, posset quis mutare vbi, vt si homo sedens, permanente sessione ab alio moueretur, mutaret vbi, sed non situm.

Actio prædicamentalis est forma, secundùm quam id quod subiicitur, agere dicitur, seu quidam respectus realis extrinsecè adueniens, quo agēs respicit passum, & denominatur tale.

Passio verò est quædam forma qua subiectum dicitur pati, seu quædam relatio, qua subiectum transmutatum per formam quam recipit agens transmutans. v. g. ignis producit calorem in materia ligni, ibi resultat relatio terminata ad materiam ligni quatenus ipsam transmutat, quæ constituit prædicamentum actionis: in ligno autem, seu in eius materia alia terminata ad ignem transmutantem, quæ dicitur formaliter passio, & constituit prædicamentum passionis.

Quando est quod ex adiacentia temporis relinquitur; res enim quæ tempore mensurantur, & ipsi adiacent, relationem dicunt ad tempus mensurans, quæ relationes in abstracto dicuntur quando, in concreto verò, mensuræ temporalis: sic cum interrogamur quando hæc contigerunt, optimè respond. anno præterito, vel heri; vel quando hæc fient, cras, aut post vnã horam.

Habere, vt ad hoc attinet prædicamentum, est indumento aliquo, aut ornamento vestiri, vt armatum esse, togatum esse; formaliter ergo erit respectus, vestis ad vestitum, si actiue accipiat; passiuè verò, respectus togati, seu armati, ad togam, seu arma.

En breuissimum prædicamentorum cõpendium quantum sufficit ad Logicum & Physicum: si maior desideratus

deratur notitia, ex Metaph. habebitur. Interim tamen studiosos moneo, abstinere se à quamplurimis disputationibus, quæ pro nunc necessariæ non sunt, nec ad logicum, aut physicum negotium spectant; magisque tyrones perturbant, quàm eorum intellectus iuuant & delectant.

QVÆSTIO XVIII.

De postpradicamentis.

DIFFICULTAS I.

De oppositis.

extrema, quandoque mediatè opponuntur, quando neutrum eorum necessariò inest subiecto, vt albus color & niger respectu mixti, potest enim subiectum esse sub medio colore, v.g. caruleo; quod intelligendum est nisi alterum extremum à natura insit. nam accidentia inseparabilia, vt albedo cygni, & nigredo corui, immediatè opponuntur, quia determinant sibi à natura tales colores. Quandoque immediatè opponuntur cum alterum extremorum necessariò inest subiecto, vt sanitas, vel infirmitas respectu animalis. Vnde aliquæ proprietates contrariorum inferuntur. Prima quòd vnum contrarium potest existere sine alio, quod non contingit relatiuè oppositis: potest quidem calor existere sine frigiditate, non tamen pater formaliter sine filio. Secunda quòd non possint existere in eodem subiecto, ideo contraria, vel pugnantia dicuntur. Tertia, quòd debent esse sub eodem genere proximo, vel remoto.

Priuatiuè opponuntur ea, quæ circa idem subiectum nata sunt fieri: vt visus & cæcitas, possunt esse in eodem animali, & hoc valet esse sub quouis extremorum. Vnde non dicimus priuationem & visum opponi in lapide, quia lapis nequit esse sub visu, & per consequens nec sub priuatione eius; hæc enim dicit carentiam formæ in subiecto apto: lapis autem est subiectum ineptum; propterea non dicitur lapis priuatus, sed negatus visu.

Opposita contradictoriè maximè opponuntur, & rebus per affirmationem, & negationem, seu per formam, & istius negationem, repugnare censentur: vt Petrus sedet, Petrus non sedet.

Petes primò, in quo distinguantur oppositio contradictoria & priuatiua,

2. *Opposita priuatiuè quæ.*

3. *Opposita contradictoriè quæ.*

Quæstio prima.

Opposita enim sunt.

Oppositio, vt nomen satis indicat, est aliquorum inter se pugnantia, cuius oppositionis quatuor species Philosophus connumerat, relatiuam scilicet, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam.

ARTICVLVS VNICVS.

Explicantur species oppositionis.

1. **O**pposita relatiuè ea dicuntur, quorum totum sum esse est ordinari ad aliud quatenus à se distinctum; ideo ergo opposita dicuntur, quia qua ratione mutuo se respiciunt, eadem mutuo se excludunt, ita vt vnum non sit aliud, sed ad aliud; sic pater formaliter est ad filium, non tamen filius, & è contra.

Opposita contrariè sunt quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt, & sub eodem genere maximè distant. v.g. calor & frigus, sub eodem genere qualitatis collocantur, pugnant tamen in eodem subiecto. Hæc autem

Opposita enim sunt.

Responso.

tua, cum vtriusque extrema sint affirmatio & negatio, seu habitus, & priuatio. Respond. maximè differre, quia in oppositione priuatiua alterum extremorum debet verificari de quouis subiecto. Nam homo vel est sanus, vel non sanus, albus, vel non albus, &c. Extremorum autem oppositionis priuatiuæ contingit neutrum verificari de subiecto; sic lapis nec dicitur videns, nec priuatus visu, quia est subiectum incapax visionis, & consequenter priuationis eius.

5.
*Quaestio
secunda.
Solutio.*

Petes secundò quæ istarum oppositionum sit maior? Respond. vniuersa Peripatherica schola, cõtradiçtoriam oppositionem esse maximam: probat efficaciter Durandus in 1. dist. 5. q. 1. quia id maximè tale est, quod cæteris est causa, vt sint tales: sed contradicçtoria oppositio est causa omnium oppositionum; ergo maxima. Minor probatur, quia nequit vnum oppositum excludere aliud, nisi habeat negationem illius, seu non sit illud: sed contradicçtio nihil est aliud quàm forma & negatio; ergo est maxima omnium. Confirmatur primò ex incompossibilitate oppositorum. nam contradicçtoriè opposita per nullam potentiam valent esse simul: relatiua autem si comparentur ad diuersos terminos, naturaliter sunt simul, siquidem homo dicitur pater & filius respectu diuersorum. Secundò contraria saltim in gradibus remissis in eodem compatiuntur subiecto, aqua enim tepida calorem & frigiditatem participat; ergo ista minus opponuntur, quia minus repugnant. Priuatiua etiam habent mediam ratione subiecti, quo contradicçtoria necessariò carent. nam, vt diximus suprà, potest dari aliquod subiectum, quod nec sit sub forma, nec sub eius priuatione; repugnat tamen aliquod subie-

ctum non cadere sub forma, aut negatione eius. Hæc ergo sufficiant de oppositis, de contradicçtoriis diximus iam in Summulis quæst. 5. difficult. 4. de contrariis dicemus in libris de generatione, de priuatiuis verò in primo Physicorum, quæst. 4. denique de relatiuis in Metaph. cap. de relatione.

DIFFICULTAS II.

De modis prioris, & simul.

PRiora dicuntur omnia ea quæ *Priora,
& simul
quæ.*
aliud antecedunt; simul verò quæ in aliqua duratione, seu instanti coexistunt.

ARTICVLVS I.

De modis prioris.

Quinque prioritates cognouit *6.
Modi
prioris
quor.*
Philosophus 5. Metaphys. & hinc cap. 11. Prima est temporis, qua ratione vnus alium temporalia duratione præcedit, sic Plato prius tempore dicitur præcessisse Aristotelem, seu prius extitisse. Secunda est prioritas consequentiæ, nimirum, quando existentia prioris non infert necessariò existentiam posterioris, ideo animal prius dicitur homine & leone. nam etsi optimè inferatur existentia animalis esse ex existentia hominis, non tamen è contra, vnde optimè dicitur, Est homo; ergo est animal, non tamen, Est animal; ergo homo. quia à superiori ad inferius affirmatiuè non valet consequentia. Tertia est prioritas ordinis, quando aliquid ex natura sua aliud præcedit, sic partes priores dicuntur toto, & elementa mixto priora, & in moralibus Episcopus præcedit omnes Clericos. Quarta prioritas

prioritas est dignitatis, sic aurum ex natura sua dignius est argento, & praelatus subdito; tamen haec prioritas in propria est, quia non ex naturis rerum, sed ex hominum oritur apprehensione. Quinta est prioritas causae, seu dependentiae, qua ratione omnis causa dicitur suo effectu prior, etiam si sint simul tempore; unde in casu quo Deus hominem, v. g. crearet, nihilominus materia, & forma dicerentur praecedere compositum prioritate causalitatis, & dependentiae: eadem ratione essentia respectu passionum prior dicitur, quia est origo ex qua pullulant, etiam si non habeant diuersas durationes. nam in nullo temporis instanti essentia est sine passionibus. His possemus adiungere prioritates originis & rationis, sed de his commodius in Metaphysica. Ex his prioritatibus, prima quae est durationis ex Philosopho est praecipua, vel quia nobis notior est, vel quia omnes prioritates, per ordinem ad istam explicantur, haec enim sola durationis dicitur; reliquae vero prioritates à quo, seu dependentiae, etsi in re, & secluso opere intellectus, de quibus vbi supra.

ARTICVLVS II.

De modis simul.

7. **T**ribus modis, ex mente Philosophi c. 12. aliqua dicuntur simul. *Modi s. vbi quot.* Primo tempore, quia in eodem tempore incipiunt, vel durant. Secundo natura, quia vnum non est causa alterius, sed dicuntur ad conuertentiam, sic relatiua dicuntur natura simul, cum neuter alterum causet, & dicantur ad conuertentiam, dicitur enim, Pater est filij pater, filius est patris filius. Tertio aliqua sunt simul non absolute, sed in ratione diuidendi;

quare homo & equus mutua independentia diuidunt animal absolute, inquam. nam homo potest secundum existentiam & durationem praecedere equum, in ratione tamen diuidendi aequales sunt & independentes.

Peres, cur Philoſophus non proponat tot similitudines, quot prioritates, cum prioritas & similitudo (vt notauit Ammonius) opponantur? Respond. hos solos tres modos praecipue enumerasse, quia opponuntur propriis prioritatibus; reliquosque praetermississe ex eo quod prioritas dignitatis, & ordinis improprie dicuntur prioritates.

8. *Quaestio. Respōsio.*

DIFFICULTAS III.

De speciebus motus.

In libris de generatione & corruptione, & 4. Physicorum, de motu & illius speciebus disputabimus; tamen quia passim occurrit vt his terminis utamur, videlicet generatio & augmentatio, breuiter cum Philosopho hanc speciem motus explicabimus.

ARTICVLVS VNICVS.

Quot sint species motus.

9. **S**ex species motus connumerat Aristoteles, generationem scilicet, corruptionem, accretionem, & decretionem, alterationem, locationem, seu localem motum. *Species motus quot.* Cum ergo ex terminis motuum diuersitatem communiter veniemus, ex ipsis facillimo negotio praedictas species explicabimus. Est ergo generatio motus productiuus substantiae, corruptio motus destructiuus. Accretio motus augmentatiuus quantitatis; decretio autem per quem deperditur, aut minuitur

Mm aliquid

aliquid ipsius; alteratio est motus tendens in intensiorem, vel remissionem qualitatum; localis motus tendit ad vbi, seu ad præsentiam localem, cum nihil aliud deambulans intendat per motum, quàm diuersam occupare præsentiam.

QVÆSTIO XIX.

De demonstratione.

I. **P**ostquam in aliis quæstionibus, de his quæ profus necessaria sunt ad alias scientias perfectè comparandas disputauimus, si Aristotelicum ordinem totaliter imitari conaremur, deberemus modò per plures alios tractatus, & nonnullas quæ in ipsis occurrunt difficultates explicare, & primò libros de interpretatione, in quorum primo de nomine, verbo, oratione, enuntiatione, seu propositione, ipsiusque speciebus, de oppositionibus propositionum regulisque veritatis, vel falsitatis pertractat. In secundo verò de enuntiationibus, earumque vnitatem, seu pluralitate; deinde de prædicationibus coniunctis atque diuisis, de propositionibusque modalibus, & earum cōtrarietate: sed de his omnibus quantum sufficit in Summulis disputauimus. Deinde de duobus libris Priorum nuncupatis, seu de priori resolutione, quorum primum de necessariis ad syllogisticam cognitionem, de propositionum conuersionibus, de syllogismorum simplicium ac mixtorum figuris, de figurarum ternario numero, ac etiam terminorum in quouis syllogismorum, de mediis syllogisticis, horumque defectibus pertractat. Secundus verò de potentiis, impotentibusque syllogismi

ac ipsi annexis, de quibus omnibus in Summulis etiam egimus à quæst. 5. vsque ad vitimam. Item de duobus libris Posteriorum, quorum primus de demonstrationis essentiam, conditionesque ad eam requisitas, differentiam, & distinctionem demonstrationum, eiusque species explicat, & inter sese comparat; secundus verò de quatuor mediis quæsitis, si est, quid est, quod, seu quia est, & propter quid est, quomodo quid est monstratur, ac ad demonstrationem se habeat; de definitione per causam, de diuisione causarum, & quæ mutuo concurrant, quæ verò non, qualiterque illarum possit esse demonstratio, de compositione definitionis ex suis partibus, & qualiter cum ignoræ sunt possint venari, de inuestigatione causarum. Denique de cognitione ac differentia principiorum indemonstrabilium sermonem instituit. Item de octo libris Topicorum, quorum primus species ratiocinandi, eiusque partes & instrumenta; secundus loca absoluta accidentis, siue ad destruendum, siue ad replendum, siue ad asserendum construendumque; tertius loca comparisonum, quæ accidentibus adscribuntur, pleraque loca accidentis absoluti, mediisque; seu eligibilia problemata; quartus loca cuiusuis generis atque differentie; quintus modos proprios, & nonnulla loca communia omnibus quæsitis quæ ab oppositis, aut à simili, aut ab eo quod est magis, & minus, æquale, aut inæquale, seu à casibus, & conjugatis, aut à generatione, & corruptione sumuntur; sextus loca definitionis differentiarum, tam compositarum, quàm quæ omnibus prædicamentis communia sunt; septimus loca identitatis & diuersitatis, constructionis & destructionis prædicatorum; octauus loca apta ad intruendum

dum interrogantem, & respondentem; demum loca communia utriusque aperit & declarat. Tandem de duobus libris Elenchorum, quorum primus de generibus disputationum, de locis Sophisticis, inductione & redargutione, de causis deceptionum, captionumque sophisticarum, de veris & falsis redargutionibus, de interrogatione tentariis, de captionibus negationis, solœcismo, occultationeque sophistica contra molestè respondentes; secundus verò de utilitate sophisticarum orationum & apparatu ad eas diluendas, de solutione sex ultimorum locorum extra dictionem negationis, & solœcismi, de oratione facili & acuta pertractat.

2. Cùm tamen in his libris plura tractentur à Philosopho, quæ vel iam in Summulis, & Logica explicuimus, & alia quæ in libris de anima tractanda sunt, aliâque, ex quibus ferè nulla utilitas expectatur, & quorum cognitio, si desideretur, facillimo negotio in eodem Philosopho, nullo magistro duce poterit inueniri; solum in præsentem explicare conamur, utilèque & necessarium indicamus tractatum de demonstratione, per quam perfecta scientia comparatur, de his enim agit Aristoteles, ut nuper vidimus in libris Posteriorum, ipsam enim pro obiecto habent.

Quoniam autem ad demonstrationem, ut optimè notavit Doctor in 3. dist. 24. q. 1. §. ad quaestionem, n. 13. verè sed accipiendò, ut accipitur primo Posteriorum, requiruntur quatuor conditiones. Prima quòd sit certa excludendo omnem dubitationem & deceptionem. Secunda quòd sit cognitio necessaria. Tertia quòd sit per causam evidentem in intellectu. Quarta quòd sit per causam necessariam evidentem applicatam ad conclusionem per discursum syllogisticum. Propterea di-

cit Philosophus primo Posteriorum: *Tunc scire opinamur unumquodque simpliciter, & non sophistico modo, qui est secundum accidens (per hoc excludendo omnem dubitationem & incertitudinem) cum causam arbitramur cognoscere (scilicet causam necessariam,) & quia illius est causa, per applicationem principiorum ad conclusionem, & hoc modo subiungit demonstrationem scientiam procedere ex primis, & veris notioribusque causis conclusionis.* Idem habet quaest. 4. prologi, & 5. laterali. §. *iuxta hoc quæro.* n. 26. est ergo demonstratio, ex Doctore cum Philosopho, *cognitio evidens & certa, seu necessaria rei per suas causas.* quam definitionem explicuimus q. 5. diffic. vnica, art. 1. Vnde quælibet demonstratio supponere debet aliqua præuia principia vera, quæ influant in conclusionem, & eam necessariò inferant; ideo plura ut eius naturam exactè cognoscamus discutienda veniunt & examinanda. Primum de præcognitis, seu præuiis ad demonstrationem. Secundum qualiter ad eam concurrant. Tertium quot sint demonstrationis species, & qualiter inter se differant. Quartum quod sit medium potissimò demonstrationis. Quintum de effectu eius qui est scientia. Sextum utrum in demonstrationibus possit dari circulus & regressus.

Demonstratio quid.

Pro clariori autem harum difficultatum, totiusque quaestionis intelligentia notare oportet in hac quaestione non esse sermonem de demonstratione formaliter, quia ut sic certum est, ab aliis speciebus syllogismi non differre, ut diximus in Summulis q. 6. diffic. 3. art. 2. & non pauci aucthores in hoc tractatu supponunt cum Angelico Doctore 1. Posteriorum lectione 1. legatur. Sedeño lib. 7. quaest. 1. concl. 1. sed de demonstratione materialiter, quatenus propositio-

3.

tionem, seu praemissae necessario con-nectuntur, unde optimè notavit Angelicus Doctor ubi supra, formam demonstrationis explicari non in libris Posteriorum, sed Priorum analytico-rum. Ratio est manifesta, quia hic agitur de demonstratione quatenus differt ab aliis syllogismis: sed ex dictis ubi supra in Summulis, syllogismus probabilis & demonstratiuus, solum differunt ratione materiae; ergo.

DIFFICULTAS I.

De praecognitis, seu prauijs ad demonstrationem.

4. **C**um omnis cognitio discursiua, seu omnis doctrina, seu disciplina intellectiua ex praexistenti fiat cognitione (vt docuit Philosophus cap. i. primi libri Posteriorum) rectè inferunt Peripathetici ante demonstrationem, seu cognitionem scientificam, quae ex infra dicendis in nobis per discursum generatur, aliqua necessariò praecognoscenda esse, ex quibus inferatur conclusio. Notare tamen oportet, quòd cum agimus de prauijs, & praecognitis ad demonstrationem, non intendimus disputare de praecognitis remotè, vt sunt termini propositionum, qui eatenus solum pertinent ad syllogismum, quatenus subsunt enuntiationibus propositionum, & consequenter remotè, seu ratione alterius, nempe propositionis. Fundamentum est primò, quia, vt patet ex Philosopho in primo libro Posteriorum cap. i. hoc est discrimen inter propositiones, quae sunt prima principia, & propositiones demonstrabiles, quòd assensus demonstrabilium fit ex praexistente cognitione, non verò assensus primorum principiorum; ergo ex mente Philosophi, cum agitur de praecognitis, non

agitur de quibuslibet terminis apprehensis, sed de enuntiationibus, seu propositionibus. Probo consequentiam, assensus primorum principiorum supponit apprehensionem terminorum, & nihilominus ex Philosopho non fit ex praexistente cognitione; ergo per cognitionem prauiam non intelligitur ex Philosopho terminorum, sed propositionum cognitio, aliàs hoc primum principium, totam est maius sua parte, fieret ex praexistenti cognitione; cum supponantur ad eius cognitionem apprehensiones totius & partis. Secundò termini materialiter & extra propositionem, non magis ordinantur ad materiam necessariam, quàm probabilem; formaliter, nisi opere intellectus coniungantur, & copulentur; ergo de his non debet esse specialis difficultas, praecipuè cum iam in Summulis q. a. eorum naturam, differentias & proprietates explicauerimus; agimus ergo solum de praecognitis proximis, seu de his quae proximè & necessariò praecognoscenda sunt, vt demonstratiuas conclusiones inferamus.

Ex quibus habemus quòd praecognitio idem significat ac prauiam, seu anticipata cognitio, unde cognitio praexistens ad demonstrationem, seu discursum remotè, erunt apprehensiones terminorum, proximè verò propositiones, seu enuntiationes, ex quibus discursus, seu illatiua vis efformatur. de quibus aliqua supersunt explicanda.

ARTICVLVS I.

Quot sint praecognita & praecognitiones ad demonstrationem requisita.

Praecognita & praecognitiones, ex Peripathetica schola, eo solum differre affirmamus, quòd praecognitiones

3.
Praecognita & praecognitiones in quo differant.

tionem dicuntur, quæ necessariò supponuntur ad demonstrationem; præcognita verò, seu præcognoscenda, licet supponantur ad conclusionem, tamen ipsa formatione præmissarum sufficit quòd cognoscantur. est doctrina Dectoris 1. lib. Posteriorum quaest. 4. §. ad quaestionem. Quod in hac demonstratione, *Omnis homo est animal, Petrus est homo; ergo Petrus est animal*, perspicuè cognoscitur; hinc enim duæ præcognitiones inveniuntur, videlicet quòd homo sit, & quòd sit animal rationale, hæc enim principia necessariò cognita supponuntur; ita ut nec præmissas connecti possimus, si hæc duo principia non supponantur. Præcognoscenda dicuntur, seu præcognita extrema, quæ in quavis demonstratione tanquam ipsius termini necessariò concurrunt, vel ut connexiones eorum, v. g. subiectum, & passio, seu prædicatum, item & utriusque complexio: unde *Petrus & animal* dicuntur præcognita huius demonstrationis, & eorum connexio. Idem patet, si velimus demonstrare hominem esse velitiuum, debemus supponere hominem, & eius volitionem, deinde passionem vi syllogistica enuntiare de subiecto. In qua demonstratione homo volitiuus, quatenus connectuntur in conclusione, tria præcognita constituunt, unde solum erunt duæ præcognitiones, & tria præcognita.

Obiicies primò contra conclusionem, quòd in quavis demonstratione debemus præcognoscere esse essentia, & existentia, item veritatem rei & quid nomen significet; ergo non duo, sed quatuor sunt præcognitiones. Resp. Aristotelem sub duabus comprehendisse illas præcognitiones ob proportionem quam inter se habent.

Obiicies secundò ante demonstra-

tionem necessarium esse præcognoscere bonitatem consequentia. nam si non sit bona consequentia, nec bene sequetur conclusio ex principiis; ergo quatuor sunt præcognoscenda, seu præcognita. Confirmatur, quia conclusio inferitur ex imperio voluntatis, sed ut voluntas velit illationem conclusionis, debet ipsam supponere cognitam, cum voluntas sit potentia cæca, & non feratur in incognitum; ergo aliud præcognitum est superaddendum, videlicet cognitio conclusionis. Resp. bonitatem illationis pertinere ad libros Priorum, hinc tamen Philosophus tantum enarrauit præcognita posterioristica, seu quæ necessariò inferunt conclusionem. Ad confirmationem resp. primò non semper conclusionem inferri ex imperio voluntatis, ut ostendemus in 3. lib. de anima, unde cum hoc imperium contingat, non mirum quòd Aristoteles non meminerit cognitionis ad eum requisita. Addo quòd quamvis quælibet conclusio demonstratiua imperatiuè elicètur, nõ esset necessaria explicita cognitio conclusionis, sed sufficeret implicita quæ in præmissis connexis quasi latitare cernitur.

Obiicies terriò, præcognita & præcognitiones supponi ad demonstrationem; ergo nullatenus distinguuntur. Resp. præcognitiones ante formationem præmissarum supponendas esse, si enim non supponimus hominem esse & quidditatiuè constitui rationalitate, non valemus risibilitatem in præmissis cum ipso componere: præcognita autem etsi supponantur ad conclusionem, non tamen ad præmissas. Unde sufficit quòd per eandem cognitionem præcognitiones & præmissæ cognoscantur: unde si semel supponamus quòd homo est

Expedi-
tur.

Obiectio
tertia.

Enoda-
tur.

Præcog-
nita
quæ.

Obiectio
prima.

Soluitur.

Obiectio
secunda.

animal rationale, bene possumus syllogismum construere in hunc modum, *Omne animal rationale est risibile. Petrus est animal rationale; ergo Petrus est risibilis.*

6.

Illatio prima.

Ex quibus inferitur primò, de principio non esse præcognoscendum, quid sit, sed tantum an sit verum. Per principium intelligimus illud complexum, seu præmissas, ex quibus inferitur conclusio, & à Doctore ubi supra dignitas vocatur. Fundamentum est quòd principiū vt hīc sumitur, est quid complexum; ergo definiti nequit, vt diximus in Summulis q. 3. difficult. 2. art. 1. sed per definitionem quidditatiuè cognoscimus rem; ergo quòd nequit defini, nec quidditatiuè cognosci. Confirmatur. nam complexum pluribus constat definitionibus; ergo nequit vnica eius quidditas cognosci, cum ex pluribus constituat. Quòd autem supponatur, vel præcognoscatur principium esse verum, sic probo. Nam in demonstratione ante assensum conclusionis necessariò supponitur assensus præmissarum; ergo cognoscuntur vt veræ.

Obiectio.

Obiicies de principio aliquando demonstrari quòd sit verum; ergo non necessariò id de illo præcognoscitur. Antecedens patet in hæc demonstratione, *Omne admiratiuum est risibile. Petrus est admiratiuum; ergo Petrus est risibilis.* cuius præmissæ per aliam demonstrationem demonstrari possunt, si dicamus, *Omne rationale est risibile: aliquòd admiratiuum est rationale; ergo aliquòd admiratiuum est risibile.* Resp. non quæcunque prima principia esse absolutè prima, sed ea solùm quæ sunt de primo conceptu rei, & alia priora non supponunt ad demonstrationem; ergo non requiritur quòd principia sint absolutè prima, id est, quòd non possint alia de-

Occurrunt.

monstratione demonstrari, sed sufficit quòd præcognoscantur, & quatenus sunt principia conclusionis, non illa demonstratione demonstrantur; sed vera supponantur.

Secundò inferitur de subiecto non debere præcognosci, an sit verum. Patet, quia veritas est actus compositiuus intellectus, seu ab eo dependet, cum veritas, vel falsitas non in simplicibus rebus, sed in compositis inueniatur, vt diximus quaest. 2. diffic. 3. art. 2. sed subiectum est quid incomplexum; ergo nec debere præcognosci, an sit existens. Ratio est conspicua, quia passiones non sequuntur naturam existentem, sed essentialia prædicata, quæ à tempore absoluuntur; ergo vt demonstremus passionem de subiecto, est nobis perinde quòd subiectum existat, vel non: necessarium tamen est quòd de ipso præcognoscatur, an sit saltem possibiliter. Ratio est manifesta, quia ea cognitio supponi debet de subiecto, quæ sufficiat, vt de ipso enuntientur passiones: sed de ente impossibili nullæ passiones possunt inferri, & enuntiar; ergo necessariò præcognoscitur subiecti possibilitas. Tandem in demonstratione à priori, de subiecto præcognosci debere quid sit, ratione conspicua sic ostenditur. nam quidditas rei est principium, ex quo proceditur ad passiones de subiecto demonstrandas; ergo si nobis quidditas eius innotescat, & non præcognoscatur, non poterit causare cognitionem passionum. est doctrina Doctoris lib. 11. Metaphysic. in expositione textus, summa 3. cap. 1. num. 54.

Tertid inferitur de passionibus non esse præcognoscendum, an sit, neque quid rei, sed solùm quid est, quòd significatur per nomen. ita habet Doctor lib. 1. Posteriorum quaest. 6. §. ad quaestionem.

Illatio secunda.

Illatio tertia.

quaestionem. si verum est quòd hæ quaestiones sunt Doctoris, quod merito dubitari potest cum magis redoleant Thomisticam, quàm Scoticam doctrinam, in eis enim sæpius supponit passiones esse simpliciter accidentia, & earum esse, esse in esse, & alia plura, quæ non consonant eius doctrinis. Probatur conclusio, an sit passionis, ostenditur per demonstrationem, cum in ea inferatur conuenire subiecto, & ab eodem pullulare; ergo non supponitur ad demonstrationem earum præcognitio: quòd autem non supponatur quid rei, ex eo patet. nam ob suam imperfectionem nõ cognoscuntur sine ordine ad subiectum: sed hic ordo, & unio cognoscitur per ipsam demonstrationem; ergo sufficit quòd de passione præcognoscatur quid nominis, seu quid per nomen significetur; si enim ignoremus quid risibilitas significet, quomodo cum homine poterimus componere, & de ipso enuntiare.

ARTICVLVS II.

Vtrum præmissa debeant esse vera.

7. **Q**uoniam demonstratio ex dictis supra non solum ex primis, sed ex veris causis conclusionis procedit, in hoc enim à syllogismo fallaci, & probabili differt, dubitandum venit, vtrum vtraque præmissa debeat esse vera.

Dubium.

Respondetur affirmatiuè cum communi sententia, & manifestè potest ostendi primò, quia si aliqua præmissarum sit falsa; ergo demonstratio quæ ex ipsis inferatur, non poterit ex natura rei esse euidenter vera. Confirmatur primò, quia præmissæ quatenus cognitæ, siue demonstratio sit à priori & per causam, siue à posteriori & per

effectus, concurrunt ad eliciendum conclusionem, & in ea extrema ununtur cum medio: sed si altera præmissarum sit falsa, extrema sunt unionis incapacia, vt patet in hoc syllogismo, Lapis est substantia, Homo est lapis; ergo homo est substantia, vbi lapis non unitur cum homine in minori, imò repugnat ipsi quòd sit lapis; ergo qualibet præmissarum existenti falsa non poterit conclusio demonstrari. Confirmatur secundò, conclusio resoluitur in præmissas, sicut effectus in causam: sed conclusio vera non potest resolui in principium falsum; ergo, nam quis non cognoscit absurdissimum esse dicere, in exemplo supra posito hominem esse substantiam, quia lapis est substantia, & homo est lapis.

Obiicies quòd ex falso aliquando sequitur verum, vt diximus in Summulis quaest. 6. difficult. 1. artic. 1. & patet in hoc syllogismo, *Omne animal est album: cygnus est animal; ergo est album.* in quo ex maiori vniuersali falsa conclusio elicitur vera; ergo ex præmissa falsa, conclusio vera potest demonstrari. Resp. ex præmissis falsis non sequi veram conclusionem formaliter, sed solum materialiter & extrinsecè; & quatenus vtraque præmissa alicui prædicato vniuersaliori subest. quòd sic explico, contingere enim potest quòd duæ præmissæ, vna vera, & alia falsa, alicui vniuersali prædicato possint subesse, vt patet in hoc syllogismo, *Lapis est substantia, homo est lapis; ergo homo est substantia,* in quo vtraque præmissa vniuersalissimæ rationi substantiæ subest, tunc enim conclusio non inferatur ex falsitate præmissæ, sed ex prædicato superiori & vniuersali, in quo formaliter realiter identificantur. Vnde illa conclusio, *Homo est substantia,* non inferatur

Obiectio.

Enodatur.

inferatur

infertur ex eo quod lapis sit, quia quod non est, causare non potest; sed ex illa ratione substantiae quae in utraque praemissa formaliter includitur, & in conclusione vnitur cum homine, seu subiecto.

8.
Quaestio.
Responsio.

Petes, vtrum vtraque praemissa sit aequalis veritatis? Resp. affirmatiue, cum Hurtado disp. 11. Logicae sect. 2. §. 8. Fundamentum potissimum est quod veritas consistit in indiuisibili, quantum est ex se: sed vnum indiuisibile non est alteri inaequale; ergo quantum est ex se, inquam. nam quoad nos vna veritas potest esse maior alia, & de vna veritate possumus dubitari quod alia ob sui euidenciam non permittit. Maior propositio probatur, veritas est adaequatio intellectus ad rem: sed si obiectum adaequatur per actum, non poterit aliud obiectum magis adaequari; ergo veritas quae in adaequatione intellectus consistit, non permittet inaequalitatem. Vnde tam vera est ista propositio, Petrus currit, ac ista, Petrus est risibilis, quia vtriusque obiectum ceteris in necessitate non sit aequale, eodem tamen modo est quo representatur per actus intellectus; ex alio enim capite vsurpatur rei necessitas & veritas. nam haec solum ex adaequatione intellectus ad obiectum; illa vero ex connectione praedicatorum inter se, vt infertur manifeste ex Doctore in 1. dist. 26. quaest. 1. §. ad primum, versic. si inferas, num. 50.

Obiectio
prima.

Obiicies primo, vnum actum esse certiore alio, & euidenciore, certius enim est Deum esse, quam hominem esse rationalem; ergo & veriorum. Resp. negando paritatem, quia euidencia & certitudo, non sumitur ex adaequatione intellectus, vt dicemus art. sequenti, sicut veritas. Vnde est quod licet euidencia & certitudo

Soluitur.

possint suscipere magis, & minus, non autem veritas, quia vnum obiectum non potest magis, aut minus representari, quam per alium.

Obiicies secundo Aristotelem asserentem hanc propositionem, Bonum est bonum, veriore esse hac, Bonum non est malum. Resp. Philosophum non loqui de veritate fundamentali, aut formali, sed de maiori proprietate significandi veritatem. nam vna explicat bonum per suam propriam entitatem, alia vero per negationem contrarij.

Obiicies tertio, actus esse inaequales in perfectione; ergo in veritate. Negatur paritas. Ratio est, quia perfectio sumitur ex modo attingendi obiectum sic, vel sic propositum, vel ex maiori perfectione obiecti: veritas autem solum ex adaequatione actus ad ipsum. Vnde, licet actus fidei, & visionis beatificae sint inaequalis perfectionis; tamen aequalis sunt veritatis, cum fides diuina inniratur diuino testimonio, quod nec fallere, nec falli potest. Item duae partes, materiae aureae & lignae, possunt esse aequales in magnitudine, licet inaequales sint in perfectione; ergo quamuis actus intellectus sint inaequalis perfectionis, non sequitur quod eorum veritas, quae in adaequatione indiuisibili consistit, possit esse inaequalis; ergo praemissae aequalis sunt veritatis si verae sunt.

Obiicies quarto, quod ex Philosopho & vulgatissimo axiomate, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed conclusio est vera propter praemissas; ergo praemissae sunt veriores conclusionem. Respondet Doctor quaest. 12. libri primi Posteriorum. §. ad quaestionem, hoc axioma non habere verum in causis aequiuocis per accidens: cum autem praemissae sint causa

Obiectio
secunda.

Diluitur.

Obiectio
tertia.
Practudatur.

Obiectio
quarta.

Expeditur.

causæ æquiuocæ & per accidens veritatis conclusionis, vt dicemus difficultate sequenti, non debent esse veriores suo effectu, quod inferius hoc axioma extricando magis explicabitur. Vel secundò & facilius responderetur omittendo axioma, & negando consequentiam, quia veritas conclusionis non est formaliter à præmissis, nec ab eisdem potest causari, sed resultat ex adæquatione intellectus ad rem.

Obiectio
quinta.

Obiicies quintò actus esse inæquales in falsitate; ergo & in veritate. Probatur antecedens, quia magis mentitur qui dicit hominem esse accidens, quàm Angelum, magis enim distat homo ab accidenti, quàm ab Angelica natura. Resp. negando antecedens; vtraque enim propositio priuatur omni veritate. Vnde falsitas non suscipit magis & minus, quia in casu posito æqualiter negatur homo natura Angelica ac accidentali; falsitas enim non sumitur à remotione obiecti, sed ex carentia adæquationis actus cum obiecto, nam eo præcisè quòd non conformetur, annexam habet negationem veritatis.

Inferria.

Si autem instes priuationes suscipere magis & minus. nam *Aethiops* magis priuatur albedine, quàm *Indus*, qui solam habet fuscum colorem; ergo quamuis falsitas consistat in negatione, seu priuatione, poterit suscipere magis & minus. Resp. priuationes intendi, vel remitti iuxta intensiorem, vel remissionem oppositorum habituum; ergo quando habitus non suscipit magis & minus, consequenter nec priuatio eius: sed ex dictis supra veritas consistit in indiuisibili; ergo falsitas ei opposita priuatiuè indiuisibilis erit.

Obiectio
sexta.

Obiicies sextò, vnum actum voluntatis esse præstantiorem alio; ergo &

vnam cognitionem veriore[m] alia. Probatur paritas, quia sicut veritas conformatur cum obiecto, sic bonitas cum ratione. Resp. negàdo paritatem, quia veritas solum sumitur ex adæquatione cum obiecto: bonitas autem actus sumitur non solum ex obiecto, sed ex libertate & aliis circumstantiis, ex quibus maior, aut minor bonitas mendicari valet. Cum autem dicis quòd bonitas est conformitas cum ratione, sicut veritas cum obiecto. Resp. quòd conformitas cum ratione potest suscipere magis & minus, iuxta perfectionem obiecti. nam qui, v.g. seruat diuina præcepta, vel in actibus charitatis exercetur ob Deum summè dilectum, magis conformatur rationi, quàm qui seruat consilia, aut in aliis operibus inferioribus exercetur. Tamen respectu veritatis non potest esse ista inæqualitas, quia æquè conformatur cum obiecto hæc propositio, *Homo est animal*, quàm hæc, *Deus est omnipotens*. Verum est quòd sicut vnus actus est melior alio, iuxta præstantiam obiecti; ita vna veritas præstantior alia, iuxta obiecti cui adæquatur perfectionem. Quando autem vulgò dicitur vnum mendacium esse maius alio, sic intelligendum est non quòd loquamur de veritate, aut falsitate formali, sed reddit hunc sensum, Hoc est magis impossibile, quàm illud, vel hoc est minus credibile: sicut minus credibile est bouem volare, quàm hominem, vel verius est Deum esse, quàm hominem currere. quia hîc veritas non vsurpatur vulgariter pro adæquatione actus cum obiecto, sed pro necessitate propositionis; & quidam necessarium est, quàm

Occultis.
117.

Deum esse?

* * *

ARTICVLVS III.

Virum præmissa debeant esse certiores & euidētiore conclusionē.

9.
*Euidētia
& certitudo
modo differunt.*

Evidētia & certitudo, eo intrinsecè differunt, quòd euidētia est perspicuitas qua intellectus clarè & distinctè intuetur, & quasi videt obiecta: certitudo autem est firma determinatio adhæsiōque intellectus. At verum vt verum est præscindendo ab euidētia & claritate: vnde actus diuinæ fidei certior est scientia, quia innititur diuinæ veritati & testimonio. quod ita infallibile est, vt nec fallere, nec falli potest; tamen non est euidens, sed obscurus: at scientia, seu demonstratio euidētiā & certitudinem continet, quia omnis euidētia est causa certitudinis. Vnde euidētia & certitudo se habent vt quid superius & inferius, infertur enim optimè, Actus est euidens; ergo certus: non tamen, est certus; ergo euidens, vt patet in exemplo fidei diuinæ.

Hoc supposito, aliqui affirmant demonstrationem non constare vtraque præmissa euidētiori, aut certiori conclusionē. Fundamentum est quòd in conclusionē demonstratiua assentimur duas rationes, scilicet subiectum & prædicatum esse idem inter se, quia assentimur, in præmissis illa esse idem vni tertio, scilicet cum medio; ergo tam certi sumus de conclusionē, quàm de præmissis. Patet consequentia, quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Vnde in hoc syllogismo, Animal rationale est risibile, Petrus est rationalis; ergo Petrus est risibilis, in quo medium est rationale, cui illa duo extrema, Petrus & risibile, eadem vnione vniuntur in medio, qua vniuntur inter se; ergo eadem ratione, qua mo-

ueor ad assentiendum, Petrum esse risibilem, moueor ad assentiendum Petrum & risibile esse rationale, cum circa idem obiectum non possimus eodem syllogismo esse magis, aut minus certi.

Dico primò, præmissa non possunt esse ineuidētiores conclusionē. Patet ex doctrina Doctoris sæpius repetita, & quæ ex professo explicatur in Physica quæst. 11. difficultate 2. scilicet non dari physica instrumenta, aut causæ imperfectiores, quæ virtute alterius possunt attingere effectus perfectiores. Ratio est conspicua, quia omnis causa debet continere saltem virtualiter suum effectum: sed causa imperfectior non potest continere effectum perfectiorem; ergo neque ipsum poterit causare. Sed si præmissa essent ineuidētiores conclusionē, non possent virtute propria ipsam causare, tum quia essent minus perfectæ, nec virtute alterius, nempe obiecti, causare possent, quia ex vbi supra non dantur physica instrumenta; ergo.

Dico secundò, præmissa sunt euidētiores conclusionē. Probat Doctor quæst. 13. libri primi Posteriorum §. ad quæstionem dicitur. Primò auctoritate Philosophi asserentis quòd propter quod vnumquodque tale, & illud magis: sed præmissa causant euidētiā conclusionis; ergo sunt ipsa euidētiores. Probat a priori, quia præmissa ex dicendis difficult. 2. art. 1. efficienter non vniuocè, sed æquiuocè concurrunt cum intellectu ad productionem conclusionis: sed causa æquiuoca est perfectior suo effectui; ergo præmissa perfectiores & euidētiores conclusionē. Probat maior. nam concurrunt cum intellectu, qui in nostra sententia est substantia perfectior omni cognitione, quæ

10.
*Assertum
primum.*

11.
*Assertum
secundum.*

quæ accidens prædicamentale est; ergo æquiocè. Minor probatur. nam eo solum differunt causa vniuoca & æquiuoca, ex quæst. 11. Physicæ difficultate 1. art. 2. quod causa vniuoca est æqualis perfectionis cum effectu, æquiuoca verò perfectior: sed præmissæ sunt causæ æquiocæ, utpote quæ concurrunt partialiter, non instrumentaliter, ex 3. de anima, cum intellectu, quæ est causa perfectior suo effectu; ergo sunt euidentiores conclusionem, quam probationem sic explico, ex obiecto & potentia paritur notitia, seu obiectum per speciem representatum causat cognitionem sui ipsius cum concursu partiali ipsius intellectus. Cum ergo istæ sint duæ concausæ complentes vnum principium totale & adæquatum, in eodem genere causæ debent causare, quatenus per modum vnius principij completi vniuntur ad causandum cognitionem: sed præmissæ sunt causæ partiales in nostra schola quæ concurrunt cum intellectu ad causandum conclusionem; ergo eodem genere causæ debent causare: sed intellectus cum sit perfectior, æquiocè suos actus producit; ergo & præmissæ quæ cum ipso concurrunt: sed causa æquiuoca est perfectior effectu; ergo præmissæ quæ æquiocè concurrunt, debent esse perfectiores conclusionem, ac per consequens euidentiores. nam euidentia est de intrinseca ratione actus syllogistici.

12. *Obiectio.* Dices sufficere quod præmissæ quatenus coniunguntur cum intellectu efficiant vnam causam perfectiorem effectu, et si in se imperfectiores sint. Patet de speciebus impressis, quæ quatenus coniunguntur cum intellectu, perfectiores sunt specie expressa, seu cognitione formali, et si in se imperfectiores sint. Resp. causam partialem

influere in effectum: vnde per coniunctionem cum altera non potest adquirere influxum in suo genere perfectiorem, quam in se habeat. quod sic explico, Intellectus, v.g. in actum cognitionis producit vitalitatem, vnde quantumuis perfectissimo coniungatur obiecto creato, non poterit actui tribuere maiorem vitalitatem quam habet in se, sed minorem, quia causa perfectior est, & de ratione causæ est, ut notauit Doctor vbi supra *vers. item*, quod quidquid reperitur in effectu & causa, excellentius reperitur in causa: sed præmissæ influunt certitudinem in conclusionem. nam intellectus nec dat certitudinem, nec incertitudinem, nisi quatenus fecundatur præmissis; ergo per vniorem cum ipso non possunt habere maiorem certitudinem causatiuam, quam in se & formaliter habet. Ex quo fundamento credo promanasse illud commune axioma ab omnibus receptum quod conclusio sequitur debiliore partem. Si tamen pars perficeretur per vniorem alterius compartis, non sequeretur effectus partem debiliorem, sed perfectionem principij complerij; signum ergo est quod causa partialis non influit in effectum ultra vires proprias, ideo effectus ipsi proportionatur, & concausa perfectior amittit vires producendi, quia altera cõcausa imperfecta est, & eius imperfectione supplere non valet. Ad exemplum de specie impressa resp. esse perfectiorem expressa, non in representando, sed in continendo, quod in 3. libro de anima explicabitur magis.

Si autem obiciatur quod actus procedens à potentia naturali & obiecto supernaturali, sequitur perfectiorem partem. & ideo supernaturalis est. Vnde visio beata procedens ab obiecto supernaturali & intellectu natu-

Alia obiectio.

rali beati supernaturalis est : sed supernaturalitas est perfectior naturalitate ; ergo conclusio non sequitur debiliorem partem. Resp. quòd conclusio, vel effectus non proportionatur in causis æquiuocis, cum entitate causæ, sed cum modo operandi ipsius. Vnde cum obiectum comparatum cum potentia sit causa imperfectior, non mirum quòd effectus, seu conclusio eius naturam imiteretur, ideo si obiectum formale supernaturale est, actus illi proportionatur, & similiter si naturale sit. Cum autem obiectis supernaturalitatem esse perfectiorem naturalitate. Resp. quòd si loquamur de perfectione entitativa, transeat, si verò de modo operandi, negatur. quia obiectum supernaturale minus proportionatur cum modo operandi potentia, & minus connaturaliter operatur quàm naturale. Propterea imperfectior pars est totius completi principij concurrentis ad intellectiōnem, quod in præsentī non potest sufficienter explicari.

13.
Obiectio
prima.

Obiicies primò. Contra conclusionem secundam, præcipuè contra Philosophi authoritatem, qua eam confirmamus. nam illa authoritas, *Propter quod unumquodque tale*, &c. non habet sufficientem veritatem. Patet. nam Petrus est homo à Patre suo, scilicet Paulo : tamen non licet inferre ; ergo Paulus est magis homo, quàm Petrus ; ergo quamuis conclusio habeat certitudinem à præmissis, non licebit inferre ; ergo istæ sunt certiores conclusione. Huic argumento optimè respondet Caietanus lib. I. de demonstratione cap. 2. §. Circa propositionem illam. Vbi asserit hoc axioma, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*, solum habere veritatem quando totus effectus potest reflecti supra veram causam, taliter

quòd esse effectus totaliter fit & conseruetur ab esse suæ causæ. v.g. quando dicimus, Luna est lucida, quia sol est lucidus ; ergo sol est magis lucidus. nam si Luna in se non habet aliam lucem nisi eam, quam sol ei præstat & communicat ; ergo clarior & splendidior erit ipsa Luna : cum autem tota euidencia & perspicuitas sit à præmissis, nam nulla alia ratione euidens & certa est, nisi quatenus euidenciam participat à præmissis non solum efficienter, sed etiam formaliter, quatenus euidencia conclusionis componitur ex euidencia terminorum in præmissis ; non mirum, si dicatur præmissas esse certiores, quia sunt causæ certitudinis & euidenciæ conclusionis. Exemplum de causa vniuoca nullum est, cum non possit effectus reflecti supra suam causam, vt contingit in nostro casu.

Obiicies secundò, certitudinem maiorem actus desumi ex maiori certitudine rationum, quibus ad assentiendum mouemur : sed non sunt plures rationes quæ excitent & cogant ad assentiendum præmissis, quàm conclusioni ; ergo vtraque præmissa non est certior & euidencior conclusione, Patet in hoc exemplo, Omnis homo est risibilis, Petrus est homo ; ergo est risibilis, in quo nulla est maior ratio assentiendi præmissis, quàm conclusioni. Resp. *Dissoluitur.* propositiones vniuersaliores conclusione, ideo certiores & euidenciores ; quis enim dubitabit magis patefcere hanc propositionem, Omnis homo est animal, quàm ista, Petrus est risibilis ; sunt enim principia lumine naturali notiora, & consequenter euidenciora.

Obiicies tertio hanc conclusionem, Deus est, tam certam esse & euidenciam Philosofo, quàm omnes effectus

14.
Obiectio
secunda.

Dissoluitur.

Obiectio
tertia.

Expositio
117.

effectus quibus intellectis in cognitionem Dei ducimur; ergo. Resp. negando antecedens. nam licet aliunde euidentiſſimum ſit Deum eſſe, tamen quatenus hæc certitudo & euidencia mendicatur ex præmiſſis effectibus, non eſt tanta, quanta euidencia ſuz cauſæ, magis enim pateſcit Philoſopho naturali natura hominis & plantæ, quàm natura Dei quatenus ex his effectibus conſpicitur, licet ex eis euidenter inferatur.

Obiectio
quarta.

Obiicies quartò, concluſionem deductam ex duobus principiis reuelatis eſſe æquè certam ac ipſa principia reuelata; ergo non eſt neceſſarium præmiſſas eſſe certiores. Resp. concluſionem deductam ex duobus principiis reuelatis, vel ex vno reuelato, & alio lumine naturali noto, vt patet in hoc exemplo, Omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo; ergo riſibilis, poſſe conſiderari vt elicitur ex præmiſſis, vel quatenus ſub eſt diuinæ reuelationi. Primo modo incertior eſt præmiſſis, nec eſt concluſio de fide. nam actus fidei non eſt diſcurſiuus, ſed immediatè innititur diuinæ veritati reuelanti, vt dixi in materia de fide. Non enim aſſentimur concluſionibus reuelatis quatenus inferuntur ex præmiſſis, hic enim actus iam non eſſet obſcurus & fidei, ſed clarus & demonſtratus. Si verò concluſio conſideretur quatenus reuelata vt ſic æqualem habet certitudinem cum præmiſſis, quia ſubſunt æqualiter diuino teſtimonio, ex quo omnes actus fidei æqualem habent certitudinem, tam certò enim credimus formaliter Tobiam habuiſſe canem, quàm Deum eſſe trinum & vnum.

Obiectio
quinta.

Obiicies vltimò, actum quo quis credit Deum eſſe trinum & vnum, non eſſe certiorẽ actu, quo credo

reuelatum myſterium, quia tam certus ſum Deum eſſe trinum & vnum, quàm certus id ab ipſo reuelatum eſſe: ſed actus quo credo Deum aliquid reuelate, eſt principium illius actus, quo credo myſterium reuelatum, ex quo deducitur tanquam concluſio; ergo hæc non eſt minus certa ſuo principio. Quod argumentum ita efficax apparet Hurtado diſp. 11. Logicæ ſectiõne 3. §. 18. quòd autumat euidenter oppugnare noſtram ſententiam. Sed fateor me iſtam euidenciam non percipere. nam vel ille actus, quo credo Deum aliquid reuelate, diſtinguitur ab actu, quo credo myſterium reuelatum, vel non diſtinguitur: ſi diſtinguatur, vt accidere poteſt, non eſt cauſa influens in cognitionem myſterij, ſed ſolùm diſpoſitio præcedens: ſicut dicitur de fide humana & auctoritate Eccleſiæ. Vnde quamuis fateantur omnes hanc propoſitionem eſſe certam, Qui credit, priùs debet aſſentiri auctoritati Eccleſiæ, & veracitati diuini teſtimonij; tamen non admittunt iſtam cauſalem in formali ſenſu, Idco credo Deum eſſe trinum & vnum, quia Eccleſia proponit, vel quia Eccleſia eſt organum & instrumentum Spiritus diuini: ſed quia Deus dicit, vt diximus in materia de fide diſput. 7. difficultate 2. & 3. Si verò eodem actu, vt quòd credamus myſterio reuelato, & vt quo diuinæ reuelationi, tunc cum non ſint duo actus, ſed vnus, nec diuina reuelatio ſit cauſa efficiens, ſed formalis; vt ſunt præmiſſæ, quæ efficienter cauſant concluſionem, & iſtius euidencia poteſt reflekti in ſuam cauſam, argumentum

Solutio.

non viger.

* * *

ARTICVLVS IV.

*Utrum praemissa demonstrationis
debeant esse de omni, & per se.*

15.
Dici de
omni du-
plex.

Dici de omni, vt ex Philosopho colligitur, & omnes Peripathetici admittunt, duplex est, aliud prioristicum, aliud posterioristicum. Dici de omni prioristicè est praedicatum affirmari de subiecto, siue necessariò, siue contingenter, ita vt nihil sit in subiecto, de quo praedicatum non dicatur, siue praedicatio sit contingens, siue necessaria. Cuiusmodi sunt istae propositiones, Omnis homo vigilat, Omnis homo dormit, quae contingentes sunt, quia non conueniunt subiecto pro omni temporis differentia; dicuntur tamen de omni, quia de omnibus particularibus sub subiecto contentis praedicatum enuntiat. sic sunt omnes propositiones, quae bene possunt disponi in forma argumentationis, siue verae, siue falsae sint, vt patet in hoc syllogismo, *Omnis homo vigilat, Petrus est homo; ergo Petrus vigilat.* Cuius syllogismi efficacia non materialiter, sed formaliter per illud vniuersale principium *dici de omni*, manifestè demonstratur, vt diximus in Summulis quæst. 6. difficultate 4. art. 5. Hoc autem principium prioristicum dicitur, quia in libris priorum solum agitur de syllogismo quatenus necessarius est ratione formæ in quacunque materia. Dicitur de omni posterioristicè propositio quando praedicatum, vt optimè notauit Philosophus cap. 4. cuidam inest, cuidam non inest: neque interdum conuenit, interdum non conuenit, id est, illa dicitur propositio de omni, in qua nullum datur subiectum, de quo praedicatum non affirmetur, nec vllum tempus in quo praedicatum non conueniat subiecto. huiusmodi sunt, Om-

Princi-
piu pri-
oristico
sunt.

nis homo est risibilis, Omnis cygnus est albus, &c. Hæc dicuntur de omni posterioristicè, quia in libris Posteriorum agitur de necessitate materiali demonstrationis & syllogismi, quæ rebus contingentibus accidere non potest, vt diximus in principio huius quaestionis ante primam difficultatem.

Propositio de per se quatuor modis à Philosopho vsurpatur. Primus modus est eum praedicatum est de essentia subiecti: vt quando definitio, vel partes eius praedicantur de definito, qui communiter appellatur *modus per se praedicandi*. Ad hunc modum reducuntur omnes rationes quidditatiuæ superiores & transcendentæ, quia omnes istæ sunt de ratione inferioris; excluduntur verò praedicationes indirectæ, quia in illis praedicatum non est de conceptu quidditatiuo subiecti, nec in ipso includitur, vt in hac, Animal est rationale, quia rationalitas non est de essentia animalis, etsi huic identificetur, sed de essentia hominis. Excluduntur etiam propositiones negatiuæ, quia praedicatum non tribuitur subiecto, sed ab eo separatur. Excluduntur item propositiones quarum subiectum includit aliquod accidens reduplicatiuè, vt eum dicimus, Homo albus est rationalis. Ratio est conspicua, quia rationalitas non est de quidditate hominis quatenus albi, sed quatenus homo est.

Secundus modus per se est, quando praedicatum est propria passio subiecti, qui modus communiter dicitur modus per se inherendi, quia in definitione praedicati ponitur subiectum; ideo Philosophus dicit quod subiectum in hoc modo per se est de essentia praedicati, quia, vt notauit Angelicus Doctor lectione 10. propria passio definitur per proprium subiectum, propterea hoc in obliquo est de essentia

Modi
quatuor
Proposi-
tionis per
se.
Primus.

171

Secundus

sentia passionis. Ad hunc modum reducuntur propriae passiones, ut risibilitas, & alia, quæ ponuntur in 4. prædicabili, & sunt proprietates 4. modo, & conueniunt omni subiecto, soli & semper. Sic etiam omnia accidentia quæ per propria subiecta necessariò definiuntur, ut sunt quæ conueniunt solis indiuiduis vnius speciei, non tamen omnibus, ut hominem esse Musicum, & quæ conueniunt omnibus solis, & non semper, ut ridere, quæ omnes determinat subiectum specificum, & per ipsum determinatè definiuntur: sic etiam sunt omnes propositiones quæ in diuinis per Deitatem definiuntur, ut, Deus est æternus, &c.

18. Tertius modus per se, proprius est modus essendi, quàm modus dicendi per se, est enim illud quo substantia dicitur ens per se existens, id est, non in alio existens, ut accidens eius, ita Petrus est in 3. modo perfectitatis, quia est per se existens, & non in alio. Ad hunc modum propriè pertinent substantiæ omnes, quæ per se existunt, & non in alio. Alij etiam reducunt per se Eucharistica accidentia, quæ non existunt in subiecto, nec ipsi inhaerent: sed hoc non reputo verum. nam modus per se propriè cõueniens substantiæ non communicatur accidentibus, etiam si miraculosè conseruentur sine actuali dependentia, quia modus per se excludit omnem aptitudinalem dependentiam, qua Eucharistica accidentia non priuantur, ut notauimus quæst. 14. difficult. 1. art. 2. Reduci etiam possunt accidentia in abstracto considerata, quæ licèt inhaereant suis subiectis, hoc tamen non exprimitur in prædicatione, ut cùm dicimus, Albedo est qualitas, &c.

19. Quartus modus perfectitatis est, cùm per se denotat causam efficientem, vel quamcunque aliam, ideo dicit

Aristoteles, Quidquid inest vnique per se ipsum, per se dicitur de eo, quod verò non per se ipsum inest, per accidens enuntiatur: ut cùm dicimus, Aedificator aedificat, Medicus medetur, hæc sunt prædicationes per se, quia subiectum in eis est causa prædicari: ea autem per accidens, Musicus aedificat, quia per se significatum subiecti contingenter & accidentaliter se habet ad aedificandum.

Differt iste quartus modus à duobus prioribus, ut optimè notauit Philosophus. Primò, quia in hoc 4. actualis effectus semper consequitur. Secundò in hoc 4. non semper ponitur accidens intrinsecum, nec in 3. modo, sicut ponitur in 2. Tertio differunt quòd in hoc 4. ponuntur varia causarum genera, quæ non veniunt in definitionem effectuum, interitus enim non definitur per iugulationem. Secundus autem modus per se cùm per se conueniat passionibus, necessariò in earum definitione ponitur causa, nempe subiectum à quo promanant.

Ex quibus manifestè infertur præmissas demonstrationis debere esse de omni & per se. quod hac perspicua ratione breuiter probatur. Præmissæ debent esse omnino necessariae: sed quæuis propositio necessaria debet contineri sub aliquo ex prædictis modis per se; ergo præmissæ debent esse propositiones per se: at omnis propositio per se est etiam de omni. nam in duobus primis modis dicendi per se, prædicatum vel est essentia subiecti, vel habet necessariam connexionem cum illo; ergo non contingenter, sed necessariò ipsi soli & semper conueniunt; ergo sunt de omni & per se, & consequenter ex necessitate præmissarum identitatum inter se; & in tertio optimè infertur, esse per se, & de omni posteriori sicè.

ARTICVLVS V.

*Utrum praemissa demonstrationis
debeant esse de praedicatione
vniuersali.*

CVM loquimur de praedicatione vniuersali, non intendimus agere de vniuersalitate praedicabili, seu logica, quae in multis inest, & de eisdem praedicatur; sed de vniuersalitate, aut praedicatione necessario, quod conuenit subiecto conuertibiliter, seu secundum quod tale est. quam vniuersalitatem Philosophus libro 1. cap. 4. sic definit. *Vniuersaliter autem id competere dico, quod utique dicitur de omni per se, & secundum quod ipsum.* Ex qua definitione tria manifestè inferuntur. Primum est, quod praedicationum vniuersale debet esse de omni; defectu cuius conditionis visibilitas non praedicatur vniuersaliter de animali, quia non dicitur de omni, aliàs etiam diceretur de equo, & leone. Secundum, quod sit per se; vnde album, etsi dicatur de omni niue, quia tamen ei contingit, & accidit, non dicitur vniuersale praedicationum. Tertium est, quod conueniat subiecto secundum quod ipsum, id est, conuertibiliter, seu secundum quod tale est; cuius conditionis defectu sensibile non est praedicationum vniuersale hominis. nam licet sit de omni, & per se, non tamen ei conuenit secundum quod ipsum; siquidem sensibile non conuenit homini, quatenus homo est praecise, & formaliter, sed quatenus animal est.

Ex quibus etiam manifestè patet qualiter se habeant praedicationum de omni, per se, & vniuersale; habent enim se, sicut superius, & inferius, quia omne vniuersale est per se, & de omni, non tamen è contra, nam hæc

praedicationum, Cygnus est albus, de omni est, non tamen per se. hæc autem, Homo est animal rationale, est per se in primo modo, non tamen vniuersalis. nam primus modus per se non petit conuertibilitatem; nec praedicationum de omni perfectitatem.

Secundò inferitur non esse idem conuenire immediatè & vniuersaliter. nam genus proximum immediatè conuenit, non tamen vniuersaliter, cum non conuertatur: & similiter tertia passio non est immediata, quia mediat prima & secunda, & tamen est vniuersalis. nam licet insit subiecto media alia passione priori, tamen cum insit ei ratione propriae & specificae differentiae, per se & conuertibiliter & consequenter vniuersaliter dicitur de subiecto.

Dico primò. Vtraque praemissa demonstrationis, vel saltem aliqua, debet esse de praedicatione vniuersali in demonstratione propter quid, seu à priori. Ex sententia Philosophi in hoc cap. 4. dum dicit, quod habere tres angulos æquales duobus rectis, quamuis per se primò demonstratur de triangulo, cuius est praedicationum vniuersale; per ipsum tamen demonstratur tum de ipso genere figuræ particulariter sumpto; tum etiam de singulis speciebus trianguli, scilicet, isosceli, isopleuros, & scaleni. Ratione etiam probatur. nam demonstratio perfectissima passionem ostendit de proprio, & adæquato subiecto, manifestans propter quid illi conueniat: sed proprietas conuertibiliter dicitur de proprio, & adæquato subiecto. Item propria, & immediata eius causa conuertibiliter dicitur de passione; ergo in potissima demonstratione, quæ est propter quid, termini omnes sunt conuertibiles, & consequenter vtraque praemissa erit de

22.
Assertum
primus.

Species
trianguli

de prædicato vniuersali, vt in sequenti syllogismo manifestè patescit, Omne admiratiuum est risibile, Omnis homo est admiratiuus; ergo omnis homo est risibilis. In quo singulæ propositiones sunt de prædicato vniuersali, quia earum termini sunt de omni, & per se, dicunturque ad conuertentiam.

Diximus tamen notanter in principio huius conclusionis, quòd saltem aliqua ex præmissis debet esse de prædicato vniuersali. nam quamuis vtraque possit esse de prædicato vniuersali, vt iam ostendimus; hoc tamen non est simpliciter necessarium, sed sufficit, si id alteri competat. quod experientia conspicuum est, cum sapius demonstramus demonstratione propter quid, seu à priori propriam passionem, tum de aliqua specie, aut indiuiduo subiecti adæquati, vt cum dicimus, Omnis homo est risibilis, Petrus est homo; ergo risibilis; tum etiam de ipso genere particulariter sumpto, vt si in primo modo tertie figuræ dicamus, Omnis homo est animal, Omne animal est risibile; ergo aliquod sensibile esse homo. In quibus demonstrationibus altera tantum præmissarum est de prædicato vniuersali, quandoquidem nec risibile conuertitur cum Petro, nec animal cum homine; sufficit ergo alteram præmissarum esse vniuersalem.

23. *Avertum secundum.* Dico secundò. Perfectior est demonstratio, in qua passio concluditur de proprio & adæquato subiecto, quam ea, in qua solum concluditur de aliquo eius inferiori, aut etiam superiori particulariter sumpto, vt nuper explicauimus. quod perspicua oratione ostendit Aristoteles. nam propria passio per se primò con-

nit subiecto, & istius ratione inferioribus sub eo contentis communicatur, ideo enim Petrus risibilis est, quia homo est risibilis, & ideo aliquod animal est risibile; quia homo risibilis: passiones enim immediatè profluunt, & promanant à specifica ratione, & quidditate rei; ergo demonstratio in qua passio concluditur de proprio, & adæquato subiecto, multò perfectior erit quauis alia, cum primò, & itummediatè concludatur, seu demonstretur conclusio de subiecto, seu passio, quæ ipsi per se immediatè, & conuertibiliter conuenit. Vnde Philosophus cap. 20. primi libri multis rationibus, & hac potissimè ostendit, demonstrationem vniuersalem, seu habentem vtramque præmissam de prædicato vniuersali perfectiorem esse particulari, seu in qua ambæ præmissæ non dicuntur ad conuertentiam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum demonstratio debeat procedere ex proprijs, non vero ex extraneis, aut communibus.

Quoniam proprium bifariâ vsurpari potest in præsentia. Primò, vt opponitur alieno, seu extraneo. Secundò vt opponitur communi: ideo explicandum venit secundum vtramque acceptionem, vtrum demonstratio ita procedat ex proprijs, vt excludantur extranea, aut quæ sunt alijs communia. Syllogisimum ex alienis, seu extraneis procedere nuncupatur, cum medium alienatur à subiecto, seu à minori extremitate, ita vt cum illo non necessariò, sed contingenter connectatur: ac si ex albedine rationali-

Proprijs bifariam accipi.

tarem ostendere intenderemus. Similiter cum syllogismum ex communibus, seu remotis procedere existimamus, quando medium non immediate influit in passiones, easque causat, sed mediate, seu remote. Quod dupliciter euenire contingit. Primum cum causa conuertibilis est cum effectu, etsi re vera remota, & communis sit, vt si tertiam passionem, v.g. risibilitatem, quæ est tertia passio per esse discursuum, quæ est prima, demonstremus; tunc enim propria, & immediata causa discursui erit rationale, & propria, & immediata causa admiratiui: quod mediat inter discursuum, & risibile, erit discursuum: vnde rationale comparatum ad admiratiuum, & risibile, erit causa remota, siquidem mediat discursuum; ideo hæc causa non solum erit remota, quatenus alia proximior mediat inter ipsam, & effectum, sed etiam communis; tum quia admiratiuum, & risibile, ultra rationale, aliam requirunt causam, nempe discursuum; tum etiam; quia rationale non solum est causa admiratiui, & risibilis, sed multo magis discursui, cuius est immediata, & propria causa. Tunc ergo dicemus in hac acceptione, demonstrationem ex propriis, & non communibus procedere, cum conclusio causetur à causa immediata, & per se conuertibiliter, v. g. si discursuum probemus per rationalitatem, admiratiuum per discursuum, risibile per admiratiuum: si autem risibilitatem per rationale, aut discursuum ostendamus, demonstratio non erit ex propriis, sed communibus.

24. Secundò contingere potest, syllogismum causari remote, & communiter, vt cum causa non conuertitur

cum effectu, sed aliis etiam communicatur: vt si quis hanc propositionem, Lapis non respirat, probaret in secundo modo secundæ figuræ, sic, Omne respirans est animal, Nullus lapis est animal; ergo nullus lapis respirat. Ille procederet per causam remotam, & communem, hoc secundo modo. nam aliqua animalia, quæ ce- rent pulmone, non respirant, vnde animalitas, & respiratio ad conuertentia non dicuntur; quo exemplo, vt hanc veritatem manifestaret, vtitur Aristoteles cap. 10.

Dico primò. Demonstratio non debet esse ex extraneis, sed ex propriis principiis, & non communibus, ita, vt medium, quod assumitur in præmissis, necessariò connectatur tum cum subiecto, tum etiam cum passione, ita, vt subiectum, medium, & passio vniantur intra idem genus, vt notauit Philosophus cap. 7. quem sequitur D. Thomas lect. 15. & communiter Dialectici; seu intra eandem cognationem, vt transfulerunt alij. Probatur conclusio, quia si medium non connecteretur necessariò cum aliqua extremitatum; ergo contingenter. ergo conclusio etiam esset contingens, & non scientifica, vt per se patet. Debet ergo demonstratio esse ex propriis principiis, non verò ex alienis, seu extraneis. Hanc autem conclusionem limitandam esse ad scientias subalternantes, docuit Aristoteles vbi supra. Fundamentum est, quòd scientiæ subalternatæ quodammodo procedunt ex extraneis: vnde principia Arithmetica, ex quibus Musica procedit, ad demonstrandas passiones de numero sonoro, sunt quodammodo aliena, & extranea ipsis sonis; de quibus difficultate 6. aliqua explicabimus.

Affertio prima.

Dico

25.
Assertio
secunda.

Dico secundò. Demonstratio propter quid nequit procedere à causis remotis, & communibus, seu non conuertibilibus cum effectu secundo modo supra explicato. docuit expressè Philosophus cap. 7. ubi eo negat demonstrationem Brusonij non esse sufficientem & propter quid, quia procedebat per causam remotam; sic enim argumentabatur Bruson, ut ostenderet tetragonisimum, seu quadraturam circuli, ubi est maius, & minus, potest esse æquale; sed posito quadrato, datur circulus maior (qui scilicet ipsum continet,) & circulus minor (qui scilicet intra quadratum describitur.) ergo potest dari circulus æqualis quadrato. Quam demonstrationem defectuosam esse inde probat Philosophus, quia procedit per causam remotam; maius enim, minus, & æquale, non solum conueniunt circulo, sed etiam triangulo, Pyramidi, aliisque figuris. quæ conclusio communis est inter Dialecticos; & hac efficacissima ratione perspicue ostenditur. In demonstratione propter quid, saltem aliqua præmissarum debet esse de prædicato vniuersali, ut ex mente Philosophi artic. præcedenti ostendimus: sed quando demonstratio procedit per causam remotam secundo modo supra explicato, nulla præmissarum est de prædicato vniuersali, cum talis causa non conuertatur cum effectu; ergo demonstratio propter quid nequit procedere per causam remotam, seu non conuertibilem cum effectu.

Assertio
tertia.

Dico tertio. Demonstratio propter quid potest procedere per causam remotam primo modo usurpatam, seu per causam conuertibilem cum effectu, non tamen immedia-

tè conuertibilem. est communis Dialecticorum sententia, quæ hoc fundamento breuiter explicatur, & probatur. Si propter aliquam rationem demonstratio non posset procedere per causam remotam conuertibilem, maximè quia Philosophus ubi supra docet, demonstrationem à causis proximis debere causari: sed Philosophus non loquitur de causa remota conuertibili, ut optimè notauit Caletanus, & cum eo quamplures recentiores, in hoc primo libro cap. 13. ergo. Probatur minor, tum ex textu ipsius Philosophi; tum etiam ratione. Nam essentia, seu specifica ratio cuiusuis rei non est propriè remota causa passionum, sed proximè ab eadem oriuntur, & promanant, licet prioritatibus originis, vna passio prius oriri intelligatur, quàm alia; vnde meritò dicimus, admiratiuum prius procedere à rationalitate, quàm risibilitas, seu risibile; & nihilominus non inde intelligimus, rationem admiratiui esse causam proximam risibilitatis, sed vtramque passionem immediatè ab essentia promanare, cuius signum manifestum est, quod vtraque passio immediatè conuertitur cum rationalitate. Nam sicut non omnia accidentia eadem prioritate insunt subiecto, sed qualitates secundæ primas supponunt, v. g. Albedo supponit calorem, siccitatem, humiditatem, & frigiditatem in subiecto; & nihilominus semper dicimus, omnia accidentia immediatè in subiecto subiectari; cum vnum accidens, saltem ut quod, nequeat esse alterius subiectum: sic similiter omnes passionis immediatè profluere à rei quidditate tenemus, etsi altera prius conuenire subiecto cognoscamus. Ex quibus

quibus sic formo rationem: Ad demonstrationem propter quid sufficit, quòd conclusio procedat ex causis vniuersalibus, seu proximè conuertibilibus cum effectu: sed hoc habent tertiæ passiones respectu sui principij; ergo per hoc demonstratione propter quid valent ostendi.

ARTICVLVS VII.

Utrum præmissæ demonstrationis possint esse de contingentibus, singularibus, & corruptibilibus.

26. **C**ertum debet esse demonstrationem propter quid, seu à priori non posse fieri ex præmissis contingentibus. Ratio est conspicua, quia in hac demonstratione, vt suprà diximus, causæ conclusionis debent conuerti cum effectu: sed causæ contingentes, cum necessariæ non sint, non dicuntur ad conuertentiam; ergo. Quod argumentum etiam probat de demonstratione quia, seu à posteriori. Nam licèt hæc sit ab effectu ad causam, tamen est ab effectu conuertibili, quod effectibus contingentibus euenire non valet. Solùm ergo potest controuerti, vtrum possit dari aliqua demonstratio minus perfecta, cuius præmissæ sint contingentes, singulares, & corruptibiles.

Affirmant aliqui, posse dari aliquas demonstrationes constantes ex præmissis singularibus, corruptibilibus, seu contingentibus, quam conclusionem esse luce meridiana clariorem affirmat Hurtado disputatione 11. Logicæ sectione 6. §. 31. Et probat primò, quia nulla alia ratione existentiam Dei demonstra-

mus, nisi ex effectibus, quos videmus, imò ex iis omnes causas, tam creatas, quàm increatas, vt potè risibilitatem ex risu, creatorem ex creatura venamur. Fundamentum à priori huius sententiæ est, quòd syllogismus, & demonstratio, non ratione materiæ, sed ratione formæ inter se se differunt, id est, non quia materia probabilis, aut demonstratiua sit, sed quia actus præmissarum certi, aut euidentes sint rectè dispositi in modo, & figura.

Hæc autem sententia vera non est. Primò fundamentum à priori falsum est, vt ostendimus in Summulis quæstione .. difficultate .. articulo .. ibi enim ex mente Doctoris probamus demonstrationem, & probabilem syllogismum solùm differre ratione materiæ. nam ratione formæ omnes syllogismi concludunt, vt notauimus sæpiùs in hoc tractatu. Secundò licèt verum sit aliquas causas ex effectibus venari, non tamen ista illatio demonstratiua est, nisi effectus, quamuis in se contingentes, aliquam connexionem necessariam habeant cum sua causa.

Vera sententia affirmat, omnem demonstrationem procedere ex principiis necessariis, non contingentibus, & corruptibilibus. est sententia Aristotelis hæc, & eam communiter sequuntur Authores. Fundamentum à priori est, quòd scientia est veritas intellectualis; ergo semper inclinatur ad veram conclusionem: sed veritas dicit necessitatem, & inuariabilitatem rei; ergo non contingentiam. Tum sic, sed principia, quæ aliter se habere possunt, non possunt causare

fare conclusionem necessariam, seu quæ aliter se habere non possit; ergo demonstratio nequit procedere ex contingentibus & corruptibilibus.

Confirmatur ex Philosopho definiente demonstrationem, quod sit cognitio rei per causam, & quod illius sit causa, & quod aliter se habere non potest. Fingitur ergo alia demonstratio non ita procedens ex præmissis.

Obiectio. Obiicies existentiam Dei ex effectibus venari: sed effectus sunt contingentes, utpotè ad extra; ergo. Confirmari potest, quia multas demonstrationes efficitur de singularibus omnino contingentibus; idè à priori Astrologus euidenter demonstrat futuram eclipsim ex singulari, & corruptibili Astrorum situ, & positione.

Responditur. Respond. hos effectus bifariam usurpari posse. Primò quatenus contingentes sunt, ita ut eius existentia non sit necessaria, sed liberè conseruetur à Deo. Secundò quatenus positi in re necessariam dicunt connectionem cum sua causa; sunt enim alij effectus, qui non necessariò dependent à sua causa. v.g. Petrus existens, non solùm contingenter existit, sed eadem contingentia dependet à suo Patre; poterat enim à Deo immediatè creati, nihilominus à Deo primo Authore, & causa ita necessariò dependet, ut hæc dependentia intrinseca, & necessaria sit ipsi identificata, ut diximus quæstione 16. difficult. 2. artic. 1. Vnde quando ex effectibus contingentibus demonstramus causas, non est ab his, quatenus contingentes sunt, sed quatenus necessariò connectuntur cum sua causa. Propterea benè inferitur ex existen-

tia creaturæ existentia creatoris, quia omne creatum ab aliquo creato dependere debet; aliàs in causis creatis non daretur vltimus terminus dependentiæ. Ideo etiam ex contingenti situ, & positione Astrorum euidenter inferitur futura eclipsis, quia quamuis hæc positio contingens sit in se, connexio tamen cum effectu necessaria est. Alij autem effectus in se, & quatenus dependent contingentes, veram & propriam demonstrationem causare non valent, et si ex eis aliquando cognitio experimentalis inferatur.

DIFFICULTAS II.

De propositione per se nota.

ARTICVLVS I.

Quid sit propositio per se nota.

Angelicus Doctor 1. par. quæst. 2. art. 1. sic propositionem per se notam definit, est illa, in qua prædicatum includitur in ratione subiecti. Hæc tamen definitio insufficientis est. Primò, quia propositio, in qua prima passio prædicatur de definitione primi, & adæquati subiecti, est propositio immediata, prima, & indemonstrabilis à priori, ac proinde propositio per se nota. Ut si dicamus, Animal rationale est capax disciplinæ: sed hoc prædicatum non includitur in ratione subiecti; ergo definitio ista est insufficientis. Nec sufficit, si respondeas cum Caetano in eo art. 1. & Ferrara contra gentes cap. 10. & 11. sufficere ad propositionem per se notam prædicatum includi formali

Propositio per se nota quid.

maliter, vel virtualiter, proximè; vel remotè in subiecto; cum autem in exemplo posito illa prima passio virtualiter includatur in subiecto, hinc est, quòd sit propositio per se nota; quia contra est. Primò quòd in ea propositione non enunciatur prima radix de subiecto, seu esse radicem primæ passionis, sed formalis passio, quæ ab ipso oritur; sed ut sic non est de ratione subiecti, & tamen est propositio per se nota; ergo.

Confirmatur. nam si continentia virtualis sufficit, ut aliqua sit propositio per se nota; ergo quælibet propositio, in qua passio siue prima, siue secunda de subiecto prædicatur, erit propositio per se nota.

Secundò respondent alij, Doctorem sanctum ibi non definisse propositionem per se notam, sed explicuisse solum casum particularem, in quo aliqua propositio sit per se nota, videlicet, cum prædicatum est de ratione subiecti. Sed contra est, quòd sequeretur, quamlibet propositionem primi modi esse per se notam, ut hæc, Homo est animal, quòd negat Doctor in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *quoniam*. versic. *Hæc etiam*, &c. num. 3. Secundò propositio, in qua modus intrinsecus de subiecto prædicatur, ut infinitas de Deo, non est propositio per se nota, sed demonstrabilis à priori, ut docet Doctor in 1. dist. 2. quæst. 1. & 2. & d. 3. quæst. 2. §. *Dico* 4. & d. 8. quæst. 3. Ad primum principale, &c. Et tamen prædicatum est de ratione subiecti, aliàs non esset modus intrinsecus illius; ergo definitio Thomistica non est exacta.

28.

Aptior, & exactior est ea definitio, quam tradit Doctor in 1. d. 2. quæst. 2. §. *Quoniam*, versic. *Dicitur*. ubi hæc habet. *Dicitur igitur propositio per se*

nota, qua ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, ut sunt eius, habet veritatem evidentem, & non propter aliquid aliud, quòd sic extra terminos proprios habet evidentiam, sed ex se tantum, ut omne totum est maius sua parte. Hanc definitionem admittunt omnes Scoti Interpretes. Item Ægidius, Ricardus, Okam, Henricus, Durandus, Aliacensis. colligitur ex Aristot. 1. Post. cap. 3. text. 25. ut notatur in margine Doctoris, quatenus asserit, principium scientiæ quoddam esse asserimus, quo terminos ipsos cognoscimus, ubi pro eodem vsurpat principium scientiæ, & propositionem per se notam: sed principium scientiæ affirmat esse notum ex terminis; ergo & principium per se notam. Hanc sententiam sic explicatam defendit Faber super primum sent. disp. 14. c. 1. & in Philosophia theorem. 7. cap. 1. Pinosus disp. 5. art. 1. num. 1. & 2. Posnanus eadem dist. 2. quæst. 1. art. 1. Theodorus tract. 1. disp. 1. q. 1. num. 6.

Quam definitionem statim sic explicat Doctor. Ulterius, qui sunt illi termini proprii, ex quibus debet esse evidens, *Dico quòd quoad hoc, alius terminus est definitio, alius definitum, & hoc siue accipiantur termini propositionis pro vocibus significantibus, siue pro conceptibus significatis; quòd probo ex primo Posteriorum, text. 10. & 20. quòd expressius habetur in 2. Posteriorum text. 8. quia, quòd quid est alterius extremi, est medium in demonstratione; ergo altera præmissarum non differt à conclusionem, nisi sicut definitum à definitione, & tamen præmissa est principium per se notum: conclusio autem non est per se nota, sed demonstrata; ergo quantum ad rationem propositionis per se nota, alius terminus est definitio à definito; quia si esset idem*

idem conceptus definitionis, & definiti in demonstratione potissima, esset petitio principij. Item tunc essent ibi duo termini tantum, quod est falsum.

Hoc probatur secundo sic per Aristotelem 1. Physicorum text. 28. quod nomina seſtinent ad definitionem hoc, quod totum ad partes, vel quod nomen est prius notum definitione. Ex hoc arguitur, impossibile est eandem conceptum esse priorem, & posteriorem haberi, & non haberi de eadem re: sed idem potest prius concipi secundum nomen, quam secundum definitionem: nomen autem confuse importat, quod definitio distincte, quia definitio diuidit in singularia; ergo conceptus quidditatis, prout importatur per nomen confuse, est prius notus naturaliter, quam conceptus eius, ut importatur distincte per definitionem; & ita alius conceptus, & aliud extremum. Sunt ergo termini ex mente Doctoris, ex quibus propositio per se nota coalescit, definitio, & definitum.

ARTICVLVS II.

Virum termini propositionis per se nota debeant distincte cognosci.

29. **E**X duobus declaratis infero (inquit Doctor) propositionem sic. Cum propositio sit per se nota qua ex proprijs terminis habet euidens veritatem, & alij termini sunt conceptus quidditatis distincte, ut importatur per definitionem, & conceptus quidditatis confuse, ut importatur per nomen; sequitur, quod propositio non est per se nota quidditate confuse accepta, qua non est nota, nisi eadem distincte concipiatur per definitionem. Hac etiam eadem conclusio probatur, quia alias qualibet propositio, qua est vera in primo modo, ut, Homo est animal,

& corpus, usque ad substantiam, esset per se nota; quod tamen non est verum. Nam si ratio viriusque extremi assignatur ex rationibus extremorum distincte conceptis, apparet manifestum, quod vnum extremum includit aliud. Similiter alias qualibet propositio esset per se nota in scientijs specialibus, quam Metaphysicus posset habere per se notam ex definitionibus extremorum, quod non est verum, quia Geometer non videtur aliquibus principijs tanquam per se notis, nisi qua habent euidens veritatem ex terminis confuse cognitis; puta concipiendo lineam confuse, euidens est, quod linea est longitudo sine latitudine, non concipiendo ad hoc distincte, ad quod genus pertinet linea, sicut considerat Metaphysicus. Alias autem propositiones, quas Metaphysicus posset cognoscere, puta, quod linea est species quantitatis continua distincta contra superficiem, & corpus, & huiusmodi propositiones, non habet Geometer pro per se notis.

Patet hoc tertio, quia bene stat demonstratio alicuius predicati de definito cum hoc, quod illud predicatum sit per se notum de definitione; sicut habere tres, est demonstrabile de triangulo: cum tamen notum sit per se de eius definitione, quod omnis figura plana, &c. Est igitur omnis & sola illa propositio per se nota, qua ex terminis sic conceptis, ut sunt eius termini, nata est habere euidens veritatem complexionis. Hanc sententiam expressè sequitur Tartaretus in 1. dist. 2. quaestione 2. Faber disput. 14. cap. 1. numer. 1. & in Philosophia theoremate 7. cap. 1. Vasq. 1. part. disput. 16. cap. 3. numer. 9. Bañes 1. parte quaest. 2. art. 1. ad 5. argumentum. Pilosus disputatione 6. artic. 1. numer. 2. & Theodorus quaestione 1. num. 17. Et confirmari potest haec veritas ex eodem Doctore, vbi supra.

§. qua

§. *quoniam*, vers. *ulterius*, num. 2. ubi asserit propositionem, in qua definitio dicitur de definito, esse per se notam, & tamen ipse definitum à definitione distinguit tanquam conceptum confusum à distincto; ergo.

Obiectio. Obiicies Doctorem §. *Ex his ad questionem*, num. 4. versic. *Est igitur*, docentem hanc propositionem, Deus est, esse per se notam, eo solum quod extrema illius nata sunt causare evidentiam huiusmodi complexionis cuilibet apprehendenti perfecte illius extrema: sed apprehensio perfecta est idem quod distincta; ergo in propositione per se nota ex mente Doctoris, extrema eius non confuse, & imperfecte, sed perfecte, & distincte debent apprehendi.

*Enodas-
tur.* Respond. primò eum versum non esse doctrinam Doctoris, sed additionem marginis, vt in margine notatur.

Secundò respondetur ly *perfecte*, non denotare perfectam cognitionem, seu distinctam terminorum quoad quid rei, sed quoad quid nominis: hæc autem cognitio à confusa non differt. Ad hæc solutio non est ad mentem Commentatoris, seu marginis, quia in versiculo citato, cognitionem distinctam, & perfectam pro eodem vsurpat.

Tertiò respond. & melius, vt notavit optimè doctissimus, & reuerèdiss. Pater, mihiq; colendissimus, Magister meus P. Frater Ioannes de Soria in tract. de Attributis disputatione 1. questione 1. difficultate 3. Ideo ad notitiam per se huius propositionis, Deus est, postulari distinctam apprehensionem terminorum, non quia propositio quatenus per se nota, petat talem cognitionem distin-

ctam extremorum, sed vt hæc sit cognoscibilis ex suis terminis propriis euidenter, vt sunt aliquid eius; vnde cum in illa speciali apprehensione, Deus est, subiectum non apprehendatur vt terminus proprius, nisi concipiatur distincte, ideo ad per se notum specialiter repertum in prædicta propositione requirit Doctor distinctam cognitionem terminorum, non quidem propter rationem per se noti vt sic, sed vt concipiantur termini, quatenus proprii. Itaque ad propositionem per se notam (resoluit hæc Author) solum requiritur, quantum ad præsens punctum apprehensio terminorum, vt sunt aliquid eius, & quia hæc apprehensio aliquando non contingit, nisi sit simplex, & distincta, vt in exemplo posito, quod benè expendit Faber disput. 14. cap. 1. num. 3. hinc est, quod in eo casu requiratur apprehensio distincta terminorum, vt talis propositio per se nota sit. In aliis vero cum sufficiat cognitio confusa, vt termini concipiantur tanquam proprii, vt diximus supra, in tali cognitione non requiritur apprehensio distincta.

Ex dictis inferuntur aliqua. Primò, *illatio prima.* hanc propositionem, Homo est animal, nõ excludi à ratione per se noti, quia termini apprehendantur confuse, sed quia ex terminis eius, vt propriis non est euidenter cognoscibilis, iuxta dicta art. 1.

Secundò inferitur, ad propositionem per se notam requiri terminos propositionis per se notæ apprehendi in priori naturæ quatenus abstrahunt ab existentia, vel negatione illius vt possit intellectus cognoscere complexionem eorum, quod perspicue cognoscitur in hoc notissimo principio, *illatio secunda.*

cipio, totum est maius sua parte, in quo prius natura, quod sequatur assensus, concipiuntur termini quatenus abstrahunt ab existentia, & negatione eius.

ARTICVLVS III.

Quotuplex sit propositio per se nota.

35. **H**IS iactis fundamentis circa naturam, & quidditatem propositionis per se notæ, hæc infert Doctor ubi supra contra S. Thomam 1. part. quæstione 2. artic. 1. Caietanum ibidem, & 1. Posteriorum capite 3. Ferraram 1. contra gentes capite 11. Syluestrum in Consolato quæstione 2. artic. 1. Herneum in 1. distinctione 3. quæstione 2. & quod magis est contra nostrum Nicolaum de Nisse tractatu 1. part. 1. quæstione 2. *Ex hoc patet, quod non est distinguere inter propositionem esse per se notam, & per se noscibilem, quia idem sunt. Nam propositio non dicitur per se nota, quia ab aliquo intellectu cognoscatur per se; tunc enim si nullus intellectus actu cognosceret, nulla propositio esset per se nota: sed dicitur per se nota, quia quantum est de natura terminorum, nata est habere euidentem veritatem connexam in terminis, etiam in quocumque intellectu concipiente terminos: si tamen aliquis intellectus non concipiat terminos, & ita non concipiat propositionem, non minus est per se nota, quantum est ex se. Et sic loquimur de propositione per se nota. Ex his patet, quod nulla est distinctio de per se nota in se, & in nobis, quia quacumque est in se, & per se nota, cuiusque intellectus est per se nota, licet non actu cognita; tamen quantum est ex terminis, est euidenter nota, si ter-*

propositio per se nota.

mini concipiuntur. Sicut patet de syllogismo perfecto, qui nullius indiget, ut appareat necessarius.

Item propter idem non valet illa distinctio quod aliquid est per se notum sapientibus, vel insipientibus, quia hoc totum pertinet ad conceptionem terminorum, que presupponitur ad intellectum propositionis per se nota.

Licet sic distinguat Boëtius in Hebdomadibus communem conceptionem: sed vel non est idem propositio per se nota, & communis animi conceptio: vel ipse intelligit de concepta, non de conceptibili sub ratione terminorum distinctæ.

Nec ita distinctio valet, quod aliqua sunt per se nota primi ordinis, aliqua secundi: quia quacumque per se nota propositiones, conceptis terminis propriis, sicut sunt termini eius, habent euidentem veritatem in ordine suo. Hanc opinionem sequitur Aureolus in 1. distinctione 2. quæstione 2. artic. 5. Aquila quæstione 1. artic. 1. Antonius Andreas quæstione 2. Okamus distinctione 3. quæstione 3. Gabriel quæstione 4. & ex recentioribus Scotistis Faber disputatione 14. capite 1. numero 5. Piosolus disputatione 5. articulo 1. Pofnanus disputatione 2. quæstione 1. articulo 8. numero 2. Theodorus tractatu 1. quæstione 1. numero 19. quibus adhæret Molina 1. part. quæstione 2. art. 1. §. Adhibeamus.

Nec audiendus est Suarius disputatione 19. Metaphys. sectione 3. numero 35. ubi affirmat, Doctorem intelligendum esse, non de propositione obiectiua, sed formali, aut mentali, vt optime notauit Theodorus supra numero 5. Ratio est conspicua, quia Doctor propositionem per se notam confundit cum propositione per se noscibili, & asserit abstrahere

326

ab actuali cognitione, & eo solum dici per se notam, quatenus est nata habere evidentem veritatem ex ipsis terminis, quæ re vera non possunt accommodari propositioni mentali, cum hæc non sit nata causare talem cognitionem, sed actualiter, & in exercitio causet.

Obiectio. Obiicies Doctorem §. ex his ad quaestionem, numero 4. vbi asserit, hanc propositionem, Deus est, sumpto Deo, prout conceptibilis est sub ratione Deitatis, esse per se notam beatis, non verò nobis viatoribus: sed idem est aliquam propositionem esse per se notam beatis, & non nobis, ac esse per se notam secundum se, & non quoad nos; ergo sibi obuertatur Doctor.

Diluitur. Respond. hæc verba non esse Doctoris, sed additionem quandam, ideo ea rasit Doctissimus, & Illustrissimus D. D. Fr. Hugo Cavello Archiepiscopus Armaganus, Hybernæ primatus, vir sapientia, pietate & religione insignis, in sua vltima & correctissima editione anni 1620. quod optimè notat Theodorus num. 17.

Obiectio secunda. Obiicies secundò eundem Doctorem vers. *sed sequitur*, vbi docet hanc propositionem esse per se notam, *Deus est*, si Deus sumatur vt hæc essentia, non tamen esse per se notam, si accipiatur vt conceptibilis à nobis; ergo ex mente Doctoris aliqua propositio potest dari per se nota in se, & non quoad nos.

Enodatur. Respond. negando paritatem, quia in prima subiectum est Deitas vt sic; in secunda verò sub ratione attributali, vt docet Doctor in eodem versiculo *si queratur*, & sic non mirum si prima sit per se nota, non verò secunda, quia hæc non so-

lum est mediata quoad nos, sed etiam secundum se; ac proinde simpliciter, & absolute non est per se nota, vt docet Doctor in decursu quaestionis.

Obiicies tertio ex eodem Doctore in 3. d. 24. quaest. vnica, in fine, versiculo *ad aliud*, & vers. *sed ad conceptus*, num. 22. vbi duo docet. Primò *in credibilibus esse aliquod primum immediatum & necessarium. sicut quòd hic Deus sub propria ratione est trinus in personis, & vnus in essentia hac, sub ratione huius: sed ad illam propositionem immediatam nò attingimus.* Secundò asserit repetens eandem doctrinam, *quòd non devenimus in credibilibus ad aliquam propositionem immediatam, quamuis aliqua sit talis in se*; ergo datur aliqua propositio immediata & per se nota, quæ non sit nota quoad nos.

Respond. negando sequelam, solum enim asserit dari aliquam propositionem, quæ licet in se sit per se nota, non tamen actu cognoscatur à nobis per se & immediate. defectu cognitionis terminorum. Ex quibus manifestè inferitur, non dari aliquam propositionem, quæ manens eadem sit per se nota secundum se, & non quoad nos; nec aliquam quæ sit per se nota quoad nos, & non secundum se. Secundò etiam inferitur rationem per se noti non desumi ex actuali cognitione immediata, sed ex aptitudinali, & veluti conditionata.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnis propositio immediata sit per se nota.

HABEMUS ex superioribus articulis omnem propositionem per se notam esse immediatam, & primam, quia notam ex terminis & ex se,

33.
*Obiectio
tertia.*

Pracluditur.

*Illatio
prima.*

Secunda.

se, non verò per aliud. Iamque examinandum venit, utrum omnis immediata propositio, vel carens medio, quo probetur, sit per se nota.

Suppositio prima.

Pro clariori intelligentia huius articuli præmitto primò, propositionem immediatam contingentem non esse per se notam: docuit Aristoteles 1. Poster. capite 3; ubi omnem propositionem per se notam esse debere necessariam adstruit. Hanc conclusionem statuo contra Mayronem in 1. distinctione 2. quaestione 7. Nicolauum de Nisse tractatu 1. part. 1. Caietanum 1. Poster. capite 3. & Valentiam 1. part. disputatione 1. quaestione 2. punct. 1. ad quoddam secundum argumentum. Fundamentum est, quod propositio per se nota debet esse nota ex terminis, ut diximus artic. 2. & 1. Sed propositiones contingentes, quales sunt, Homo est albus, ignis est calidus, etsi sint immediatæ, non sunt notæ ex terminis, quandoquidem noscuntur ex inhesionem contingentem prædicati cum subiecto; ergo non sunt per se notæ.

Obiicitur.

Obiicitur, albedinem in subiecto causare evidentem notitiam subiecti albi; ergo hæc propositio contingens subiectum albū, est per se nota.

Solutur.

Respond. hanc evidentem cognitionem non causari ex natura extremorum propositionis, quod requiritur ad propositionem per se notam; sed ex unione contingentem prædicati cum subiecto, quæ experimento sensuum patet.

Suppositio secunda.

Præmitto secundò, omnem propositionem necessariam immediatam, seu immediatissimam, v. g. in qua definitum prædicatur de definitione, esse per se notam: docuit Doctor in 1. distinctione 2. quaestio-

ne 2. §. ex his ad quaestionem, verfic. quia illa; cum Aristotele 6. Metaphysic. cap. 1. text. 1. Ratio est conspicua, quoniam definitio ex terminis propriis est eadem quidditas, & identica ratio definiti; solum ergo est difficultas de propositione necessaria & immediata, in qua pars quidditatis confusè concepta prædicatur de subiecto, seu de definito, ut in hac propositione, Homo est animal, vel homo est corpus substantiale.

Si autem dubites has propositiones non esse immediatas, & primas, quandoquidem probantur per discursum. nam hanc propositionem, Homo est animal, sequenti discursu valemus inferre, Omne viuens sensibile est animal, Homo est viuens sensibile; ergo homo est animal.

Dubiam.

Respondes cum Liqueto in 1. distinctione 2. quaestione 2. §. ex his ad quaestionem, per accidens esse, quod propositio immediata sit à posteriori demonstrabilis, dummodo non possit à priori: prædictæ autem propositiones, ut sint definitiones rei, à priori demonstrari non valent, cum nihil sit prius ipsa definitione, nec causa eius.

Dubio occurritur.

Albertus in summa tractatu 3. quaestione 17. Syluester in conflatu quaestione 2. artic. 1. Ferrar. 1. contra gentes capite 11. Cajet. 1. Poster. capite 3. 10. part. quaest. 2. art. 1. Sorus lib. 1. Poster. quaestione 2. ad nonum argumentum affirmant, omnem propositionem primam & immediatam esse per se notam. Fundamentum est, quod termini harum propositionum ex se sufficiunt ad causandum notitiam earundem.

Nobis dicendum est, eam propositionem, in qua prædicatum confusè

Afferit.

dicitur de subiecto, quantumvis immediatam, non esse per se notam, & per consequens, nec omnem immediatam propositionem, tenet Doctor in 1. distinctione 2. questione 2. §. *quoniam*, vers. *hac etiam*, numero 3. Liquerus ubi supra. Faber disputatione 14. cap. 2. num. 11. & theorem. 9. capite 1. Aurcolus in 1. distinctione 2. artic. 2. Okamus questione 2. prologi lit. g. & omiſſis aliis rationibus minus efficacibus potissimum fundamentum huius asserti est, quod propositio per se nota debet esse nota ex terminis, ut sunt aliquid eius: sed ista propositio, in qua prædicatum confuse cognitum prædicatur de definito, non est nota ex terminis, ut sunt aliquid eius; ergo.

Probatur minor, quia hoc prædicatum, Animal quatenus confuse cognitum præscindit ab omnibus speciebus; ergo non est natum ex se causare cognitionem manifestam hominis, nisi ei adiungatur rationalitas; ergo ista propositio, Homo est animal, quamvis sit immediata, non erit ex terminis nota, nisi prædicatum distinctè proponatur, ut clariùs explicuimus articulo secundo. Unde quia animal confuse cognitum non est natum per se causare notitiam connexionis, quam habet cum homine, nec censabitur pars propositionis per se notæ. Legite Doctorem nuper relatum.

Obiectio prima.

Obiicies primò prædictam propositionem sufficere ad causandum demonstrationem propter quid, ut constat ex Aristot. 1. Poster. & 1. Topic. capite 1. ergo est per se nota, vel deducta ex primis: non hoc secundum, quia est immediata; ergo primum.

Respondi æquivalere propositioni per se notæ quantum ad veritatem intelligibilem, & hac ratione existimari immediatam propositionem, non tamen per se notam, quoniam ad hoc requiritur distincta extremorum cognitio. Propterea Doctor ubi supra versiculo *ex duobus*, hæc habet: *sequitur quod propositio non est per se nota quidditate confuse accepta, quæ non est nota, nisi eadem distinctè concipiatur per definitionem.*

Evidetur.

Obiicies secundò cognoscibilitatem per se, à qua dicitur propositio per se nota, fundari in immediatione terminorum; ergo omnis immediata propositio erit per se noscibilis.

Obiectio secunda.

Confirmatur: Propositio, in qua prædicatur tota quidditas, vel pars quidditatis distinctè, est per se nota, solum quia est propositio immediata; ergo propositio, in qua pars quidditatis confuse accepta prædicatur de subiecto, erit etiam per se nota, siquidem est eodem modo immediata.

Confirmatur vrgentiùs. nam prædicta propositio habet eandem veritatem, ac si distinctè cognosceretur prædicatum; ergo ex terminis eodem modo est cognoscibilis, ac per consequens per se nota.

Respondetur huic difficili argumento prædictam propositionem non excludi à per se notis, eò præcisè, quod prædicatum confuse concipiatur, sed quatenus hæc propositio ut sic concepta transit formaliter de immediata in mediata, quoniam iste terminus, Animal ex se non sufficit ad causandum cognitionem hominis, nisi ratione alterius adiuncti, nempe differentię, ideo potius mediata,

Solutio.

mediata, quàm immediata propositio existimari debet.

Instaria. Cùm autem dicis, propositionem per se notam fundari in veritate rei, scã est eadem veritas; ergo eadem propositio.

*practis-
dicitur.* Respondetur non sufficere eandem veritatem fundamentalem, sed requiri etiam eãdem propositionem, seu quòd taliter propositio intellectui obiiciatur, vt ex natura extremorum, vt sunt partes propositionis, veritas per se pateat: conceptus autem animalis confusus in hac propositione, Homo est animal, non quatenus confusus præcisè, sed quatenus vt aliquid propositionis insufficientis ad causandum euidenter notitiam per se talis propositionis nequit componere per se notam propositionem.

demonstrari possit hæc veritas euidentis vtraque demonstratione.

Pro cuius explanatione præmitto primò euidentiam multifariam vsurpari. Primò pro euidentia in attestante, qua ratione in materia de fide dicitur, testimonium Dei semel manifestatum vt tale esse euidentis in attestante, quia nulla apparet ratio dissentiendi. Secundò pro euidentia in esse rei, quando res cogit intellectum, necessitatque ad assentiendum, vt hæc, *Sol lucet; ergo est dies.* Tertiò pro euidentia rei in esse scibilis, vt quando res, quæ ex se non patescit, discursu syllogistico euidenter deducitur, vt quòd stellæ sint terræ maiores. Quarto pro euidentia experimentalis, qua conuincimur ad assentiendum aliquibus, quæ ex se non patescunt, nec discursu indagari valent.

Suppositio præmissa.

DIFFICULTAS III.

Vtrum veritas euidentis possit demonstrari demonstratione quia, & propter quid.

Supponit difficultatis titulus cum Doctore quodlibeto 7. in principio, duplicem esse speciem demonstrationis, alia est enim demonstratio propter quid, seu per causas: alia demonstratio quia, seu per effectus. Per primam ex cognitione causæ demonstramus effectum, & hanc vocamus à priori, vt cùm dicimus, *Est homo; ergo est risibilis.* Per secundam causam demonstramus per effectum, & hanc dicimus demonstrationem à posteriori, vt in hac, *Est risibilis; ergo est homo.* Inquiritur ergo vtrum

Præmitto secundò certitudinem in hoc ab euidentia distingui, quòd certitudo est assensus alicuius rei non necessarius, sed quasi ciuilis, & politicus, quatenus non apparet sufficiens ratio in contrarium: euidentia tamen ex natura propria conuincit intellectum ad assensum. Quæstio ergo inquit, vtrum veritas euidentis in esse scibilis possit demonstrari demonstratione quia, & propter quid, quia euidentiam in attestante, quale est diuinum testimonium, certum est demonstrari per diuinam sapientiam, & veracitatem, quibus Deus in testificando nec fallere, nec falli potest: sicut & etiam demonstrari posse per effectus, nempe per aliqua extrinseca, quibus confirmatur tale testimonium.

Suppositio secunda.

ARTICVLVS VNICVS.

*Satisfit titulo difficultatis.**Conclusio.*

Communis sententia affirmatiuè respondet titulo difficultatis: quæ veritas experientia probatur. nam ista propositio, Homo est admiratiuus, demonstrabilis est per causam, nempe per rationalitatem, & etiam per effectum, nempe per risibilitatem, quæ dimanat ab esse admiratiuo, & cum hoc habet necessariam connexionem; ergo propositio euidens demonstrari potest viroque modo. Notanter dixi quodd habeant necessariam connexionem, quoniam ex dictis in Summulis difficult. 4. ab art. 5. vt cõclusio inferatur necessariò, extrema debent inter se identificari, vt possint etiam identificari in tertio.

Obiectio prima.

Obiicies primò Doctorem quodlibeto 7. §. *hic prætermittenda sunt*, afferentem principia immediata, & euidencia ex terminis non posse demonstrari demonstratione quia; ergo.

Responsio.

Respondetur Doctorem ibi agere de propositione per se nota, quæ in esse rei indemonstrabilis est; non tamen in esse scibilis. nam hæc propositio, Homo est animal rationale, li-


cet in esse rei ex se patefcatur, & non indigeat effectu, vt cognoscatur, tamen in esse scibilis, seu demonstrabilis optimè potest ab effectu demonstrari.

Obiicies secundò, quod est euidens ex se, nullo indiget, vt appareat euidens; ergo ea, quæ euidencem veritatem habent, vt necessitent intellectum ad assensum, nulla indigent demonstratione.

Respondetur verum esse, ad euidenciam in esse rei non requiri vllam demonstrationem, quoniam ex terminis propriis tales res per se sunt notæ; ad euidenciam tamen, quæ requiritur, vt assensus scientificus sit demonstratiuè, talis discursus, vel demonstratio à priori, vel à posteriori necessarij sunt.


Hic possemus examinare, qualiter præmissæ concurrant cum intellectu ad productionem conclusionis, & qualiter vt per species intellectui obiectæ contineant effectum, quem causant; sed hæc omnia prorsus tractantur in 3. lib. de anima, idèoque ab eis supersedeo: sufficiat tamen pro nunc vt certum supponere, ex præmissis causari conclusionem, positis conditionibus in 2. difficultate explicatis.

Finis totius Logicæ.



INDEX

Rerum & verborum Logicæ.

A	
<p><i>Abstractio.</i></p> <div style="text-align: center; margin-bottom: 10px;">  </div> <p>ABSTRACTIO quid sit. 131 Alia est realis, alia rationis. <i>ibid.</i> 16 Abstractio intentionalis quid. <i>ibid.</i> Rursus abstractio alia est præcisiua, alia positiua. <i>ibid.</i> Abstractum superius prædicatur de inferiori. 152 Communior & verior sententia non prædicari de inferiori formaliter. <i>ibid.</i> 45 Explicatur sententia authoris. 152</p> <p style="text-align: center;"><i>Accidens.</i></p> <p>Accidens quid. 187 Proponuntur aliquorum placita, & explicatur sententia auctoris. <i>ibid.</i> & seq. Accidens prædicabile quid. 191</p> <p style="text-align: center;"><i>Accretio.</i></p> <p>Quid sit. 273.9</p> <p style="text-align: center;"><i>Actio, & Actus.</i></p> <p>Actio quid. 270 Actus alius est actiuus, alius passiuus. 76. 14 Alius absolutus, alius relatiuus. <i>ibid.</i></p> <p style="text-align: center;"><i>Æquiuoca.</i></p> <p>Æquiuoca quæ. 193</p> <p style="text-align: center;"><i>Alienatio.</i></p> <p>Quid sit. 12.30</p> <p style="text-align: center;"><i>Alteratio.</i></p> <p>Alteratio quid. 273.9</p>	<p style="text-align: center;"><i>Ampliatio.</i></p> <p>Quid sit. 12. & 57</p> <p style="text-align: center;"><i>Analogia.</i></p> <p>An, & quoruplex sit. 195.5 Analogia alia est propria, seu intrinseca, alia impropria, seu extrinseca. 196 Analogia idem quod proportio. <i>ibid.</i> Rursus analogia alia est proportionis, alia proportionalitatis. <i>ibid.</i> 7. Analogia inæqualitatis quæ. 197.8 Analogia proprie quid. <i>ibid.</i> 9</p> <p style="text-align: center;"><i>Appellatio.</i></p> <p>Quid sit. 13. & 57</p> <p style="text-align: center;"><i>Argumentatio.</i></p> <p>Quid. 40.5 Differt à consequentia. <i>ibid.</i> Argumentationis species. <i>ibid.</i></p> <p style="text-align: center;"><i>Ascensus.</i></p> <p>Quid sit. 45</p> <p style="text-align: center;">C</p> <p style="text-align: center;"><i>Certitudo.</i></p> <p>Certitudo, & euidencia differunt. 182.9</p> <p style="text-align: center;"><i>Consequentia.</i></p> <p>Consequentia quid. 38.1 Consequentiarum genera. <i>ibid.</i> Earumdem regula quinque recensentur. 39.2 Consequentia alia est formalis, alia materialis, alia necessaria, alia probabilis. 40.3. & seqq.</p> <p style="text-align: center;"><i>Conuersio.</i></p> <p>Quid, & quoruplex sit. 33.19</p>

I N D E X

- Conuersa & conuertens quæ. *ibid.*
 Conuersio alia fit per accidens, & per
 contrapositionem simpliciter; alia
 per accidens, alia per contraposi-
 tionem. *ibid.* & seq.
- Corruptio.*
- Quid sit. 273.9
- D
- Decretio.*
- D**ecretio quid. 273.9
Definitio.
 Quid, & quotuplex sit. 16.11
 Alia est essentialis, alia descriptiua.
 17
 Definitio accidentalis quid. *ibid.*
 Definitio rursus alia est quid nomi-
 nis, alia quid rei. *ibid.*
 Definitio quid nominis, quid sit.
ibid. 13
 Etymologia nominis non verè de-
 finitio dicenda est. 18
 Definitio quid rei, quid, & quotuplex
 sit. *ibid.* 14. & 15
 Deinde definitio alia est descripti-
 ua, alia essentialis. *ibid.*
 Alia datur per verum genus, & ve-
 ram differentiam; alia est quæ
 etsi detur per verum genus &
 differentiam, aliquid tamen ex-
 trinsecum necessariò ponitur in
 definitione. *ibid.*
 Definitum quid. 19.16
 Eius conditiones quæ. *ibid.*
 Definitum debet esse ens, defectu cu-
 ius impossibilia definitione rei
 non valent definiri. *ibid.*
 Sit per se vnum, & non ens per ac-
 cidens. *ibid.* 17
 Definitio est entis realis, defectu cu-
 ius ens rationis non est propriè
 definibile. *ibid.* 18
 Definitum debet esse in plures con-
 ceptus resolvable. *ibid.* 19
 Non sit singulare. *ibid.* 20
- Definitionis conditiones quæ. *ibid.*
 20. & 21
 Definitio & definitum sint termini
 pertinentes sequelâ, vt ab vno ad
 aliud valeat consequentia. 20
 Definitio conueniat omni definito
 & soli. *ibid.* 22
 Debet esse clarior suo destructo.
ibid. 23
 Detur per genus proximum. *ibid.* 24
- Demonstratio.*
- Demonstrationis duæ species, pro-
 pter quid, & quia. 45.14
 Demonstratio quid sit. 275
 Quæ præcognita & præcognitio-
 nes requirantur ad demonstra-
 tionem. 276.5
 Præmissæ demonstrationis an de-
 beant esse veræ. 279.7
 An certiores & euidentiores con-
 clusione. 282.9
 Debeantne esse de omni, & per se.
 286.15
 An de prædicato vniuersali. 288
 Demonstratio an debeat procedere
 ex propriis. 289
 Præmissæ demonstrationis an pos-
 sint esse de contingentibus, sin-
 gularibus, & corruptibilibus.
 292.26
 Demonstratio alia est propter quid,
 seu per causas; alia quia, seu per
 effectus. 301
 Possitne demonstrari veritas eui-
 dens demonstratione quia, &
 propter quid. *ibid.*
- Denominatiua.*
- Quæ sint. 193
- Descensus.*
- Descensus quid. 41
 Alius est copulatiuus, alius disiu-
 ctiuus. *ibid.*
- Dialectica.*
- Dialecticæ etymon. 63
 Dialectica garrula, cur. 98
- Dici

R E R V M.

Dici de omni, quid. 286. 15
Differentia.
 Alia est communis, alia propria, alia propriissima. 174. & seqq.
 Proponuntur aliqua dubia, & enodantur. 178
 Differentia prædicabilis quid. 180
 Differentia constituitur tertium prædicabile in ordine ad speciem, vel inferiora speciei quam componit. 181
 Differentia inferior & superior an collocentur in eodem prædicabili. 183
Dilemma.
 Quid sit. 41
Diminutio.
 Quid. 12. 31
Distinctio.
 Alia est realis, alia formalis, rationis alia. 122. 1
Diuisio.
 Quid sit. 20
 Diuisum quid. ibid.
 Membra diuisidentia, seu diuisionis quæ. ibid.
 Diuisio quotuplex, & quomodo distinguatur à definitione. 21
 Alia est generis in species, alia speciei in indiuidua, alia analogi in analogata, vel æquiuoci in equiuocata, alia subiecti in accidentia. ibid. 1
 Veræ diuisionis conditiones quæ. 22. 4
 Alia est vt singula membra diuisidentia minus contineant, quàm diuisum; omnia verò simul sumpta diuiso adæquantur. alia vt quantum fieri possit, diuisio fiat in proxima membra diuisidentia. alia vt diuisio contineat sub se omnia membra diuisidentia. alia vt diuisam & membra diuisidentia non dicantur ad conuer-

rentiam. alia, vt vnum membrum diuidens non prædicetur de alio. alia, vt vna tantum pars totius nominetur, & altera, vel reliquæ, si fuerint plures quàm duæ, negatione illius significantur, ne tam multæ nominentur, vt longa fiat oratio. ibid.

E

Ens.

ENs pro omni quod intra animam est. 70
 Pro denominationibus extrinsecis. ibid.
 Pro esse diminuto rerum. ibid.
 Pro priuatione & negatione. ibid.
 Pro primis & secundis intentionibus. ibid.
 Pro ente rationis fundametalis. ibid.
 Ens rationis propriè quid. ibid. 2
 Ens reale, & rationis differunt. 71. 3
 Ens rationis cur. ibid.
 Vtrum propriè entia rationis sint relatiua. 72
 Entia rationis rigorosa quæ. 73. 9. & 74
 Sintne entia rationis negatio & priuatio. ibid. 11
 An prima, & secunda intentio. 76
 Esse diminutum quid. 77. 18
 An sit ens rationis. ibid.
 An sint entia rationis denominationes extrinsecæ. 79. 22
 Esse diminutum, & extrinsecæ denominationis differunt. 80. 24
 Quæ potentia possint entia rationis efficere. 81
 Vtrum imaginatio valeat fingere entia. ibid. 25
 An prima intellectus operatio efficiat entia rationis. 81
 Memoria non potest effingere entia rationis. 83. 29
 Fiantne entia rationis per secundam operationem intellectus. ibid. 30

INDEX

Possitne voluntas entia rationis
 fabricare. 84
 Possitne Deus. 85
 An ex eo quod Deus cognoscat
 entia rationis à creaturis ficta,
 sequatur illa negotiari. 87
 Ens rationis esse obiectum Logicæ
 impugnatur. 100.16
 Apponitur Doctoris placitum.
 ibid.17.& seq.
 Sequenda sententia ponitur. 103.
 21
 Sententia Alberti M. reicitur.
 104.22
 Proponuntur aliqua argumenta
 contra conclusionem auctoris,
 & enodantur. 105
 Vtrum ens dicat conceptum uni-
 nocum respectu eorum, de qui-
 bus formatur prædicatum, an
 analogum. 197
 Explicatur communior sententia.
 199
 Doctoris placitum. 202.18
 Aliquibus obiectionibus fit satis.
 205
 Enodantur aliqua dubia. 209
Enthymema.
 Quid sit. 41
Evidentia.
 Evidentia & certitudo differunt.
 282.9
Exemplum.
 Quid sit. 41
Extremitas.
 Extremitas maior, & minor quæ.
 46.16
 F
Figura.
Figura quid. 270
Forma.
 Quid sit. ibid.

G

Generatio.

Generatio quid. 273.9
Genus.
 Quid sit, ex Aristotele. 154
 An sit exacta definitio, proponitur
 communis sententia. ibid.1
 Sitne quidditatiua. 155
 Genus an prædicetur de speciebus vt
 totum, an vt pars. ibid.
 Proponitur verior sententia. 156.5
 Proponuntur variæ sententiæ, &
 enodantur. 157.6.& seqq.
 Genus prædiceturne immediatè de
 indiuiduis, apponuntur diuersæ
 sententiæ. 158
 & auctoris placitum. 159
 Genus logicum possitne conseruari
 in vnica specie, & species in vnico
 indiuiduo. 160.13
 An modus prædicandi in quid se-
 paret genus à differentia. 161.17.
 & seq.

H

Habitus.

Habitus quid. 269. & seq.

I

Imaginatio.

Imaginatio quid, & vtrum valeat
 fingere entia. 81.25
 An machinetur impossibilia. ibid.
Impossibile.
 Quare debeant esse relativa. 74.10
Indiuiduum.
 Quid, & quotuplex sit. 169
 Aliud est reale, aliud prædicabile,
 aliud vagum. ibid. & seqq.
 Indiuiduum reale quid. ibid.
 Quid prædicabile. 170
 Quid

R E R V M.

Quid vagum. 172
 Indiuidua an ponantur in recta linea. 223
Inductio.
 Quid sit. 41
Infinittum.
 Infinitum categorematicum, & syn-
 categorematicum quid. 237
Intentio.
 Intentio prima quid. 76.15
 Quid intentio secunda. ibid.16
 Primæ & secundæ intentiones
 actus passiu, cur. 77.19

L

Locatio.

Locatio quid sit. 273.9
Logica, à Logicus.
 Logica quid, & vnde dicta. 63. 1. &
 65. 7
 Alia est naturalis, alia artificialis.
 64. 3
 Alia docens, alia vtens. ibid.4
 Alia actiua, alia passiuua. 65.5
 Logica artificialis datur in rerum na-
 tura. ibid.6
 Vtrùm sit necessaria ad alias scien-
 tias. ibid.7
 Vtrùm necessaria simpliciter ad
 alias scientias comparandas. 66.
 & seqq.
 Logica in quo differat à Metaphysi-
 ca. 107.& 108
 Logica & Rhetorica differunt. 108.2
 Logica docens & vtens inter se dif-
 ferunt. ibid.
 Logica docens & vtens, vnus habi-
 tus. 109.3
 An supposito quod sint vnus habi-
 tus, aliqualem pariantur distin-
 ctionem: apponuntur variæ fen-
 tentiæ. 110

Logica an sit vna simplex qualitas.
 Variant Doctores. 112
 Logicæ vnitas quæ. 115.11
 Possitne dici generica, vel speci-
 fica. ibid.12
 Logica an sit scientia. 116. & seq.
 Apponuntur variæ sententiæ. ibid.
 & seq.
 & explicatur vera. 118.4
 Logica an sit scientia realis, variè
 auctores sentiunt. 119
 Logicæ obiectum, vide *Obiectum.*
 Logicus agæne de actibus actiuis, an
 passiuis intellectus. 93. & seq.
 An de ente rationis, variæ appo-
 nuntur sententiæ. 95.12

M

Metaphysica.

Metaphysica in quo differat à
 Logica. 107.& 108

Motus.

Alius est generatio, alius corruptio,
 alius accretio, alius alteratio,
 alius locatio. 273.9

N

Natura.

Naturæ cuiusuis creatæ instantia
 quædam est naturæ, quædam
 durationis. 122

Necessarium.

Necessarium absolutum quid. 66.8
 Necessarium ex suppositione, ex cau-
 sa sufficienti, materiali, formali, &
 finali quid. ibid.

Nomen.

Quid sit. 14

Numerus.

Numerus & oratio an sint species in-
 firmæ. 244

INDEX

O

Obiectum.

- O** biectum quid. 88
 Aliud est materiale, quod & inadæquatum; aliud formale, quod & adæquatum. 89.2
 Rursum materiale aliud est proximum, aliud remotum. *ibid.* 3
 Deinde obiectum aliud est attributionis, aliud principalitatis. 90
 Obiecti adæquati conditiones quæ. *ibid.*
 Obiectum prædicationis idem est quod ens rationis. 97
 Vtrum voces & nomina sint obiecta Logicæ, variaz authorum sententiæ. 98
 Triplicem operationem esse obiectum Logicæ, refellitur. 99.15

Oppositio.

- Quid sit. 28.10
 Quæ eius quæsitæ. *ibid.* 11
 Species quæ. *ibid.* 12
 Prænotanda circa idem. 29. 13
 Oppositio contradictoria quæ. *ibid.* 14
 Contradictoriarum lex. *ibid.*
 Oppositio contraria quæ. 31. 16
 Quot subcontraria. *ibid.* 17
 Contradictoria qua ratione repugnent in veritate & falsitate: contrariæ tantummodo in veritate. *ibid.*
 Oppositio quid. 271
 Oppositio alia est relatiua, alia contraria, alia priuatiua, alia contradictoria. *ibid.*

Oratio.

- Quid sit. 14 & 16
 Alia est perfecta, alia imperfecta. 16.10

Oratio & propositio differunt. 24

P

Passio.

- P**assio alia est realis, rationis alia, & in quo differant. 136
 Passio quid. 269.3. & 270

Potentia.

- Potentia naturalis quid. 269.3

Præcognita.

- Præcognita & præcognitiones differunt. 276.5

Prædicabilia.

- Quot sint. 147
 Proponitur communis sententiæ. *ibid.* 37
 Satis sit obiectionibus nonnullorum. *ibid.*

Prædicamenta.

- Prædicamenta in communi & particulari prout attinent ad Logicum. 211
 Prædicamentorum author quis. *ibid.*
 Prædicamentum quid. 212.2
 Apponuntur aliquorum instantiæ, & resolutiones. *ibid.* 3. & seqq.
 Ad quam scientiam pertineat agere de prædicamentis. 214
 Prædicamenta quot sint. 217.12
 Ponantur ne res in prædicamento sub nominibus abstractis, an concretis. 218.15
 Vtrum ens simpliciter infinitum ponatur in prædicamento. 219.17
 Vtrum naturæ æquiuocæ & analogæ ponantur in prædicamento. 220
 Nomina complexa, quæ vnâ tantum rem significant, ponuntur in prædicamento. *ibid.*
 Entia partialia an ponantur in prædicamento. 223

Regulæ

R E R V M.

<p>Regulæ prædicatorum essentialium. 215. & seqq.</p> <p style="text-align: center;"><i>Prædicatio.</i></p> <p>Alia est identica, alia formalis. 149. 41</p> <p>Prædicationes reducibiles ad prædicabilia debent esse veræ, affirmatiuæ, & formales. 150. 43</p> <p>Concretum de concreto, seu natura quælibet, tam accidentalis, quàm substantialis, formaliter prædicatur de subiecto quod connotat. ibid.</p> <p>in Prædicationibus substantialibus abstractum non potest prædicari de concreto. ibid.</p> <p>Prædicationes secundarum intentionum. 153. 49</p> <p style="text-align: center;"><i>Priora, & simul.</i></p> <p>Quæ sint. 272</p> <p>Modi prioris quot. ibid. 6</p> <p>Modi simul quot. 273. 7</p> <p>Principium priorificum quid. 286</p> <p style="text-align: center;"><i>Propositio.</i></p> <p>Propositionis numerus & partes. 24</p> <p>Eius materia quæ. ibid. 1</p> <p>Propositio alia est necessaria, alia contingens, alia impossibilis. ibid. 2</p> <p>Alia affirmatiua, alia negatiua. ibid. 3</p> <p>Alia vera, alia falsa. ibid.</p> <p>Alia categorica, alia hypothetica. ibid. 4</p> <p>Rursus hypothetica alia est in materia necessaria, alia in materia contingenti. 25</p> <p>Deinde propositio alia est complexa, alia incomplexa. ibid. 5. & 6</p> <p>Propositionis essentia quid, ex opinione auctoris. ibid. 7</p> <p>Triplex quæsitum circa propositionem. 27. 9</p>	<p>Propositionum æquipollentia. 32</p> <p>Præcepta æquipollentiæ. ibid. 18</p> <p>Contradictoriæ propositiones æquipollent præposita negatione. ibid.</p> <p>Æquipollent negatione postposita. 33</p> <p>Subalternæ propositiones æquipollentes redduntur præposita, & postposita negatione. ibid.</p> <p>Subcontrariæ propositiones seruant contrariorum normam. ibid.</p> <p>Propositionis conuersio. 33. 14</p> <p>Propositionum modalium natura & quidditas. 34</p> <p>Notandum circa propositiones modales. ibid.</p> <p>Modum latè sumptum esse limitationem, seu restrictionem alicuius orationis, seu vocis factam per terminos adiectiuos. ibid.</p> <p style="text-align: center;">20</p> <p>Dupliciter fieri propositiones modales. ibid.</p> <p>Modum aliquando interponi. ibid.</p> <p>Aliquos esse modos componentes prædicatum cum subiecto. 35</p> <p>Propositiones modales non carere sua veritate, aut falsitate. ibid.</p> <p>In quibuscumque modalibus subiectum semper esse in naturali, aut remota. ibid.</p> <p>Propositiones modales habere propriam quantitatem, seu vniuersalitatem, vel particularitatem. ibid.</p> <p>Adde modalium quantitatem esse pensandam ex quantitate modi, non ex quantitate dicti. ibid.</p> <p>Dictum quid. ibid.</p> <p>Propositionis modi qui. 35. 21</p> <p>Propositionum modalium æquipollentia, & oppositio. 37</p> <p style="text-align: right;">Proposi</p>
--	--

INDEX

Propositio exponibilis & exclusiua
quid. ibid. 24. & seq.
Regulæ inferendarum propositio-
num. 54. 23
Propositionis de per se modi qua-
tuor. 286
Propositio per se nota quid & quo-
tuplex sit. 293. & 297
An eius termini debeant distinctè
cognosci. 295. 29
An omnis propositio immediata
sit per se nota. 298

Proprium.

Proprij acceptiones quatuor. 183. 1
De eo quod conuenit determinatè
vnius speciei indiuiduis, non ta-
men omnibus. ibid.
Quod conuenit omnibus, & sem-
per, sed non satis. 184
Quod conuenit omnibus indiui-
duis vnius speciei, & solis, sed
non semper. ibid.
Proponuntur duæ oppositæ senten-
tiæ. 184
& authoris placitum. 185. 3
Proprium prædicabile quid. ibid.
Satis sit aliquibus obiectionibus.
ibid.
An proprium sit distinctum vni-
uersale ab accidentali. 186

Qualitas.

Qualitas tripliciter sumitur, pro
cuiusvis rei essentialis diffe-
rentiâ, pro quocumque accidenti,
siue sit qualitas, siue relatio, &
pro qualitate, qua quales dicimur
esse. 268. 1
Qualitas quid. 269. 2
A relatione distinguitur. ibid.
Qualitatis astrictiones quot. ibid. 3
Eius species, habitus, seu disposi-

tio; naturalis potentia, & im-
potentia; passio, figura, & for-
ma. 269. 3. & seq.

Quando.

Vide

270

Quantitas.

Quid sit. 231. 2
Quantitas in concreto quid. 232
Quantitas alia continua, alia discre-
ta. 233
Quantitatis affectiones quæ. 236
Quantitas an distinguatur à re quan-
ta. 237. 7
Quantitas continua rursus alia est
passiua, alia permanens. 240
Vtrum linea, superficies & corpus
sint species quantitatis conti-
nuæ. 240
Quantitas discreta & continua diffe-
runt. 242
Numerus an sit species quantitatis
continuæ. ibid.
Quantitas discreta an inueniatur in
rebus spiritualibus, & non quan-
tis. 243
Oratio sitne vera species quanti-
tatis. 244

R

Reductio.

Reductio alia est ostensiuâ, alia
impossibilis. 59
in Reductione ostensiuâ duo deside-
randa sunt. ibid.
Reductio ad impossibile quid. 60

Relatio.

Vna est rei, rationis altera. 245
An dentur relationes reales. 246
An relationes reales identificatæ
cum fundamento. 247
Qualiter distinguantur à suo sub-
iecto. 249. 6
Rela

R E R V M.

Relationes à fundamento differunt.

- 250
 Vtrum istæ relationes dicantur
 transcendentales, an secundum
 dici. 251
 Vtrum aliqua relationes reales di-
 stinguantur realiter à funda-
 mento. 252
 Explicantur diuersa authorum pla-
 cita. ibid.
 Apponitur vera sententia, & refel-
 litur oppositum. 254
 Satis fit objectionibus contrario-
 rum. 256
 Vtrum dentur relationes reales
 extrinsecus aduenientes. 259
 Relationes extrinsecæ ab intrinsecis
 differunt. ibid.
 Vtrum actualiter referre sit de
 qualitate accidentis relatiui.
 261
 Relationes quæ constituent hoc præ-
 dicamentum. 262
 Relationis species subalternæ quot.
 263
 Proponuntur aliqua dubia, & eno-
 dantur. 265
 Relatiua quæ. 268
 Eorum proprietates quot. ibid.

Restrictio.

Quid sit. 12. & 57

Rhetorica.

In quo differat à Dialectica. 108.2

S

Scientia.

Scientia quid, & quotuplex sit.
 117.1

Significatio.

Quid. 36.30

Situs.

Quid. 270

Species.

- Species subiicibilis quid. 162.18
 Species subiicibilis quatenus subiici-
 bilis, an sit prædicabilis, variant
 authores 163. & seq.
 Contrarium probatur. 165
 Proponuntur aliqua dubia, & eno-
 dantur. ibid.22
 Species prædicabilis quæ sit. 168

Status.

Quid. 12.28

Substantia.

- Alia est essentia cuiusuis rei, alia
 ens per se, negatiuè, siue non
 existens per inhærentiam in
 alio. alia ens per se, existens po-
 sitiue. alia completa, finita, &
 limitata, per se existens. ibid.1
 Substantiæ essentia quæ. 224
 Subsistentia an compleat substan-
 tiam. 225.3
 Subsistentia quid. ibid.
 Substantiæ proprietates quæ. 226
 Substantiæ diuisio in primam, & se-
 cundam. 228

Suppositio.

- Quid sit. 10. & 57.
 Alia est materialis, alia formalis.
 11.25
 Alia simplex, personalis alia. ibid.
 26
 Alia communis, alia singularis.
 ibid.27

Syllogismus.

- Quid. 42.7
 An sit genus respectu suarum spe-
 cierum. ibid.8
 Syllogismus alius est probabilis, alius
 demonstratiuus. ibid.
 Syllogismi materia quæ. 43
 Syllogismus idem quod conclusio.

44

ε Syllo

Syllogismus pro omni causa partiali.
 ibid.

Syllogismi forma quæ. ibid.

Syllogismus rursus alius est affirmati-
 uus, alius negatiuus. 45. 13

Alius certus, alius probabilis. ibid.

Alius specificus, alius opinatiuus.
 ibid.

Syllogismorum figuræ. 45. 14

Syllogismus deinde alius est perfe-
 ctus, alius imperfectus. ibid. 15.
 & seq.

Syllogismi alij concludunt directè,
 alij obliquè. 46. 16

Syllogismi termini tres. 46. 17

Terminus medius quis. ibid.

Syllogismi figura quæ, & quatuorplex
 fit. ibid. 18. & seq.

Figurarum modi quot. 47. 19

Non omnes modi vtilis sunt. ibid.

Syllogismi modos vtilis ab inutili-
 bus dignoscendi via. 48. 20

Duo principia, ex quibus tota effi-
 cacia syllogistica exploranda.
 49. 22

Præcepta in quavis figura syllo-
 gismorum obseruanda. 50. 24

Modi figuræ primæ. 52. 28

Secundæ. 53. 29

Tertiæ. ibid.

Regulæ figuræ primæ. 52. 28

Secundæ. 53

Tertiæ. ibid.

Modus inueniendi medium. 54.
 22.

Termini alij sunt antecedentes,
 alij consequentes, alij disparati.
 ibid.

Figuræ syllogismorum quot. 55.
 26

Syllogismorum defectus alij sunt in-
 trinseci, alij extrinseci. 56

Syllogismus obliquus quis. 57. 31

Syllogismus hypotheticus quis. 58

Syllogismorum duplex reductio. 59.
 35

T

Terminus.

Terminus quid sit. 31

Terminus pro limite, vltimo &
 extremo cuiusuis rei. ibid.

Pro extremo propositionis. ibid.

Terminus alius est mentalis, alius ve-
 calis, alius scriptus. 6

Alius significatiuus, alius non si-
 gnificatiuus. ibid.

Significatiuus rursus alius est pri-
 mæ, alius inquisitionis secundæ.
 ibid.

Deinde terminus alius est vniuer-
 salis, alius particularis. 7

Alius determinatus, alius indeter-
 minatus. ibid.

Alius transcendens, alius non tran-
 scendens. ibid.

Alius vniuocus, alius æquiuocus,
 alius analogus. 8. 15

Alius absolutus, alius connotati-
 uus. ibid. 17

Alius negatiuus, alius non nega-
 tiuus. 9

Alius primæ, alius intentionis se-
 cundæ. ibid. 20

Alius pertinens, alius non perti-
 nens. ibid. 21

Alius contrarius, alius contradi-
 ctorius. 10

& hi singuli quid. ibid.

Sol an sit terminus communis? af-
 firmat author. 7

Deus non est communis terminus.
 ibid.

Terminus infinitus quid. 9

Terminorum proprietates quæ. 10.
 & 56

Triangulus.

Trianguli species quæ. 288. 21

V

Verbum.

Vbi.
 Quid.

270

15-7
 Vnitæ.

R E R V M.

Vnitās.

Vnitās conclusionum logicarum. 111
 Vnum quid, & quoruplex. *ibid.* 6
 Vnitās alia est formalis, alia materialis. 124
 Vnitās communitatis quid. *ibid.*
 Quæ vnitās sit fundamentum proximæ logicæ vniuersalitatis. 125

Vniuersale.

Vniuersale in communi. 121. & seq.
 Naturæ vniuersales quæ. 122
 Vniuersale quid, & quoruplex sit. 127. 8. & 130
 Aliud simplex, aliud complexum. *ibid.*
 Simplex rursus aliud est in causando, aliud in significando, aliud in essendo, in prædicando aliud. *ibid.* 9
 Deinde aliud est metaphysicum, aliud physicum, aliud logicum. 127. 10
 Logicum rursus diuiditur in genus, speciem, differentiam, proprium & accidens. 128
 Vniuersalis conditiones quæ. 130. 15
 Fiâtne natura vniuersalis per abstractionem à singularibus, an

per comparisonem ad ipsa. apponuntur variæ sententiæ. 131. & seqq.

Vniuersale logicum quid. 135. 21
 Quid primò definiatur in definitione vniuersalis. Supponuntur aliqua, in quibus omnes conueniunt. 137. 24
 Apponuntur variæ sententiæ. 138. 26
 Verior sententia. 139. 27
 Proponuntur aliqua argumenta contra conclusionem authoris, & enodantur. 140. 28
 Vtrum vniuersale sit subiectum libri Porphyrij. 142
 Proponitur conclusio authoris, & satis fit aliquibus obiectionibus. *ibid.* 30
 Vtrum vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia. 143
 Proponitur sententia authoris. *ibid.* 31
 & enodantur obiectiones aduersariorum. *ibid.* 30. & seq.
 Vniuersalia quomodo prædicentur de suis inferioribus. 149

Vnioca.
 Quæ sint. 193

F I N I S.

1942

1943

1944

1945

1946

1947

1948

1949

1950

1951

1952

1953

1954

1955

1956

1957

1958

1959

1960

R. P. FR. GASPARIS
DE LA FVENTE
TOLETANI,

IN CONVENTV COMPLVTENSI
S. DIDACI Fratrum Minorum sacrae
Theologiae Lectoris,

Quaestiones Physicae.

*Ad mentem subtilissimi Doctorum IOANNIS
DUNS Scoti.*

PRODEVNT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi & Andreae Prost.

M. DC. XXXI.

DELETED



2000
1000
1000



REVER^{MO} PATRI NOSTRO
FR. BENIGNO
A GENOVA,
OLIM TOTIVS
SERAPHICÆ FAMILIÆ
generali Ministro,

FR. GASPAR DE LA FVENTE S.



EVERENDISSIME PATER.

Plures esse, qui adorent solem orientem, quàm qui occidentem, ex Pompeio apud Plutarchum loquente notavit tibi addictissimus filius, mihique colendissimus, Pater Lucas Vadingus in dedicatoria Minoriticorum annalium laude omni maiorum epistola. eorum deplorans genium, qui spe ambitiosa lactati orientes in religionis horizonte Pralatos plusquam Persicis venerantur adorationibus, quandiu lucescunt, & occidentes sint emporaria Pralatura defectu deserunt. Orientem te

*

2

nemo

Eccle-
siast. I.

nemo non adoravit, aliqui, quæ sua sunt quærentes.
boni omnes, propter virtutum splendorem, non nisi
ζωοποιός, id est, vitam ferens, curriculum pollicentem. Tui
ego non modò Orientis, sed et Occidentis adorator esse
semper in mente habui, non tantùm quia benignos radio-
rum tuorum expertus influxus, lege ipsa gratitudinis ad
ea teneor obsequia, quæ alij ex sincero virtutis amore tibi
exhibent, sed ideo maximè, quia sol ille mihi videris, qui
oritur, et occidit, et ad locum suum reuertitur, ibique
renascens gyrat per meridiem: quando te à mundi curis,
et strepitu separatum vitæ beatæ dulcedines prægustan-
tem, et ad instar Pythagoræ tranquillis auribus cælestes
conventus abhorrentem in illam contemplor reuersum so-
litudinem, in qua paruulus habitus religionis suscepto par-
uulum primò sydus, felicibus deinde incrementis in perfe-
ctam lucem excreuisti. Ex ea enim domo ortus est verus
sol Ordinis Seraphica in omnes eius partes, vitalem fulgo-
rem dispergens tanto excellentiori, quanto tardiori pro-
prium pedum curriculum. Te verè solem experta est lan-
guens multis in locis disciplina miro vigori restituta, te-
pens deuotio in ardorem incredibilem commutata, pietas
literarum splendore decorata, totum denique religionis
nostræ firmamentum tuo debens exemplo suorum syderum
(scilicet Prælatorum) lucem, tuamque sollicitudini acceptum
referens occasui tuo succedentem sui Solis hodie micantis
ortum faustissimum. Idem confessa est tota Europa ra-
diantem in tua comitate grauitatem, in humilitate ma-
iestatem, in simplicitate prudentiam, et ubique nascentia
in tuis vestigijs sacra pietatis, et doctrina germina stu-
pens.

pens. Accessit publicis omnium calculis, eorum maximè testimonium, quibus per familiaritatem licuit tuam admirari vitæ integritatem, victus austeritatem, in prosperis moderationem, in aduersis fortitudinem, in oratione perseverantiam, in officio sedulitatem, & alias innumeras, in abscondito maximè micantes virtutes, quibus perstricta mentis acies aliquid in te homine maius suspicit. Verùm enimvero licet in ortu, licet in progressu stuporem omnibus incusseris: maximè tamen in occasu. Quis enim non iudicaret solem, si sibi relinqueretur, imminente occasu retrocessurum, ut hominum veneratione, & benedictionibus diutius foveretur? Tu extra Summi Pontificis tanquam alterius Iosue iussu ab occasu vicino reuocatus, & sex annis Prælatura, septimum adire coactus summam passus es violentiam. Quis crederet solem oblatam suæ lucis in septuplum commutationem recusaturum? tu tamen deficientem præfecturæ tuæ splendorem nedum in alium altioris Ordinis commutare noluisti, sed occasum ortui nouo prætulisti, & in locum tuum reuerti quàm super Ecclesiæ candelabrum constitui maluisti, præmia non ambiens temporalia; nec immeritò, utpote tuorum laborum imparia meritis, & præstigiatorio solùm splendore coruscantia. Quis non existimet te in occasu delitescentem cimmerijs inuolui tenebris, & omnimoda lucis deliquium pati; existimet hoc oculus qui specie materialium delusus solem ex hemisphærio suo descendente aquis Oceani putat extinguui. non ita meus, qui te in occasu orientem, in morte renascentem, & ex tenebris spontaneis in nouam lucem, quantumuis inuisum, prodeuntem contempletur. In occasu occidere

facillimum; in occasu verò renasci solius est humilitatis, tenebras illuminantis, & infima exaltantis. per illam perenni luce modò splendes apud omnes bonos, non matutina, non vespertina, sed meridiana, nullã prorsus patiente umbram, nec unquam in vespertum inclinatura, propter motum gyrationis, quem nisi in summo meridiei puncto fieri nunquam patietur tui centrum nihili & ad humilem locum, in quo religioni cœperas oriri circularis reuersio. Ibi feliciter ascende super occasum, ibi feliciter luce, donec in aliud cœlum translatus in perpetuas eternitates fulgeas: meâsque interim patere adorationes, & has tibi offerri laborum meorum primitias, non parum splendoris ex nominis tui in continua meridie gyrantis luce accepturas. Tuam sperat benignitatem fœtus hic meus Philosophicus, non modò quia eam nomine sonas & omine, non modò quia te audiuit de re literaria semper benemeritum, & nouissimè in exornandis Italia studijs immortalẽ comparasse gloriam; sed ideo maximè, quia tuis auspicijs primò conceptus eo tempore, quo genitoris sui tuo iussu ad Philosophiæ magisterium Romam vocati iuuenilis ingenij scintillabat acies, modò nascens aliquale ius habet ad tuam protectionem. VALE.



SYLLABVS

Librorum, Quæstionum, Difficultatum,
& Articulorum.

PRO O E M I V M.

QVÆST. VNICA.

De Proœmialibus Physicæ. 306

DIFFICVLTAS I.

*Sitne corpus naturale totius Physicæ
obiectum. ibid.*

ART. I. **P**RÆMITTUNTUR aliqua ad intelligentiam difficultatis. ibid.

2. Explicatur sententia Angelici Doctoris, & aliorum. 307
3. Explicatur vera sententia. 308
4. Satisfit aliquibus obiectionibus. 310

DIFFICVLTAS II.

Vtrum Physicæ sit scientia. 311

- ART. I. Vtrum Philosophia sit scientia practica, vel speculativa. 312
2. De vtilitate & iucunditate Philosophiæ naturalis. 313

LIBER PRIMVS.

QVÆSTIO I.

De principijs corporis naturalis
in communi. 314

DIFFICVLTAS I.

*Vtrum principia entis naturalis
sufficienter ab Aristotele
definiantur. ibid.*

- ART. I. Proponitur sententia communis. ibid.
2. Satisfit aliquibus obiectionibus. 315

DIFFICVLTAS II.

*Vtrum principia corporis naturalis
sunt tantum tria. 316*

- ART. I. Duobus dictis satisfit titulo difficultatis. ibid.
2. Satisfit aliquibus obiectionibus. 317
3. Vtrum principia corporis naturalis sint contraria. 318

QVÆSTIO II.

De materia prima. 319

DIFFICVLTAS I.

An & quid sit materia prima. ibid.

- ART. I. Præmittuntur aliqua, in quibus omnes conueniunt. ibid.
2. Aliquibus dictis explicatur quidditas, & natura materiæ primæ. 320

DIFFICVLTAS II.

*Vtrum materia prima ita sit pura potentia, ut nullam includat
actum entitatum. 324*

- ART. I. Explicatur sententia Thomistarum. ibid.
2. Expli

2. Explicatur vera sententia. 325
3. Satisfit aliquibus obiectionibus quibus nostra oppugnatur sententia. 327
4. Vtrum iste actus entitatus distinguatur ab existentia. 329
5. Vtrum potentia subiectiua sit de essentia materiae. 332

DIFFICULTAS III.

Vtrum materia prima appetat formas substantiales. 334

- ART. I. Præmittuntur aliqua ad intelligentiam difficultatis. ibid.
2. Proponitur aliquorum placitum, & vera sententia explicatur. ibid.
3. Vtrum materia æqualiter appetat omnes formas. 335
4. Vtrum appetitus iste materiae ad omnes formas sit vnus, vel multiplex. 336

DIFFICULTAS IV.

Vtrum materia per aliquam potentiam possit esse sine forma. 337

- ART. I. Prænotantur aliqua ad exactam difficultatis intelligentiam. ibid.
2. Explicantur varia placita de hac re. ibid.
3. Explicatur vera sententia. 338
4. Obiiciuntur aliqua contra nostram conclusionem. 340
5. Vtrum si materia existeret sine forma, indigeret speciali concursu supernaturali. 343
6. An dato quod materia existentiam capiat à forma, possit de potentia Dei absoluta sine forma existere. 345
7. An sicut materia potest existere sine omni forma substantiali, possit etiam sine omni accidentali. 346

DIFFICULTAS V.

Vtrum materia prima sit de essentia corporis substantialis. 347

- ART. I. Proponuntur diuersa placita, & impugnantur. ibid.
2. Explicatur vera sententia. 350
3. Obiiciuntur aliqua contra nostram conclusionem. ibid.
4. Vtrum materia prima sit radix corruptionis. 356

DIFFICULTAS VI.

Vtrum in materia prima sint dimensiones interminatae. 357

- ART. I. Explicatur Auerroistarum sententia, & nostra stabilitur. 358
2. Satisfit aliquibus Auerroistarum obiectionibus. 361

DIFFICULTAS VII.

Vtrum materia suorum inferiorum sit vna specie, vel numero. 362

- ART. I. Explicantur diuersa authorum placita. 363
2. Tribus dictis explicatur nostra sententia. 365
3. Dubia aliqua enodantur. 366
Tota quæstio resoluitur. 368

QVÆSTIO III.

De Priuatione, secundo corporis naturalis principio. ibid.

DIFFICULTAS VNICA.

Explicatur natura priuationis. 369

- ART. I. Vtrum detur priuatio à parte rei. ibid.
2. Vtrum priuatio realiter distinguatur à materia & forma. 370
3. Vtrum

3. Vtrum priuatio vniuocè conueniat cum materia & forma in ratione principij. *ibid.*
 Resoluitur quæstio. 371

QVÆSTIO IV.

De forma, tertio corporis naturalis principie. ibid.

DIFFICVLITAS I.

An sit forma substantialis, & quid sit. 372

ART. I. An dentur formæ substantiales. *ibid.*

1. Quid sit forma. 373

DIFFICVLITAS II.

Vtrum formæ substantiales educantur de potentia materiae. 374

ART. I. Explicatur, quid sit educi de potentia materiae. *ibid.*

2. Satisfit titulo difficultatis. 376

3. Vtrum formæ cœlorum & elementorum educæ fuerint de potentia materiae in prima mundi conditione. 377

4. Vtrum formæ accidentales educantur de potentia subiecti. 379

DIFFICVLITAS III.

Vtrum plures formæ substantiales possint simul eandem numero informare materiam. 383

ART. I. Proponitur sententia contrariorum, & explicatur nostra. 384

2. Obiiciuntur argumenta oppositæ sententiæ, & enodantur. 386

3. Vtrum vna forma possit duplicem informare materiam supernaturaliter. 387

4. Vtrum duæ formæ accidentales ab-

solute possint esse in eodem subiecto. 388

QVÆSTIO V.

De vnione materiae & formæ. 389

DIFFICVLITAS I.

Vtrum vnio materiae & formæ ab utroque distinguatur extremo. 399

ART. I. Explicantur diuersa Philosophorum placita. *ibid.*

2. Explicatur verior sententia. 397

3. Vtrum hæc vnio distinguatur à causalitate materiae & formæ. 392

4. Vtrum vnio distinguatur ab educatione formæ. 394

DIFFICVLITAS II.

Quid sit hæc vnio. ibid.

ART. I. Explicantur diuersa authoris placita. 395

2. Explicatur nostra sententia. 396

3. Vtrum sit ens relatio vniciens, vel duplex. 398

Tota quæstio resoluitur. 401

QVÆSTIO VI.

De composito. ibid.

DIFFICVLITAS I.

Vtrum totum physicum realiter distinguatur à partibus simul sumptis & vnitis. ibid.

ART. I. Explicatur status controuersie. *ibid.*

2. Explicatur sententia Scoti. 402

3. Satisfit aliquibus obiectionibus contrariorum. 405

4. Vtrum totum sit entitas simplex, an composita. 407

**

5. Vtrum

5. Vtrùm distinctio totius & partium
fit mutua. 408
6. Vtrùm totum integrale distinguatur
realiter à partibus unitis. 410
7. Vtrùm ens per accidens distingua-
tur à partibus simul sumptis, &
unitis. ibid.
- Tota quæstio resolvitur. 411

LIBER SECVNDVS.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura. 412

DIFFICVLTAS I.

De quidditate natura. 413

- ART. I. Vtrùm Philosophus exactè de-
finierit naturam. ibid.
2. An definitio naturæ sit essentialis.
414
3. In quo distinguantur res naturalis,
& artificialis. 415

DIFFICVLTAS II.

*Vtrùm natura sit participium acti-
uum, vel passivum.* 417

- ART. I. Proponuntur aliqua ad intel-
ligentiam difficultatis. ibid.
2. Proponuntur diuersa Authorum
placita; & explicatur nostrum.
419
3. Obiiciuntur aliqua contra nostram
conclusionem, & enodantur.
421.
4. Vtrùm materia prima sit natura. 422
5. Vtrùm forma, quæ est altera pars
compositi, sit materia. 423
- Vtrùm priuatio sit natura. 424
- Vtrùm anima rationalis habeat ra-
tionem naturæ. ibid.

8. Vtrùm forma totius dicatur natura.
425

QVÆSTIO II.

De causis per se in communi. 427

DIFFICVLTAS I.

*Quid, & quotuplex sit causa
Physica.* ibid.

- ART. I. Quid sit causa per se. ibid.
2. Quotuplex sit causa per se. 429

DIFFICVLTAS II.

*Vtrùm omnis causa sit perfectior
suo effectu.* 430

- ART. I. Vtrùm partes unitæ sint perfe-
ctionis æqualis cum composito.
ibid.
2. Vtrùm causa efficiens sit perfectior
suo effectu. 431

DIFFICVLTAS III.

*Vtrùm causalitas cuiusuis cause phy-
sica sit absoluta, vel respe-
ctiua.* 432

- ART. I. Explicantur aliqua authorum
placita. ibid.
2. Explicatur verior sententia. 434
3. Vtrùm cuiusuis causæ causalitas rea-
liter distinguatur à suo princi-
pio. 436

DIFFICVLTAS IV.

*Vtrùm omnis causa sit prior suo
effectu.* ibid.

- ART. I. Explicatur, quid per priorita-
tem intelligamus. ibid.
2. Responderetur titulo difficultatis. 438

QVÆSTIO III.

De causis materiali & formali. 439

DIFFICULTAS I.

Quid sit causa materialis & formalis. *ibid.*

- ART. I. De causa materiali. *ibid.*
 2. Definitor causa formalis. 440

DIFFICULTAS II.

Qui sint effectus causa materialis, & formalis. *ibid.*

- ART. I. Quid sit harum partium causalitas. 441
 2. Virum effectus formalis primarius formæ possit suppleri à dolo. 443
 3. Virum Deus possit impedire effectum primarium, & secundarium formæ. 444
 4. In quo genere causæ vna forma aliam expellat. 445

QVÆSTIO IV.

De causa efficienti. 446

DIFFICULTAS I.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens. *ibid.*

- ART. I. Explicatur natura efficientis causæ. *ibid.*
 2. Quotuplex sit causa efficiens. 447

DIFFICULTAS II.

Vtrum causa secunda aliquid efficiant. 448

- ART. I. Explicantur aliqua Philosophorum placita. *ibid.*
 2. Explicatur vera sententia. 449

DIFFICULTAS III.

Vtrum causa efficiens substantialis

per aliquod principium substantiale, an accidentale producat. 452

- ART. I. Explicantur diuersa Philosophorum placita. 453
 2. Explicatur verior sententia. 455
 3. Enodantur aliqua dubia ad maiorem huius difficultatis intelligentiam. 459

DIFFICULTAS IV.

Quid si influxus causa efficientis. 468

- ART. I. Expenduntur diuersa Philosophorum placita circa causalitatem efficientis. *ibid.*
 2. Explicatur verior & sequenda sententia. 470
 3. Obiiciuntur aliqua contra conclusionem, & enodantur. 472
 4. Vtrum essentia infloat in passionem per verum influxum. 475
 Resoluitur quæstio. 480

QVÆSTIO V.

De dependentia causæ secunda à prima, & de modo, quo prima cum secunda concurrat. 481

Notantur aliqua pro totius quæstionis intelligentia. *ibid.*

DIFFICULTAS I.

Vtrum Deus concurrat cum causis secundis, & qualiter. 483

- ART. I. Ostenditur contra Durandum Deum concurrere cum causis secundis. *ibid.*
 2. Vtrum Deus attingat effectus creaturarum immediatione virtutis, an suppositi. 485

DIFFICULTAS II.

*An Deus non solum simul concurrat
cum causis secundis necessarijs,
sed etiam ad agendum
promoveat.* 486

- ART. I. Quid senserit Philosophus de
hac re. *ibid.*
2. Quid sentiendum sit de hac promo-
tione primæ causæ. 487

DIFFICULTAS III.

*Verum iste concursus promovens, &
determinans secundam causam,
sit aliqua qualitas physica,
vel solum influens
Dei.* 490

- ART. I. Proponuntur diuersa placita
Philosophorum. *ibid.*
2. Aliquibus dictis explicatur nostra
sententia. 491
3. Qualiter diuinus concursus dicatur
promouens, & prior causalitate
causæ secundæ. 494

DIFFICULTAS IV.

*Qualiter Deus ad effectus causa
materialis & formalis
concurrat.* 498

- ART. I. Explicantur diuersa quorun-
dam recentiorum placita. 499
2. Explicatur duobus dictis nostra sen-
tentia, aliarumque enodantur
fundamenta. 501
Tota quæstio resoluitur. 503

QVÆSTIO VI.

*De instrumentis in commu-
ni.* *ibid.*

DIFFICULTAS I.

*An sit de ratione instrumenti age-
re ut motum à causa principali,
& qualiter.* 504

- ART. I. Explicantur diuersa Philoso-
phorum placita. 505
2. Quibusdam dictis nostram explico
sententiam. 507

DIFFICULTAS II.

*An in instrumento sit aliqua virtus
propria actiue influens distincta
ab illa, qua communicatur
ab agente.* 510

- ART. I. Explicatur sententia Angelici
Doctoris, & impugnatur. *ibid.*
2. Verior sententia explicatur. 512

DIFFICULTAS III.

*An dentur physica instrumenta
naturalia proprie &
rigorose.* 515

- ART. I. Expenditur opinio affirmans,
& negans defenditur. *ibid.*
2. Obiiciuntur aliqua contra conclu-
sionem. 517
3. Vtrum diuinitus dari possint instru-
menta naturalia. 518
Tota quæstio resoluitur. 519

QVÆSTIO VII.

De causa finali. 520

DIFFICULTAS I.

Quid, & quoruplex sit finis. *ibid.*

- ART. I. Quoruplex sit finis. *ibid.*
2. Quæ sit ratio formalis constitutiua
finis in actu primo. 522

DIFFI

DIFFICULTAS II.

*Vtrum finis sit vera causa
physica.* 523

- ART. I. Præmittuntur aliqua. ibid.
2. Responderetur titulo difficultatis. ibid.

DIFFICULTAS III.

Quæ sit causalitas finis. 524

- ART. I. Proponuntur diuersa Philosophorum placita. 525
2. Explicatur nostra sententia. 526

DIFFICULTAS IV.

*Vtrum finis finalizet actus circa
media, vel circa amorem
sui.* 528

- ART. I. Proponitur quorundam sententia, & explicatur nostra. ibid.
2. Obiiciuntur aliqua contra nostram conclusionem, & enodantur. 529
3. Vtrum media sint obiecta per se, & formalia voluntatis. 531
4. Vtrum dentur aliqui fines intermedij. 534

DIFFICULTAS V.

*Vtrum apprehensio finis sit ratio formalis mouendi voluntatem, vel
solum conditio.* 535

- ART. I. Proponitur quorundam sententia, & explicatur nostra. 535
2. Occurritur quibusdam aduersariorum obiectionibus. 537

DIFFICULTAS VI.

*Vtrum agens naturale operetur
propter finem.* 528

- ART. I. Proponitur quorundam anti-
quorum error, & vera sententia

explicatur. ibid.
Quæstio resolvitur. 540

QVÆSTIO VIII.

De causa exemplari. ibid.

DIFFICULTAS I.

An, & quid sit exemplar. 541

- ART. I. An sit exemplar. ibid.
2. Quid sit exemplar. ibid.

DIFFICULTAS II.

*An exemplar formaliter, an obiectiue
sit in intellectu.* 543

- ART. Explicatur quorundam Philosophorum placitum. ibid.
2. Explicatur verior sententia. 545

DIFFICULTAS III.

*Quæ sit causalitas exemplaris causæ,
& ad quod genus causæ
reducatur.* 547

- ART. I. Quæ sit causalitas causæ exemplaris. 548
2. Ad quod genus causæ, exemplaris
reducatur. 549
Resolvitur quæstio. 551

QVÆSTIO IX.

*De comparatione causarum tam
inter se, quam cum
effectibus.* 552

DIFFICULTAS I.

*An causa inter se habeant aliquam
prioritatem quoad perfectionem,
& existentiam.* ibid.

- ART. I. Quibusdam dictis præsens eno-
datui difficultas. ibid.

DIFFICULTAS II.

*Virum causæ se inuicem causent,
vnaque sit prior alia in
causando.* 554

- ART. I. Virum causæ sibi inuicem sint
causæ quantum ad entitatem.
ibid.
2. Virum causæ per se sibi inuicem sint
causæ quoad causalitatem. 555
3. Virum omnes causæ in suo genere
sint priores, vel vna sit prior alia
in causando. 556

DIFFICULTAS III.

*Virum idem effectus possit simul
produci à pluribus causis
totalibus eiusdem
ordinis.* ibid.

- ART. I. Explicantur quorundam Phi-
losophorum placita. 557
2. Quibusdam dictis verior sententia
explicatur, & refutantur oppo-
sita. 558

DIFFICULTAS IV.

*Virum idem numero effectus ab vno
agente productus potuisset ab
alio produci.* 565

- ART. I. Explicatur sententia negans, &
affirmatiua defenditur. ibid.
2. Fundamento oppositæ sententiæ, &
aliquibus obiectionibus fit satis.
567
- Resoluitur quæstio. 569

QVÆSTIO X.

*De casu, fortuna, &
fato.* 570

DIFFICULTAS I.

*An, & quid sint fortuna, &
casus.* ibid.

- ART. I. An sit fortuna, & casus. ibid.
2. Quid sint fortuna & casus. 572
3. Ad quod genus causæ fortuna, &
casus reducantur. 574

DIFFICULTAS II.

Quid, & quotuplex sit fatum. 576

- ART. I. Refelluntur quorundam Phi-
losophorum errores. ibid.
2. Explicatur natura fati. 577
- Resoluitur quæstio. 579

LIBER TERTIVS.

QVÆSTIO I.

*De quidditate motus in
communi.* 580

DIFFICULTAS I.

*Virum definitio motus tradita ab
Aristotele sit exacta.* ibid.

- ART. VNIC. Respondetur titulo diffi-
cultatis. ibid.

DIFFICULTAS II.

*An hæc definitio conveniat omni
mutationi.* 582

- ART. VNIC. Proponitur quorundam pla-
citurum, & explicatur nostrum. ibid.

DIFFICULTAS III.

*Virum motus distinguatur realiter
à termino.* 585

- ART. I. Proponuntur quorundam pla-
cita,

- cita, & verior sententia explicatur. 286
2. Aliqua incidentia dubia explicatur. 587
3. Ad quod prædicamentum reducat motus. 589
- Resolvitur quæstio. 590

QVÆSTIO II.

De actione & passione comparatis cum motu. *ibid.*

DIFFICULTAS I.

Qualiter actio, passio, & motus necitantur inter se. 591

- ART. I. Explicantur quorundam placita. *ibid.*
2. Quibusdam dictis verior enucleatur sententia. 592
3. Fit satis fundamentis aliarum sententiarum. 596
4. Vtrum actio, passio, & motus se habeant tanquam superius, & inferiorius. *ibid.*

DIFFICULTAS II.

Vtrum actio prædicamentalis subietur in agente, vel in passio. 598

- ART. I. Explicantur opposita Philosophorum placita. *ibid.*
2. Quibusdam dictis fertur utriusque sententiæ iudicium. 599
3. Vtrum Deo conveniat agere. 601
4. Vtrum in creatione sit vera actio, & passio. 602
- Resolvitur quæstio. 604

QVÆSTIO III.

De infinito. *ibid.*

DIFFICULTAS I.

Vtrum per vires materia possit dari infinitum in actu. 606

ART. VNIC. Explicatur sententia communis. *ibid.*

DIFFICULTAS II.

Vtrum per supernaturalem potentiam possit dari infinitum in actu. 608

- ART. I. Vtrum supernaturali Dei potentia possit creari aliquod ens secundum essentiam infinitam. 609
2. Vtrum vnum infinitum sit maius alio. 610
3. Vtrum possint dari infinita actu individua. 612
4. Possintne dari infinitum secundum intensionem. 616
5. Vtrum possit dari infinitum in actu secundum magnitudines. 617
6. Vtrum Deus cognoscat infinitum. 620
- Tota quæstio resolvitur. 625

LIBER QVARTVS.

QVÆSTIO I.

De loco corporum naturalium. *ibid.*

DIFFICULTAS I.

Quid sit locus. *ibid.*

- ART. I. Qualiter locus sit ultimum continentis. 623
2. Explicatur immobilitas loci. 625
- DIFFI

DIFFICULTAS II.

Quibus rebus conveniat esse in loco. 626

ART.VNIC. Fit satis titulo difficultatis. 627

DIFFICULTAS III.

Virum naturaliter duo corpora possint esse in eodem loco. 628

ART.VNIC. Proponitur communis sententia, & satisfit aliquibus objectionibus. *ibid.*

DIFFICULTAS IV.

Virum divinitus possint duo corpora eundem numero locum occupare. 630

ART. I. Proponitur placitum Durandi, & refellitur. *ibid.*

2. Vera & communis sententia probatur. 631

3. Fit satis fundamento Durandi, & aliquæ objectiones enodantur. 633

DIFFICULTAS V.

Virum per supernaturalem potentiam idem numero corpus à duobus locis adæquatis possit circumscribi. 635

ART. I. Proponitur & impugnatur Thomistarum sententia. *ibid.*

2. Explicatur verior Doctoris sententia. 638

3. Objectiones proponuntur, & enodantur. 639

Tota quæstio resolvitur. 645

QVÆSTIO II.

De vacuo. 646

DIFFICULTAS I.

Possint dari vacuum in rerum natura per aliquam potentiam. *ibid.*

ART. I. Respondetur titulo difficultatis. *ibid.*

2. An motus quæ ad replendum vacuum sursum sit illi naturalis, an violentus. 647

DIFFICULTAS II.

An in vacuo moverentur corpora. 649

ART. I. Refertur sententia negans, & mens Doctoris expenditur. *ibidem.*

2. Occurritur nonnullis objectionibus. 650

DIFFICULTAS III.

An motus in vacuo fieret in instanti, vel in tempore. 651

ART.VNIC. Expenditur Auerroistarum sententia, & verior ac sequenda stabilitur. *ibid.*

QVÆSTIO III.

De tempore. 652

DIFFICULTAS I.

Virum tempus sit ens reale. 653

ART. I. Proponitur aliquorum negativa sententia, & affirmativa verior statuitur. 653

2. Fit satis fundamentis aduersariorum. 654

3. Qualiter tempus dicatur præsens. *ibid.*

DIFFI

DIFFICULTAS II.

*Quæ duratio conveniat singulis
rebus.* 656

ART. I. Quid & quoruplex sit duratio
rerum. *ibid.*

2. Quæ mensura durationis mensuren-
tur substantiæ corporeæ, & cor-
ruptibiles. 658

DIFFICULTAS III.

*Qualiter tempus à motu distin-
guatur.* 661

ART. I. Proponitur quinta, affirmans
realiter differre, & negatiua
defenditur. 662

2. An saltim formaliter tempus distin-
guatur à motu. 664

3. Satisfit quibusdam obiectonibus
occurrentibus contra authorita-
tem motus, & temporis. *ibid.*

4. Aliqua notatu digna inferuntur ex
dictis in hac difficultate. 666

Resolvitur quæstio. 667

LIBER QUINTVS.

QVÆSTIO I.

*De unitate, & contrarietatis
motus.* 668

DIFFICULTAS I.

*Vnde motus sumat virtutem
specificam.* *ibid.*

ART. VNIC. Quibusdam dictis respon-
det difficultatis titulo. *ibid.*

DIFFICULTAS II.

*Quæ requirantur ad unitatem
numericam motus.* 670

DIFFICULTAS III.

*Vnde sumatur contrarietas
motus.* 671

Predicta quæstio resolvitur. 672

QVÆSTIO II.

De terminis per se motus. *ibid.*

DIFFICULTAS I.

*Ad qua predicamenta detur per
se motus.* *ibid.*

ART. I. Fit satis titulo difficultatis.
673

2. An motus localis habeat pro termi-
no formali, & immediato ali-
quod absolutum, an respecti-
uum. 674

Resolvitur quæstio. 675

LIBER SEXTVS.

QVÆSTIO I.

*De continuo tam permanente,
quàm successivo.* 676

DIFFICULTAS I.

*Denunturne indivisibilia vera, & posi-
tina, tam continuatina, quàm
terminatina in continuo.* *ibid.*

ART. I. Proponuntur diuersa Philo-
sophorum placita. 677

2. Probat quibusdam dictis verior
Doctores sententia. 678

3. Obiiciuntur aliqua contra conclu-
siones, & enodantur. 681

*** DIFFI

DIFFICULTAS II.

*Vtrum continuum componatur ex
solis indivisibilibus.* 684

- ART. I. Sententia communis & vera
profertur. *ibid.*
2. Proponuntur Stoicorum argumen-
ta, & dissoluntur. 688

DIFFICULTAS III.

*Qualiter continuum componatur ex
partibus & indivisibilibus.* 689

- ART. I. Vtrum indivisibilia sint medi,
an res. 690
2. Qualiter sint partes & indivisibilia
in continuo. 692
3. Vtrum partes proportionales sint
actu infinitæ. 694
Resoluitur quæstio. 696

QVÆSTIO II.

*De inceptioe & desitione rerum
tam permanentium, quàm
successiuorum.* 697

DIFFICULTAS I.

*Vtrum diuinitus motus possit fieri
in instanti.* *ibid.*

- ART. I. Quibusdam dictis vera & com-
munis explicatur sententia. *ibid.*

2. Obiiciuntur aliqua contra conclu-
sionem, & enodantur. 699

DIFFICULTAS II.

*Vtrum indivisibile separatum possit
successiue moveri.* 700

- ART. I. Explicatur verior sententia, &
quorundam placitum proponi-
tur. 701
2. Obiiciuntur diuersa contrariorum
argumenta, & enodantur. 702

DIFFICULTAS III.

*Vtrum detur primum & ultimum
mutatum esse in motu.* 703

- ART. I. Respondetur titulo difficulta-
tis. *ibid.*
2. Quibusdam regulis explicantur om-
nium rerum intentiones, & de-
finitiones. 707
3. Aliqua incidentia dubij enodantur.
709
4. Obiiciuntur aliqua contra conclu-
siones prioris articuli, & enodan-
tur. 710

LIBER SEPTIMVS. 713

LIBER OCTAVVS. 714

FINIS.


PROOE

ERRATA


In Physica.

Pag.	col.	lin.	
310.	2.	16. & 17.	l. unitatem.
317.	1.	19.	Cratillo.
	2.	10.	catholici.
310.	1.	3.	à fin. substantiales mutatio- nes.
321.	2.	5. & 6.	actuatur.
341.	2.	28.	<i>sicut</i> petra.
346.	1.	18.	torics.
358.	2.	31.	q. 13. diff. 2. a. 5. n. 23. ibid. vipote.
397.	2.	4.	præcessisse.
		8.	extitit.
358.	1.	31.	adde, <i>efficacia</i> argum.
371.	1.	14.	l. q. 1. huius libri.
	2.	30.	q. 2. h. lib.
374.	2.	40.	resultante.
374.	1.	16.	q. 2.
376.	1.	pen.	q. 2. h. lib.
378.	1.	15. & 16.	præf. d.
		23.	q. 2. physf.
380.	2.	28.	q. 6.
381.	1.	39.	q. 2. h. lib.
382.	1.	10.	est.
384.	1.	9.	q. 2.
	2.	38.	q. 9.
385.	1.	22.	q. 3.
402.	2.	30.	q. 2.
406.	1.	16.	animal.
411.	1.	31.	q. 2.
		2.	q. 2.
423.	1.	3.	q. 2.
426.	1.	40.	q. 6. h. lib.
428.	2.	33.	q. 7.

Pag.	col.	lin.	
		35.	dispositiva.
430.	2.	24.	q. 8. h. lib.
431.	1.	17.	adde, 1 physf.
	2.	12.	q. 6. h. lib.
435.	2.	vit.	q. 4. h. lib.
441.	1.	21.	q. 6. lib. 1.
		pen.	q. 2. physf.
	2.	16.	q. 1. 1. physf.
443.	1.	3.	adde, 1 physf.
451.	7.	13.	ex q. 6. h. lib.
		41.	q. 6. h. lib.
455.	2.	19.	q. 6. h. lib.
453.	2.	24.	ex q. 6. lib. 1.
474.	2.	vit.	q. 2. h. lib.
475.	1.	pen.	q. 4. h. lib. n. 34.
476.	1.	33.	q. 4. h. lib.
	2.	37.	q. 3. h. lib.
487.	1.	vit.	q. 4. h. lib.
488.	2.	5.	à fin. q. 8. h. lib.
489.	2.	14.	q. 2. h. lib.
		26.	q. 4. h. lib.
491.	2.	5.	q. 4. h. lib.
492.	2.	12.	q. 4. h. lib. eodem modo lib. 5. à fin.
501.	2.	4.	à fin. substantiam.
506.	2.	38.	q. 5. h. lib.
527.	2.	7.	q. 5. h. lib.
		37.	relatione intentionali.
530.	2.	19.	q. 7. diff. 6. a. 1.
549.	2.	5.	adde, lib. 1.
585.	1.	21.	ex lib. 2. q. 1.
607.	2.	30.	lib. 6. q. 1. art. 3.
634.	1.	37.	formales.







FR. GASPARIS
DE LA FVENTE,
in Conuentu Complutensi Or-
dinis Minorum Regularis Ob-
feruantiaë Theologiaë Lectoris,

QVÆSTIONES PHYSICÆ:

Ad mentem subtilissimi Doctorum
IOANNIS DVNS Scotti.

MR. CHAPMAN

DE LA FVENTE

in Court of the County of
dans le Cour des Comptes de
(Growth of the Community)

CHAPMAN & COMPANY

1000 Broadway
New York, N.Y.



PROOEMIUM.

*Philosophia tri-
pliciter
sumitur.*

PHILOSOPHIA, ut à nomine exordiamur, trifariam consuevit usurpari. Primò pro omnium scientiarum tam practicarum, quàm speculatiuarum aggregatione, ut author est Aristot. 6. Metaphys. cap. 1. Secundò strictè pro veritatis contemplatione, in qua acceptione speculatiuas scientias solùm comprehendit, inter quas præcipua est Metaphysica, quia eius principia vniuersalissima sunt, propterea Philosophia antonomastice appellatur. Tertiò strictiùs pro rerum naturalium scientia, in qua significatione quamplures tractatus, seu partes comprehendit, videlicet octo libros de physico auditu, quatuor de cælo, & mundo, duos de ortu, & interitu, siue de generatione, & corruptione, totidem Meteororum, siue meteorologicarum quæstionum, id est, de mixtis imperfectis, de niue, glacie, grandine, cometa, & aliis, quæ vocantur Meteora, tres de anima, & plures alios, in quibus de animalibus, eorumque proprietatibus, de somno scilicet, & vigilia, de senectute, & iuuentute, de mineralibus, ut de auro, & argento, de historia, de vita & morte, & huiusmodi aliis fit sermo.

Ex his quidam tractatus Croamatici, alij Exoterici dicuntur. Isti dicuntur tales, quia leuiter & popula-

riter scripti sunt, quales sunt historica, Poëtica ac Rhetorica commentationes. Croamatici diligentioris ac limatioris sunt operæ, quibus grauior ac subtilior Philosophiæ disciplina continetur: vnde tractatus istos auscultatorios meritò Latini appellant, ut optimè notarunt Galenus in fragmento de substantiis naturalium facultatum, Plutarchus in vita Alexandri, Cicero in 5. libro de finibus, Ammonius in Logica, Simplicius in proemio Physicæ, Aulus Gellius lib. 2. cap. 4. Clemens Alexandrinus in 5. libro Stromatum, & Alexander in 1. lib. Topicorum. Ex quibus satis apertè coniciet, cur octo præsentis libri Physicorum, de quibus est disceptatio, de physico auditu, seu auscultatione inscribantur ab Aristotele, eorum authore. Hæc enim est potissima ratio quod Croamatici sunt, & ob sui excellentiam & obscuritatem auscultatores attentissimos requirunt, quorum difficultates sequentibus quæstionibus elucidare conabimur, & priùs vnicam præuiam, seu proemiale.

in limine aliarum præponemus.

* * *

Qq 2 QVÆS

*Qui tra-
ctatus
Croama-
tici, &
qui Exo-
terici di-
cuntur.*

QVÆSTIO VNICA.

De Proœmialibus
Physica.

QUIA cognitio cuiusvis scientiæ ex cognitione sui obiecti pendet, acturi de naturali Philosophia, quod sit obiectum eius oportet examinare.

DIFFICVLTAS I.

*Sine corpus naturale totius
Physicæ obiectum.*

ARTICVLVS I.

*Premittuntur aliqua ad intelligentiam
difficultatis.*

I.
Suppositio prima.
Naturale multifariam sumitur.

PRO intelligentia tituli difficultatis præmittendum est primò, Naturale multifariam usurpari. Primò pro vt distinguitur contra supernaturalæ. qua de causa omne quod videmus naturaliter fieri, & sine supernaturali Dei auxilio, etsi aliàs violentum sit, vt aquam calefieri naturale dicitur. Secundò pro vt distinguitur contra violentum. qua ratione dicimus naturale esse igni calefacere, id est, iuxta suam innatam & insitam exigentiam. Tertio pro eo quòd alicui à natiuitate conuenit, qua ratione natus sine oculis, cæcus naturaliter, seu à natura dicitur. Quarto pro essentia cuiuscunque rei, quæ natura ipsius vocatur. Quintò pro vt distinguitur contra liberum, vt fricatio barbæ, & alia indeliberatè facta ab hominibus, naturalia dicuntur, quia sine ductu libertatis operantur. Sextò quatenus distinguitur contra artifi-

cialè, in qua acceptione ens illud dicitur naturale, quod est principium motus & quietis: vnde cum solum compositum ex materia & forma ex dicendis quæst. 6. possit esse principium motus & quietis, hinc fit quòd ipsum solum quòd est corpus de prædicamento substantiæ, v.g. homo, arbor, petra, &c. possit in ista acceptione naturale existimari.

Secundò supponenda sunt, & recognoscenda quæ in Proœmialibus Logicæ quæst. 3. de obiecto in communi, & particulari diximus, quia quantum ad vniuersalem rationem obiecti communis est ratio.

Tertio suppono nullam in hac difficultate ferè esse controuersiam de re inter authores, sed solum de nomine, videlicet, vtrum obiectum Philosophiæ melius explicetur per ens mobile, vt docuit S. Thom. 1. Physicorum; vel per corpus mobile, vt tenet Agidius & Albertus Magnus, quibus adhæret sanctus Thom. de veritate quæst. 14. art. 8. ad 18. & 1. part. quæst. 84. art. 1. in argumento sed contra. Vel per substantiam corpoream, aut corpus naturale, vt communis iam fert opinio, nec aliud, inquit aliqui, Angelicus Doctor per ens mobile, quàm corpus naturale intelligit, vt satis apertè ostendit opusculo 42. cap. 14. vbi hæc habet, *Ex dictis igitur patet quòd ens mobile, quòd est corpus communiter acceptum.* Vnde quidam recentiores, imò ex antiquis aliqui optimè notarunt Philosophos antiquiores ens mobile, seu corpus mobile, aut naturale, pro eodem passim usurpare; proinde Philosophus in diuersis locis diuersimodè de obiecto Philosophiæ affatur: nam in 6. Metaphysicæ cap. 1. Philosophiam naturalem circa substantiam naturalem versari affirmat, & in 1. de cælo cap. 1. textu primo, esse

esse corpus naturale statuit (sed nullam istarum authoritatum in versione Ioachimi Perioni inuenies.) quod totum confirmat hanc difficultatem, magis esse de nomine, quàm de re, excipe sanctum Thomam qui ex dicendis infra, in corpore naturali non inuenit conditiones ad obiectum scientiæ requisitas, vnde cum ipso non est quæstio de nomine.

ARTICVLVS II.

Explicatur sententia Angelici Doctoris, & aliorum.

3.
Sententia
prima
S Thom.
Subiectū
debet
supponi
in scientia.

SANCTUS Thom. in suo proœmio Physicæ affirmat ens mobile esse Physicæ obiectum, non quia ipsum lateret corpus naturale esse proximum principium motus. nam hoc supponit in proœmio librorum de cælo; sed quia corpori naturali vna ex requisitis conditionibus vt sit obiectum scientiæ deficiat: nam subiectum debet supponi in scientia; sed Physicus probat dari corpus mobile, siquidem Arist. in 6. Physicorum textu 32. demonstrans omne mobile esse diuisibile, simul etiam demonstrare videtur omne mobile esse corpus. nam esse diuisibile conuenit mobili quod est corpus, quæ manifestè colliguntur ex his quæ habet in suo proœmio Physico, *quoniam* (scilicet Physicæ) *subiectum est ens mobile simpliciter. Non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro: nulla autem scientia probat suum subiectum, & ideo statim in principio de cælo, qui sequitur ad istum, incipitur a notificatione corporis.* Confirmari potest primò authoritate Aristotelis 3. Physicorū textu 6. definiens motum non per corpus, sed per ens, dicens, *motus est actus entis in potentia pro vt in potentia.* & in 6. Metaphysicæ textu 1. cum Auerroë 4. Metaphys. commento primo ait Physicam versari circa ens,

quod habet in se principium motus. Nec obstat, dicunt aliqui Thomistæ, Angelicum Doctorem in proœmio super libros de cælo affirmare, subiectum Philosophiæ naturalis esse corpus mobile. nam ibi loquitur de obiecto principalitatis, in Physico autè proœmio de obiecto totali & adæquato. Alij autem recentiores contèdant suadere Angelicum Doctorem idem intelligere per ens mobile ac corpus mobile; tamen quia melius explicatur obiectum per ens, quàm per corpus, ideo affirmat ens mobile esse Physicæ obiectum: sed hæc interpretatio extorta & cõtra Doctoris mentè apparet. Patet. nam non alio fundamento hanc suam confirmat sententiam, nisi quia corpori naturali deficiunt cõditiones requisitæ ad veram rationem obiecti; ideo cõcludit, ens mobile debere obiectum adæquatū existimari; ergo non idem intelligit per ens mobile, & corpus mobile. Sed hæc sententia falsa est, & hac vnica ratione potest impugnari, quia ex Aristotele 1. de cælo & 2. Posteriorum, & 6. Topic. pessima est definitio, quæ datur per supremum genus & infimam differentiam: nam si quis ita definiret hominem, Homo est substantia rationalis, non bene definiret, quia rationale non est proxima differentia substantiæ, sed animalis; quamobrem in definiendo homine, rationale non debet coniungi cum substantia, sed cum animalis; ergo pari ratione absurdum videri debet coniungere mobilitatem, aut naturalitatem cum ente, cum proximum subiectum naturalitatis, seu mobilitatis radicalis sit corpus.

Secunda sententia affirmat substantiam sensibilem esse Philosophiæ obiectum. Fundamentum desumunt ex Auerroë in prologo Physico, vbi ait subiectum huius artis non esse aliud,

4.
Sententia
secunda.

quàm res sensibilis. Fundamentum esse potest, quia ea solum cognoscimus de facto, quæ ministerio sensuum mouent intellectum: sed solum res sensibiles ita possunt mouere; ergo obiectum Physicæ constituitur sensibilitate. Sed hæc etiam sententia non est vera. Primò, quia coniungit sensibilitatem cum substantia, cui non conuenit proximè, sed ratione accidentium. Secundò, quia sequeretur quod cum sola accidentia sint sensibilia per se, de per accidens ageret Physicus de materia, forma, composito, &c. nam ex secundo libro de anima textu 6y. esse sensibile per se conuenit accidentibus, per accidens verò substantiæ.

5. Tertia sententia affirmat subiectum Physicæ esse res generabiles & corruptibiles. Fundamentum est, quia Philosophus in octo libris Physicorum solum agit ex professo de rebus corruptibilibus, v.g. de forma, priuatione, compositio, & causis, quæ omnia corruptibilia sunt. quod apertissimè innuit Aristot. 1. Physicorum textu 67. vbi quasi faciens Epilogum eorum, quæ antea docuerat, ait, se dixisse de principiis eorum quæ generantur, & corrumpuntur; deinde in 2. lib. definit naturam, quam esse corruptibilem dubitauit nullus. Hæc etiam sententia falsa est. Primò, nam dato quod omnia, de quibus agit Physicus, essent corruptibilia, corruptibilitas tamen non esset ratio formalis obiecti, sed aliqua passio in ista scientia probanda, & à ratione intrinseca obiecti promanens. Secundò, nam Philosophus non requirit corruptibilitatem ad formalem rationem obiecti physici, propterea in 2. Physicorum, textu 71. ait, quæcunque mota mouent, siue corruptibilia sint, siue incorruptibilia, esse physica, & spectare ad negotiū

Sententia tertia. Physicus agit de corruptibilibus.

Corruptibilitas non est formalis ratio obiecti. Hi Physice, sed aliqua passio in hac scientia probanda. Physicus solum agit de corruptibilibus.

physicum: vnde rectè inferitur quod cum cælum habeat naturam, quæ est principium motus, vt docet Aristot. 1. lib. de cælo, textu quinto, propria operatio eius, etiam si sit incorruptibilis, erit planè physica; ergo non requiritur corruptibilitas vt aliquid per se pertineat ad Physicum.

ARTICVLVS III.

Explicatur vera sententia.

Communior & verior sententia affirmat, corpus naturale de prædicamento substantiæ, seu corpus metaphysicum esse attributionis obiectum. tenet Doctor 6. Metaphysicæ quæst. 1. num. 6. quatenus negat corpus mobile esse obiectum Physicæ, quia mobilitas est passio valde remota corporis. nam supponit quantitatem, & alia quæ requiruntur ad mobilitatem proximam: vnde concludit mobilitatem non esse rationem formalem obiecti, sed illud quod in corpore est proxima, & intrinseca radix, à qua prouenit quod moueatur. hæc autem non est alia quàm naturalitas, vt docet num. 17. ergo corpus naturale metaphysicum, ex mente Doctoris est Physicæ obiectum. eum sequuntur omnes Scotistæ, Tartar. quæst. vnica. Trombeta 7. Metaphysicæ quæst. 2. Philipp. Faber theoremate 2. Fonseca 2. Metaphysicæ cap. 3. quæst. 1. sect. 5. & quæst. 5. sect. 2. Hurtado in proœmio disputationum physicarum §. 2. Plaza quæst. 2. & alij recentiores tenent expressè Arist. 6. Metaphysicæ textu primo, vbi asserit Philosophiam de ente mobili, seu quod est principium motus, agere: sed principium motus solum est corpus naturale de prædicamento substantiæ; ergo istud est obiectum Philosophiæ.

6. Communne prædicatum. Corpus naturale de prædicamento substantiæ, esse obiectum totius Philosophiæ.

Secundò

Secundò probatur ratione, verificando in ipso conditiones, quas esse necessarias in obiecto probauimus in Logica quæst. 3. Nam primò præsupponitur de eo quod est, & quid est, quia Aristot. postquam lib. 1. egit de principiis quibus constat corpus naturale, in 2. præmissi eius definitionem. Secundò per eius definitionem demonstrantur passiones, quia ex eo quod habet naturam, infert Aristot. in reliquis libris quòd sit mobile, quòd sit in loco, & mensuretur tempore. Tertio ad corpus naturale reducuntur quæ in tota Physica tractantur, vt discurranti patebit; ergo est obiectum attributionis.

7. *Obiectum Philosophiæ melius explicatur per corpus naturale, quàm per ens mobile, quàm per corpus naturale, quàm per ens mobile.*
 Quod autem obiectum Philosophiæ melius explicetur per corpus naturale, quàm per ens mobile, probatur primò ratione suprâ adducta ex mente Aristotelis, impugnando sententiam sancti Thomæ. Aptior est definitio quæ per infimum genus, & infimam differentiam naturam explicat definiti. Ratio est conspicua. nam id quod supremum genus dicit in confuso, inimum distinctè & formaliter explanat; ergo obiectum formale Philosophiæ melius explicatur per corpus, quàm per ens. nam quod ens in confuso dicit, corpus distinctè manifestat. Resp. quidam recentiores disputat. 1. Physicæ quæst. 1. §. 2. num. 10. melius explicari obiectum per ens mobile, quàm per corpus, cum satis perspicuum sit, omne mobile esse ens, non autem sit sufficienter manifestum, omne sic aptum moueri esse corpus, quandoquidem rationabiliter potest in dubium reuocari; ideo in libris Physicorum probatur mobile esse corpus; ergo pensatis omnibus conuenientius dicitur obiectum Philosophiæ esse ens mobile, quàm corpus naturale. Sed contrâ est quòd, vt

dicemus respondentes fundamento sancti Thomæ, ita certum est corpus esse motus principium, vt nullus rationabiliter possit dubitare, imò satis indoctè quispiam existimaret mobilitatem ab entitate vt sic contractâ per corporeitatem oriri.

8. *Mobile est nomē ambiguum. Illatio prima.*
 Quòd autem obiectum melius explicetur per naturale, quàm per mobile, probatur, quia mobilitas est passio quæ de corpore naturali in Physica demonstratur; ergo nequit esse ratio formalis obiectiua, quia hæc non probatur in scientia, sed supponitur. Nisi dicas sermonem esse de mobilitate radicali; sed hoc idem est ac asserere corpus naturale esse obiectum Physicæ, vt ex Doctore diximus suprâ. conuenient ergo nobiscum. Impropria tamen erit locutio, aliàs quantumque passionem obiecti rationem formalem possemus existimare, cum sit essentia in radice. Secundò probatur. Mobile est nomen ambiguum, & vniuersalius ceteris ad minus in significatione sui nominis, cum mobilitas non solum res materiales, sed quampiam naturam spiritualem comprehendat; ergo. Ex quibus infertur primò malè Ruuium n. 9. reprehendere Scotistas, quasi dicant Angelos & entia spiritualia sub mobilitate in hac scientia comprehendî, nam per corpus naturale expressè excluduntur. Secundò cõstat falli Plazam asserentem Scotistas sustinere, Angelos per se pertinere ad Philosophiam. nam cum ex sententia Doctoris, quam omnes Scotistæ sequuntur, obiectum sit corpus naturale, quo carent Angeli, nequeunt ad istud obiectum nisi remotissimè reduci. Tertio infertur non inaniter & inutiliter controuerti de ratione formali obiecti, nec hanc disputationem esse deliram, vt quidam neotericus Complutensis autumat
 con tra

Mobile est nomē ambiguum. Illatio prima.

Illatio secunda.

Illatio tertia.

contra communem tantorum viro-
rum disputationem, quia rationes
formales rerum explicare & inda-
gare, non est ab instituto scientis
alienum.

Ad fundamentum sancti Thomæ
respondetur, ad primam rationem ne-
gamus Aristotelem aliquando demon-
strauisse corpus mobile esse, & id pos-
se à Physico demonstrari, est enim ita
perspicuum corpus mobile esse, vt
Arist. hoc supponendum esse docet
primo Physicorum textu 11. his ver-
bis, *Nobis autem supponatur ea qua sub
natura, aut omnia, aut quadam moueri.*
Deinde, vt bene notauit Pererius lib.
2. Physicorum cap. 1. si ridiculum est
demonstrare naturam esse, vt scri-
ptum est in 2. Physicorum textu 6.
quanto magis ridiculus esset Physic-
us si tentaret demonstrare corpus
mobile esse, cum manifestius sit esse
corporea mobilia. legite Pererium
vbi supra.

Ad authoritates Philosophi resp.
quod cum ens mobile & corpus natu-
rale pro eodem possint vsurpari, Ari-
stot. & Auerroës non admodum solici-
tati de vocabulis fuerunt, ideo variis
nominibus designant subiectum Phy-
sicæ nunc hoc, nunc alio vocabulo
appellantes.

Ad fundamentum secundæ & ter-
tiæ sententiæ satis responsam est ex
confutatione earum opinionum.

ARTICVLVS IV.

Satisfit aliquibus obiectionibus.

*Obiectio
prima.*

*Enoda-
tur.*

Obiicies primò quòd deberemus
nos assignare vnum obiectum
formale quo, specificatiuum Philoso-
phiæ, & non solùm attributionis; er-
go diminitè procedimus. Resp. quòd
cum Philosophia non sit vna simplex

qualitas, propter rationes dictas in
quæst. 4. Logicæ difficult. 3. art. 2. Ideo
non potest habere vnum obiectum
formale quo, seu rationem sub qua
attingantur omnes conclusiones quæ
in tali scientia tractantur, diuerso
enim modo quidditatem materiæ
primæ & formæ, quàm totius compo-
siti demonstramus, & ita non potest
assignari vna ratio formalis quæ, con-
ueniens omnibus conclusionibus; as-
signatur ergo pro obiecto totius Phy-
sicæ tantum obiectum attributionis,
quia in illo inuenitur maior vnitas
obiectiua quæ respectu talis scientiæ
seperiri potest, sic ab eo aliquam en-
titem potest mendicare etiam non
simplicem. Hac de causa Aristoteles 4.
Metaphysicæ textu 2. affirmat Meta-
physicam non dici vnã scientiam,
quia est vnus obiecti generici, sed
quia obiecta eius sunt ad vnum; sic
corpus naturale dicitur Physicæ ob-
iectum, quia omnia sunt ad ipsum,
non quia sit formalis ratio cogno-
scendi omnia, quæ in tali scientia tra-
ctantur.

Obiicies secundò, quòd anima ra-
tionalis non est corpus, & tamen de
ea agit Physicus; ergo corpus natu-
rale non est obiectum. Respondeo de
anima rationali agere Physicum non
in quantum spiritualis est præcisè;
sed quatenus est forma compositi hu-
mani, quod substantia corporea est,
& hac ratione ad ipsum reducitur;
qualiter ergo substantia spiritualis
possit esse corporis forma, dicemus
quæst. 4. Vnde est quòd de Angelis
non agat per se Physicus, quia spiri-
tuales sunt, sicut & eorum vbi, (teste
Scoto, quòdlib. 11.) & cum cor-
pora non sint, nec ad corpus natu-
rale reducuntur, eorum disputatio
non pertinet ad Physicum de per
se.

9.
*Obiectio
secunda.*
Solutio.

DIFFICULTAS II.

Utrum Physica sit scientia.

Physica est ratio de propriis scientiis.

Responderetur affirmatiuè cum Aristotele 2. Metaphysicæ cap. 3. & 4. & lib. 6. capite 1. de partibus animalium capite 1. & cum communi sententia. Ratio à priori est, quia ex Arist. 1. Posterior. cap. 2. *scientia est euidens cognitio rei per causas*; sed Physica demonstrat de suo obiecto (quod corpus naturale est) esse mobile, quia natura constat, quæ est principium motus, mixta esse corruptibilia, quia ex contrariis componuntur. Item animalia moueri à se, quia habent animam, continua esse diuisibilia, quia habent partes, & alia similia per suas causas; ergo est verè scientia.

Obiectio prima.

Sed contrà argues primò eum Heraclito & Elatino, quorum meminit Aristot. 1. & 4. Metaphysicæ, quòd scientia est de necessariis: sed Physica de corruptibilibus agit, & non necessariis, qualia sunt singularia & fortuita; ergo scientia non est. Resp. quòd omnia, de quibus agit Physicus, etsi secundum existentiam sint corruptibilia, quia existere & non existere possunt; tamen secundum essentiam sunt incorruptibilia, ita enim essentialiter est indefectibilis ista propositio, & vera, *Homo est corruptibilis*, qualis ista, *Angelus est incorruptibilis*; secundum essentiam enim omnes istæ propositiones habent veritatem incorruptibilem.

Dilatatur.

II. Obiectio secunda.

Secundò argues quòd scientia debet esse de veris; sed multa affirmat Philosophus quæ falsa sunt, vt quòd mundus sit ab æterno, & quòd Deus agat necessariò, quæ vera non sunt; ergo. Resp. scientiam non debere habere omnes propositiones euidentés,

Resoluitur.

sed veras; sufficit ergo quòd aliquas habeat euidentes, alias verò probabiles, secundum quas possit ab illis denominari scientia, quandoquidem Physica non est simpliciter qualitas, quæ indiuisibilem essentialem rationem obiecti habeat: si tamen aliquas erroneas propositiones admisit Philosophus, iam eas correxit fides, & veram sententiam catholicam amplectuntur.

Obiectio tertia.

Tertiò argues quòd mentis nostræ cognitio incipit à sensibus, qui falluntur multoties; ergo non est scientia vera. Resp. quòd idem argumentum posset contra omnes scientias fieri, quæ pro hoc statu viæ dependent à sensu. Et secundò responderetur quòd etsi multoties erret sensus exterior, tamen ab intellectu corriguntur eius operationes, vt constat ex Scoto in 1. dist. 3. quæst. 4. num. 11. & 12.

Dissoluitur.

Quartò argues quòd physicus considerat materiam accidentibus vestitam: sed vt sic est ens per accidens; ergo non potest esse obiectum scientiæ, quia de ente per accidens scientia non datur. Respondeo primò quòd non solùm de materia vestita accidentibus agit Physicus; sed etiam de eanuda, & sic potest dari scientia. Vel secundò responderetur quòd quando Aristot. 6. Metaphysicæ differit de ente per accidens non dari scientiam, sic intelligendus est, quòd de duabus illis naturis totalibus, quæ sunt in tali ente, scientia non datur, vt sunt in ipso vnum per accidens; tamen cum concretum accidentale de per se, & in re-cto solùm dicat formam denominantem, in obliquo verò materiam, vt diximus in Logica quæst. 6. difficult. 4.

12.

Obiectio quarta.

Responso.

hinc est quòd de ipso possit dari scientia & definitio.

* * *

ARTICVLVS I.

Vtrum Philosophia sit scientia practica, vel speculatiua.

Supposi-
tio.

Supponendum est ex dicendis in Metaphysica quaestione de scientia in communi, praxim secundum Doctorem quaestione 4. prologi esse operationem alterius potentia, quam intellectus, in intellectu posteriore, unde nullus actus intellectus praxis est formaliter, licet possit existimari practicus quatenus dirigit voluntatem, vel imperatur ab ea.

13.
Physica
est scien-
tia specu-
latiua.

Titulo ergo articuli responderetur Physicam esse scientiam speculatiuam, ita communis sententia affirmat cum Arist. 6. Metaphysicae cap. 1. ubi diuidens scientiam contemplatiuam, seu speculatiua, in Physicam, & Metaphysicam diuisit, ibique ex professo probat esse speculatiuam, quia est earum rerum, quarum non est nobis ars, vel electio. Ratio a priori est, quod obiectum scientiae practicae est operatio, non qualiscunque, sed alterius potentiae ab intellectu: at obiectum Physicae est corpus naturale, quod neque est actio, neque operatio; ergo est scientia speculatiua, quae omnia latius examinauimus supra.

Obiectio
prima.

Soluitur.

Sed argues quod secundum Galenum, & Auicenam, medicina diuiditur in theoreticam, & practicam: sed medicina est pars Physicae; ergo ab illa debet dici practica. Resp. Physicam & medicinam non esse eandem scientiam, cum distincta obiecta formalia habeant, quia Physica habet corpus naturale pro obiecto, medicina vero corpus sanabile, qua de causa Aristot. lib. de sensu & sensibili istas scientias quasi sorores appellauit, addens quod ubi desinit Philosophus, ibi incipit Medicus. Vtrum tamen

medicina possit dici scientia speculatiua, non curamus.

Argues secundò quod Physica excitat voluntatem ad amorem Dei; ergo non sinit in contemplatione, ac per consequens practica est. Resp. non excitare de per se; sed vigore alterius potentiae, scilicet intellectus, quod requiritur ad scientiam practicam: sicut moralis Philosophia, quae de per se dicitur de opere faciendo à voluntate; sed de per accidens ostendendo vniuersi pulchritudinem, propter quam maximas exhibere Deo gratias debemus, quia per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; hinc est quod etsi agat Philosophia de mixto & de metecrologicis impressionibus, tamen cum istae operationes non tractentur ab ipsa scientia, ut faciendae in ipsa, sed ut contemplandae, non sunt obiectum practicum, sed speculatiuum Philosophiae.

Obiectio
secunda.

Enoda-
tur.

Petes primò, vtrum sit vna simplex qualitas? Resp. negatiuè, quia habet plures conclusiones pluribus rationibus formalibus attingibiles, ut diximus de Logica quaestione 6. prooemiali.

Physica
non est
vna sim-
plex qua-
litas.

Petes secundò, vtrum sit vna scientia? Resp. affirmatiuè, quia habet plures qualitates dicentes vnitatem non per indiuisibila, sicut diuersae partes qualitatis, & quantitatis, nec per modum actus & potentiae, sicut forma & materia, nec per modum generis & differentiae, sed vnitatem ordinis ad partes vnius obiecti attributionis contemplandas. quare ista sententia potius vocanda est ad vnum, quam vna, ut diximus secundum Arist. 1. Physicorum de metaph.

14.
Physica
est vna
scientia.

Physicae scientia supra quaest. 1.

difficultate 1.
artic. 4.

ARTICVLVS II.

De utilitate & incunditate Philosophia naturalis.

15.
Philosophia est
vniuersalis
sapientia
& medicina.

Habemus ex artic. precedenti Philosophiam esse scientiam speculatiuam, & licet ob hanc rationem non propter aliand, sed sui gratia quaerenda sit & expetenda, non tamen ei desunt quamplurimae commoditates & ornamenta quibus ceterae disciplinae ornantur & illustrantur. Est ergo primò utilis Metaphysicæ. nam in ea de primo motore, intellectu humano, motuque coelesti ex professo differitur. quæ omnia viam sternunt Metaphysico, ad inuestigandam scientiam intelligentiarum. Est etiam utilis medicinæ, propter doctrinam elementorum, facultatum naturalium, stirpium, & corporis humani, quorum primas causas Physicus explanat, quod optimè notauit Philosophus in lib. de sensu & sensibili. Item deseruit Mathematicis disciplinis, Astronomiæ quidem propter scientiam luminis, coloris, ac eorum quæ attinent ad aspectum; musicæ verò propter intelligentiam soni, vocis, eorumque quæ spectant ad facultatem auditus: deinde Philosophiæ morali, ob scientiam hominis, potentiarum affectuum & operationum eius; denique multum conducit Theologiae. nam in libris Geneseos, Ecclesiast. Iob, & Psalmorum plura planè physica memorantur, quæ ignarus Physicæ difficile intelligere valebit, sicut nec plures alias quaestiones, quæ passim inter merè theologicas

miscentur. Postremò cum omnis ars eò tendat, vt imitetur, vel adiuuet, & perficiat ea quæ natura per se non potest efficere, cognita natura, & naturali corpore faciliùs cuiuscunque artis efficaciam indagare poterimus.

Eius autem voluptatem Philosophus 1. de partibus animalium c. 5. disertis verbis egregiè declarat, & in 10. lib. Ethicorum ita scribit, *Videtur Philosophia mirabiles quasdam, tum sinceritate, tum stabilitate continere voluptates.* In ea enim animus noster pulchritudinem contemplan-do, internam hilaritatem & manipulos gratiarum in primum, & maximum auctorem colligit refundendos: vti nam ergo ex his quæ natura producit, animus noster auido inquirat affectu virtutis imaginem, quam Philosophi antiqui ex istis naturalibus acquirere. Quis enim virtutum vmbra induit, quibus vidimus floruisse Gentiles? Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis grauitatem, Socratis continentiam, Scipionis pudicitiam, Vlyssis longanimitatè imitabitur? qui quasi quaedam saeculorum suorum micantia splendere sidera. Ceterùm quia Christum non cognouerunt in cogitationibus suis, superbientes stulti facti sunt. Nos autem qui non inter Gentilium ceteros, quas contriuit Dominus; sed in domo Domini inter humiles & salutiferas herbas Scripturæ sacrae, diuinorumque præceptorum plantati sumus, ea quæ vera Philosophi dixerunt, ab eis tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicemus.

15.
Philosophia mirabiles
excitas
voluptates.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.



DIXIMVS in proce-
miali quæstione, cor-
pus naturale de prædi-
camento substantiæ esse
Physicè obiectum: cum
ergo constet materia, forma, & pri-
uatione, & hæc principia media vnio-
ne, qua posita resultat totum, vnian-
tur, ideo librum istum in sex diuide-
mus quæstiones. Prima erit de prin-
cipijs corporis naturalis in commu-
ni. Secunda de materia particulari.
Tertia de forma. Quarta de priuatio-
ne. Quinta de modo vnionis. Sexta de
toto composito, & de eis quæ sequen-
tur ad ipsum, disputationem de exi-
stentia, & substantia, quæ hîc ab ali-
quibus exagitari solet, in Metaphysi-
cam reicientes. nam, teste Aristotele
cap. 1. huius libri, *Quoniam omnis
cognitio & scientia, in omnibus discipli-
nis, quarum principia sunt causa, aut ele-
menta, ab eorum cognitione proficiuntur,
(tum enim denique aliquid nos scire exi-
stimamus, cum causas primas primaque
principia etiam vsque ad elementa cogni-
ta habemus) profectò eius etiam scientia,
qua de natura est primum principium,
explicanda sunt.*

QVÆSTIO I.

De principijs corporis na- turalis in communi.

IN hac quæstione duo sese of-
ferunt examinanda, de quibus

agit Aristoteles à cap. 2. vsque ad 7.
Primo, vtrum principia corporis na-
turalis sufficienter fuerint à Philoso-
pho definita. Secundo, vtrum sint tan-
tum tria.

DIFFICULTAS I.

*Vtrum principia entis naturalis
sufficienter ab Aristotele
definiantur.*

ARISTOTELES cap. 5. huius libri
textu 42. principia rerum natu-
ralium in communi sic definit, Prin-
cipia sunt, *qua neque ex se, nec ex alijs,* Princi-
pia quid.
sed omnia ex ipsis sunt. de sufficientia
ergo huius definitionis inquiritur.

ARTICVLVS I.

Proponitur sententia communis.

COMMUNE Scholasticorum pla-
citum affirmat prædictam defi-
nitionem esse exactam. quod proba-
tur per singulas particulas definitio-
nis discurrendo. Et primo quòd prin-
cipia corporis naturalis non fiant ex
se mutuo, colligitur manifestè, quia,
vt docet Aristoteles cap. 5. principia
sunt contraria: at contraria ita se ha-
bent, vt obseruentur inter se, & vnum
ex alio fieri repugnet; ergo. Quòd
verò non fiant ex alijs, patet, quia si
ex alijs fierent, esset ex prioribus, at-
que aded ista principia prima non
essent, cum supponerent alia prima; &
rursus

I.
Princi-
pia entis
natura-
lis exactè
à Philo-
sopho de-
finiuntur.

rursus non principia, sed principia debent nominari, quia ab aliis tanquam à principio dependerent. Denique quod omnia ex ipsis fiant, & sint, vel constent, patet, quia cum principia ex semetipsis esse nequeant, necessariò erant ex aliis, non ex principiatis; ergo ex principiis: unde inferitur per primam partem definitionis excludi elementa, quia etsi non sint ex aliis, ex se tamen fiunt. Per secundam partem, corpora caelestia reiiciuntur, quoniam si ex se non fiunt, componuntur tamen ex aliis, ex materia scilicet & forma. Per tertiam denique excluduntur causa extrinsecæ, ut sunt efficiens, finalis, & exemplaris, quia etsi principia sint, non tamen ex quibus omnia fiunt: sed efficiens est principium ex quo effectus, finis propter quod, exemplar ad instar cuius cætera fiunt; ergo.

ARTICVLVS II.

Satisfit aliquibus obiectionibus.

2. **P**rimò obicitur. Omne quod penitur in prædicamento substantiæ, componitur ex genere & differentiâ, & consequenter ex aliis, quia genus & differentiâ non sunt compositum, sed aliquod componens ipsum: at materia, & forma, quæ principia rei naturalis sunt, ponuntur in prædicamento; ergo fiunt ex aliis. Respond. materiam & formam solum reductiue pertinere ad substantiæ prædicamentum, ut in antepædicamentis diximus; tamen etsi argumentum omnino concedatur, solum probat componi ex partibus metaphysicis, quales sunt genus & differentiâ, non tamen ex physicis, quales sunt materia & forma.

Argumē- tum pri- mum.

Materia & forma reductiue solum & ad casus ponuntur in prædicamento substantiæ.

Secundum argumentum, secundum Aristotelem in hoc libro, quodlibet non fit ex quolibet, sed ex principio contrario, ut ignis ex non igne: sed principia sunt contraria (ut sequenti difficultate); ergo fiunt ex se ipsis, ac per consequens ex alterutris. Confirmatur, forma educitur de potentia materiæ; ergo fit de materia, non quacunque, sed de ea quæ est affecta priuatione eiusdem formæ; ergo forma fit ex priuatione. Respond. concedendo quod licet prima principia sint primò contraria, & forma educatur ex materia, quia forma habet pro termino à quo priuationem, tamen non propriè fit ex ea; sed totum compositum, quia compositum solum propriè dicitur fieri, ut expressè Arist. 7. Metaph. textu 22. 27. & 33. dicens, omne quod fit, esse semper compositum, & formam per se non generari, sed compositum; & ratio tradita à Scoto in 1. distinct. 3. quaest. 6. §. hic sunt, num. 33. probat, quia cum generatio sit mutatio de non esse ad esse, eius est generari, aut fieri, cuius est esse: sed solum totum compositum habet esse; ergo solum ipsum dicitur fieri. Probat minor. Materia & forma potius sunt rationes essendi, quàm esse habeant, cum dependeat in suo esse naturali, & duratione ab esse completo totius; ergo solum compositum propriè fit. Ad confirmationem respond. quod etsi forma aliquo modo dicatur fieri ex priuatione sui ipsius, tamen non ex ipsa, ut primo principio componente, & ita impropiè dicitur fieri ex alio.

Argumē- tum se- cundum.

Forma non fit propriè ex priuatione, sed est cō- positum.

Tertium argumentum est quod illud ex se, ter positum in definitione, aut denotat habitudinem partis componentis, aut solius termini à quo. Si primum, priuatio non erit princi-

Argumē- tum ter- tium.

pium, cum non sit pars. Si secundum materiam & formam non erunt principia, ex quibus cetera fiunt, cum sint partes. Respond. illam particulam *ex se*, eodem modo vsurpari, denotareque utramque partem componentem, non copulatiue, sed diuisiue, vnam scilicet, vel alteram, ita vt faciant hunc sensum. Principia sunt quæ non fiunt ex aliis tanquam ex componentibus partibus, nec ex alterutris, ita vt vna fiat ex altera; sed omnia ex ipsis, idest, omnia composita his principiis componuntur, secundum tamen distributionem commodam, quod illud *ex* debeat intelligi eodem modo, quia aliàs definitio esset vitiosa, cum verborum sensus totus in ipsa confusè poneretur.

3.
Argumē-
tū quar-
tum.

Quartò corpora cælestia non fiunt ex priuatione, cum ex Aristotele 1. de cælo cap. 3. textu 25. in corpora cælestia non cadat priuatio, nec cælestis forma contrarium habeat; ergo non omnia fiunt ex his principiis. Respond. Aristotelem tradidisse definitionem corporum quæ generantur cum mutatione materiæ, vt docuit Doctor lib. 7. Metaph. quæst. 3. nam. 3. ergo cum cælum non præsupponat materiam mutabilem, per consequens nec priuatam formam, & sic non fit ex istis tribus principiis, sed solam ex duobus, ex materia scilicet, & forma; tamen sub hac definitione non continentur: vnde etiam sequitur corpus naturale per creationem factum non definiti hac definitione, quia non fit ex mutatione materiæ, cum in nullo instanti præsupponatur materia, tali forma priuata; sed totum compositum simul creatur, nullo subiecto antecedenti, nisi distributiue intelligamus Aristotelem ita, vt faciat hunc sensum. Alia fiunt ex ipsis, vel ex duo-

Ecce &
alia com-
posita
quæ creā-
tur, non
fiunt ex
priuatio-
ne.

bus, ex materia scilicet, & forma sicut cælum, & res facta per creationem, vel ex tribus, scilicet, materia, forma & priuatione, vt corpus genitum, tamen retorquetur sensus verborum & definitionis.

Quintum argumentum, ex principiis aquæ, sola aqua fit, & ex principiis ignis solus ignis; ergo falsum est dicere, omnia fieri ex principiis. Respond. non esse intelligendam definitionem absolute quod omnia fiant ex eisdem principiis in speciali, sed cum distributione commoda, ita vt quælibet compositio fiat ex suis principiis, quæ dicuntur materia, forma, & priuatio, tamen distinctis à principiis aliorum compositorum.

Argumē-
tū quin-
tum.

DIFFICULTAS II.

Vtrum principia corporis naturalis sint tantum tria.

DVobis modis possumus sumere corpus naturale, primo modo in fieri, seu vt est via ad terminum, secundò in facto esse, seu quatenus est effectus iam existens, nec sermo est de quibuscunque principiis; sed de intrinsicis quæ ad constitutionem rei necessario spectant.

ARTICVLVS I.

Duobus dictis satisfi titulo difficultatis.

DIco primò, si principia rerum naturalium solum in facto esse considerentur, tantum sunt duo, materia scilicet, & forma. Probat, intrinsicè dicuntur principia corporis naturalis in facto esse, quæ intrin-

4.
Conclusio
prima.

secè

principia ensis corporis naturalis in facto esse sunt duo.
secè ipsum constituunt, & in eo perdurant: sed materia & forma solùm durant in composito, & ipsum tanquam partes Physicæ essentialiter componunt; ergo solùm ista duo principia constituunt in facto esse compositum.

Notanter dixi, essentialiter Physicæ. nam in quocumque composito præter istas partes físicas sunt alia Metaphysicæ, vt genus & differentia, & rursus ratio subsistentis, quæ est pars compositi, non vt compositi, sed vt subsistentis.

§. *Conclusio secunda.*
Dico secundò, si corpus naturale consideretur in fieri, vt dicit illud fieri compositionis, seu vnionis partium, principia eius sunt tria, nec plura, nec pauciora, scilicet, materia, forma & priuatio. Probat, quia in hoc distinguuntur generatio & creatio, secundùm communem consensum autorum, quòd generatio est ex præsupposito subiecto, quod introductione formæ cum priuatione ipsius præcedit; ergo in qualibet generatione, seu fieri compositi naturalis corporei, concurrunt necessariò, & essentialiter materia, forma & priuatio; tamen in esse non durat priuatio, quia postquam materia tali forma informatur, iam non amplius durat talis priuatio formæ in materia. nam habitus & priuatio incomparabiles sunt.

Principia ensis corporis naturalis in fieri sunt tria.

Respond. priuationem esse ens rationis si concipiatur tanquam quid positium in re, quia vt sic tantùm habet esse fictum ab intellectu; tamen in se quid reale est non positium, sed negatiuum, vt diximus de ente rationis quæstione 3. Logicæ, difficultate 2. art. 1.

Secundò argues, ens positium debet habere positina principia: sed priuatio non est ens positium; ergo nec principium corporis naturalis.

Argumentum secundum.

Respond. priuationem non dici principium constitutum corporis naturalis, quia vt sic deberet esse quid positium: sed dicitur priuatiuum, quia cum generatio sit mutatio de non esse ad esse, semper respicit vt terminum à quo proximum, non entitatem positiuam; sed priuationem formæ introducendæ.

Tertiò argues, priuatio ideo dicitur principium generationis in fieri, quia est principium à quo fit forma: sed non solùm forma quæ generatur fit ex priuatione sui ipsius, sed ex præcedenti forma in materia receptiua, quia forma ignis non solùm fit ex priuatione sui ipsius, sed & ex forma ligni, & vt sic communiter dicitur ex ligno fieri ignem; ergo debet esse forma præcedens, & enumerari tanquam principium inter principia naturalis corporis, sicut priuatio, ac per consequens quatuor erunt principia fieri compositi. Respond. priuationem esse terminum à quo generationis, quia per se est terminus, ita vt nequeat generatio fieri tali priuatione non præcedenti in materia: at forma præcedens de per accidens est terminus à quo; vnde

7. *Argumentum tertium.*

ARTICVLVS II.

Satisfit aliquibus obiectionibus.

6. *Argumentum tertium.*
Obiicies primò quòd principia corporis naturalis debent esse quid reale: sed priuatio est ens rationis; ergo non potest esse princi-

De per accidens ignis fit ex ligno.

vnde et si nulla forma in materia præcederet, quod potest à Deo fieri, vt infra; nihilominus tamen esset generatio, & ita cum de per accidens sit terminus à quo, non enumeratur inter principia corporis naturalis per se.

Argumentum quartum.

Quartò dispositio requiritur ex parte materiæ ad recipiendam formam; ergo non solum materia, sed etiam dispositio debet enumerari inter principia corporis naturalis. Respond. habilitatem istam, seu dispositionem quantumvis necessariam, non constituere principium distinctum à materia. Ratio est, quod omnis dispositio ad genus causæ materialis reducitur. nam ex parte recipientis se habet, & ita non constituit principium distinctum à materia.

Argumentum quintum.

8. Quintò compositum quodlibet est genitum ab aliqua efficiens causa; ergo inter principia ista debet enumerari causa efficiens in fieri, ac per consequens erunt quatuor principia. Respond. Aristotelem tantum hinc enumerasse causas intrinsecas, & quæ intra rationem compositi sunt: vnde cum efficiens sit extrinseca causa, & extra rationem fieri compositi, hinc est quod non enumeratur inter causas componentes. Materia verò, forma & privatio cum sint causæ componentes, enumerantur ab Aristotele, itaque efficiens non componit, sed producit formam componentem, vel unionem vniuentem partes compositi. Aduersatur tamen, hinc pro fieri compositi non intelligi actionem de prædicamento actionis; sed compositum ipsum in fieri, quod est idem realiter cum composito in facto esse, quod fieri dicitur actio physica, ex q. 19. diffic. 1. art. 2. n. 7.

9. Sextò generatio non tendit per se

ad formam, sed ad compositum, vt docuit Arist. in hoc libro, cap. 7. textum 64. ergo forma non est principium generationis, sed compositi. Probaturs consequentia. Generatio solum includit in suo conceptu quiddam terminum: sed compositum secundum Aristotelem terminus est generationis; ergo generatio non tendit per se ad formam. Respond. generationem tendere per se ad formam & compositum, sub diuersis tamen rationibus. quia forma est terminus generationis, quo compositum est tale; compositum verò est terminus factus per talem formam, & inde prouenit quod compositum non sit principium generationis, imò potius est principiatu per alia principia, vt pote per materiam & formam, quibus componitur. Quando autem Arist. docet ad compositum tendere generationem, loquitur de termino quod, seu de fine generantis, quod intendit producere non formam, sed compositum, quia præter formam producit compositum.

Argumentum sextum.

Forma est terminus generationis, & compositum quod.

ARTICVLVS III.

Vtrum principia corporis naturalis sint contraria.

10. Respond. quod si sermo fiat de materia & forma inter se, contraria non sunt, quia nullam dicunt oppositionem præter relatiuam, quia mutuo realiter distinguuntur; tamen nullo alio genere oppositionis contrariantur, imò simul concurrunt ad componendam & conseruandū compositum. Loquendo verò de privatione & forma, certum est quod opponuntur non contrariè, quia hæc oppositio, vt diximus quæst. 12. Logica diffic. 8. art. 1. est inter formas positivas

Materia & forma solum re latiuè opponuntur.

ficiuas

stius accidentales, quæ ab eodem subiecto se mutuo expellant, secundum Arist. 5. Metaph. cap. 12. textu 16. sed opponuntur priuatiuè, quia sunt impossibiles in eodem subiecto, implicat enim quod idem subiectum sit album & albedine priuatum. quæ oppositio priuatiua dicitur, estque maxima omnium oppositionum nulla potètia supplebilis, & inde forma & priuatio dicuntur primò contraria, vt docuit Arist. 10. Metaph. text. 15. vnde quando Arist. asserit principia esse contraria, loquitur indefinitè non de omnibus, sed de forma, & priuatione, quæ verè opponuntur. Ex quibus rectè inferi Doctor q. 18. inter hæc principia nullam esse veram contrarietatem, quia si comparemus materiam cum forma, non contrariantur, quia non sunt formæ accidentales, neque ab eodem subiecto se mutuo expellant; si verò formam cum priuatione, nec erit contrarietas, sed contradictio, quia non sunt extrema positiua; dicuntur ergo largo modo contraria quatenus ab eodem subiecto se expellant non contrariè, sed contradictoriè, aut priuatiuè.

Formam
& priua-
tione pri-
mò con-
traria
philoso-
phus exi-
stimas.

sine hac possit existere per supernaturalem potentiam. Quintum vtrum sit de quidditate corporis substantialis. Sextum vtrum in ea sint dimensiones interminatae. Septimum vtrum materia omnium inferiorum sit vna specie, vel numero. Tandem aliquibus dubiis satisfit.

DIFFICULTAS I.

An & quid sit materia prima.

ARTICVLVS I.

Premittuntur aliqua, in quibus omnes conueniunt.

HOC nomen *materia* multifariam usurpari potest. Primò vt significet omne illud quod est subiectum alterius, siue sit substantia, siue accidens: quapropter vnū accidens potest dici materia respectu alterius, quatenus in ipso saltim accidentia relatiua subiectari possunt. Secundo modo potest accipi materia strictius pro materia ex qua aliqua componuntur: vt lapides, & ligna dicuntur materia domus, quia ex illis componitur. Alia est materia in qua quæ est subiectum in quo aliquid recipitur, vt substantia respectu accidentium. Deinde materia alia est prima, alia secunda. Hæc est totum compositum quod dicitur materia secunda, quia in ipso accidentia subiectantur, seu est subiectum operationum & aliam materiam primam supponit; est ergo materia prima de qua hîc agitur, commune mutationis substantialis, substantiale subiectum, expers corruptionis, ex quo sunt omnia physica corpora prædicamenti substantiæ.

1.
Nomen
materia
multifaria
potest
usurpari.

QVÆSTIO II.

De materia prima.

Etimus quæst. 1. de principiis corporis naturalis in communi, nunc autem de materia prima quæ est primum principium particulare cæterorum, venit disputandum. Circa quam quæstionem plura sese offerunt discutienda. Primum an sit & quid sit materia prima. Secundum vtrum sit pura potentia carens omni actu entitativo. Tertium vtrum dicat aptitudinem ad formam. Quartum vtrum

Supponendum ergo est circa ea 2.
quæ inquirunt difficultas vnanimem
esse omnium Philosophorum consen-
sio.

sum dari materiam primam, in quocunque composito. quod ita certum est, vt aliqui antiqui Philosophi, (teste Arist. 1. Metaph. cap. 3.) affirmauerint totam substantialitatem compositi à materia prouenire, ita vt sicut statua facta ex ligno, & scabellum solum accidentaliter differunt ratione formæ accidentalis, nempe figuræ, tamen secundum materiam sunt substantialiter idem; ita illi qui asserbant, aquam esse vnum principium rerum naturalium, consequenter affirmabant, aquam solum distingui à ferro, quia ferrum est illa materia aquæ plus condensata, quæ condensatio accidens est. Quam autem falsa sit hæc sententia, dicemus infra. Suppositum autem nostrum certissimum est, tum quia Sancti Patres illum admittunt, Basilii nimirum, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Beda, & alij, quos refert Masius in præfenti, cap. 9. sect. 2. q. 1. tum etiam, quia hæc est communis sententia omnium Scholasticorum cum Magistro in 2. dist. 12. ibidem Doctor q. 1. & 7. Metaph. q. 5. & 1. *Physicorum* q. 19. 20. & 24. & 2. *Physicorum* q. 7. quod ratione probatur, quia, vt communis opinio fert, ex nihilo nihil fit naturaliter; ergo tam formæ substantiales, quam accidentales ex aliquo subiecto fiunt. Tunc sic, Hoc subiectum accidens non est, quia supponeret aliud subiectum cui inesset, & sic in infinitum; ergo debet dari aliquod subiectum primum corruptionis & generationis entis naturalis. quod fundamentum ita constans esse affirmant Conimabrigenses in præfenti cap. 9. q. 1. & Pater Suarez 1. Metaph. disp. 13. sect. 1. n. 4. quam est euidens dari substantialis mutationis. quod idem notauit Doctor in 2. dist. 12. q. 1. n. 6.

Materiam primam Arist. in hoc

cap. textu 28. cui subscribit *Pesipathetica* schola, sic definit, *est primum materia subiectum, ex quo aliquid fit cum insit primo & per se, & non secundum accidens.* quam definitionem sic intellige: dicitur *primum subiectum*, quatenus dicit negationem alterius materiæ prioris, quæ ipsi supponatur: vnde etiam compositum in quantum receptiuum accidentium dicatur materia, dicitur tamen materia secunda, quia supponit aliam priorem componentem ipsam: *subiectum* ibi ponitur loco generis, in quo materia prima & secunda communicant. nam vtraque subiectum est materia prima respectu formæ substantialis, cum qua componit compositum substantiale: hoc autem respectu accidentium recipiendo ipsa. Per *ly ex quo aliquid fit*, causæ extrinsecæ excluduntur, quia non sunt ex quibus compositum fit, sed quæ efficiunt, vt efficientes, vel propter quas aliquid fit, vt finales. Eadem particula excluditur forma substantialis, quæ non est ex qua compositum fit, sed per quam: per *ly, cum insit*, excluditur priuatio, ex qua non fit aliquid tanquam ex parte componente, sed vt à termino à quo: per *ly primo & per se, & non secundum accidens*, denotatur, causatum ex materia prima non esse vnum per accidens, sed per se compositum.

ARTICVLVS II.

Aliquibus dictis explicatur quidditas, & natura materie prima.

Dico primo. Materia prima est ens reale. Probatur. nam aliàs sequeretur formas substantialis creati. Probo sequelam de ratione rei generatæ, & in hoc distinguitur à facta per creationem, est quod fiat ex præsupposito

Definitur materia prima.

Certissimum est à materia primam.

Conclusio prima materia prima est ens reale.

posito subiecto: sed si ista materia non esset quid reale, nullum daretur subiectum in re, ex cuius potentia educeretur forma; ergo omnes formæ fierent per creationem, & ex nihilo, quod est absurdum. Vnde omnes facteri debent materiam saltim sub forma existentem habere aliquam entitatem forma realiter distinctam. tenet expressè Philosophus 8. Metaph. text. 3. & 12. Metaph. text. 14. & 2. de anima text. 1. & alibi sæpius, ubi dividit substantia completam in materiam & formam; ergo istæ realiter distinguuntur, aliàs forma nec posset separari à materia, nec ex ea fieri, quia ex nihilo nihil fit. legantur Suarez disp. 13. Metaph. tom. 1. sect. 4. ubi pluribus auctoritatibus Philosophi hanc apertissimam veritatem confirmat.

Dico secundò. Materia prima est pars essentialis, & substantialis corporis naturalis. docuit Arist. 2. de anima cap. 1. D. Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 30. Scotus in 3. dist. 22. q. vnica, & 1. Physicorum q. 20. & 24. & 2. Physicorum q. 7. & 7. Metaph. q. 5. per totam; Philippus Faber theoremate 28. S. Thom. 1. part. q. 75. & probatur, primò, quia si materia prima non est substantia; ergo accidens: sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur, quia inter substantiam & accidens non datur medium. Secundò omne accidens dicit ordinem ad subiectum illi præsuppositum; ergo debet dari aliquod primum subiectum substantiale, quod nõ præsupponat aliud, aliàs daretur processus in infinitum. Tertio materia prima est pars compositi substantialis; ergo nequit esse accidens, sed substantia. Quarto materia informatur substantiali formæ, quæ est altera pars substantialis corporis: sed substantia nequit informare accidens; ergo materia prima est substantia.

Dico tertio. Materia & forma sunt primò diuersa, realitèrque distinguuntur. Probatur primò. nam illa realiter distinguuntur, quæ possunt per aliquam potentiam separari. Sed materia prima ex dicendis diff. 4. potest supernaturaliter existere sine forma, imò de facto modò est sub hac, modò sub illa. quod in anima rationali clariùs patet, quæ à suo corpore separata non corrumpitur; ergo realiter distinguuntur. Quodd essentialiter distinguuntur patet. nam habent diuersas definitiones & passiones, est enim materia pura potètia: forma autem actus formalis, materia est ingenerabilis & incorruptibilis. Forma præter animam rationalem generatur & corrumpitur; ergo essentialiter distinguuntur. quæ omnia optimè probat Doctor in 2. d. 12. q. 1. n. 16. his verbis, sequitur secundò videre quomodo materia realiter distinguitur à forma, ubi dico quòd sunt omnino alterius rationis & primò diuersa. quòd probo sic, Actus & potentia, quæ sunt principia entis, sunt primò diuersa: materia & forma sunt huiusmodi; ergo. Si enim forma esset eiusdem rationis cum materia, non competere sibi dare esse: & si materia esset eiusdem rationis cum forma, non competere sibi recipere esse. Si etiam aliquid forme includeretur in materia, forma quantum ad hoc non esset apta nata recipi, sed magis recipere: & sic forma non esset primum receptum, sed aliquid eius esset non receptum, sed receptiuum; eodem modo si aliquid materia esset inclusum in forma, ipsa non esset primò receptiuum, sed recepta quantum ad aliquid sui. Sic igitur sunt omnino alterius rationis, & primò diuersa inter se.

Quomodo igitur ex quo sunt duo principia distincta & primò diuersa, possunt constituere aliquid unum simpliciter? Dico quòd quanto aliqua sunt magis distincta & diuersa formalitèr, tanto sunt magis disposita ad faciendum per se unum; quia

6.
Conclusio
tertia.

Materia
& forma
sunt
prima
di-
uersa.

5.
Conclusio
quarta.
Materia
prima est
pars es-
sentialis
compositi
substan-
tialis.

in illa constitutione non requiritur similitudo in natura, sed proportio conueniens, que potest esse inter primò diuersa.

7. Hanc etiam veritatem ab inconuenienti possumus probare, quia materia Christi Domini eadem fuit in triduo mortis post separationem animæ, quæ erat ante mortem, nam partem quam semel assumpsit, nunquam dimisit: sed si materia non haberet aliquam entitatem actualiter distinctam à forma, istæ partes post Christi mortem non possent vnitz verbo durare, quod est cõtra fidem, vt docent communiter Scholastici cum Magistro in 3. d. 12. ergo dicendũ est materiam & formam esse primò diuersas. Idem confirmatur, quia si quis Sacerdos in triduo mortis Christi consecraret panem, in Christi corpus illum transubstantiaret; ergo materia habet entitatem seclusa forma durantem.

8. Dico quartò. Materia prima est vna tantũ, & nõ quadruplex. Probat Arist. contra Empedocle, affirmantẽ omnia mixta ex quatuor elementis, tanquam ex causis materialibus componi, cuius sententiæ falsitas hac ratione conuincitur, quia videmus vnum elementum mutari in aliud, v.g. ignẽ in aẽrẽ, aẽrẽ in aquã; ergo debet dari aliquod subiectũ illius transmutationis ab ipsis elementis distinctũ, aliàs vna forma non posset alteri succedere; sed esset annihilatio vnus elemẽti, & noua creatio alterius, si nihil præcedentis maneret, ex quo sequẽs produceretur: hoc autẽ quod restat est materia, quæ est subiectũ corruptionis & generationis; ergo.

9. Dico quintò. Materia prima est substantia incompleta & natura sua ordinata ad cõponẽdũ cum forma corpus naturale, quod substantia cõpleta est, & per se vna. probat Suarez 1. Metaph. d. 13. sect. 3. n. 5. primò ex Arist. asserẽte materiã primã per se in esse cõposito; ergo non est ens completum, sed pars

illius. Secundò probatur, omne quod actuatur, informatur & in suo esse perficitur per formas substantiales, nõ est perfectè completum & subsistens: sed materia prima perficitur & actualiter diuersis formis substantialibus; ergo non est completa, nec vltimò perfectã in esse substantiali.

Dico sextò contra Anaxagoram, materiam non esse quid conflatum ex pluribus indiuisibilibus corpusculis, seu atomis. Probat, nam ex hac sententia tolluntur generationes substantiales; dicebat enim iste formas naturales esse accidentales & artificiales, seu figuras quasdam ex vario situ & ordine atomorum resultantes. Secundò intelligibile est tam varia corpuscula habentia condiciones repugnantes in singulis rebus intimè coniungi, neque explicabile est quomodo res, seu composita ex istis corpusculis componi queant.

Dico septimò. Materia prima non est composita ex aliqua forma substantiali, & substantiali potentia. tenet Doctor in 2. dist. 18. quæst. vnica, contra Albertum Magnum, & Enricum quodlib. 4. quæst. 14. asserentes in materia prima esse formam substantialem cõuam illi, quam appellabant formam corporeitatis, seu rationem seminalem, siue inchoationem formarum, quia ex illa educbantur omnes formæ tanquam ex seminario & radice; addũtque quòd licet hæc forma sit imperfecta, coagit tamen generanti extrinseco in generatione cuiusuis rei. sic refert illum Scotus vbi suprà, & Philippus Faber theoremate 26. cap. 1. tenet nostram sententiam Augustinus 3. de Trinit. cap. 7. Gregorius Nissenus oratione 3. de resurrectione. Alens. 2. part. q. 60. m. 2. 3. D. Bonau. hinc art. 1. q. 2. Ricard. a. 1. q. 3. Durand. q. 2. D. Thom. 1. p. q. 115. art. 2. Her. hinc q. vi. art. 3. Capr.

10. Conclusio sexta. Materia prima nõ conflatur ex pluribus corpusculis.

33. Conclusio septima. Materia prima nõ componitur ex potentia & forma substantiali.

Conclusio quinta. Materia prima est substantia incompleta.

Capreol. 1. distinct. 42. quæst. vnic. artic. 3. Conimbricens. 1. Physicor. cap. 9. quæst. 12. artic. 6. & 1. de generat. cap. 4. quæst. 26. artic. 1. Probari solet hæc assertio quòd si materia habet formam substantialem cœquam, sequeretur esse alterius forme incapax: nam duæ formæ non possunt naturaliter simul eandem numero informare materiam; quæ ratio inefficax est. nam, vt dicemus 1. de generatione cum Doctore in 4. dist. 11. quæst. 3. artic. 1. in eadem materia est forma corporeitatis cum anima rationali. nam illa est imperfecta & in potentia ad animam. Efficacius autem probari potest, & supposito quòd illa forma æterna existens in materia est eiusdem rationis cum forma adueniente, vt dicunt aduersarij, sic argumentor, primò agens quòd in virtute sua actiua continet eminenter formam perfectiorem, continet etiam minus perfectam eiusdem rationis; ergo sicut perfectior generatur ab agente, sic etiam imperfectior; ergo superflue ponitur hæc ratio seminalis, seu forma cœqua materiæ. Confirmatur, quia in materia nullum expectimur effectum, ex quo talem formam materiæ cœquam colligamus; ergo sine fundamento ponitur. legitur Doctorem vbi supra, & Fabrum, qui pluribus rationibus hanc antiquatam refutant opinionem.

Obiicies generationem esse productionem ex aliquo sui præsupposito: sed omnes formæ, vna demta animæ rationali generantur; ergo supponunt aliquam rationem seminalem, seu inchoationem sui in materia, alias omnes formæ crearentur. quòd est absurdum. Resp. distinguendo maiorem ex aliquo sui, tanquam forma inchoata nego, tanquam causa materiali ex qua educatur forma concedo.

Vnde ad hoc quòd aliqua productio sit generatio, sufficit quòd fiat ex præsupposita materia, non tamen est necessarium quòd præsupponatur aliquid formæ.

Obiicies secundò, violentum est, cuius principium est extra, non conferente vim passio, ex Arist. 3. Ethicorum; ergo passum naturale è contra erit quòd non mouetur totaliter ab extrinseco, sed ipsum passum aliquam vim confert: sed nihil potest in materia conferre talem vim ad recipiendas formas, nisi hæc forma; ergo. Resp. quòd Arist. sic debet intelligi, motus violentus est quòd fit à principio externo passio non conferente vim, scilicet passio non præbente inclinationem ad talem motum, sed potius repugnantiam, vt patet in motu aquæ sursum, quam inclinationem non habet materia à forma, sed à se.

Dico octauò, materia prima fuit producta à Deo per creationem. tenet Doctor 7. Metaph. quæst. 10. vbi resoluit rationes dubitandi, quas quæstione 8. argumentationis gratia proposuerat, quòd etiam supponit in 2. dist. 12. quæst. 1. §. sequitur, num. 16. & 1. Physicor. quæst. 20. ibidem Arctinus. est communis sententia omnium Theologorum. Ratio est conspicua, quia si materia non creatur; ergo fit ex aliquo præsupposito subiecto; ergo iam materia non esset primum subiectum, cuius contrarium ostendimus art. 1. Quòd autem hæc creatio fiat à Deo, patet. nam secundum omnes Theologos solus Deus est causa principalis creationis, vt notauit Doctor in 2. distinct. 18. num. 4. Imò nec instrumentaliter potest attingi ab aliqua creatura, vt probat Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1.

Ex dictis facile intelligere possu-

12.
Obiectio
secunda.

Enodatur.

13.
Conclusio
eterna.
Materia
prima
fuit
producta
per
creationem.

14.

Materia pluribus modis à Philosophis appellatur.

prima ab aliquibus authoribus appellatur; dicitur enim *chaos*, *mater*, *matrix*, *turpis*, *malefica*, seu *adultera*, per se ignota, *tenebra*, & *propè nihil*. Dicitur ergo *chaos*, ab antiquioribus Poëtis, ab Hesiodo scilicet, & Orpheo, item à Magistro, in 2. distinct. 12. eo quòd confusè rerum omnium formas respicit. Vocatur *mater*, quatenus est principium passiuum generationis. *Matrix*, quia suo gremio fouet, & conseruat singulas formas. *Turpis*, seu *incomposita*, vt notauit Angelicus Doctor 1. part. quæst. 66. artic. 1. quia ex se est pura potentia, carens omni decore, qui est per actum formalem. *Per se ignota*, vt docuit Aristoteles 8. Metaph. lect. 1. & notauit Doctor in 2. dist. 12. quæst. 1. num. 20. & 1. *Physicorum* quæst. 20. vbi probat quòd licet materia ex se sit cognoscibilis; de facto tamen magis cognoscibilis fit per formam, propter quod etiam *tenebra* appellatur. Tandemque dicitur *esse propè nihil*, vt loquitur Augustinus 12. Confessionum, quia in genere substantiæ est minima entitas excogitabilis.

DIFFICULTAS II.

Utrum materia prima ita sit pura potentia, vt nullum includat actum entitatum.

15. **P**RO intelligentia tituli quæstionis notandum est cum Doctore in 2. vbi supra. §. est igitur, num. 10. & in 4. dist. 11. q. 3. §. quidquid sit de opinione. vers. & quando arguitur, n. 11. & lib. 7. Metaphysicæ q. 5. n. 3. & in expositione libri tertij, summa 1. cap. 1. num. 92. & 1. *Physicorum* quæst. 20. potentiam quantum ad præsens institutum du-

plicitèr posse considerari, obiectiuè scilicet, & subiectiuè. Potentia obiectiua dicitur illa, secundum quam res quæ nondum existit, dicit ordinem ad existendum, in qua potentia modò est Antichristus, qui licet non sit productus, potest tamen produci. Potentia subiectiua dicitur capacitas alicuius rei existentis in ordine ad formam, qua potest in aliquo genere actuari, & perferri: sic est paries respectu albedinis, lignum respectu ignis. Huic potentiæ responderet alius duplex actus, quorum vnus dicitur entitarius, qui idem est quod essentia actualis rei, correspondens ipsi potentiæ obiectiuæ. Alius dicitur formalis, seu informans, & correspondet potentiæ subiectiuæ: sic albedo respectu parietis dicitur actus formalis, quia paries est subiectum capax talis informationis. Difficultas ergo non procedit de potentia subiectiua, quia ex dicendis infra fatentur omnes materiam primam non solum esse subiectum capax formarum, imò eas innato appetitu appetere; solum est difficultas vtrum materia prima ita sit pura potentia, vt nullum habeat actum entitatum obiectiuæ potentiæ correspondentem? Nec modò disputo vtrum iste actus distinguatur ab existentia, quia de hoc erit specialis controuersia articul. 3. huius difficultatis.

Potentia alia subiectiua, alia obiectiua.

ARTICVLVS I.

Explicatur sententia Thomistarum:

SANCTUS THOMAS 1. part. quæst. 7. 16. artic. 2. ad 3. & 1. contra Gentes c. 43. & 1. p. q. 66. art. 1. & q. 155. art. 1. ad 2. & alibi sæpè, quem sequuntur, Capreolus, Ferrara, Caietanus, Bañes, Fonseca, Conimbricens. in hoc libro. quæst. 9.

Sententia Thomistarum.

quaest. 9. art. 1. & 2. Mafius in praesenti, cap. 9. sect. 2. quaest. 6. Ruu. tractatu de materia quaest. 2. affirmant materiam primam ita esse puram potentiam, ut nullum prorsus includat actum. Fundamentum istius sententiae desumitur ex Philosopho, qui pluribus in locis inferius allegandis, affirmat, materiam esse potentiam ab omni actu distinctam, & quod magis est, nullibi aliquem actum ei concedit; ergo est omnino potentia, omnem actum excludens. Si tamen eis dicas materiam esse extra causas, partemque compositi naturalis, concurrereque ad generationem; ex una parte negant habere aliquem actum, & ex alia inuiti concedunt, hanc materiam non esse omnino nihil, & extra causas; sed habere aliquod esse potentiale distinctum ab esse obiectiuo, quod nequit appellari actus, & quod magis est, aliqui Thomistae concedentes existentiam materiae primae, eidem negant actum entitatum, quem modum dicendi fatetur subtilissimus Doctorum in 2. ubi supra, num. 16. manifestam importare contradictionem, cuius haec sunt verba, *Dico igitur quod mihi est contradictio quod materia sit terminus creationis & pars compositi, & quod non habeat aliquod esse; cum tamen sit aliqua essentia. Quod enim aliqua essentia sit extra causam suam, & quod non habeat aliquod esse quo sit essentia, est mihi contradictio.*

Vnde verissimum censeo, quantum ad istam partem non esse controuersiam inter sanctum Thomam & Scotum. nam uterque fatetur, materiam primam esse extra causas, seu non esse puram negationem, quod ostendemus inferius; solum ergo poterit controuerti, utrum istud esse actuale sit existentia rei, quod fatetur Scotus, & negat D. Thom. an verò aliquis actus

essentialis distinctus ab existentia, quod non obscure insinuauit Angelicus Doctor 1. parte quaest. 7. artic. 2. ad secundum, ubi loquens de isto actu haec habet, *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia.* Vbi solum actum existendi videtur negare materiae primae. Sententiam istam alio modo intellectam pluribus argumentis intendunt corroborare aduersarij, quae quia magis oppugnant nostram sententiam, quam probant, istam inferius proponemus.

ARTICVLVS II.

Explicatur vera sententia.

VEra sententia & nobis tenenda docet, materiam primam non esse puram potentiam obiectiuam, sed includere aliquem actum tali potentiae correspondentem. Dicit itaque haec sententia, materiam primam esse in actu; hunc autem non comparat ad potentiam subiectiuam, secundum quam materia est actuabilis formaliter in ordine ad compositum, sed comparat ad obiectiuam potentiam, & per eum dicit materiam transire de non esse ad esse, quod ita certum est, ut potius demonstratio, quam veritas probabilis videatur. tenet Doctor locis in principio difficultatis citatis, quem sequuntur omnes eius interpretes, Rada 2. controuersiarum controuersia 12. artic. 2. Faber theoremate 22. ex Thomistis, Toletus in hoc libro quaest. 13. Pererius 5. Physicorum cap. 13. Suarez disput. 13. Metaphysicae sect. 4. num. 9. Ricardus & Nominales, Murcia disput. 5. quaest. 3. Plaza disput. 4. quaest. 3. & probatur. Materia prima ex se, & non à forma habet esse actuale; ergo non est in

17.
*Materis
prima
habet
actū en-
sitatiuū.*

potentia

potentia obiectiua. Probatur antecedens, materia prima nullo intellectu considerante, & vt distincta realiter à forma habet esse actuale; ergo & actum entitatum, ac per consequens non est pura potentia. quem modum explicandi satis apertè docuit Doctor vbi suprà, quem si legisset Ruuius, non sibi tribuisset istam explicationem, & hanc opinionem ab antiquis satis confusè traditam existimaret. Respondent aliqui Thomistæ, concedendo materiam primam, dum constituit compositum physicum esse re ipsa realem entitatem, quæ sit potentia; negant tamen eam secundum se, & sua essentialia præcisè consideratam esse ens in actu, quia tantum est pura potètia receptiua nihil actus includens. ita quidam recentiores disput. 3. de materia prima, quæst. 2. §. 3. num. 18. Sed hæc solutio potius est æquiuocatio verborum, quam solutio nostri argumenti. Nam si ipsi fatentur, materiam primam esse ens in re; ergo nobiscum consentiunt dum affirmant non esse puram potentiam obiectiuam. Quod autem materia sit pura potentia carens omni actu formali, nos non negamus, imò supponimus tanquam certissimum esse puram potentiam subiectiuam, seu omni actu formali carere.

Probatur secundò nostra conclusio, quia alioquin omnis generatio esset creatio, & omnis corruptio annihilatio, quoniam per productionem tota forma producitur, & per corruptionem tota perit; si ergo materia prima totum suum esse haberet à forma, generatio esset productio totius esse, & corruptio decisio eiusdem, quandoquidem aliud esse non inueniretur in materia propter esse formæ, & sic omnis actio, vel esset

creatio, vel annihilatio, quod est absurdum.

Tertiò forma non constituit aliquid in esse essentiali, seu actuali, nisi componendo per modum actus: sed forma non componit materiam, quia hæc est simplex; ergo realis entitas materiæ non est à forma. Hanc autem materiam realem & actualem esse, optimè probat Doctor vbi suprà, §. dico igitur, num. 11. quia materia est per se vnum principium naturæ, ex 1. *Physicorum* textu 52. & ex 2. *Physicorum* textu 7. & per se causa intrinseca compositi, ex 7. *Metaphysicæ* text. 28. Item est per se fundamentum formarum, ex 1. *Metaphysicæ*, & per se subiectum generationis, seu mutationum substantialium, ex 5. *Physicorum*, & per se causa compositi, ex 2. *Physicorum*. Tandem secundum omnes Theologos creationis terminus. Igitur (concludit Scorus) sequitur quod est aliquid non in potentia obiectiua tantum, vt probant omnes rationes supradictæ: sed oportet tunc quod sit in potentia subiectiua existens in actu, vel actu (non cura quodcumque dicatur) secundum quod omne illud dicitur esse actu, vel actus, quod est extra causam suam; cum enim sit principium & causa entis, oportet necessariò quod sit aliquid ens, quia cum principiatum & causatum dependeat à causa sua, & à principio suo: si esset nihil, vel non ens, dependeret ens à nihilo, vel non ente, quod est impossibile.

Respondent aliqui Thomistæ materiam primam ex dicendis infra in eorum sententia existere existentia totius, ad productionemque ipsius comprodaci: vnde sicut non habet proprium actum distinctum ab actu totius, ita nec propriam potentiam obiectiuam, sed per potentiam obiectiuam totius dicitur possibilis: vnde

fatis

fatis erit si actuetur per formam substantialem, & vnà cum toto in rerum natura ponatur. Sed contrà est ex supradictis quòd dato gratis quòd existeret existentia totius, nihilominus ei negari non potest aliqualis actualitas, secundum quam & sit terminus creationis, & subiectum corruptionis & generationis. Confirmatur, nam ipsi fatentur formam existere existentia totius, & nihilominus ei concedunt aliquem actum, secundum quem & possit esse extra causas, & actuare materiam: ergo verum est actum istum materiae esse minimum actum, quia solum est metaphysicus omni physica actualitate carens, quòd fateatur S. Thom. quaest. 3. de veritate art. 5. ad primum, vbi hæc habet, *licet materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio prima forma; quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis.* Dicere autem debile esse habere materiam, non est negare ipsi omnem actualitatem, sed actum formalem dantem esse completum physicum rebus.

ARTICVLVS III.

Satisfit aliquibus obiectionibus, quibus nostra oppugnatur sententia.

10.
Obiectio
prima.

Obiiciunt primò contra nos aduersarij plures Philosophi auctoritates. Nam primo de generatione textu 1. & 23. relatus à Doctore vbi supra num. 12. arguit contra illos qui ponebant subiectum generationis, sine materia aliquòd corpus in actu, quia tunc generatio secundum Philosophum non esset nisi alteratio, quia omne quòd aduenit enti in actu est accidens: igitur eodem modo hic, si materia sit de se aliqua entitas in actu, vel actualiter distincta

contra formam, & solum diceretur ens in potentia, quia receptiva actus completi speciei; quidquid igitur adveniret, constitueret unum ens per accidens cum eo: tolleretur igitur omnis mutatio substantialis per hunc modum. Cui obiectioni num. 13. sic satisfacit, *Respondeo ut prius, quòd materia dicit emittatem aliquam positivam extra intellectum & causam suam, secundum quam emittatem, est capax formarum substantialium, quae sunt actus simpliciter. Unde oportet vel quòd res generabilis & corruptibilis sit omnino simplex, ut forma, vel componatur ex aliquo & nihilo, vel sit compositum ex aliquo & aliquo. Primum est absurdum, scilicet quòd generabile sit simplex, & contra hoc sunt rationes superius factae. Secundum etiam est impossibile, scilicet quòd aliquid componatur ex nihilo & aliquo: igitur sequitur necessario tertium, scilicet quòd aliquid componatur ex aliquo & aliquo, sicut ex materia & forma. Non est autem inconueniens quòd in composito sit aliquid & aliquid: sicut non est inconueniens quòd aliquid sit compositum. & n. 15. subdit, *Cum autem dicis quòd generatio esset alteratio, ut probatur per Aristotelem contra antiquos, dico quòd antiqui ponebant corpus habens formam substantialem esse materiam & subiectum generationis, ut patet primo de generatione. Alij scilicet terram, & c. & sequitur quòd faciebant omnem generationem alterationem: sed in proposito non pono quòd materia sit actuata & distincta per aliquam formam substantialem.**

Soluitur.

Obiiciunt secundò, eundem Philosophum 8. Metaphys. textu 3. afferentem materiam nõ esse ens in actu, sed potentia tantum; ergo respondet Doctor num. 11. *materiam dici ens in potentia, quia quanto aliquid habet minus de actu, tanto magis est in potentia; & quia materia est receptiva omnium formarum substantialium & accidentia-*

Obiectio
secunda.

Diluitur.

lium; ideo maximè est in potentia respectu earum: & ideo definitur per esse in potentia secundum Aristotelem. Non enim habet actum distinguentem, vel diuidentem, vel receptum, vel informantem & darentem sibi esse specificum. Ex quo tamen est receptivum istius actus presuppositum, & est causa compositi, non potest esse nihil, quia nihil non est alicuius receptivum. Quod idem est ac dicere secundum Philosophum materiam esse puram potentiam, non obiectiuam, sed subiectiuam.

Obiectio
tertia.

Obiiciunt tertio, aliam auctoritatem ex primo *Physicorum* textu 69. ubi Philosophus docet, materiam primam se habere ad res naturales, sicut corpus ad artificiales: sed corpus est in pura potentia ad formas artificiales; ergo materia prima ad substantiales. Resp. hoc argumentum fauere nostræ sententiæ. nam sicut non obstat actualitas corporis, ut indifferenter respiciat quasilibet formas artificiales: sic etiam non obstat potentia subiectiuæ materiæ actus entitativus illius.

Enodatur.

21.
Obiectio
quarta.

Ratione etiam obiiciunt quarto, ex duobus entibus in actu non fieri vnum per se: sed materia prima & forma sunt entia in actu; ergo non possunt causare vnum per se. Resp. Doctor num. 15. *Dico quod si accipias esse actu ut distinguatur contra potentiam, secundum quod actus & potentia diuidunt totum ens sic. Dico quod materia potest dici in actu, & licet non dicatur actus, qui. Nus habet eam distinguere & denominare: posset tamen dici actus secundum quod Aristoteles accipit actum in 6. & 8. Metaphysicæ textu 4. Si tamen actus diuidatur contra illud quod recipit actum, sic materia non est actus, quia est primum receptivum actus: tale autem oportet esse denudatum ab omni actu, quia est distinguibile per omnem actum, ut sic possit esse pars omnis entis. Cum igitur dices quod*

Resoluitur.

ex duobus entibus non fit vnum, dico quod falsum est quando vnum est in potentia ad aliud: & similiter dicendum est de esse & esse. Vnde Aristoteles 9. Metaphysicæ textu 1. necnon 6. eiusdem Metaphysicæ diuidens ens in actum & potentiam, non diuisit hoc ens in rem possibile, & eandemmet existentem, ut optimè notauit Suarius in Indice suæ Metaphysicæ, quia hæc non esset partitio entis in diuersas res, aut entia, sed in diuersos status eiusdem rei.

Obiiciunt quinto, materiam non esse puram potentiam; ergo est composita ex potentia & actu, vel aliquis actus. Primum est falsum, quia iam daretur aliqua potentia prior ipsa materia, si est actus vel informans, vel subsistens. non informans, nam iam daretur subiectum materiæ prius, quod est falsum: non subsistens. nam hoc est entis completi: materia autem est ens incompletum; ergo. Resp. materiam non esse compositum physicum, quod constat materia & forma: sed metaphysicum, non ex genere & differentia, ut minus bene quidam acoticus Scotista aliàs ingeniosissimus in hoc libro q. 2. existimauit, aliàs materia prima poneretur in recta linea prædicamentali, quod impugnauimus in Logica q. 12. difficul. 1. art. 4. opusc. contra Doctorem in 2. dist. 1. q. 5. §. dico tertio. *versita dico, sed ex essetia & eius actualitate. Vnde non sequitur esse aliquam potentiam subiectiuam priorem materiæ, etsi concedamus potentiam obiectiuam, huic actui entitativo correspondentem.*

Obiicitur sexto ex subiecto & accidenti fieri vnum per accidens, quia sunt actualiter entia; ergo si materia & forma sunt entia in actu, fiet vnum per accidens, vel si ista componunt ens per se, etiam illa. Resp. Doctor n. 13. *Quando ergo quaritur, quare hoc compositum*

22.
Obiectio
quinta.

Enodatur.
Materia
prima
componitur
metaphysicè,
non physice.

23.
Obiectio
sexta.

Resoluitur.

tum est per se unum? intellige constans ex materia & forma) non est reddenda alia causa, nisi quia habet talem formam qua est per se ens; ideo per se unum, & ita de composito, non est alia causa reddenda: & ideo sicut ens per se potest esse simplex, & compositum: sic nec repugnat per se passioni entis, scilicet sua unitati, esse simplex, vel composita.

Infirmia. Sed dices, tu bene assignas rationem unitatis ex parte totius, quia scilicet, totum ideo est per se unum, quia habet talem formam, & aliud est per accidens unum propter talem formam. Sed quare de partibus compositi, unde habent quod ista dant esse per se unum, & alia non?

Præclarior. Respondeo, Philosoph. 8. Metaph. querit, quare aliquid est unum, & dicit quod simplex est unum; quia statim est id quod est, sed in composito est dare aliquam rationem; & nesciuit Philosophus aliam dare, nisi quia hoc est actus, & illud potentia: ita quod hoc est potentia essentialiter receptiva secundum totum genus suum, & illud actus essentialiter perficiens aliud: & ideo ex his fit unum per se, scilicet ex materia & forma: non sic est de subiecto & accidente, quia enim tam materia, quam forma sunt causa intrinseca entis compositi, ideo faciunt per se unum; albedo vero & homo non sunt causa intrinseca, quia homo in ultima actualitate sua potest esse sine albedine: & ideo nec per se habet potentialitatem ad albedinem, & ideo tantum faciunt unum per accidens. Aliqua etiam constituunt unum tantum aggregatione, ideo posset esse unum aggregatione; aliqua etiam sunt unum unitate ordinis, quia scilicet ordinantur ad unum.

Obiectio septima. Obiicies septimò materiam nullam habere operationem; ergo neque actum, quia omnis actus est principium alicuius operationis. Resp. negando consequentiam, quia actus specierum completatum est principium operationum, actus vero materiæ est

propter receptionem, nam vnaquæque res est propter id quod continet in potentia; materia verò nõ continet operari, sed recipere, atque aded nõ est principiu operationis, sed receptionis.

Obiiciunt octauò Conimbricenses, actum istum entitativum fuisse Aristoteli ignotum; ergo sine fundamento fingitur Resp. hunc actum non latuisse Aristotelem, imò illum multis in locis supponit, præcipuè 7. Metaphysicæ textu 49. vbi ait omnem distinctionem fieri per aliquem actum: sed materia habet distinctam entitatem à forma; ergo & distinctu actum.

24.
Obiectio octava.
Responso.

ARTICVLVS IV.

Verum iste actus entitativus distinguitur ab existentia.

SI verum est quod art. 1. insinuaui-
Smus, scilicet S. Thomam aliquem actum distinctum ab existentia concedere materiæ primæ, consequenter non idem intelligere per existentiam & istum actum, affirmandum est. idem debet asserere Ruu. tractatu primo de materia prima, quæst. 3. vbi fatetur materiam habere existentiam, cum quæst. 2. negauisset habere actum entitativum. idem sentit Fonseca citandus & Conimbricenses. Communiter tamen Thomistæ pro eodem vsurpant actum entitativum & existentiam, & ita sicut affirmant materiam existere per existentiam totius, ita omnem eius actum dependere à forma & à composito. ita Boëtius opusculo de unitate & vno, D. Bonauent. in 2. dist. 22. Capreolus ibidem, dist. 13. quæst. 1. Caietanus de ente & essentia cap. 5. quæst. 8. Ferrara 1. contra gentes cap. 4. & 1. Physicorum quæst. 11. Soncinas 7. Metaphys. quæst. 17. & lib. 8. quæst. 1. Iauel. 5. Metaphys. quæst. 3. & lib. 8. quæst. 1. & tandem hæc fuit constans & perpetua sententia in schola

25.

Actus entitativus materiæ & existentia eiusdem sunt omnino illi.

D. Thomæ. Quod eisdem probant fundamentis & rationibus, quibus supra probabant, nullam habere actum.

26.
Notandum.
Existentiã res formaliter habet esse.

Pro clariori autem huius articuli intelligentia, notandum est cum Doctore in 3. dist. 6. quæst. 1. & communi sententia, existentiam esse illud, quo formaliter res habet esse in actu in rerum natura extra causas & intellectum; res enim creata dupliciter potest considerari. Primò antequam sit producta, & tunc dicitur habere esse in causis, vel esse in potentia obiectiva, quod esse non est esse actuale eius, sed vel esse causatum, vel ipsamet creatura, ut concipitur à Deo possibili fieri, per aliquam potentiam. legatur Doctor in 1. dist. 33. §. *hic*, n. 2. & deinceps, Rada controuersia 29. per totam. Secundò consideratur, ut producta iam in rerum natura, & tunc dicitur habere esse actu extra causas, quod esse actuale habet formaliter per existentiam.

Secundò supponendum est ex communi omnium Scotistarum sententia contra antiquos Thomistas, relatos à Suarez disput. 3. 2. sect. 1. num. 3. essentiam actualem non distingui realiter ab existentia, sed esse idem cum ipsa, imò nec formaliter distingui, dicemus contra aliquos Scotistas, ex mente Doctoris in Metaphysica. ab essentia actuale, inquam, quia certum est existentiam distingui ab essentia possibili tanquam non ens ab ente.

27.
Materia prima habet existentiam non distinctã ab actu entitatiuo eiusdem.

Dicendum ergo est existentiam non distingui ab actu entitatiuo, ex mente Doctoris, sed esse omnino idem, colligitur manifestè ex locis superius traditis, & in hoc sensu ipsam intelligunt omnes Scotistæ, eum sequuntur quantum ad hoc quod est concedere existentias, Henricus quodlibeto 1. q. 1. & quodlib. 4. q. 16. Gregorius & Gabriel in 1. dist. 12. q. 2.

Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. 4. & 3. parte q. 6. disp. 17. sect. 2. Pererius lib. 5. Physic. cap. 12. Fonseca 1. Metaphysic. cap. 7. q. 3. sect. 8. Toletus primo Physicorum q. 3. Molina 1. parte q. 3. art. 4. disput. 2. Pater Vasquez 1. parte tomo 1. disp. 74. num. 9. & tomo 2. disp. 174. num. 19. Ruu. in præsentii tractatu de materia. est iam communis in scholis. Quæ veritas non solum fundamentis quibus actum entitatum probauimus, declaratur, sed etiam aliis efficacissimis rationibus confirmari potest. Primò existentia ex iam suppositis non distinguitur ab essentia actuale: sed articulis præcedentibus ostendimus habere aliquè actum, seu esse actuale; ergo & existentiam. Secundò sicut generatio ex 3. Physicorum textu 7. terminatur ad existentiam; sic creatio: sed materia prima producitur per creationem; ergo habet existentiam, per quam terminet actionem creatiuam. Confirmatur. nam existere nihil aliud est, quàm extra causas sistere: sed creatione materia ponitur extra causas; ergo existit. Tertio arguitur, si materia existeret existentia formæ materialis; ergo materia producitur & conseruatur ab agenti naturali creato, quod nullus Philosophorum concedet. Probatum consequentia, quia res ab eodem existit, producitur & conseruatur: sed forma materialis producitur ab agente creato, & quid creatum est; ergo, si materia existit & conseruatur à forma, ab agente creato producitur & conseruatur: sed agens creatum nequit create naturaliter, imò nec de potentia absoluta, secundum Doctorem in 4. dist. 1. quæst. 5. §. *contra istam opinionem*, num. 4. ex dictis supra materia creatur; ergo non potest dependere in sua existentia & conseruatione à forma quæ quid creatum est.

Obiicies

28. *Obiectio prima.*
 Obiicies Aristotelem primo Metaphysicæ cap. 15. asserentem animam esse causam existentia materia; ergo. Resp. concedendo esse causam existentia completæ. nam actuata materia per formam existit in toto existentia completa totius.

Obiectio secunda.
 Obiicies secundò, vnam existentiam non esse potentiam respectu alterius; ergo ex duobus entibus existentibus nequit fieri vnum compositum per se. Resp. concedendo vnam existentiam non actuari formaliter per aliam, actuatur tamen natura existens, seu materia, quia cum sit pura potentia subiectiua, habet etiam actum, seu existentiam sibi proportionatâ, non extrahentem potentiam à potentialitate subiectiua, sed solùm materiam à potentialitate obiectiua.

Obiectio tertia.
 Obiicies existentiam esse vltimum actum rei; ergo est contra rationem puræ potentia. Resp. distinguendo antecedens, est vltimus actus correspondens potentia obiectiua cõcedo, subiectiua nego: vnde quauis materia in suo genere sit vltimo actuata, id est, omnino extra nihil; tamen quia est entitas incõpleta, vltius actuabilis est per se in ordine ad compositum.

29. *Obiectio quarta.*
 Tertio obiiciunt aliqui recentiores, disp. 3. q. 5. num. 52. repugnare inueniri in aliqua re rationem differentialem, seu vltimam ignobiliorem rationi superiori eiusdem, vt indicat Arist. 8. Metaphys. textu 10. & communis fert opinio, quandoquidem ratio inferior cõparatur per modum actus respectu superioris; ergo repugnat existentiam materia comparari per modum puræ potentia respectu alterius existentia. Sed hoc argumentum inefficax est. Primò, quia si existentia aliquo modo distinguitur ab essentia actuali, est modus vltimus illius; sed à modis vltimis nequit ab-

strahi ratio communis vniuoca; ergo neque rationes inferiores dabuntur quæ possint determinare superius. Secundò dato gratis quòd daretur aliqua existentia in communi, esset indifferens ad hanc & illam existentiam materia & forma, & ita neque esset vltimus actus puræ potentia, neque puri actus; abstraheret ergo ab vtraque existentia, & esset qualibet imperfectior. Tertio existentia vt sic dicitur vltimus actus in ordine solùm ad potentiam obiectiuam: vnde cum tam materia, quàm forma sint extra nihil in vltimo actu proprio, æqualiter erunt; quare si compositum dicitur esse in vltima actualitate sine aliquo addito diminente per suam existentiam, non ideo est, quia existit, sed quia completè existit. Patet. nam forma dicitur esse in actu, tamen non in actu vltimo, cum completè postea existat existentia totius.

Vltimò obiicitur, existere esse extra causas sistere; ergo prius supponitur causalitas materia & forma, quàm quòd sint actu. Resp. hoc argumentum probare existentiam totius dependere à causalitatibus materia & forma, non tamen istarum existentiam, imò contra istos potest argumentum retorqueri. nam si materia & forma sunt causæ compositi; ergo supponuntur in actu vt causare possint. Patet, quia quòd non est, nec potest causare: hoc autem esse actuale est existentia; ergo ipsorum argumento potius roboratur, quàm destruitur nostra sententia.

Hic possemus inquirere, vtrum materia prima habeat partialem subsistentiam; sed de hoc erit sermo in Metaphysica, vbi agemus de subsistentia in communi, & de his quibus potest conuenire; est enim quaestio in hoc loco parum necessaria.

Obiectio vltima.

*Expedi-
tior.*

Remouetur.

ARTICVLVS V.

*Utrum potentia subiectiua sit de
essentia materia.*

Quoniam diximus articulis præcedentibus, materiam primam habere actum entitatum, esse tamen puram potentiam subiectiuam; merito dubitamus qualiter hæc potentia conueniat materię primæ.

31.
*Sententia
prima.*

Iandunus primo *Physicorum* cum aliis antiquis affirmat hanc subiectiuam potentiam esse accidens materię primæ. Fundamentum huius sententiæ est quod cuiusuis substantię potentia pertinet ad secundam speciem qualitatís: sed materia prima est substantia; ergo eius potentia qualitas est, & accidens illius.

*Sententia
secunda.*

Omnes verò authores qui affirmant inhærentiam aptitudinalē posse conuenire essentialiter alicui accidenti absoluto, consequenter affirmant, hanc potentiam posse esse de essentia materię, cuius rei disputatio propriam sedem habet in *Metaphysica*. Fundamentum istius sententiæ est, quia hæc potentia est primum quod de materia concipimus, & qua illam à forma & composito separamus; ergo tam essentialis est materię hæc potentia, quàm rationalitas homini.

32.

Hæc tamen sententia vera non est, ex dicendis ubi suprâ, nam relatio non potest esse de quidditate alicuius absoluti. Nam absolutum est ad se, relatiuum verò ad aliud: sed hæc potentia est relatio saltim secundum dici connotans & respiciens formam; ergo nequit esse de essentia materię.

*Sententia
tertia.*

Tolerus quæst. 2. *Murcia* disput. 5. quæst. 3. & alij, in materia duplicem potentiam subiectiuam distinguunt, vnâ proximam & formalem, ra-

dicalem autem, seu fundamentalem aliam: istam dicunt esse de essentia materię, quia primus conceptus illius; illam verò accidens, quia pertinet ad secundam speciem qualitatís, adestque & abest materię per corruptionem & generationem formæ, quia adueniente forma exhauritur potentia quæ respiciebat & connotabat ipsam.

Pro veræ tamen sententiæ explanatione notandum est in materia prima triplicem potentiam posse considerari. Prima est negatiua, & per indifferentiam, secundum quam indifferentes respicit omnes formas, sicut natura communis, omnes differentias indiuiduales, vt notauimus in *Logica* quæst. 6. difficult. 1. art. 1. Alia est potentia secundum quam actuabilis est positiuè & formaliter, à quauis forma. Tertia potentia est illa proxima receptibilitas, qua connotat formam actuantem ipsam, quæ non est vna, sed ex q. sequenti tot sunt in materia, quot formæ quibus potest actuari.

Dico primò. In differentia materię primæ respectu cuiusuis formæ nequit esse de essentia illius, sed est quedam proprietates negatiua, vt diximus de natura communi ubi suprâ. Quòd non sit de essentia, sic probò. Ens positiuum essentialiter constituitur quidditate positiuâ: sed materia prima est ens positiuum; ergo nequit constitui essentialiter negatione. Quòd autem hæc negatio sit passio, probatur. nam conuenit soli materię & semper; ergo est passio illius: sola enim materia indifferentes respicit omnes formas substantiales, & ab ea talis indifferentia nunquam separatur.

Dico secundò. Potentia proxima, qua materia connotat omnes formas, non est de essentia materię primæ. Probat Scotus in 2. distinct. 16. §. alij dicunt,

33.
*Notandum.
Veritas
sententiæ
explicatur.*

34.
*Afferunt
primam.*

35.
*Afferunt
secundam.*

dicunt, nam. 1. 3. quia respectus non est per se de ratione potentiæ receptiuarum, siue passiuarum, quia recipiens, cuiusmodi est materia, recipit formam per essentiam suam, & non per relationem. Aliter probatur, quia quod est per se de ratione principij passiuæ, est per se pars compositi, faciens per se unum cum illo: respectus autem non est per se pars alicuius absoluti, nec facit per se unum cum absoluto. Quæ argumenta solum probant, relationem non posse esse de essentia materię, nec alterius potentię passiuæ, vt docet in 1. distinct. 3. quæst. 5. n. 7. non tamen quod tanquam propria passio nequit emanare ab eius essentia aliquis ordo ad formas, sicut dicitur de accidenti in ordine ad subiectum. quod supponit Doctor paulo superius versic. *Contra.* Propter hoc dicendum est istum respectum secundum dici, quo materia respicit formas esse passionem illius. Probat, quia materia vt sic, nequit perfectè & quietatiuè intelligi sine dependentia & ordine ad formam à qua recipit esse completum, & formale in ordine ad totum; ergo iste respectus intrinsecus est materia.

36. *Ad 2. q. 1. ad 2. ad 3. ad 4. ad 5. ad 6. ad 7. ad 8. ad 9. ad 10. ad 11. ad 12. ad 13. ad 14. ad 15. ad 16. ad 17. ad 18. ad 19. ad 20. ad 21. ad 22. ad 23. ad 24. ad 25. ad 26. ad 27. ad 28. ad 29. ad 30. ad 31. ad 32. ad 33. ad 34. ad 35. ad 36. ad 37. ad 38. ad 39. ad 40. ad 41. ad 42. ad 43. ad 44. ad 45. ad 46. ad 47. ad 48. ad 49. ad 50. ad 51. ad 52. ad 53. ad 54. ad 55. ad 56. ad 57. ad 58. ad 59. ad 60. ad 61. ad 62. ad 63. ad 64. ad 65. ad 66. ad 67. ad 68. ad 69. ad 70. ad 71. ad 72. ad 73. ad 74. ad 75. ad 76. ad 77. ad 78. ad 79. ad 80. ad 81. ad 82. ad 83. ad 84. ad 85. ad 86. ad 87. ad 88. ad 89. ad 90. ad 91. ad 92. ad 93. ad 94. ad 95. ad 96. ad 97. ad 98. ad 99. ad 100.*
 Dico tertio actuabilitas positua materię, seu capacitas actuationis & informationis est de essentia materię, & in hoc sensu verum est potentiam subiectiuam ei essentialiter conuenire. Fundamentum est quod in materia quatenus materia, nullam aliam rationem inuenimus, que possit essentialiter constitui, præter esse partem compositi substantialis: sed hoc habet quatenus subiectum capax informationis; ergo hæc informabilitas radicalis est de quidditate materię.

Ad fundamentum primæ sententiæ responderetur assumptum esse falsum, nam non omnis potentia est se-

cunda species qualitatis, vt diximus in Logica quæst. 12. difficult. 6. art. 1. sed solum potentia sumpta pro facilitate naturali respectu alicuius rei efficiendæ, & ita non mirum, si hæc subiectiua potentia accidens non sit.

Obiicies quod recepta forma in materia iam non remanet potentia respectu illius; signum ergo est quod erat accidens, quandoquidem sine subiecti corruptione adest & abest. Resp. per aduentum formæ non expelli potentiam à materia, sed solum appetitus desiderij, quia quod possidetur, non desideratur; non tamen complacentiæ: vnde potentia quæ quatenus non completa dicitur desiderij, & quatenus completa, complacentia sub vna, vel alia ratione semper manet.

Obiicies secundo quod semel corrupta forma redire per naturam non valet; signum ergo est, talem potentiam auferri à materia, quod non contingeret, si esset intrinseca ipsi. Resp. quod pro nunc transeat antecedens, quia licet fateamur gratis eandem formam redire non posse, tamen inde non infertur potentiam deficere, quia eam formam semper respicit, non violenter, nec neutraliter, sed naturaliter, de quibus legitur Radam primo controuersiarum, controuersia prima art. 1. Rursus si argumentum aliquid probaret, concluderet de potentia determinata qua respicit formam in particulari, non tamen de radicali, seu de actuabilitate positua, qua constituitur essentialiter. has enim omnes formas respicit indifferenter.

Ad secundam opinionem resp. hoc fundamento probari nostram sententiam, ideo fateamur capacitatem, seu potentiam sumptam pro illa actuabilitate passiuæ, esse de essentia illius.

Obiectio Prima.

Enodatur.

Obiectio Secunda.

Solutio.

DIFFICULTAS III.

Utrum materia prima appetat formas substantiales.

EX dictis difficultate antecedenti satis liquet, materiam esse subiectum formarum, eâsque respicere & connotare; venit ergo dubitandum qualiter has formas appetat.

ARTICVLVS I.

Premittuntur aliqua ad intelligentiam difficultatis.

37. *Notandum primum, Appetitus est inclinatio in bonum seu conueniens.*
NOtandum est primò ex Doctore in 1. dist. 1. quæst. 5. §. ad argumenta, in fine, & in primo *Physicorum* quæst. 21. quòd appetitus est quædam propensio & inclinatio in bonum conueniens, qui duplex est, elicited vnus, seu intentionalis, innatus alter, seu naturalis. Prior sequitur formas apprehensas per cognitionem intellectiuam, & dicitur appetitus rationalis, vel per cognitionem sensitiuam, & dicitur sensitiuus, de quibus latè in libris de anima agendum est. Posterior appetitus qui innatus dicitur, seu naturalis, est inclinatio & propensio indita à natura, distinguiturque à priori appetitu, quòd licet alicui inhereat, non tamen amore inhaeret, (vt verbis utat Scoti,) sed neque etiam propriè inhaeret, sed ab ipso dante naturam quasi infigitur illi obiecto, non quidem per actum, elicited a natura, sicut est in appetitu etiam sensitiuo, sed per inclinationem habituales naturæ. Sic etiam explicat hunc appetitum Angelicus Doctor 1. parte quæst. 61. art. 1. ad 3. & quæst. 19. art. 1. & 9. & quæst. 59. art. 1.

Notandum secundum.

Secundò noto appetitum ex se, nec respicere bonum præsens, nec absens,

sed bonum connaturale. Quòd si hoc bonum sit absens, appetitus ad illud dicitur desiderium; si præsens, dicitur complacentia.

ARTICVLVS II.

Propositur aliquorum placitum, & vera sententia explicatur.

AVicenna primo lib. sue sufficientiæ cap. 2. cuius sententiam videtur amplecti Iustinus Martyr in confutatione dogmarum Aristotelis, affirmat materiam non appetere formas substantiales. Fundamentum est quòd vel materia appetit formam quam habet, vel quam non habet: non primum, quia nullus appetit quod possidet; non secundum, quia esset violenter sub forma qua informatur; ergo nullo modo appetit.

Aliquorum placitum.

Communis sententia affirmat materiam appetere formas. docet Aristoteles in hoc libro textu 81. ubi asserit, *materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & femina virum.* Ratio est, quia materia ex natura sua habet inclinationem ad formam vt perfectibile ad perfectum, & vt sic est pars compositi naturalis; ergo materialiter appetit formam tanquam actum & perfectionem eius.

38. *Vera sententia.*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, materiam appetere formam quam habet, appetitu complacentiæ, & quam non habet appetitu desiderij. Ex quo non inferatur esse violenter sub ea quam habet, quia, vt optimè notauit Doctor in 1. dist. 1. §. ad vltimum, num. 6. in fine, tunc aliquid est violenter sub aliqua forma, quando naturaliter inclinatur determinatè in oppositam: at materia prima, licet ad omnes formas innato appetitu

Oppositum occurritur.

appetitu naturaliter inclinetur, caterum ad nullam determinatè, sed indeterminatè ad quamlibet : vnde sub nulla quiescit violenter, sed sub quavis naturaliter.

Infinita. Dices materiam non posse inclinari in formam absentem, nisi machinetur priuationem formæ quam possidet, & corruptionem compositi, quod malum quoddam est : at malum non est appetibile naturaliter ; ergo. Resp. materiam solum naturaliter appetere formam per se, quod est quoddam bonum eius; exclusionem verò & corruptionem compositi solum per accidens, quod non est inconueniens.

Remissio. *39.* *Obiectio prima.* *constr.* Obiicies primò appetitum materiz esse propriam passionem eius si poneretur : sed ista inclinatio & propensio est accidens illius ; ergo non est penenda. Probaturs minor, quia appetitus in materia ortum habet à priuatione : sed priuatio contingit materiz ; ergo appetitus sequutus ad ipsam. Resp. appetitum vt sic abstractentem ab appetitu desiderij & complacentiz esse propriam passionem materiz primæ, quia supra potentiam subiectiuam materiz primæ solum addit inclinationem innatam naturalem per nullam potentiam ab ipsa separabilem ; complacentia verò & desiderium præter inclinationem naturalem, quam fundamentaliter important, connotant possessionem & priuationem formæ. Quare formale significatum erit passio materiz, connotata verò accidentia illius, cum absint & adsint materiz sine ipsius corruptione. Itaque appetitus vt sic est intrinsecus materiz, & passio illius; verumtamen quòd iste appetitus sit complacentiz, aut desiderij, contingit materiz quatenus connotat formam actualiter informantem, vel potentem informare. nam eadem

numero materia quæ nunc desiderat formam, quam nõ habet, postea complacet in actu & positione ipsius.

Obiicies secundò appetitum supponere cognitionem: sed materia non est potentia cognoscitiua ; ergo nec potest appetere formas. Resp. maiorem esse intelligendam de appetitu elicitò, non verò de appetitu innato. Vel secundò resp. concedendo omnem appetitum sequi cognitionem, non operantis, sed ipsius authoris naturæ. ita asserit D. Thom. 1. 2. quæst. 16. & 1. part. quæst. 40. artic. 3. & nos in 2. lib. Physic. dicemus de agente naturali respectu finis, quæstione 14. diffic. 6. art. 1. num. 42.

Obiectio secunda.

Enodatio.

ARTICVLVS III.

Vtrum materia æqualiter appetat omnes formas.

PRobauimus articulo præcedenti materiam habere infinitum & appetitum innatum ad formas, restat tamen explicare vtrum æqualiter appetat omnes? Ratio dubitandæ est pro parte negatiua, quia appetitus naturalis sicut est ad bonum, ita debet esse maior appetitus in ordine ad maius bonum: sicut voluntas ordinata maius bonum magis efficaciter appetit; ergo sic similiter materia prima formas perfectiores intensiori appetet conatu.

40.

Nihilominus tamen dicendum est appetere æqualiter omnes formas. Ratio est conspicua, quia appetitus materiz nihil aliud est quàm potentia passiuæ naturalis eiusdem: sed hæc est indifferens, & quantum est ex se non magis determinata ad vnâ, quàm ad aliam, aliàs sub illa quam determinatè respiceret, esset naturaliter, sub aliis verò violenter; ergo appetitus

titus iste materiae aequaliter respicit omnes formas. Eadem ratione probatur materiam appetere minus nobilem formam, dum habet nobiliorem, quia habet inclinationem ad illam habendam successiue, alioquin non posset nobiliorem naturaliter amittere, ac per consequens compositum ex illa resultans esset naturaliter incorruptibile. Eadem etiam ratione probatur appetere formam semel amissam, quia nunquam priuatur naturali hac inclinatione, quacunque forma adueniente.

Ad rationes dubitandi resp. disparrem esse rationem de potentia naturali, & rationali, quia haec sequitur cognitionem, discernitque inter bonum & malum, ideo appetitu ordinato semper appetit maius bonum: potentia autem naturalis non supponit propriam cognitionem, nec discernit inter maius & minus bonum; cum autem appetitus materiae primae sit naturalis, solum appetit formaliter actuari quod aequaliter recipit a quavis forma, & ita omnes aequaliter appetit:

ARTICVLVS IV.

Virum appetitus iste materiae ad omnes formas sit vnus, vel multiplex.

41. *Appetitus materiae essentialis non satiatur quacunque forma.*

Responder Doctor in 1. distinct. 1. quaest. 1. num. 6. tot esse appetitus in materia, quot formae, quae in ipsa possunt esse: vnde docet consequenter appetitum materiae non satiari per quamcunque formam, sed solum appetitum potentialem illius formae: hic autem non est appetitus indifferentiae, secundum quem indifferentiter respicit omnes formas, sed respectiuus promanans a quidditate

positiua materiae, qui multiplicatur in materia ad multiplicationem formarum, de quibus diximus difficultate 2. artic. 5. Suam conclusionem probat Doctor, quia non quacunque forma satiatur appetitum materiae totaliter extensiuè; tot enim sunt appetitus materiae ad formas, quot sunt formae receptibiles in materia: nulla igitur una forma potest per se satiare omnes appetitus materiae ad formas, sed una satiatur perfectissime, scilicet forma perfectissima; illa tamen non satiatur omnes appetitus materiae, nisi in illa una forma omnes formae includerentur. Sed est impossibilis eiusmodi forma; ergo. Probatur, quia si materia appetit omnes formas vt supra; ergo solum omnibus completur appetitus: at solus Deus continet virtutes aliarum causarum; signum ergo est quoddam quacunque forma creata non satiatur appetitum aliarum formarum, sed remanent diuersi appetitus in ipsa. Confirmatur, quia si tantum esset vnus appetitus in materia, quacunque forma adueniente satiaretur, & ita alias formas non appeteret, ac per consequens non esset subiectum corruptionis, cum non appeteret formam contrariam ipsi existenti. legite Doctorem in 4. dist. 43. quaestione 3. §. ad illa ergo, num. 16. vbi exactè de his agit, & videtur concedere in materia alium respectum ad formam, quae per aduentum formae definit esse in materia: sed hoc relicit in fine §. num. 18. & solum concedit praeter relationes a nobis assignatas aliam ad formam actualiter informantem, quae deficiente forma deficit. Aliud tamen non est intelligibile, vt bene notat marginista, quia nequit concipi relatio realis ad terminum non existentem, quae possit separari a subiecto: vnde solum ea potest concedi, quae

quæ est ad formam actualiter informantem, de quibus in Metaphysic. erit sermo, quaestione de relatione. legere Doct. quaest. 7. Metaph. lib. 5. num. 7.

DIFFICULTAS IV.

Utrum materia per aliquam potentiam possit esse sine forma.

HAnc quaestionem ita exactè disputat Doctor subtilis in 2. distinct. 12. quaest. 2. per totam, ut nihil desiderandum relinquat. Ea propter eius rationes licet diuerso ordine, in hac difficultate transcribemus.

ARTICVLVS I.

Prænotantur aliqua ad exactam difficultatis intelligentiam.

41. **D**iximus notanter per absolutam Dei potentiam, quia sine controuersia est naturaliter non posse esse materiam ab omni forma separatam, ob naturalem ordinem agentium tam inferiorum, quam superiorum, qui nunquam corrumpunt vnã formam substantialem existentem in materia, quin aliam introducant, in non uiuentibus saltem, quia de uiuentibus aliam esse rationem dicemus 1. de generatione disputat. 1. unde promanauit illud commune axioma, *Generatio vnius est corruptio alterius*. Nam natura per se generationem intendit, corruptionem uero per accidens. quod exactè illustrent Conimbricenses 1. Physicorum cap. 9. quaest. 6.

Obiicit. Nec obstat quod quidam obiiciunt ex Augustino. c. 4. operis imperfecti,

nempe in principio mundi materiam fuisse nudam omni forma, iuxta illud Genes. 1. *Terra autem erat inanis & uacua*. Vbi Augustinus per terram intelligit materiam primam, & per uacuitatem carentiam omnis formæ; ergo secundum Augustinum materia prima naturaliter existit sine forma. Resp. cum S. Thoma 1. part. quaestione 67. artic. 1. Augustinum posuisse materiam uacuum omni forma, non tempore, sed origine & natura. Quod si quidam Patres Græci putant materiam præcisè formam, tamen ibi non loquuntur de quauis forma, sed de quibusdam pertinentibus ad decorem & magnitudinem materię; de potētia ergo absoluta procedit quaestio.

Remouetur.

Suppono secundò ex Doctore in 1. distinct. 44. quaest. vnica §. *Respondeo*, num. 1. potentiam Dei ordinatam, & absolutam, in hoc distingui, quod ordinaria est principium exequendi aliquid cõformiter legi secundum ordinem præcisum. Absoluta uero potest agere præter illam legem, quoties non apparet contradictionis implicatio, quod est idem ac dicere, fieri à Deo absolute, non spectando naturalem causarum exigentiam.

43.

Suppositio. Quid sit potentia Dei ordinata, & quid absoluta.

ARTICVLVS II.

Explicantur varia placita de hac re.

DOctor ubi supra num. 2. refert aliquorum placita his uerbis. *Responsio secundum illos qui dicunt* (nempe Albertus & Agidius) *quod materia non est aliud à forma, non est mirum si non potest esse sine forma; idem enim non potest fieri sine se ipso: sed est falsum, ut probatum est supra, quia omne generabile est compositum ex re & re.*

Aliquorum placita.

44.

Alij dicunt, materiam habere realitatem distinctam à forma, non tamen potest esse sine forma, quia non est actus, nec habens actum, quia non est tantum ens potentiale, vel possibile; cum enim dividatur ens per actum & potentiam, materia non cadit sub primo membro, sed sub secundo, est enim potentia; nihil erga habet actus, vel actualitatis, sed tantum habet esse potentiale. quod tamen esse est aliqualis realitas distincta à forma. & per hoc saluant compositionem realem. Implicat autem contradictionem quod aliquid habeat esse tantum potentiale, & sit actualiter.

45.
Prima
sententia
Thomistarum.

Hanc sententiam sequitur Magister Petrus Lombardus, antonomastice Magister appellatus, in 2. dist. 12. cap. 5. quem sequitur Seraphicus Doctor dist. 22. q. 2. Capreolus dist. 13. quæst. 1. S. Thom. pluribus in locis, præcipue 1. parte quæst. 66. artic. 1. & quodlib. 3. artic. 1. vbi ex professo hanc sententiam probat & defendit. Item 3. contra Gentes cap. 4. Caietanus c. 5. de ente & essentia quæst. 8. Hancque esse Angelici Doctoris mentem senserunt omnes antiqui Thomistæ, quod ita indubitatum semper fuit, vt Dominicus Soto quæstione 6. articul. 2. conclusionem 2. & Dominicus Bañes prima parte quæstione 66. art. 1. dub. 2. conclusionem 3. licet argumentorum nostræ sententiæ conuicti, nostræ subscribant opinioni; farentur tamen à suo sancto Doctore deuiare. eum tamen huius non fuisse sententiæ aliqui arbitrantur recentiores, præcipue Hurtado disp. 2. Physicæ sect. 9. §. 102. vbi dicit S. Thomam locis relatis solum asserere formam esse causam & actualitatem existentie completæ materiæ, quam habet in composito, non autem incompletæ: nam hanc habet materia independentem à forma. Cuiuscunque autem sit hæc sententia, sic eam impugnat Doctor vbi

suprà. Si isti intelligant per realitatem materia aliquam entitatem, vel realitatem extra causam suam, non video quod sit contradictio, si ponatur virtute diuina sine forma. Quo argumento etiam vti- tur Suarez 1. tomo 3. part. disput. 14. sect. 3. §. Dico 1. vbi affirmat certissimam esse nostram sententiam, quia nulla affertur à contrariis probabilis contradictionis ratio.

Alij (nempe Thomas Anglicus) 46. habent aliam imaginationem de materia, Secunda sententia. quia ponunt eam esse terminum creationis, aliam absolute à forma; tamè dicunt quod non potest esse sine forma. Quod probant, quia si fieret sine forma, esset actus: sed materia non est actus; ergo. Reliqua fundamenta obiciemus art. 4. contra nostram conclusionem. Hic autem author magis consequenter, meo videri, loquitur quam Ruuius. nam ex negatione actus optimè infertur, aliquid nõ posse esse in actu: si ergo actus materiæ est à forma; ergo non potest sine hac esse actu. Ruuius tamen ex vna parte omnem actum negat materiæ, vt diximus difficultate antecedenti, & inferius citandus fatetur posse esse in actu sine forma. quod videtur manifestam inuoluere contradictionem, vel ad minus esse in verbis magnam æquiuocationem.

ARTICVLVS III.

Explicatur vera sententia.

Verior sententia affirmat materiam de potentia Dei absoluta posse existere, seu esse in actu incompleto sine forma. hanc sententiam tenet Doctor vbi supra, & 1. Physicor. quæstione 19. 20. & 24. & 2. Physic. quæst. 7. quem sequuntur Trombeta 8. Metaphysic. quæst. 1. Mayronus, Bassolis, Leuchetus & Tarraretus super

47.
Materia
diuini-
tatis potest
esse sine
forma.

super quaestionem secundam dist. 12. secundum lib. sententiarum. est communis inter Scotistas, eam sequitur Ricardus in hac dist. 12. quaest. 4. Gabriel quaest. 1. art. 14. Gregorius q. 2. Henricus quodlib. 1. quaest. 11. Suarez ubi supra, Vasquez 1. parte disput. 74. num. 9. & disp. 174. num. 19. Hurtado disp. 2. Physicorum sect. 9. Ruuius in hoc libro quaest. 5. & alij, quos refert & sequitur Pater Molina 1. parte quaest. 3. art. 4. disput. 2. quam veritatem sequentibus rationibus efficacissimè probat Doctor dist. 12. ubi supra num. 3.

Respondeo ad quaestionem, tenendo ut in priori quaestione dictum est, rem materialem esse compositam ex duobus, quae sunt partes rei compositae, & quod semper aliquid generati praexistit generato, sub forma corrumpendi. Dico quod non est contradictio materiam esse sine forma quacunque substantiali & accidentali, quod probatur. Absolutum distinctum & prius alio absoluto potest esse sine contradictione sine illo: materia est ens absolutum distinctum, & prius forma quacunque, substantiali scilicet, & accidentali; igitur potest esse sine alio absoluto, sine forma substantiali, vel accidentali absoluta. Maior declaratur. nam ideo ponitur ibi absolutum ad excludendum correlativum, quia in his esset instantia: prius ponitur ibi ad excludendam simultatem originis, quae includit etiam simultatem correlativorum. Minor etiam probata est supra, in quaestione precedenti. Quod enim materia sit quid absolutum, satis patet, quia facit compositionem realem & absolutam. Quod autem sit prior forma, saltem natura, & originis, patet, quia est receptivum formae, & fundamentum eius, sed receptivum & fundamentum formae est prius forma.

Hoc etiam confirmatur per August. qui 13. Confessionum dicit quod prius origine terminatur creatio ad materiam,

quam ad formam, licet secundum eam prima fuerit creata cum forma.

Item quidquid Deus absolutum facit in creaturis, mediante causa secunda, potest facere sine illa causa secunda, quae non est de essentia causati; sed forma est causa secunda, quae non est de essentia materiae in quantum materia est, mediante qua Deus dat esse materiae; ergo Deus sine illa potest facere materiam. Quod autem forma non sit de essentia materiae, patet, quia aliter adueniente alia forma esset alia, & alia essentia materiae.

Item quod Deus immediatè creat, immediatè conseruat, vel potest conseruare: sed materia est terminus creationis etiam secundum alios, & sic immediatè creatur à Deo ut probabo; ergo, &c. Quia ex qua materia est aliquid primum in entibus, non potest subesse causalitati alicuius creaturae: similiter cum non possit produci nisi per creationem, & nulla creatura potest creare, ut probabitur in 1. quaestione quarti, sequitur necessariò quod solus Deus eam creat: sed entitas absoluta quae est à solo Deo, sine alia aliqua entitate absoluta posteriore potest conseruari à Deo; quia Deus sine omni absoluto, quod non est de essentia rei, & quod est posterius ipsa re, potest rem conseruare.

Item non est necesse Deum velle aliquid aliud à se absolute & de necessitate; ergo si vult necessariò formam esse ad hoc quod velit materiam esse, hoc non est simpliciter, sed propter necessariam connexionem materiae ad formam. Sed non est talis necessitas absoluta connexionis materiae ad formam. Probo, quia si est necessitas absoluta connexionis materiae ad formam, ut tu dicis, igitur materia sibi determinat aliquam formam de necessitate. Probatio consequentia; quod determinat sibi aliquod genus, determinat sibi aliquam speciem in genere illo; & omne quod determinat sibi speciem, de necessitate determinat sibi esse in aliquo uno individuo istius speciei;

Quod facit Deus per causam secundam potest per se si causa non sit de essentia causati.

De hoc 1. d. 8. q. ultima.

Determinans sibi genus determinans sibi speciem eius.

Absolutū prius alio potest esse sine eo.

Prius; origines creatur materiae quae formata.

speciei, ut omne quod de necessitate est homo, est hic homo, vel ille: sed materia non determinat sibi de necessitate hanc formam, vel illam; manifestum est ergo nec totum genus forma.

48.

Confirmatur, quidquid contingenter se habet ad quodlibet cuiuslibet generis absoluti, habet se contingenter ad illud genus absolutum (ex 1. Physic. textu 63. & 69.) hoc patet: sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam; ergo & contingenter se habet ad totum genus forma. Probo etiam, quod si de necessitate absoluta, materia determinat sibi genus forma, quod necessario determinat sibi unum solum illius generis; quia unum essentialiter unum & singulare est impossibile dependere essentialiter à pluribus eiusdem generis: si ergo materia necessario determinet sibi totum genus forma, hoc est, quia necessario determinat sibi aliquod unum illius generis, quod falsum est. Si igitur contingenter se habet ad totum genus forma, potest virtute diuina esse sine forma. Alia argumenta proponit Hurtado ubi supra, quæ merè theologica sunt, nec multum vrgent, ideo consilio ea omitto.

ARTICVLVS IV.

Obijciuntur aliqua contra nostram conclusionem.

49.
Obiectio prima. Totum physicum realiter differt à partibus simul sumptis & unitis & qualiter soluitur.

Obiicies primò, totum physicum ex dicendis quæst. 7. diffic. 1. art. 2. num. 4. distingui realiter à partibus unitis, & habere distinctam existentiam ab eis, nihilominus tamen ab eisdem non potest separari; ergo etiam si materia & forma distinguantur, nõ cõcluditur illam sine hac posse conseruari. Respond. ex dicendis ubi supra, hoc prouenire, quia compositum intrinsecè includit partes, & ab

eisdem solum tanquam includens ab incluso distinguitur.

Instabis, nec partes unitas posse esse sine toto, & nihilominus ipsum non includunt; ergo. Respond. inde esse quod Deus non potest impedire effectum primum materiæ & formæ, nisi per separationem, ex dicendis 2. Physic. quæst. 10. diffic. 2. n. 12. Cùm autem materia & forma unitæ inuicem coniungantur per unionem, nequeunt non causare compositum, neque esse sine eo, quod magis explicabimus quæst. 6.

Obiicies secundo, vnum relatiuum non posse esse sine alio adhuc supernaturaliter: sed materia ex dictis supra difficultate antecedenti respicit formam; ergo nequit esse sine ea. Respond. maiorem esse intelligendam de relatiuis secundam esse, non verò de transcendentalibus, seu secundum dici, ideo experimur naturaliter potentiam conseruari sine existentia obiecti, & tamen respicit ipsum. Quod si creatura nequit esse sine Deo, non inde prouenit quod relatiua sit, sed ob ineuitabilem dependentiam, quam habet à Deo conseruante. quod magis explicabimus in Metaph. quæst. de relatione, & explicuimus in Logica q. 16. diffic. 2. art. 1.

Obiicies tertio, si materia existit sine forma; ergo esset in actu sine actu. Probatur sequela, nam esset in actu per diuinam conseruationem, & sine actu cùm careret omni forma à qua totum esse actuale participatur. Respond. distinguendo sequelam, esset in actu entitatio sine actu entitatio & existentia nego; esset in actu entitatio sine formali concedo: unde argumentum nullam habet vim, quia variatur suppositio in actibus. Obstant Thomistæ ordinem essentiæ distingui ab ordine existentia,

Institia.

Practia diuina.

Obiectio secunda.

Enodatur.

50. Obiectio tertia.

Expeditur.

sentia, huicque supponi: sed forma pertinet ad ordinem essentiae; ergo nequit materia intelligi existens ante actum formalem. Quod argumentum plura iam minus probabilia includit. Primò existentia realiter distingui ab essentia. quae conclusio si de essentia possibili & actuali existentiae intelligatur, verum est distingui tanquam non ens ab ente. Si tamen existentia cum essentia actuali compareretur, nec formaliter distinguuntur, ex dicendis in Metaph. Secundò in minori propositione supponit actum essentialem materiae provenire à forma, quod saepius probavimus esse falsum, loquendo de entitate incompleta materiae. Esto tamen quòd essentia & existentia distinguantur. Resp. distinguendo minorè, forma est actus essentialis completus concedo; incompletus, seu Metaphysicus nego. habet enim materia suam actualitatem metaphysicam à forma omnino distinctam. Exemplum tamen quod adducitur de lumine gloriae respectu intellectus Beatorum in multis peccat. Primò, quia ex communitati sententia intellectus Beatorum potest videre Deum sine habituali lumine solè cum speciali concursu, licet de facto omnes talem habitum concedant, ut ex mète Doctoris communiter probant Scotista in materia de visione. Secundò peccat, quia non est ad propositum. nam si habitus ponatur in potentiis; ideo est, quia cum potentia sit indeterminata ad efficiendum, ut inclinatur ad specialem actum congruentissimè tales habitus ponuntur in potentiis: at materia prima licet ex se sit indeterminata ad formas, & existentiam completam huius, vel illius compositi; nihilominus suam existentiam incompletam determinatè habet. quod ipsorū argumento potest confirmari. Nam sicut etià si potentia

in ordine ad operationem indigeat aliquo habitu determinatè, nihilominus ei nõ negatur propria actualitas in esse potentiae, & quatenus supponitur ad actum; ita similiter etsi materia indigeat formis quibus determinetur in ordine ad concipiendum compositum, & existendum completa existentia ipsius, ei tamen non debet negari actualitas & existentia propria quatenus supponitur compositioni, & est creationis terminus.

Obiicies quartò implicare esse aliquid sub certo genere, & non sub specie determinata; sed si materia prima separaretur à forma, esset sub genere substantiae & corporis, & sub nulla determinata specie; ergo. Respond. Ruvio in hoc libro tractatu de materia quaest. 5. quòd hoc argumentum est inconueniens de naturis completis, non autem de incompletis. Sed hæc solutio mihi non placet, quia si materia prima continet substantiam completam, & corpus, & hæc contracta per singularitatem, & existentiam; quid ergo ei deficit ut sit ens completum, & substantiale sint Petra & cætera non viuentia. Aliter respond. Suarez disp. 15. suae Metaph. sect. 9. & cum eo plures alij recentiores, quòd etsi repugnet aliquid existere quod sit sub genere, & non sit sub specie atoma, siue completa, siue incompleta, non tamen quòd habeat suam specificationem, ut materiae contingit. Sed nec hæc solutio placet, primò quia nõ video quomodo prædicata completa, qualia sunt substantia, & corpus, possint differentiis incompletis determinari & extrahi à recta linea prædicamentali. Secundò si substantia completa continetur formaliter in materia & in forma; ergo compositum quale est ens, ex eis erit bis substantia completa. Respond. ergo concedendo esse inconue

51.
Obiectio
quarta.

Respon-
datur.

Materia
prima nõ
est sub
genere
substan-
tia.

inconueniens quòd aliquid sit sub determinato genere completo, & non sub determinata specie completa. nam implicat manifestè aliquid esse substantiam completam ratione generis, incompletam autem ratione differentia, cum omnis differentia sit perfectior genere; ergo est inconueniens materiam esse sub determinato genere, & non sub determinata specie. Proinde negamus materiam primam esse sub genere substantia; sed contineri formaliter sub substantia transcendentali, quæ abstrahit à completa & incompleta, vt docet Doctor de anima rationali, cæterisque formis substantialibus in 2. dist. 1. quæst. 5. §. Dico, num. 4. & nos aliqua diximus in Logica quæst. 12. diffic. 2. art. 5.

§ 3
Obiectio
quinta.

Diluitur.

Obiicit quintò Doctor quæst. 2. vbi supra num. 1. quòd quanto aliqua sunt magis vnum, tanto sunt minus separabilia: sed materia est magis vnum cum forma, quàm passio propria cum subiecto, & passio non potest separari à subiecto; ergo nec materia à forma. Maior est manifesta. Minorem probo, quia materia facit vnum essentialiter cum forma & per se: sed propria passio non sic facit vnum cum subiecto, quia facit vnum secundo modo dicendi per se tantum; ergo. Respond. Doctor num. 6. ad primum dico, quòd procedit de unitate identitatis, qua aliqua dicuntur vnum, quia idem realiter non de unitate identitatis, qua aliqua dicuntur vnum, quia idem realiter, nõ de unitate unionis aliquorum in tertio, sicut ex materia & forma fit vnum tertium, scilicet compositum. Si intelligitur primo modo, tunc maior propositio est vera: si secundo modo, est falsa. Vel sic, si maior intelligatur de unionem identitatis aliquorum inter se, minor est falsa: si autem intelligatur maior de unionem aliquorum in tertio sic, maior est falsa, quia

illo modo in maximè dependentibus non potest esse ordo ad aliquod vnum, & in quibus est minima dependentia, possunt ordinari ad aliquod vnum, siue ad unionem totius.

Sextò obiicit Doctor, vbi supra, 54. *Obiectio sexta.* omni eo quòd potest per se esse, potest aliquid fieri inferius. Probo, illud quòd non potest per se esse, est inferius eo quòd potest per se esse; ergo Deus id potest facere: sed nihil potest esse inferius materia; quia cum materia sit ens in potentia, & prope nihil, tunc illud inferius esset nihil. Respond. Doctor, concedendo *Solutio.* maiorem, quia non video quin esse in alio ente, sit inferius quàm esse in se, & quin sit magis imperfectionis dependere, quàm non dependere. & ideo dico quòd omne esse cuiusquenque alterius generis à substantia, scilicet accidentis est imperfectius quocunque, quòd est pars substantia, sicut est materia. & tunc ad Augustinum (12. Confession. cap. 32.) qui communiter hic allegatur, duo fecisti domine, vnum prope te, &c. dico quòd loquitur de ordine entium in genere substantia, & ibi est Angelus ens supremum & materia ens infimum. Sed dices. Nihil alterius generis potest esse superius Angelo; ergo nihil alterius generis potest esse inferius materia prima. Dico quòd non est simile. Ideo enim non est superius, quia nullum genus est superius genere substantia: sed alia genera sunt inferiora. Verum autem posset fieri in genere substantia aliquid inferius, de hoc est dubium. Ex quibus non debet inferri, materiam primam poni directè sub genere substantia, sed solam reduciuè & ad latus, vt diximus supra, & exactè examinabimus in Metaph.

Septimò obiicit ipse Doctor, quòd *Obiectio septima.* priuationes sunt opposita, sicut & forme, quibus sunt opposita, nunquam sunt simul

simul in materia; ergo nec privationes opposita: sed privationes opposita non sunt simul, nec possunt esse, quia forma opposita uni, actu est in materia. Si igitur materia non habet aliquam formam, sunt in ea opposita privationes simul, quod est impossibile; ergo, &c. Respond. Doctor, Dico quod nulla privationes sunt opposita in eodem; nisi sint privationes formarum oppositarum immediatarum, circa idem de necessitate sequentium, etsi sic sit, tunc dico quod privationes sic sunt impossibiles, sic enim se habent forma opposita, quod si susceptivum habet unam, caret alia, & è conuerso, aliàs esset contradictio, si forma consequerentur susceptivum de necessitate, & tamen posset esse sine eis: sed circa materiam nulla forma sic sunt simpliciter immediate, licet aliqua sunt immediate respectu agentis naturalis, quod non agit nisi in quanto, & per consequens simpliciter & immediate non potest attingere ad nudam essentiam materiae. Nec etiam Deus posset facere materiam sine forma, secundum Arist. Sed hoc fuit pro tanto, quia ipse posuit necessariam connexionem causarum, ita quod impossibile est secundum eum primas causas agere sine secundis, sive causam omnino primam sine secunda causa: sed si hoc negasset, debuisset ponere secundum ea, quae posuit de materia quod potuisset eam Deus fecisse sine forma. Unde idem Doctor consequenter ad principia Philosophi ex mente ipsius affirmat 1. Physic. quaestione 20. ut optime explicat Pithyagianis ibidem, impossibile esse materiam esse sine forma, cuius contrarium secundum Theologica principia locis iam relatis saepius docet.

Obiicit octauò, Quod non habet ideam, non potest fieri sine alio: materia est huiusmodi; ergo. Respond. num. 7. quod siue idea accipiat pro obiecto cognito, siue pro ratione cognoscendi, fal-

sum est quod materia non habeat ideam, imò quocumque modo idea accipiat, dico quod materia ipsa habet ideam, Sicut enim materia est quid creabile distinctum à forma, sic est quoddam ideale quod habet ideam distinctam, siue etiam idea ponatur ratio imitandi essentiam diuinam in tali gradu, adhuc habet ideam, quia alium gradum imitandi habet materiae essentiam diuinam, quam forma, vel aliud quodcumque.

Obiicit nonò, Illud in quod Deus non habet actionem, non potest fieri per se: sed secundum Doctores peritissimos Deus non habet actionem in materia; ergo. Respondet num. 8. ad aliud quod ipsi dicunt, quod Deus non habet actionem in eam, dico quod falsum est. etsi dicunt hoc Doctores periti, non tamen in hoc sunt periti: imò secundum eos habet eam pro termino actionis suae; ergo potest aliquid circa eam agere: & hoc concedunt alij, quod nullum agens naturale potest attingere essentiam materiae, Deus tamen potest, ut illi dicunt in quarto sententiarum, & hoc necessariò habent dicere sequaces.

ARTICVLVS V.

Virum si materia existeret sine forma, indigeret speciali concursu supernaturali.

Respond. Doctor num. 9. quod re- spondet vnus Doctor, quod materia potest intelligi habere triplex esse. Primo esse suum quod deberetur sibi secundum quod est aliqua essentia distincta à quacumque alia; aliud esse quod communicatur sibi à forma; tertium esse quod communicatur sibi supernaturaliter à Deo: & illud esse communicatum sibi à Deo non habet, quando est in composito; quia repugnaret per se unitati.

Expedi-
tur.

Obiectio
nona.

Responso.
Deus
habet
actionem
in mate-
riam.

36.
Obiectio
causa.
Soluitur.
Materia
prima
nabet
ideam.

suppositi: sed illud haberet, si Deus faceret ipsam sine forma. hæc sententia est Henrici quodlib. 1. quæst. 10. eum sequuntur Conimbricenses supra relati art. 3. & Pater Suarez vbi supra. Sed hoc est falsum, (inquit Doctor) quis hoc non est aliud dicere quam materiam sine omni addito non posse esse sine forma.

Item sicut accidenti postquam panis transubstantiatur, non communicatur aliud esse, quam habuit quando fuit actu informans panem, sed idem sibi conseruatur, (sicut probabitur in 4. libro.) ergo similiter in proposito non communicatur materia aliud esse ab illo quod habet dum est sub forma. Et eadem rationes, quæ ibi posita sunt de accidentibus, concludunt de materia.

§ 8.
Verior
sententia.

Confirmat hanc sententiam Hartado disput. 2. Physicæ sect. 9. §. 104. quia si sol priuaretur omni luce, nihilominus posset Deus eum conseruare eodem concursu quo nunc, quia sol eiusque productio, natura sunt luce priora; ergo eadem ratione materia sine forma. nam, vt docet Suarez 1. Metaph. disp. 15. sect. 9. num. 7. vt Deus conseruet prius sine posteriori, tantum requiritur continuatio præcedentis actionis, quia tamen opposita sententia minus probabilis videtur, eam sic explicat Doctor.

Si verò intelligit sic, quod materia separata à forma & sine forma communicatur esse à Deo non actus aliquis, sed negatio ipsius esse communicati à forma, id est, quod materia sit per se existens, sine esse sibi communicato à forma, ita quod per se esse, sit quadam negatio talis esse communicati à forma, quia in isto esse per se non recipit esse à forma, si, inquam, sic intelligit potest concedi quod materia separata communicatur à Deo huiusmodi esse, vel per se esse negatiue, vt dictum est: & consequenter etiam

posset dici, quod tale esse non conuenit sibi in composito: & eadem rationes, sicut supra dictum est; quia compositum secundum hoc non esset unum, oportet enim ad unitatem per se compositi, materiam recipere formam & subesse forma, non quod tunc materia detur aliqua actualitas noua quando non est sub forma.

Possit etiam fieri una ratio contra conclusionem principalem sic: Materia videtur plus dependere à forma, quam forma quacunque à materia: sed forma naturales aliqua non possunt separari à materia; ergo nec materia à forma. Minorem probo, quia si essent separate, essent spirituales, & sic intellectuales, & per consequens immateriales: sed formam talem esse intellectualem, vel formam materialem esse immaterialem, videtur includere contradictionem; ergo nec materia potest separari à forma.

Potest dici vno modo, quod licet entitas materia sit minus perfecta, quam forma, non tamen plus est dependens, imò minus, & ideo potest fieri sine forma, & non è conuerso.

Alio modo potest dici quod forma est magis ens: nec tamen est causa constituens esse materiale, sed est causa concurrrens ad esse compositi constituendi, & ideo potest separari forma à materia, sicut è conuerso.

Et ad probationem, ista forma essent spirituales. Dico quod non oportet, quia sicut quantitas est forma eiusdem natura quando separatur, & quando est in subiecto, sic etiam ista forma essent eiusdem natura si separantur, sicut cum sunt coniuncta, siue cum informant materiam, nec essent intellectuales, quia hoc repugnat eis secundum se.

ARTICVLVS VI.

An dato quòd materia existentiam
capiat à forma, possit de potentia
Dei absoluta sine forma
existere.

60.
Solutio
primæ

Affirmat Hurtado vbi supra §. 100. Fundamentum est primò, quia nulla apparet implicatio, etiam si de facto materia existat per formam, hanc existentiam suppleri supernaturaliter à Deo, quod pluribus instantiis confirmat. Prima est quòd substantia est actus nature proueniens ab aliqua forma - saltem modali, & tamè supernaturaliter in Incarnatione Deus suppleuit substantiam propriam humanam naturam Christi, diuina personalitate Verbi; ergo. Secunda instantia est, quia constans Thomistarum sententia est corpus Christi existere existentia Verbi, sicut & eius humanitatem: sed ille effectus formalis existendi non prouenit à forma, quia illa existentia non est formæ, sed Dei; ergo diuinitus potest actus existendi aliunde quàm à forma venire.

Humanitas
in Christi
sine forma
existens
existit
in substantia
Verbi

Verbum
autem
potest im-
mediatè
existere sine
forma
primam.

Secundò probat, quia materia potest assumi à Verbo diuino immediatè, vt docet Suarez 1. tom. 3. partis, disp. 14. sectione 3. §. Dico primò. & de facto ita euenisse in triduo, probabile censet §. secundò modo. Sed tunc materia non existeret existentia formæ; ergo licet ex natura rei omnis actus proueniat à forma, poterit etiam aliunde venire de potentia Dei absoluta.

61.
Refuta-
tio

Hanc tamen sententiam falsam existimo si principiis Thomistarum stemus. Primò, nam ipsi nò dicunt existentiam formaliter prouenire à forma, sed actum materiam & compositi essentialiter requisitum ad existendum; ergo non benè inferitur ex eo quòd Deus possit supplere existentiam, posse

etiam supplere actum, si omnis actus materiam negetur. Secundò, actus materiam est formaliter à forma; ergo nequit suppleri adhuc per supernaturalem potentiam, quia Deus nequit substituere vicem formæ, vt dicemus in fin. lib. 2. Respondet primò huic argumento §. 102. esse effectum secundarium formæ, & consequenter suppleibilem à Deo. Sed contrà est, quòd actus formalis formæ est effectus primarius ipsius, vt fatentur omnes: sed primus actus materiam est eius informatio; ergo non secundariò, sed primariò forma actuatur materiam in sententia Thomistarum. Respond. secundò istum actum materiam mendicatum à forma distingui realiter à forma; ergo potest suppleri à Deo. Sed hoc argumentum in omni doctrina inefficax est. nam etiam dealbatio actualis distinguitur realiter ab albedine, siquidem separata à subiecto potest non dealbare. Item animatio distinguitur realiter ab anima. Patet in rationali, quæ separata à subiecto, seu corpore eum non informat, & nihilominus non licet inferre, subiectum posse esse album sine albedine, & corpus animatum sine anima adhuc per supernaturalem potentiam; ergo quamuis iste actus materiam distinguatur realiter à forma, non sequitur per vllam potentiam posse suppleri, quia est effectus formalis, & primarius ipsius. Vnde manifestè inferitur, quòd si in sententia Thomistarum concedamus materiam habere primam actum à forma per nullam potentiam ab ea separatam, posset conseruari.

Nec instantia Hurtado multum vrget. nam id quòd asserit de existentia, & substantia, verum est in sententia Thomistarum, tamen neutrum istorum est forma intrinseca, sed modus extrinsecus supplebilis à Deo.

Ad instantias ex doctrina Suarez respond. habere vim in ea sententia, non tamen in sententia Thomistarū, qui negare debent consequenter ad sua principia, materiam posse assumi sine forma. Quando autem Verbum diuinum facit existere naturam humanam Christi, tunc non bene inferitur contra Thomistas, materiam esse in acta, & non per formam, quia etiā ibi primus actus materiæ est à forma, imò bene inferitur materiam existere per formam præsuppositiuè, quatenus dat ei primum esse actuale requisitum ad existentiam, quod solum ipsi intendunt. Vtrum autem in triduo materia Christi fuerit sub aliqua forma saltim cadaueris, non est huius loci.

ARTICVLVS VII.

An sicut materia potest existere sine omni forma substantiali, possit etiam sine omni accidentali.

62.
Cōclusio.

Respond. affirmatiuè cum Doctore vbi suprā, §. *Respondeo*, num. 3. Ratio est quòd sicut materia quatenus prior est forma, potest conseruari sine illa supernaturaliter; ergo quia prior est quouis accidēti, poterit sine ipso supernaturaliter conseruari.

Obiectio.
Materia prima nequit esse sine dependentia à Deo.
Solutio.

Dices non posse materiam esse sine dependentia à Deo, vt de quauis creatura diximus in Logica quæst. 16. difficult. 2. & latius dicemus in Metaph. sed ista relatio est accidens materiæ; ergo nequit hæc esse sine omni forma accidentali. Respond. Doctor vbi suprā citatus, negando respectum dependentiæ esse accidens, identificatur enim realiter cum creatura, accidens tamen nequit identificari cum substantia.

Alia obiectio.

Dices non posse non distingui ab

aliis rebus: sed distinctio est relatio accidentalis; ergo. Respond. aliqui *Respondeo*, quòd hoc esset vnum, si Deus aliquam creaturam conseruaret, posset tamen annihilare omnes. Sed cōtrā est quòd non potest non distingui realiter à Deo saltim relatione non mutua: sed nequit esse sine Deo; ergo nec sine relatione accidentali; propterea hanc conclusionem de accidentibus absolutis intelligimus.

Petes vbi esset illa materia sine forma? Dico quòd sicut Angelus, qui non est quantus est in loco aliquo definitiuè, non circumscribitiuè supposito quòd sit in vniuerso, si tamen fieret extra vniuersum, vbi locus non est, non esset in loco definitiuè. Sic materia si fieret in vniuerso sine forma, esset definitiuè alicubi: si autem fieret extra vniuersum, nusquam esset localiter, vel definitiuè: tamen esset natura quedam absoluta, haberetque præsentiam imaginariam, vt docet Doct. quodl. 11. §. de primo. & in 4. d. 10. q. 1. num. 16.

Petes secundò, An habeat partes? Dico quòd partes substantiales habet; illas enim non habet per quantitatem. Si dicas quòd est ens in potentia; ergo si conseruetur sine forma esse, erit sibi accidens. Dico quòd falsum est, quia sicut homo essentiam propriam habet extra omnem intellectum, sic & esse; & tunc etiam haberet illud esse, sicut & essentiam. Si etiam dicas, materia sic existens sine forma habet saltim respectū ad Deum conseruantem; igitur habet aliquam formam. Dico sicut dictum est suprā dist. 1. quòd ille respectus est idem realiter cum materia, nec est forma addita, qualibet enim essentia creata non est aliud quam dependentia sui ad Deum.

DIFFI

DIFFICULTAS V.

Utrum materia prima sit de essentia corporis substantialis.

Cestum est materiam esse partem compositi substantialis, quod sapius supposuimus in hoc libro, ex communi Peripatheticorum consensu; solum est difficultas utrum sit pars essentialis ipsius.

ARTICVLVS I.

Proponuntur diuersa placita, & impugnantur.

64. **P**artem negatiuam tenet Auerroes 7. Metaphysicæ. Iandunus ibidem, & alij antiqui, asserentes materiam esse vehiculum formæ; formam verò esse totam quidditatem compositi, ita ut si anima in resurrectione vniretur alteri materiæ quàm prius, adhuc esset idem homo numero propter vnitatem animæ, quæ dicit totâ quidditatem hominis. Fundamētum istius sententiæ sunt plures autoritates Philosophi, in quibus asserere videtur formam esse quidditatem compositi, quas expendemus inferiùs, & retorquebimus contra istâ sententiam. Sed hæc sententia falsa est, & eam sic impugnat Doctor lib. 3. sententiarum distinct. 22. quæst. vnica. §. contra ista, num. 5. Sed vltà contra conclusionem in generali sensu qui dicunt quod materia est extra rationem quidditatis substantiæ, scilicet ignis, vel hominis, arguo sic. Essentia substantiæ ignis est sufficiens ratio intrinseca igni essendi substantiam, circumscripta quacunque alia re ab essentia (non dico modò alia realitate, quia bene facio differentiam inter rem & realitatem;)

impugna-
tur prior
sententia.

Res &
realitates
differunt.

igitur si essentia ignis dicit solam formam habes in circumscripta omni alia re a forma, forma Logica erit sufficiens ratio igni ipsi essendi ignem quæst. 6. & substantiam; igitur ignis esset verè diffic. I. ignis, si sola forma ignis esset, & hoc dicerem si tenerem opinionem, & hoc est destruere omnem materiam. Maior patet de se, quia sicut albedo est sufficiens ratio essendi album, ita humanitas essendi hominem & igneitas ignem. Si ergo sola forma ignis esset & nulla materia, forma esset sufficiens ratio habenti eam essendi ignem. art. I.

Præterea cuius essentia est secundum se incausata, ipsum est secundum se incausatum; quia quod aliquid causetur per se, & non eius essentia, qua est idem sibi per realem identitatem, omnino nihil est dicendum: patet igitur maior. Ergo eodem adito utrobique illud cuius essentia est incausata à causis intrinsecis: sed si quidditas, vel essentia rerum materialium non includit materiam, esset incausata à causis intrinsecis; quia non habet materiam causam sui, & per consequens est incausata materialiter: sed frustra poneretur materia in substantia materiali, nisi esset causa sui; ergo sequitur, quod si verum est, quod concessum est, quod materia nihil est.

65.

Præterea ens completum in genere nulli alteri vnitur ut faciat per se vnum cum eo, sed tantum faciet cum alio vnum per accidens, vel aggregatione. & ratio huius est, quia illa qua faciunt per se vnum, non sunt entia completa per se in genere, sed tantum principia rei completa in genere. Si igitur forma ignis est quidditas completa in genere, ut tu dicis, quia non potest contrahi ut sit perfectior per materiam, vel aliquid tale; tunc forma ignis nulli alteri poterit vniri, ut faciat cum eo per se vnum ens in genere per se. Igitur hic ignis non erit ens per se. Vel si sic, non habet materiam, sed solam formam, quod est aequè inconueniens, & si habet materiam

66.

riam, est ens per accidens, vel aggregatio-
ne, sicut aceruus, quod est contra Philoso-
phum 7. Metaphysica cap. 5. textu 15.
quia compositum per se generatum per se
est unum, 8. Metaph. aliàs esset minus
unum, quàm terminus augmentationis, vel
alterationis.

67. Præterea quod non includit aliquam
quidditatem in genere, nec aliqua quid-
ditas in genere includit ipsam, illud non
est in genere, nec per se, nec per accidens.
non per se, patet, quia sola illa sunt in ge-
nere per se, quæ includunt quidditatem, ut
individa, vel quæ sunt ipsa quidditas, ut
homo vel humanitas, nec per accidens, vel
per reductionem, quia quod est sic in genere,
includitur in aliquo quod est per se in ge-
nere. si igitur materia non includitur in
quidditate hominis, nec includit. (hoc est
certum.) nullo modo igitur est in genere:
at quod non est in genere, nihil est, vel est
Deus: sed materia non est Deus, igitur
est nihil.

Præterea, rationi materia secundum se
non repugnat esse communis diversis ma-
terijs, in diversis individuis, sicut nec re-
pugnat rationi forma esse communis di-
versis formis in diversis individuis: igitur
ab hac materia ignis & ab illa potest
abstrahi communis ratio materia, sicut
ex hac forma & illa, communis ratio for-
ma: sed ex forma & materia sic abstra-
cta, fit compositum per se abstractum in
genere, quia fit ex eis per se unum, quia
hac potentia & ille actus in communi: sicut
hac materia & hac forma, quia hac po-
tentia & hic actus in speciali faciunt
unum hoc signatum; illud ergo compositum
sicut est per se unum, ita habet quiddita-
tem per se unam, & sicut sua entitas, vel
unitas includit per se materiam & for-
mam, sic & sua quidditas, & hoc probatur
per Philosophum 5. Metaphysica cap. de

Causa & effectus
proportio
nantur si
causa, textu 3. & 2. Physicor. textu 38.
causa & effectus proportionantur, si ge-
nere, genere, si numero, numero. Et hoc

expressius dicit Philosophus, & comment.
12. Metaph. textu 27. & 18. Igitur
sicut illud est unum compositum in genere,
sic habebit causas componentes in genere,
scilicet materiam & formam in communi,
& illa duo sicut includuntur in quidditate
eius, sic & in unitate.

genere,
genere: si
numero,
numero:

Præterea 7. Metaph. text. 39. vult Phi-
losophus quod sicut ex hac materia contra-
cta cum hac forma fit hoc individuum ulti-
matè, ita ex materia communi, & forma com-
muni resultat quidditas communis. Cuius
probatio est, quia facere per se unum in sin-
gulari, convenit huic materie & huic for-
ma, & illi materie & illi forma: igitur
hoc convenit eis per aliquid commune, cui
primò convenit facere per se unum cum
alio; & hæc est materia in communi, &
forma in communi. Nam ratio quare hæc
forma facit per se unum cum hac mate-
ria, est quia hic est actus & illa potentia,
& hæc ratio, scilicet esse potentia & esse
actus convenit per se pluribus: igitur per
aliquid commune eis, quod non est, nisi per
materiam & formam qua primò faciunt
unum: sed omne per se unum habet per se,
quod quid est: igitur.

Secunda sententia fuit Magistri,
teste Scoto in 4. distinct. 44. quæst. 1.
§. circa istam, num. 3. assertentis ad
essentiam cuiusvis hominis pertinere
solam illam partem materię quam
accepit à parentibus, quia hæc semper
perseverat, ex illo Christi Matth. 19.
Omne quod intrat in os, in ventrem vadit,
& in secessum emittitur, vbi significatur
nullam materiam in alimento acce-
ptam perseverare cum præexistenti.
Probatur ratione, puer mortuus re-
surgit in magnitudine quam habitu-
rus esset si perveniret vsque ad 33.
annum; ergo illa materia parva suf-
ficit ad statum perfectum; ergo ca-
solum pertinet ad cuiusvis hominis
essentiam.

68.
Sententia
secunda

Hæc etiam sententia falsa est. nam
non

Refertur
114.

non perseverat in genito tota portio à parentibus accepta, cum calore naturali, per totum corpus diffuso, & per omnes viventis partes illa portio ex patiat, quia agens naturale approximat non potest non agere; ergo aliquid portiois deperditur, & alia noua pars materiæ acquiritur; ergo sicut prima est de essentia compositi physici, ita quæ de nouo acquiritur, cum vtraque sit eiusdem rationis. Secundò probatur ex Aristot. 5. Physic. afferente vnum continuum esse vnum numero: sed vt viuens augeatur per nutritionem, coniungit sibi nouam partem materiæ, vt deperdita reparatur; ergo ad essentiam hominis non solum præexistens materia, sed quæ præexistenti vnitur, spectat.

69. Ad fundamenta istius sententiæ responderetur verba Christi non tollere conuersionem alimenti in substantiam aliti, sed explicare solum qualiter partus impuriore conuertantur in excrementa. Ad instantiam de puero resurgente in ea magnitudine quæ esset habiturus si viueret vsque ad 35. annos; responderetur concedendo, omnes in ea ætate esse resurgendos; tamen illa materia pueri non sufficit ad statum perfectum, & tantam magnitudinem, sed Deus aliunde suppleuit materiam quæ deficit illi puero.

Tertia sententia est Durandi in 4. distinct. 44. quæst. 1. afferentis, materiam primam in communi esse partem essentialem compositi in communi: sed materiam particularem non esse essentialem compositi particularis, v. g. Petri, vel Pauli, quos ait eisdem esse, licet varietur materia. Fundamentum sumit ex Philosopho 7. Metaphysicæ, afferente materiam primam *neque esse quid, neque quale, sed omnium formarum receptiuam*; ergo de se non est hæc, vel illa, nisi ob diuersi-

tatem formarum; ergo licet Petrus amittat suam materiam, & recipiat aliam in resurrectione, erit idem numero homo, & per consequens hæc numero materia non erit pars essentialis compositi. Quæ sententia satis probabilis videtur mihi, tum propter Philosophi autoritatem, tum propter alia quæ obiiciemus inferiùs contra nostram conclusionem: & roborari potest hæc sententia, quia si ex sententia Doctoris, idem numero filius productus ab vno patre poterat ab alio produci; ergo idem numero filius ex diuerso semine, vel ex diuersa materia potest generari; ergo hæc numero materia non est de essentia istius compositi, sed aliqua materia hæc, vel illa. Secundò si ex materia vnus hominis alius generaretur, quod contingere potest in illis partibus, in quibus homines humanis vescuntur carnibus, & iste genitus ex materia alterius statim moreretur, tunc sic de fide est quòd vterque resurgeret; ergo vnus sine materia. Vel Deus suppleuit illam, alia distincta, nihilominus tamen non variaretur indiuiduum; ergo hæc numero materia non est de essentia istius numero compositi.

Impugnari tamen potest hæc sententia, quia sicut se habet materia in communi, ad compositum in communi; ita materia particularis ad compositum particulare: sed materia in communi est pars essentialis compositi in communi; ergo & particularis materia compositi particularis. Maior patet ex Arist. 7. Metaph. c. de causis, & 2. Phys. vbi ait quòd causa & effectus proportionantur, si genere, genere, si numero, numero. Confirmatur, nam nullo alio fundamento sancti Patres probant veritatem resurrectionis, nisi quia illudmer corpus resumendum est ab anima quod informauit in hac vita,

70.

non con-
tinuum
est vnum
numero.

Sententia
tertia.

vita, & sic concludunt eundem numero hominem resurrecturum: sed si variata materia non variatur compositum, hoc argumentum non habet vim; ergo. Sed hæc ratio communis est & inefficax. nam concessa opinione Durandi, argumentum stat in sua vi. nã si variata quavis materia resurget idem numero homo, ex reunione formæ, quanto magis invariata materia; ergo argumentum in quavis sententia stabit in sua vi. Solum autem hæc ratio potest aliquam habere vim quatenus in illo argumento supponunt Patres idem corpus reassumi in resurrectione.

Supponit: Patres idem numero corpus reassumendum esse in resurrectione non nisi sima.

ARTICVLVS II.

Explicatur vera sententia.

71. **V**era sententia & communis in Peripathetica schola affirmat materiam esse de quidditate compositi, & singularem materiam de quidditate compositi singularis, tenet Scotus expressè in 3. distinct. 22. quæst. 1. num. 13. & supponere videtur in 2. dist. 12. per totam, & in 7. Metaph. quæst. 16. num. 6. & per totam, licet hic solum probent argumenta materiam in communi esse de quidditate naturæ in communi. tenet ibidem Antonius Andreas quæst. 12. & omnes Scotistæ, S. Thom. 1. part. quæst. 75. artic. 4. & eius discipuli probat Doctor in 3. vbi supra §. *contra*, num. 4. Primò authoritate Augustini 13. de ciuitate cap. vltimo dicente, *hoc verum est quòd non totus homo, sed pars melior anima est, nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis: sed cum est utrumque coniunctum, simul habet hominis nomen*, ergo quidditas hominis includit materiam. Secundò probat authoritate Damasceni cap. 49. vbi hæc habet, *plures hypostasises hominum sunt, amnes au-*

tem eandem recipiunt rationem naturæ, omnes enim ex anima compositi sunt & corpore, vbi hæc habet Doctor, Nota quòd vult quòd omnes hypostasises hominum participant eandem rationem naturæ, per hoc scilicet quòd qualibet hypostasis componitur ex corpore & anima: igitur sic componi conuenit natura quam participant, & hoc contra Hug. & alios qui dicunt quòd alterum tantum est homo, contra Magistrum est, quia ista composita faciunt hominem.

Præterea Damasc. cap. 58. contra hereticos dicentes Christum habuisse corpus de celo assumptum, & tamen per virginem transiens, arguit quòd habuit veram carnem de virgine substantialiter sumptam; aliter non esset homo vniuocè nobiscum. Sed hoc argumentum nihil valet, si caro non est de ratione hominis, quia habendo animam eiusdem rationis, esset homo eiusdem rationis, si corpus, vel caro esset extra rationem hominis.

Ratione etiam probatur. nam circumscripta quavis re essentia ignis, est sibi sufficiens ratio essendi ignem, sicut humanitas est sufficiens ratio essendi hominem: sed circumscripta materia ignis, sola forma non esset hæc sufficiens ratio; ergo. Probatur minor, quoniam si forma sufficeret, iam materia esset superflua: vnde optimè inferunt Theologi cum Doctore in 3. iam citato, Christum Dominum in triduo mortis non fuisse hominem, etiam si haberet animam sibi vnitam, quia partes illæ nõ erant vnitæ, & neutra sola est quidditas completa hominis.

ARTICVLVS III.

Obiiciuntur aliqua contra nostram conclusionem.

Obiicies primò cum authoribus primæ sententiæ, Aristotelem *Obiectis* 5. Metaph. *prima*.

5. Metaph. cap. 2. dicente formam esse rationem & quidquid dat esse rei; ergo ea sola est de quidditate compositi. Resp. Aristotelem vocasse essentiam rei, non quia sit tota quidditas, sed quia pars praecipua compositi.

Dilui-
ta.

Obiectio
secunda.

Secundò obiectis Philosophum 7. Metaphysicæ cap. 5. textu 22. vbi asserit quod materia est, qua res potest esse & non esse; ergo si materia esset pars quidditatis, quidditas posset generari & corrumpi. quod est contra eundem Philosophum, ibidem textu 20. & 21. vbi vult quod quaecunque concipiuntur sine materia, vt rationes speciei solùm, hæc non corrumpuntur; ergo in quidditate rei, ex mente Philosophi non includitur materia. Hoc argumentum retorquet contra ipsos Doctores, quia sequeretur ex eorum obiectione, quod de corpore naturali non possent demonstrari passiones: sed hoc est falsum; ergo. Prima sequela probatur, nam demonstratio est vniuersalium, sicut scientia ex 7. Metaph. textu 53. & 1. Posteriorum textu 43. sed corruptibilitas est passio hominis; ergo si non probatur de essentia vniuersali, non poterit de homine demonstrari: sed essentia per vos non cõcludit corruptibilitatem; ergo de homine non potest hæc passio demonstrari, quod est falsum. Tunc sic, sed illud quod caret materia, non est corruptibile, quia quamuis mixtum corrumpatur, quia est ex contrarijs, non tamen esset mutua actio, nisi quia aliquid in potentia est, quod possit aliam formam recipere, etsi etiam corpus simplex agat in simplici ratione contrarietatis, prima tamen radix est materia cum priuatione, qua est in potentia vt transmuetur ad aliam formam, vt aër ad aquam, & è conuerso, ita quod mediunt immediatum, ad quod constat resolutio vt cor-

§ Ratio
50 n. 9.

ruptibilitas demonstratur de corpore aliquo, est materia; igitur materia includitur in quidditate corporis. Aliter hæc conclusio, corpus est corruptibile, non plus sciretur de aliquo composito, vel quidditate composita, quam de Angelo, quod falsum est. Vnde de corruptibilibus potest esse vera demonstratio in vniuersali, ita quod demonstratiua ostenderetur talia esse corruptibilia, neque est medium ad hoc, nisi quia habent materiam; cum igitur scientia naturalis sit vera scientia, & vniuersalium, sequitur quod corpus mixtum in sua vniuersali, siue generali ratione & quidditate includit materiam; licet enim nunquam corrumpatur actu, nisi in hoc corpore, tamen de hoc corpore non demonstratur passio primò, sed de corpore in communi.

Quomodo
materia
est
causa
corruptio-
nis.

De cor-
ruptibili-
bus potest
esse vera
demon-
stratio in
vniuer-
sali.

Facta autem hac redargutione mirabili quadam doctrina, mentem explicat Philosophi, & sic respondet: Respondeo tamen ad formam cum dicitur quod materia est qua res potest esse & non esse. Dico quod Philosophus in 7. cap. de part. diffic. legitur vario modo de istis tribus, species simul totum & materia, & equiuocatio nominum multoties decipit. Ideo primò videndum est de equiuocatione istorum, & post per hoc ad formam argumenti, speciem enim aliquando accipit pro forma, qua est altera pars rei composita; aliquando pro forma totius, vt humanitate, de qua in eodem cap. speciem autem dico quod quid erat esse, vbi etiam dicit quod materia est pars talis speciei. Aliquando accipit speciem pro vniuersali abstracto, cuius scilicet vniuersalis abstracti, primò est ipsam quod quid est, sicut cap. de part. diffic. quasi in principio mota questione de partibus definitionis dicit, ex quibus est speciei ratio, & accipit ibi speciem pro vniuersali abstracto, sicut infra cap. 9. vniuersalis & speciei est definitio.

73.

verbal.
ad primũ
num. 14.

Triplex
acceptio
nominis
species.

Similliter, simul totum aliquando
Y y accipit

74.

Triplex
acceptio
nominis
simul to-
rum.

accipit pro composito ultimam contractam; aliquando pro composito in universalibus: sicut esse autem accipit simul totum, pro indivisibili duo substantia composita, quia illud nihil in sua ratione continet, quare sibi repugnet recipere predicationem naturae, siue quod quid est, imò quod quid est hominis, predicatur de hoc homine, licet non primo. Sicut enim substantia composita abstrahit a tempore & ab esse existentiae, ita hic homo & tota coordinatio illius generis, & ita individuum hominis: ut hic homo abstrahit a tempore sicut homo; sed strictè per simul totum intelligit hunc hominem, vel lapidem existentem: & talia generantur &

Simul totum pres-
sè sum-
mitur pro
indivisi-
bilibus sub-
stantia
materia-
lis.

corrumpuntur, & de talibus non est propriè definitio, nec scientia; quia talia dum abstrahuntur a sensibus, nescitur an sint, vel non, sed illorum in absentia est tantum opinio.

Actio gene-
ratis
terminatur
ad
esse indivi-
dui.

Est arguatur, quòd hic homo existens est tantum ens per accidens; ergo seorsum ens per accidens generatur, & non ens per se. Dico quòd actio generantis terminatur ad esse: & quamquam esse existentia huius hominis non sit res alterius generis, & pro tanto, cum cuius est, non faciat ens verè per accidens: tamen hic homo abstrahit ab esse existentia, & ideo non est de intellectu eius, propter quòd Logici dicunt quòd faciunt unum conceptum per accidens, tamen, realiter loquendo, hic homo existens corrumpitur & generatur, & hoc vult Philosophus ibidem, ita quòd quamvis hic homo possit dici generari, tamen non nisi necessariò concomitante esse existentia tanquam termino generationis.

Duplex
acceptio
materiae.

Similiter materiam aliquando accipit ibi, ut non contractam per aliquid adueniens sibi, sed solam ut est principium potentiale eius cuius est: & sic accipiendò materiam, materia est pars quidditatis in compositis materialibus. Aliquando accipit materiam contractam per indivi-

dualitatem, & sic est de esse simul totum, ut distinguitur contra formam, ut forma accipitur pro universalibus abstracto, & hoc est accipere materiam ut est pars indivisibili substantia, non autem ut est pars ipsius quòd quid est.

Aliquando accipit materiam magis contractam ut contrahitur per accidens, sicut materia syllabarum diceretur cera: sed hoc accidit quia cera potest esse sine syllabis, & syllaba sine ea. Sumitur etiam aliter per accidens, & tamen necessariò sicut semicirculus est pars materialis circuli, quia non cadit in definitione circuli, nec est pars essentialis, sed integræ: tamen semicirculus semper habet semicirculum, & est materia propinquius se habens circulo quam arcus, cum in arcu sit rotunditas illa, hoc in illo cap. supradictò.

Per hoc ad formam argumenti, cum dicitur quòd aliquid dicitur corruptibile ratione materiae, dico quòd corruptibile potest dicere potentiam propinquam ad corruptionem, vel remotam. illud est corruptibile potentia remota quòd habet in se, unde possit dici corruptibile: non tamen potest exire in actum, nisi prius fiat in potentia propinqua: sicut calefactivum dicitur quòd habet calorem, non tamen potest calefacere, nisi sit approximatum passo. Illo modo dicitur ignis corruptibilis, & est predicatio de secundo modo, sicut color est visibilis: sed tamen ignis non est in potentia propinqua ad corruptionem, nisi sit in esse existentia: sicut nec ignis generatur proxime, sed hic ignis existens; tunc dico quòd illud quòd est generabile, & corruptibile, proxime habet materiam contractam per esse existentia: sicut enim materia est causa proxima corruptionis, isto modo quòd quid est, non est proxime corruptibile, & ideo nec habet in sua ratione materiam, ut est proxima ratio corruptionis, ut scilicet est sub actuali existentia, nec plus concludit ratio. Unde licet quidditas hominis, v. g. non sit sola materia;

Alia ac-
ceptio ma-
teriae.

75.

Ignis non
existens
qualiter
corrupti-
bilia.

materia; sed quid ex materia & forma resultat, nempe humanitas illi prouenit corruptibilitas à materia, & non à forma; tamen hæc quidditas nequit corrumpi, nisi secundum existentias. nam hæc est proxima, & completiua ratio non corruptibilitatis, quia hæc est à materia, sed actualis corruptionis defectu, cuius existentiae rerum quidditates ex mente Philosophi nequeant corrumpi.

76. *Argumentum tertium.* Tertio arguitur, quod quidquid est, est principium per se cognoscendi illud cuius est: igitur quod secundum se est ignotum, non includitur in ratione ipsius quod quid est. huiusmodi est materia secundum Philosophum in 7. cap. de partibus differentiae textu 35. ergo. Hoc argumentum etiam retorquet in oppositum num. 10. his verbis. Præterea secundum argumentum cum arguitur, quia quod quid est, est principium cognoscendi illud cuius est, ex hoc concluditur, materiam includi in quidditate, quia res non potest cognosci, nisi cognitis causis, secundum Philosophum 2. Metaphysica textu 17. & 1. Physicorum & 1. Posteriorum. Dicit enim quod si causa essent infinita, nihil contingeret cognoscere, & exemplificat, tam in causis materialibus, quam in alijs; & ratio sua est, quia tunc cognoscimus rem cum causam eius cognoscimus: infinita autem causa si essent, non possent pertransiri; igitur nihil posset cognosci. Si ergo nihil est necessarium ad cognitionem rei, nisi quod quid est, & materia est necessaria, secundum Philosophum, sequitur quod materia includatur in quod quid est, quia si materia non includitur in quod quid est, quod est principium cognoscendi, tunc perfecte res posset cognosci, quamuis causa materiales essent infinita, homo enim perfecte cognoscereur, non obstante infinitate causarum materialium. Unde ad formam

argumenti respondet Scotus num. 16. Dico quod habens materiam partem sui non cognoscitur, nisi cognita materia: nunquam enim homo haberet scientiam de substantia composita, nisi cognosceret materiam; aliter omnis cognitio scientifica, esset simplicium & immaterialium, secundum quod scientia est de rebus. Quamuis ergo requiratur cognitio materia ad hoc, quod cognoscatur substantia rei materialis: aliter tamen est causa cognoscendi materia, & aliter forma: sicut enim causa differunt in perfectione & entitate, & causalitate, in causando entitatem causati; ita est in causando cognoscibilitatem eius: sicut enim forma est magis ens, quam materia; ita magis causat & entitatem & cognoscibilitatem. Similiter quia materia non habet esse perfectum in effectu nisi per formam dantem esse tale ultimatum in effectu; ita forma facit cognoscere etiam materiam, utraque tamen sunt una causa integra cognoscendi perfecte compositum. Est igitur materia ignota, quia non est perfecta ratio cognoscendi illud cuius est, nec potest forma, & hoc concludit ratio & non plus.

Et cum dicis quod materia est ignota, hoc pro tanto dicitur, quia forma est aliquo modo ratio cognoscendi materiam. Nam, ut optime notauit in 2. distinct. 12. quaestione 1. §. sequitur, num. 2. licet materia secundum se in sua essentia sit cognoscibilis, quia est entitas absoluta, licet de facto non cognoscatur ob dependentiam intellectus ab accidentibus sensibilibus, tamen cum forma sit magis cognoscibilis à nobis, quam materia, quia habet plures operationes sensibiles, & ut notauit commentator 8. Metaphysic. cap. 12. cognoscimus materiam per transmutationem ex aduentu nouae formae, & quia videmus nouam operationem, cognoscimus ibi esse nouam formam, optime dicitur materia

Forma magis cognoscibilis est quam materia.

77.

teriam cognosci per formam, seu per analogiam ad eam. Vel aliter quod loquitur de cognitione scientifica, & de materia contracta per esse existentia, & ita materia est ignota scientificè, & est causa contingentiæ: & ideo non facit cognitionem scientificam eorum, quorum est materia, sed causat contingentiam in eis, & non possunt fieri, sed illorum est tantum opinio, quia cum sint extra sensum, non habetur de eis nisi opinio, & per hoc non excluditur materia à quidditate rei, quia de illis mutabilibus & corruptibilibus potest haberi scientia in uniuersali, sciendo talia esse mutabilia.

78.
Obiectio
quarta.

Quartò obicitur, quòd in per se habentibus quidditatem quidditas est idem cum eo cuius est, quòd expresse dicit Philosophus in 7. Metaph. cap. 4. & 1. Physicorum textu 69. quòd igitur prohibet quidditatem esse idem cum eo cuius est, non est de per se ratione quidditatis: huiusmodi est materia secundum ipsum ibidem cap. 4. textu 20. in quibuscumque conceptus cum materia non est idem quòd quid est cum eo cuius est. Respondet num. 17. Dico quòd aliquid habet quidditatem per se, & primò aliquid per se, sed non primò aliquid per accidens generaliter; ergo in his que habent quidditatem per se & primò, quòd quid est, est per se primò idem cum eo cuius est (tam in substantiis spiritualibus, quam materialibus.) habenti autem quidditatem per se non primò, idem est quòd quid est per se non primò: habenti autem quidditatem per accidens, solum per accidens est idem quidditas. Tunc ad propositum dico quòd homo habet quiddita-

Homo habet quidditatem per se & primò, sic est sibi idem quidditas: hic homo habet quidditatem per se non primò, & sic quidditas est idem sibi, hic autem homo existens, habet quidditatem per accidens (modo ex se secundo: mente ipsius supra explicato) & ita quiddi-

tas est idem sibi: sed hic homo albus habet quidditatem magis per accidens, & ideo quidditas magis per accidens est idem sibi. Tunc ad formam argumenti dico quòd in conceptis cum materia contracta per existere quidditas non est idem per se cum eo cuius est, sed per accidens ita ad Philosophum; sed in substantiis compositis conceptis cum materia uniuersali abstracta, est idem quòd quid est, cum eo cuius est, secundum quòd expresse dicit Philosophus 7. Metaph. cap. 4. textu 20. singulorum enim non aliud videtur esse à suis substantiis, & quòd quid erat esse singuli, dicitur substantia: sicut igitur aliquid habet quòd quid est, sic est idem sibi.

Ad alias auctoritates cum dicitur, quòd anima est substantia animati, & species & quòd quid erat esse. Dico quòd accipit substantiam, & quòd quid erat esse pro notiori parte definitionis, non autem pro tota definitione. Quòd probet per eundem glossantem se infra in 7. cap. de partibus definitionis textu 36. siquidem altera & non est anima animal, & sic quidem hoc dicendum: hoc autem non dicendum, sicut dictum est. Sicut igitur vult quòd non est anima animal, sic nec est definitio animalis, sed principalis pars; ideo dicit: sic autem dicendum, sic autem non, ita quòd uno modo est definitio, alio modo non.

Hanc autem esse mentem Philosophi optimè probat Doctor 6. Rationes, num. 12. nam Philosophus 8. Metaph. cap. 3. textu 5. & 6. & 1. de anima text. 16. recitat opinionem quorundam definentium res materiales, aliquorum per materiam tantum, aliquorum per actum tantum, aliquorum per utrumque, & isti ultimi secundum ipsum perfectè definiunt, unde commendat Architan, qui tam materiam, quam formam complexus est in definitione. Præterea 8. Metaphysic. cap. 3. textu 9. vult quòd terminum, id est, definitionem oportet esse

homo autem existens per accidens generaliter.

Substantia versus Philosophus pro notiori parte definitionis.

79.

Definitio debet esse oratio longa.

se orationem longam, & hoc quidem ut materiam, illud verò ut formam esse in definitione. Præterea in 7. de partibus definitionis text. 359. concludit conclusio- nem probatam quod materia est pars speciei; speciem autē dico quod quid erat esse.

80. *Obiectio quinta.*
Enda- ur.
 Obiicies quinto hominem est equū, distingui essentialiter non per materiam, quia in illa conueniunt; ergo per formam qua distinguuntur. hæc ergo est tota quidditas rei. Respond. quod physicè loquendo nec distinguuntur præcisè per materiam, nec per formam, sed per tertiam entitatem ex vtraque resultantem, realitèr- que distinctam ab eis. Ratio est conspicua, quia differentia essentialis rei sumitur à tota entitate ipsius rei, vt dicemus cum communiori recentiorum sententia in Metaph.

Obiectio sexta.
 Obiicies sexto, materiam primam comparari ad res naturales, sicut compositum ad arte facta: sed compositum, seu materia secunda non est pars essentialis arte factorum; ergo neque materia prima rerum naturalium. Respond. negando paritatem, nam ex materia & forma substantiali fit vnum per se, quia vtraque pars est essentialis: at ex materia secunda & forma artificiali non fit vnum per se, quia materia secunda non est pars essentialis arte factorum; assimilantur tamen in indifferentia, vt diximus suprà diffic. 2. art. 3.

Obiectio septima.
 Obiicies septimò cum Durando, Aristotelem 7. Metaph. dicentem, materiam primam neque esse quid, neque quale; sed omnium formarum receptiuam; ergo de se non est hæc, vel illa, nisi ob diuersitatem formarum: igitur licèt Petrus, v. g. suam amittat materiam, & aliam recipiat in resurrectione, erit idem numero homo, vnde manifestè videtur inferri materiam non esse de quidditate hominis in parti-

culari. Respond. Philosophum solum intendere materiam esse entitatem incompletam & necessariò spectantem actum formæ vt possit componere completam quidditatem. Vtrum autem eadem numero forma in duplici materia causet distincta indiuidua, dicemus quæst. 5. diffic. 3. art. 3. num. 40.

Obiicies octauò, eundem hominem perseverare in toto vitæ decursu, licèt per nutritionem continuam adquirantur nouæ partes materiæ distinctæ ab his quæ accepit in prima generatione; ergo ista, vel illa materia particularis non pertinet ad quidditatem compositi, sed materia in communi. Respond. non variari integram materiam, sed aliquam eius partem, & sic est idem indiuiduum: sicut Petrus senex nō differt à se ipso iuvene, quia semper aliquæ partes durant in composito in quibus identitas indiuidui fundatur. legite Fabrum theoremate 28.

Obiicies nonò eandem numero materiam pertinere ad essentiam diuersorum hominum, vt constat ex illis, qui humanis vescuntur carnibus; ergo cum vna materia sit in diuersis hominibus, erit impossibilis resurrectio alterius, quia non poterit eandem numero reassumere materiam. Respond. Doctor in 4. distinct. 44. q. 1. §. de secundo. num. 15. & §. ad argumenta, num. 18. his verbis, *Ad aliud credo, quod nunquam fuit neque erit vsque ad finem mundi, aliquid aequè de veritate humana natura in duobus suppositis; & ideo resurget præcisè in vno, in quo magis fuit de veritate, magis, inquam, vel quia magis de intentione natura pars eius: si autem omnino contendatur quod simpliciter & equaliter fuit de veritate natura vtriusque; dico quod resurget in illo in quo prius fuit animata, & hoc*

Diluitur.

81. *Obiectio octaua.*

Responsio.

Petrus senex in differt à se ipso iuvene.

82. *Obiectio nona.*

Solutio.

dicit Augustinus, in Enchirid. cap. 85. & ponitur in litera, redditur illi anima, qua illam primitus ut homo fieret animavit; & istud est rationabile, quia post primam animationem facta est illa caro illius hominis, & per consequens, etsi postea quasi usurpetur ab alio, non amittitur illa prima habitudo eius ad hanc materiam.

Si autem illi, in quo fuit secundo de veritate, natura sufficiant ad quantitatem debitam, partes alia qua fuerunt corporis sui, in successione vite sue per nutritionem, ex illis reparabitur corpus debite quantitatis: quia ista fuerunt animata ista anima, & essentialiorem ordinem habuerunt ad illam animam, præter illud quod in alio resurget; quia ad aliam animam habuit essentialiorem habitudinem quam ad istam. Si verò præter illud, quod in alio resurget, partes nutrimentales, quas ille successivè habuit, non sufficiant ad debitam quantitatem corporis illius, supplebit, unde voluerit, omnipotens.

ARTICVLVS IV.

Utrum materia prima sit radix corruptionis.

83. **H**abemus ex superioribus articulis materiam primam non solum in communi, sed in particulari esse de essentia & quidditate compositi. Venit tamen dubitandum qualiter radix & principium corruptionis dicatur.

Comune placitum.

Communis sententia affirmat materiam primam, quantumvis ex se incorruptibilem & ingenerabilem, esse primam corruptionis radicem. tenet D. Thom. 1. parte quæst. 66. art. 2. & 2. contra gentes cap. 55. & Soncinas & Metaph. quæst. 29. Masius in præfenti cap. 9. sect. 2. quæst. 12. in solutione ad 3. Oñia in hoc libro q. 3. art. 10. Noster tamen Doctor eandem tenet

opinionem lib. 3. sententiarum dist. 12. quæst. 1. §. quantum ergo. vers. per hæc ad formam argumenti, num. 15. sub distinctione tamen loquitur, docet enim materiam in communi esse principium remotum corruptionis: eandem autem per existentiam determinatam proximam radicem, quod articulo præcedenti iam explicuimus.

Dico primò. Principium corruptionis à forma & materia est, quantumvis materia non satiatur forma, & hæc non satiat materiam. Probatur, nam si forma satiaret appetitum materię, compositum non esset corruptibile, quia materia nunquam esset sub alia forma, cum ipsam non appeteret; ergo corruptibilitas tam à materia, quam à forma procedit. Confirmatur, quia cælum non corrumpitur de facto, ex dicendis lib. de cælo: & tamen materiam communicat cum his inferioribus, nam eadem est in specie, ex dicendis ibidem; ergo hæc incorruptio provenit à forma. In his igitur qui corrumpuntur, utraque pars erit principium corruptionis.

Dico secundò facta collatione inter utramque partem materia est prima radix corruptionis. Probatur, nam quamvis ex dicendis in libris de generatione accidentia subiectentur in toto composito, quæ sunt causa corruptionis; nihilominus primum subiectum istius compositi est materia; ergo hæc est radix & primum principium corruptionis. Confirmatur, quia privatio, quæ maximè requiritur ad generationem, se habet ex parte materię. nam si ipsa non esset priuata forma generanda, nec præexistens corrumpere; sed privatio se tenet ex parte materię. hæc igitur erit prima radix corruptionis.

Obiicies primò, si materia nostra actuaretur cælesti forma, compositum

84.
Conclusio prima.

85.
Conclusio secunda.

Obiectio prima.

tum ex vtraque coalescens esset incorruptibile; non ergo materia, sed forma est radix corruptionis. Respond. concedendo antecedens, & distinguendo consequens; forma sola nego consequentiam, forma coniuncta materiae concedo.

86. Si autem petas vnde proveniat hanc nostram materiam sublimarem, non esse satiata sua forma, sicut materiae caeli propria forma satiata est. Respond. ex dicendis in libris de caelo neutram materiam sua forma satiari, quia cum vtraque sit eiusdem speciei, vtraque consequenter aequaliter appetit omnes formas, ex dictis diffic. 3. à num. 40. Inde autem provenit incorruptibilitas quod hanc forma caeli talibus dispositionibus conservatur, quae nullis accidentibus contrariis vincuntur, & ita nec fit dispositio ad generationem novae formae; nec ad corruptionem praexistens. Dicemus enim in libris de generatione materialia accidentia ad generationem, & corruptionem disponere.

Obiicies secundò, sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio est causa negationis, ex Arist. 1. Posteriorum: sed actus formalis compositi est ad formam; ergo non esse talis compositi à non esse formae promanat & provenit. Respond. formalissimè loquendo corruptionem provenire ex defectu formae; prima tamen radix istius corruptionis est materia, quia appetendo formam contrariam praexistens expellitur ab ea & corrumpitur, sicque efficitur corruptio compositi.

Obiicies tertio quod ex Philosopho lib. 1. Posteriorum cap. 2. Propter quod unumquodque tale est, illud magis: sed compositum est corruptibile per materiam; ergo nec magis cor-

ruptibile est quam compositum, quod falsum esse diximus quaest. 3. diffic. 1. art. 2. dicto 8. Respond. illam maximam Aristotelis intelligendam esse habere veritatem quando praedicatum illud commune est causae & effectui: vnde non bene inferitur, Homo habet esse creatum à Deo; ergo Deus magis creatus est quam homo. quia praedicatum non est commune causae & effectui; ideo argumentum non convincit in materia prima, quae ingenerabilis & incorruptibilis est, aliàs ex dictis ubi supra non esset primum subiectum generationis. nam quod generatur, aliud ex quo generetur supponit.

Propter quod unum quodque tale & illud magis. Diluitur.

DIFFICULTAS VI.

Utrum in materia prima sint dimensiones interminatae.

87. Certum est materiam primam esse & secluso quovis accidenti, omni dimensione tam terminata, quam interminata carere, illa enim solum habet entitativas partes, nec occupantes locum, nec mensurabiles, haec enim est proprietas quantitatis, quam nullus participat, nisi eius virtute & inhaesione; solum ergo sub hoc titulo inquitur illa celebris difficultas, utrum quantitas sit materiae coaeterna, ingenerabilisque ac incorruptibilis, ita quod omnes formas substantiales antecedat, an subsequatur formam substantialem, & more caeterorum accidentium generetur & corrumpatur. Vocatur autem à Doctore in 2. distinctione 3. quaestione 4. §. ex quarta via, num. 10. quantitas interminata aptitudinalis extensio, terminata verò actualis, habens in actu certum

Responso.

Materiae calis appetit omnes formas.

Obiicio secunda.

Obiicio.

Obiicio tertia. Qualiter intelligitur illud axioma.

*Sua
quantitas
termina-
ta & qua
intermi-
nata.*

certum & determinatum suæ extensionis terminum. Nec modò disputo, an accidentia subiectentur in toto composito, an in materia prima, quia hanc quæstionem in libris de generatione explicamus, ibidémque ostendimus, qualiter accidentia dispositiua antecedant generationem formæ, conseruatiua verò consequantur, & hæc omnia in toto composito siue ex materia & forma corporeitatis in uiuentibus, siue ex materia & forma totius in non uiuentibus, &c. solum ergo restat explicare, vtrum quantitas ita sit coæua, & coætæna materiæ, vt ex se habeat aptitudinalem extensionem, actualémque solum recipiat à forma, an verò vtramque à quantitate recipiat.

ARTICVLVS I.

*Explicatur Auerroistarum sententia,
& nostra stabilitur.*

88.

*Sententia
Auerrois-
tarum.*

A Vetroistæ communiter affirmât, quantitatem concreatam fuisse à principio in materia cum ipsa, antecederéque omnes formas substantialiales, & suapte natura, interminatam esse, variè autem determinari ab agentibus naturalibus pro varietate formarum substantialium quæ inducuntur in materiam, eamque nunquam generari, aut corrumpi ab intrinseco, sed solum extrinsecè & accidentaliter, ratione determinationis formarum diuersarum. nam sicut cera diuersas mutat terminationes ad diuersitatem figurarum quæ ipsi imprimuntur, & sicut sculptor priùs sibi comparat æs, vel marmorem, & postea illam materiam cudendo, dolando, variè formando opus suum artificiosum fingit, & absoluit; ita agens

naturale prius supponit materiam quantam & indeterminatam, postea verò introductione formæ, eam quasi dimittitur & terminat. hanc sententiam tenet Achitinus lib. 1. de elementis dub. 17. & Zabarella in lib. 2. de materia cap. 9. affirmântque esse sententiam Auerrois 1. *Physicorum* textu 63. & 1. cap. de substantia orbis, hos sequitur Pereirus in sua *Physica* lib. 5. cap. 18. qui affirmat hanc fuisse sententiam Aristotelis, Platonis & aliorum. nam Arist. 3. *Physic.* scribit infinitatem quantitatis prouenire ex materia, eius autem determinationem à forma. & in 4. *Physic.* ipsam materiam appellat inde finitum & interuallum; & in 7. *Metaph.* textu 8. innuere affirmat quantitatem primò inesse materiæ, eamque definiri & determinari à quantitate. Idem colligit ex Platone, qui materiam magnum & paruum appellat, quod competere non posset, nisi coæuam haberet quantitatem. Et in eandem sententiam videtur conspirare Simplicius 1. *Physic.* super textum 69. horum autem argumenta obiciemus articulo sequenti contra nostram conclusionem.

Verior & communior sententia 89. negat materiam primam anteadven-
*Verior
sententia.*
tum formæ habere aliquam quantitatem sibi coæuam, seu, quod idem est, habere ante receptionem formæ tres illas dimensiones, quas Auerroistæ concedunt, longitudinem scilicet, latitudinem, & profunditatem. hanc sententiam tenet expressè Doctor in 2. sententiarum, distinct. 3. quæst. 4. §. *contra istam conclusionem*, numero 5. & 6. & §. *contra argumenta*, numero 9. & §. *ex quarta via*, numero 10. & distinctione 12. quæst. 2. §. *Respondet*, vers. & si quarat, num. 5. quare

quatenus affirmat, quod si materia separaretur à forma, solùm haberet partes entitativas; ergo in se non haberet quantitatem. Idem apertè docet in 4. dist. 11. quæst. 2. §. *hac quæstio*, versiculo *contra*, num. 6. Eandem sententiam tenet Angelicus Doctor in opusculo 31. quod est de dimensionibus interminatis, Durandus in 1. sententiarum dist. 8. quæst. 4. Hervæus quodlibet. 2. quæst. 10. Paulus Sonzinas 8. Metaphysicæ quæst. 17. & 18. & communis inter recentiores. Notat tamen optimè Philippus Faber theoremate 3. cap. 2. Antonium Andream 4. Metaphys. quæst. ultima disput. 3. sine fundamento asserere quantitatem esse medium præsuppositionis inter materiam & formam. nam præterquam quod expressè negat Doctor in 2. dist. 3. quæst. 4. vbi supra, nam ibidem confutat illam propositionem affirmantem agens particulare non attingere materiam, nisi quatenus quantam, vnde videtur inferri, Doctorem hâc non dubitativè suam proposuisse sententiam (vt putat Mauritius in margine,) sed affirmativè & ex sententia propria.

Probatur primò hæc veritas ex Aristotele cap. de substantia, vbi habet, *alia omnia vel dici de substantia prima, vel esse in ea. nam secunda substantia dicuntur de prima, accidentia vero in ea insunt: quomobrem sublatis primis substantiis, nihil aliorum remanere possit.* ergo si omnia accidentia subiectantur in composito, quantitas non erit materiæ primæ coæua.

Secundò probat Doctor vbi supra autoritate eiusdem Philosophi 7. Metaphys. textu 4. vbi docet, substantiam præcedere omne accidens, ratione, natura & tempore: sed ibi loquitur de substantia prædicamentali, quæ est composita; ergo alteri parti,

quæ est materia prima, nullum accidens potest esse coænum. huic argumento respondet Pererius vbi supra cap. 20. substantiam compositam esse priorem accidentibus, diuerso tamen modo. nam quibusdam tempore præcedit, nimirum his quæ illi adsunt & absunt præter ipsius corruptionem; aliis secundum rationem & cognitionem, & sic præcedit passionem; aliis secundum naturam, seu perfectionem, & sic præcedit quantitatem interminatam. Secundò dicit responderi posse, substantiam compositam esse priorem omnibus accidentibus terminatis, posteriorem verò interminatis, si non secundum se totam; saltem ratione partis. Eodem modo explicant Philosophum Zabarella vbi supra cap. 9. cum Zimarra theoremate 9. Sed hanc explicationem optimè impugnat Doctor in 2. dist. 3. quæst. 4. §. *contra istam conclusionem*, versic. *ex secunda via*, num. 5. nam hæc interpretatio non est ad intentionem Philosophi, *ita enim probat substantiam esse primam, quomodo probat substantiam esse de numero diuidentium ens, quod est prior omni accidenti, ita scilicet ad determinandum, de omnibus qua diuidunt ens, sufficit determinare de substantia tanquam de primo pro eo quod cognitio accidentium habetur ex eo quod attribuntur substantia: istud autem non potest esse nisi de substantia secundum totalem coordinationem suam: igitur nihil posterius ista coordinatione potest esse ratio formalis, qua aliquid est in ista coordinatione. Ex ratione igitur prioritatis substantia, secundum quod communis est, sufficit determinatio substantia prima, cui conuenit ista prioritas naturalis ad omne accidens; ergo conuenit substantia prima ex ratione sua, quod sit hac prius naturaliter, quam determinetur aliquo accidente.* Ergo ex mente Philosophi substantia non ali-

90.
Dico
Prima

Dico se-
cunda
substantia
precedit
omne ac-
cidens.

quod, sed omne accidens præcedit. *Ens multis modis dicitur secundum Philosophum.* Explicatur amplius, ex ipso Philosophi contextu. nam in continuatione primi textus cum sequentibus primò dividit ens, dicens quòd multis modis dicitur. nam quandoque significat quid, quandoque quale, quantum, &c. & statim subdit, substantiam esse omnibus his modis priorem; propterea in textu 5. determinat quòd vult prius agere de substantia, quia ex eius cognitione venimus in cognitionem accidentium; ergo absolute Philosophus docet substantiam quoduis præcedere accidens. Vnde manifestè inferitur quòd quando in cap. de substantia, vbi supra, affirmat substantiam esse omnium accidentium subiectum, non bene interpretari (vt contrarij præsumunt) de subiecto denominationis, non verò inhætionis.

Ratio tertia.

Materia prima non est in loco.

Tertiò probari potest ex eodem Philosopho 5. Physicorum textu 8. vbi affirmat subiectum generationis, quod est materia prima, non esse in loco: sed si materia prima haberet coævam quantitatem vt subiaceret generationi, iam esset in loco, quia hic deberet quantitati; ergo. Sed ab hac autoritate facile se expediunt contrarij, affirmantes, materiam primam vt præcedit generationem, non habere locum determinatum, de quo loquitur Philosophus, sed indeterminatum, de quo non agit Philosophus; quæ solutio licet gratis detur, impugnari tamen non potest ex Philosophi mente, quia ex contextu non satis constat de qua loquatur. Propterea non alia ratione, quàm supra dicta de prioritare substantiæ impugnari debet.

91.
Ratio quarta.

Quartò subiectum augmentationis & quantitatis est idem; siquidem augmentatio per se tendit ad quanti-

tatem: sed proprium subiectum augmentationis non est sola materia, sed totum compositum, imò augmentatio non fit ratione materiæ, vt docet Philosophus secundo de anima, & primo de generatione; ergo quantitas non est materiæ coævna. Plures alias rationes proponere possemus, quæ magis probant quantitatem subiectari in toto composito, quàm non esse coævnam materiæ primæ; & licet optimè inferatur, Quantitas subiectatur in composito; ergo non est materiæ coævna, nec ipsi immediatè confert interminatam dimensionem; tamen eas nolo expendere in præfenti, quia hanc quæstionem in primo de generatione perlustramus.

Quintò probari potest hæc veritas *Ratio quinta.* ex Averroè in epitome Metaphys. tractatu 2. cap. vii. vbi ait dimensiones interminatas non actu, sed potentia inesse in materia prima; ergo signum est prius materiam informari substantialiter, quàm quantitativè.

Sextò, prius est esse simpliciter, quàm esse secundum quid: sed materia cum quantitate efficiunt aliquid *Ratio sexta.* esse secundum quid; ergo debet præcedere quantitatem aliquid esse simpliciter, hoc est, per formam; ergo. Cui argumento possunt respondere, qui concedunt in materia prima actum entitativum, materiam habere esse simpliciter, & prius natura, esse secundum quid. Sed contrà est quòd licet materia habeat esse incompletum ex se, non tamen esse completum, & perfectum, quod debet supponi, ad compositionem per accidens. quod argumentum satis vrget negantes materiæ primæ actum entitativum, ex quibus est Zabarella. nam si materia prima non habet actum nisi mediante forma; ergo ante istam nequit esse quantitatis subiectum.

Aut, siue terminatè, siue interminatè. nam quod non est actu, nec potest subsistere accidentibus. Plures aliæ rationes congerit Pererius pro nostra sententia, quæ efficaces non sunt, & in ipso possunt videri vbi supra c. 19.

Ratio prima. Septimò probatur, quia substantia secundùm naturæ ordinem prior est quouis accidenti. nam substantia est primum subsistens creatum; ergo prius est quoddam compositum substantiale, quod vera substantia est, producat, quàm quantitas possit determinare substantiam. Notanter dixi secundùm ordinem naturæ, quia ordine generationis plura accidentia dispositiua possunt præcedere suppositum generandum, quæ non subiectantur in materia, sed in composito corrupendo.

Ratio secunda. Octauò probatur, quia forma substantialis nequit determinare quantitatem. Primò. nam adueniente forma iam supponitur materia organizata & terminata. Secundò hunc effectum extensionis nequit anima rationalis, cum spiritalis sit, communicare materiæ; ergo falsum dicitis, quantitatem communicare dimensionem interminatam materiæ, formam verò determinare istam dimensionem.

ARTICVLVS II.

Satisfit aliquibus Auerroistarum obiectionibus.

Obiectio prima. **O**biiciunt primò, materiam de potentia Dei posse existere sine forma, non autem sine quantitate; ergo ante formam quantitas est cœua materiæ. Resp. eodem pacto concedi materiam posse existere sine quantitate ac sine omni forma substantiali, vt diximus ex Doctore q. 3. difficultate 4. art. 7.

Secundò forma non tribuit materiæ esse subiectum, sed supponitur in materia: at ista hoc habet à quantitate; ergo hæc supponitur in materia ante aduentum formæ. Maior est certa. Minor probatur. nam materia per extensionem partium efficitur subiectum receptiuum formæ substantialis: sed hanc extensionem participat materia à quantitate; ergo est illi cœua. Resp. Primò hoc argumento etiam probari quantitatem ante aduentum formæ tribuere materiæ dimensionem terminatam, quia hæc requiritur tanquam dispositio proxima ad informationem, quod ipsi negant. Secundò resp. negando minorem, & etiam probationem illius. nam materia seclusa quantitate habet partes entitatiuas, quibus potest subiaccere substantiæ, vt diximus vbi supra argumento præcedenti. Qualiter autem materia prima organizetur & disponatur ad introductionem formæ, dicemus primo libro de generatione: pro nunc autem supponimus ex dicendis ibidem, quantitatem magnificentem, & extendentem compositum genitum, in ipso subiectari, disponentem autem partes materiæ receptiue præcedere formam genitam, non tamen subiectari in materia, sed in composito corrupendo, modo vbi supra explicando.

Tertiò si materia ante formæ aduentum non esset quanta, sequeretur compositum ex materia & forma non esse quantum. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur sequela ex Aristot. 6. Physic. textu 2. ex non quanto non fit quantum; ergo si materia ante formam non est quanta, cum hoc non tribuat formam, non erit compositum quantum. nam nemo dat quod non habet; ergo quantitas cœua est materiæ primæ.

93.
Obiectio secunda.

Materia seclusa quantitate habet partes entitatiuas.

94.
Obiectio tertia.

Qualiter intelligatur, ex nō quanto non fit quantum.

Resp. negando sequelam, & ad Arist. quod loquitur de quanto integrali, quod necessariò ex quantitativibus debet componi, & non ex indivisibilibus; non tamen loquitur in nostro casu, compositum non habet quantitatem à materia tanquam ex parte integranti, sed tanquam ex efficienti. Verum est etiam quod nemo dat quod non habet, & sic materia coniuncta formæ habet quantitatem virtualiter, non formaliter, & sic pullulat quantitas, sicut propria passio ex essentia, in qua virtualiter continetur.

Obiectio quarta.

Quartò, si quantitas non est materiæ cœua, sed producitur de nouo; ergo debet habere aliquod efficiens. nam omne productum ab aliqua causa producitur: sed hoc non potest esse ipsa quantitas, quia hæc iam esset creata cum materia, nec compositum substantiale. nam omnis effectus si est vnus, ad vnicam causam referendus est; & quamuis à multis producat, non tamen ab eis, vt plura sunt & diuersa, sed vt habent vnum aliquid commune: hoc autem commune non est forma substantialis, quia non est vna in omnibus, nec ipsa quantitas, quia non est forma productiua, vt fatentur omnes; ergo dicendum est esse cœuam materiæ. Resp. concedendo quantitatem non esse formam productiuam, & ab aliquo efficienti causari: hoc autem efficiens neque est compositum præcisè, nec materia, vel forma, sed vtraque pars in composito, à quibus resultat quantitas, sicut qualitates secundæ ex primarum mixtione, ideo à Philosopho vbi supra dicitur affectio materiæ, quia ab ea tanquam à comparte resultat, sicut ab essentia passio, de quibus dicemus in libris de generatione.

Quantitas non est forma productiua.

Quantitas resultat ex entitate compositi.

Obiectio.

Dices, si pullulat ab vtraque parte,

cur à Philosopho vocatur affectio materiæ, & non forma? Resp. primò quod qui concedit esse affectionem materiæ, non negat esse affectionem formæ. Secundò respond. inagis propriè dici affectionem materiæ, quam formæ, quia materialitas compositi cum qua quantitas conformatur, & quam supponit vt magnificet subiectum, principalius provenit à materia, quam à forma: & sic respond. ad Philosophi obiectum contra nos in principio articuli præcedentis. Quando autem obiicitur, ex mente ipsius infinitas quantitatis provenit à materia, determinatio verò à forma, hoc est dicere, materiam ex se nec petere hanc, nec illam extensionem; sicut nec hanc, nec illam formam; sed necessarium esse, vt determinetur & terminatè extendatur quod priùs auctetur à forma.

Solutio.

Quantitas magis proprie componitur ad materiam quam ad formam.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum materia horum inferiorum sit vna specie, vel numero.

DE materia horum inferiorum est præsens difficultas. nam de materia cæli comparata ad nostram, agemus in libris de cælo, vbi dicemus esse sententiam sancti Thomæ 1. parte quæst. 66. quem omnes sui sequuntur, materiam cæli & nostram specie differre. Doctor autem cum distinctione loquitur. nam in 2. dist. 14. quæst. 1. num. 2. docet quod si sequendus est Philosophus, cælum non habet materiam; si verò sententiam communem Theologorum sequamur, dicendum est cælum habere materiam, & eandem esse specie cum sublunari, interim, si placet, legatur
Faber

Faber theoremate 59. vel Doctor vbi supra. Laurentius Viola lib. 5. arcanorum folio 196.

ARTICVLVS I.

Explicantur diuersa authorum placita.

DOCTOR in 4. distinct. 11. quæst. 3. §. de secundo articulo, num. 17. refert sententiam Ægidij asserentis materiam omnium inferiorum esse vnicam numero. Fundamentum est, quodd ex primo de generatione, materia vt est quid, est omnino indistincta; ergo eadem numero in omnibus genitit. Sed hanc opinionem ibidem refutat Doctor §. de secundo, num. 18. his verbis, sed contra primam propositionem, quam accipit, scilicet materia, vt est quid, & omnino indistincta, arguitur sic. Quia aut intelligitur indistincta secundum numerum, scilicet quod quæcumque vt est quid, & omnino eadem cuiuscumque: vel intelligitur indistincta secundum rationem, hoc est, vt est quid, est vnius rationis. Si primo modo, iste intellectus est omnino impossibilis, quia contra Philosophum & contra rationem naturalium, & contra illud quod intendit declarare. Contra Philosophum, quia ex intentione loquens 12. Metaphys. cap. 2. de per se principis dicit, quod sicut principia sunt alia; sic eorum per se principia: & hoc secundum genus, & speciem, & numerum.

Et ad propositum expressè dicit, horum, qua sunt in eadem specie diuersa (supple sunt) principia non precise, sed quia singularium, alia est tua materia & mouens & species, & mea: ratione autem vniuersali eadem; ergo ex intentione vult quod materia mea & tua, vt est per se principium meum & tuum, est alia numero. Est autem principium vt quid est,

quia pars substantia non potest esse aliquid nisi vt substantia, & vt quid. Hoc etiam patet ex processu Philosophi inuestigando materiam, primo Physic. & primo de generatione, & secundo dicit, eam esse eandem substantiam toti transmutationi, & vtrique termino. Si ergo est eadem in genito & corrupto, quomodo non est eadem in duobus simul genitis; quia tunc generatio & corruptio, non magis concluderent materiam vnã, quam simul existentia diuersorum; ergo materia vt quid si est eadem in aere corrupto & in igne genito ex ipso, ipsa vt quid est, non sic est eadem in aere & igne simul existentibus.

Et potest ratio confirmari, quia si posset esse eadem simul sub forma aeris & ignis, non requireretur transmutatio corrumpens precedens, ad hoc quod materia fieret sub alia forma. Contra hoc etiam est ratio manifesta, quia materia est prior ordine nature, quam ipsa forma recepta, quia materia est fundamentum omnium, iuxta illud primo Metaphysica in antiqua translatione, in fundamento nature nihil est distinctum: prius autem vt est prius essentialiter, non variatur propter variationem posterioris; si ergo materia vt est quid, est omnino eadem in se, nullo modo potest esse alia propter aliam formam receptam; ergo ipsa omnino eadem recipiet formas contrarias substantiales, vel saltem impossibiles, vt aeris & ignis, & tunc sequeretur quod generans posset generare nihil corrumpendo. posset etiam materia simul esse eadem sub forma hominis & asini, & sic nulle dua forme substantiales repugnarent, in simul perficiendo materiam.

Thomistæ communiter affirmant materiam horum inferiorum esse vnã in specie, non positiuè, sed negatiuè, qui vt suam explicent sententiam supponunt cum sancto Thoma 1. parte quæst. 16. art. 7. ad 2. & opusculo 31. duplicem esse vnitatem,

95.
Sententia
prima.

Relicta
ter.

96.
Sententia
secunda.

*Vnitatis
duplex
positiua
vna, ne-
gatiua
alia.*

negatiuam vnā, positiuam aliam; hæc supponit principium aliquod positiuum, vnde talis vnitatis promanet. Pater in homine, in quo anima rationalis est principium positiuum, ex quo tanquam ex radice propria illius specificatio positiua oritur. Vnitatem negatiuam constituunt negatione diuisionis, eo quod entitas cui adiungitur, caret aliquo principio, seu forma, qua positiue distinguatur. Dicunt ergo materiam primam non esse ex se vnā positiuē; sed ratione formæ totiūque compositi. Fundamentum huius sententiæ est quod ex dictis diffinit. 2. in sententia Thomistarum materia nullum actum entitatum habet, nisi à forma mendicatum; ergo nec principium aliquod quo vna positiue constituitur, & numericè distingui possit. Addunt etiam quod si materia prima consideretur secundum capacitatem proximam existendi, tunc specificatio positiua quam habet à forma, & sine qua nequit existere, erit illi intrinseca & essentialis, quia implicat materiam existere, non supposita hac specificatione formali positiua; ergo in ordine ad existentiam, hæc est intrinseca & essentialis. Si verò absolutè prædicta specificatio consideretur, quamuis non sit dicenda essentialis, quia est extra essentiam materiæ connaturalis, tamen & non omnino extrinseca habenda est. Ratio est, quia prædicta specificatio materiæ prouenit ab actu formali, sibi connaturalissimo, qui est prima illius actualitas. quod autem ita connaturale est, nequit extraneum existimari; ergo. Secundò ex dictis inferunt materiam esse vnā specificè, pluresque numericè, non positiuē, sed negatiuē.

Sed hæc sententia falsa est. Primò, quia supponit materiam vt distin-

ctam à forma, omni actu positiuo carere, quod iam difficultate 2. impugnauimus. Secundò etiam impugnari potest, quia sequeretur eandem entitatem materiæ habere plures differentias específicas intrinsecas. quod est impossibile. Sequela probatur, nam si specificatio intrinseca est à forma; ergo cum possit diuersis formis substantialibus specie distinctis subesse, vel actuari, tot distinctiones específicas habebit. quod ostenditur esse impossibile, quia licet vna & eadem res extrinsecè ad plures species possit reduci, non tamen ad diuersas essentialiter, aliàs idem esset & non esset, quod implicat. Respondent hoc argumentum concludere in aliis entibus à materia, quia hæc ob specialem rationem carendi omni actu potest ad plurificationem formarum plurificari specie. Sed contrà est, quod iam ostendimus, materiam habere aliquod esse distinctum omnino à forma, & ei oppositum, secundum quem à generali regula entium non debet excludi. Secundò materia est ens positiuē; ergo vna, quia vnitatis est passio entis. Respondent quidam recentiores disput. 3. de materia prima quæst. 3. cum Masio in hoc libro cap. 9. lect. 2. quæst. 13. concedendo materiam primam habere vnitatem transcendentalem, non verò positiuam & essentialem. Sed contrà est, quod materia prima est ens non genericum, sed specificum; ergo participat rationem entis, non immediatè, sed mediante alio prædicato substantiæ, licet incompletè; ergo sicut est ens substantiale positiuum, ita vnum substantiale positiuum. nam eo pacto participatur passio quo entitas, & ita si contrahitur entitas essentialiter, etiam vnitatis. Confirmatur. Ipsi fatentur, vt prima diffi-

*Respondetur
secundum
sententiam.*

cultate supposuimus, materiam esse ens reale positiuam; ergo consequenter habebit unitatem realem positiuam. nam ens & vnum conuertuntur. Confirmatur secundò: omnis negatio ab aliquo positiuo promanar. Patet in omnibus passionibus negatiuis. nam ideo homo est non equus, non leo, &c. quia est rationalis positiuè; ergo similiter ista negatio conueniendi cum aliis speciebus, ab unitate positua ipsius materiae debet prouenire, nisi nouus modus distinctionis negatiuè fingatur.

98. Tertio posterius nequit specificare quod ipsi realiter supponitur: at forma est posterior materia; ergo nequit huic intrinsecam specificationem communicare. Maior patet, quia quod est prius alio realiter, supponitur iam intrinsecè constitutum. Minor etiam probatur. nam forma educitur de potentia materiae, ex dictis saepius, & dicendis quaest. 5. difficultate 2. artic. 1. ergo iam supponit materiam saltim in genere causa materialis, & consequenter materia, vt distincta à forma, habebit suam speciem & unitatem positiuam praecedentem formam, vt optimè probat Doctor in 2. distinctione 3. quaest. 4. §. *contra rationes*, versiculo *ad secundam rationem*, num. 15. Respondebis materiam vt sic solum habere capacitatem, & indifferentiam ad unitatem positiuam. Sed contrà est, quod in illo priori ista capacitas fundatur in aliquo ente reali determinato, & realiter constituto, & essentialiter, aliàs esset non ens: sed unitas quae accrescit ex informatione formae, non est determinata, nec essentialis, imò nec omnino intrinseca per vos, licet sit connaturalis; ergo nequit ei communicare unitatem essentialem &

Posterius nequit specificare quod ipsi realiter antecedit.

determinatam. Confirmari potest, quia differentia per aduersarios solum per intellectum distinguitur à ratione superiori contracta: sed forma per vos distinguitur realiter à materia; ergo non potest ei dare unitatem positiuam in omnibus entibus à differentia specifica prouenientem.

Suar. 1. tomo Metaphysicæ disput. 13. sect. 5. num. 8. cui plures alij subscribunt, affirmat materiam primam esse vnâ specie, non quidem completa, sed incompleta intrinsecè, plures tamen habere unitates extrinsecas, ob diuersitatem formarum, quibus determinatur in ordine ad diuersa composita constituenda. Cui sententiae adhæret quantum ad primam partem quidam neotericus, et si diuersis terminis eam explicet: addit verò secundam specificationem, videlicet quam à formis participat, esse etiam intrinsecam, quatenus ordinatur ad existentiam completam totius. nam intrinsecè materia existit, v.g. existentia equi, per ipsius formam cum hac deficiente ad determinatam speciem materia non reduceretur. Hoc tamen non est comparare formam cum materia, vel ei in proprio esse aliquam unitatem communicare: sed vtramque partem ordinare ad compositum. quod nullus negat, imò fatentur omnes materiam, & formam intrinsecè constituere compositum, formamque esse formalissimam rationem, ob quam, istam completam unitatem materia participat.

99.
*Sententia
tertia.*

ARTICVLVS II.

*Tribus dictis explicatur nostra
sententia.*

Dico primò. Materia horum inferiorum est vna in specie. tenet Doctor

100.
*Conclusio
prima.*

Doctor in 4. distinct. 11. quæst. 3. art. 2. §. de secundo, num. 18. quem sequuntur omnes Scotistæ, & inter neotericos est communis sententia. tenet expressè Aristot. in hoc libro, textu 66. his verbis, vt notauit Ruu. *Vnum quid igitur principium est, non sicut unum existens, neque sic unum vt hoc aliquid, vnum autem secundum quod ratio.* Vbi per *ly hoc aliquid*, intelligit indiuiduum, vt quidam ex Græco vertunt; per *ly ratio* intelligit quidditatem & definitionem, vt sæpius alibi, & sic verba id sonant. materia est vna vnitatem essentiali, & specifica, non numerica. Ratione etiam probatur. nam vnitatem specificam veniamur ex conuenientia in prædicatis quidditatiuis & descriptiuis: sed singulæ horum inferiorum materiæ conueniunt in capacitate recipiendi quamlibet formam, & potentia formali subiectiua, quibus intrinsecè & descriptiue constituuntur; ergo omnes materiæ sunt eiusdem speciei.

101. *Conclusio secunda.* Dico secundò materia diuersorum corporum per generationem vnius, & corruptionem alterius sibi succedentium, est in illis numero eadem. Probat ex Aristotele, textu 60. asserente eandem numero materiam esse in genito & in corrupto. Secundò ratione, quia si materia geniti est diuersa à materia corrupti; ergo vel hæc noua materia, quæ de nouo est in genito, generatur, & sic materia esset generabilis, quod negamus difficultate 1. vel creatur, & hoc inconuenit. nam sequeretur nullam esse generationem substantialem, quandoquidem tam forma, quam materia producerentur de nouo, & sic esset creatio, nisi dicas, esse solùm negatiue distinctam, quod iam impugnauius art. præcedenti.

102. *Conclusio tertia.* Dico terriò. Materia diuersorum

corporum simul existentium, v. g. Lucæ & Antonij, numero distinguitur. Probat, quia diuersitas numerica per separationem conicitur, vnde hanc partem quantitatis ab illa numero distinguimus, quia vna, ab alia separatur, & qualibet corrupta, alia perseverat: sed materia Lucæ & Ioannis separantur inter se, & quolibet corrupto, alia materia sub sua forma perseverat; ergo necessariò infertur, habere suas differentias intrinsecas indiuiduales, quibus distinguantur.

Obiicies contra dicta, Aristotelem *Obiici.* textu 60. asserentem eandem numero materiam esse in genito & corrupto, non tamen eandem specie. Respond. Aristotelem affirmare materiam corporum sibi succedentium eandem numero esse in genito & corrupto, vt dicto secundo explicuimus. huic autem accrescit aliqua specificatio accidentalis ex diuersitate formarum succedentium, quæ non dicitur specificatio accidentalis, quia forma sit accidens materiæ, sed quia quæuis forma ipsi contingit, ideo erit accidens prædicabile materiæ non prædicamentale. habet enim materia ab intrinsecò suam specificationem, & indiuiduationem, seclusa forma. hæc autem eam specificat completè & in ordine ad compositum, vnde tot species completas potest habere materia, quot formas substantiales succedentes, specie diuersas, etiam si eadem numero perseveret.

ARTICVLVS VLTIMVS.

In quo aliqua enodantur dubia.

ANtequam ab hac disputatione discedamus, nonnullæ dubitationes,

tionones, quæ non nihil negotij facel-
sunt, veniunt enodanda.

Dubitatur primò, an supposito
quòd materia est pars compositi ge-
niti, & corruptibilis, possit materia
generabilis & corruptibilis appella-
ri? Respond. Doctor in 4. dist. 43. q. 3.
§. ad illa argumenta, vers. breuiter, n. 16.
materiam aliquam posse dici quòd
corruptatur aduentu formæ, qua-
tenus ei deficit quidam respectus, quo
respiciebat præexistentem formam,
in qua complacebat. quod licet ve-
ram sit, propriè tamen nequit dici
genita, aut corrupta, sed radix cor-
ruptionis, aut generationis, vt dixi-
mas diffic. 5. art. 4. quia ad ipsam non
terminatur generatio; sed ad formam
& compositum, et si ex ipsius potentia
educatur forma, imò iam supponi-
tur creata ad generationem, vt sup-
posuimus difficult. 1. art. 2. in fine.
cuius incorruptibilitatè omnes tuer-
tur, & probat Arist. 7. Metaph. cap. 7.
& 8. & lib. 8. cap. 5. & lib. 12. cap. 13.
& tandem in hoc lib. cap. 9. textu 82.
vbi hæc habet, *incorruptibilem & in-
genitam, necesse est ipsam esse: si enim fiat,
subiecti aliquid oportet primum, ex quo
inexistente fiat: hoc autem est ipsius na-
ture; quare erit antequam fiat.* quam
veritatem difficult. 1. vbi supra satis
probanimus. Cur autem materia non
dicatur genita, cum sit subiectam
generationis, explicabimus 4. libro,
& 1. de generatione.

Dubitabis secundò, quare sicut
compositam ob alteram partem com-
positi, v. g. in homine, corporeum &
materiale dicitur, quia corpore
constat, non dicitur incorruptibile,
quia materia eius in corruptibilis est?
Respond. conclusionem, vel effectum
semper sequi debiliorem partem, vt
secundo de anima explicabimus: vnde
est quòd rationem imperfectam, nem-

pe materialitatem compositum par-
ticipet, ab eaque denominetur, non
verò incorruptibilitatè. Rursus quòd
cum corruptibile, & incorruptibile
per ordinem ad efficiens constituantur,
materia non poterit communi-
care composito incorruptibilitatem,
quia illud non efficit, nec causa crea-
ta potest creare; communicat tamen
materialitatem, quia intrinse-
cè se præbet composito, de quibus
alibi latius.

Dubitabis tertio, cur materia pri-
ma generi comparatur? Respond. in-
ter materiam & genus multas esse
conuenientias, simulque & differen-
tias. Conueniunt primò materia &
genus quòd vtramque plurimis for-
mis determinatur, & perficitur. Se-
cundò sicut genus saltem natura præ-
cedit differentias, sic materia formas
quæ ipsam actuant subiectiuè, & ad
speciem completam reducunt. Ter-
tiò sicut materia indifferenter respi-
cit formas, sic genus differentias.
Quartò sicut genus perficitur & com-
pletur differentiis, ita materia for-
mis. Quintò sicut materia nequit esse
sine formis, sic nec genus sine diffe-
rentiis. Differunt tamen quòd com-
munitas materiæ solum est subiectiua,
generis verò de pluribus enuntiatiua.
Secundò materia supernaturaliter
valet existere sine forma, quòd geni-
ri respectu differentia repugnat.
Tertio materia distinguitur realiter
à forma; genus verò à differentiis
solum ex natura rei, seu formaliter.
Quartò hoc genus reduplicatiuè, &
vt determinatum nequit alia diffe-
rentia determinari; hæc tamen nu-
mero materia sub diuersis formis sub-
stantialibus, successiuè valet existere.
plures alias conuenientias & diffe-
rentias refert Auerroës 1. Metaph.
comm. 17. & Alexander 2. lib. natu-
ralium

105.
Dubium
tertium.
Materia
prima in
multis
conuenit
cum ge-
nere.

Materia
& genus
in multis
differunt.

103.
Dubium
primum.

Materia
aliquam
potest dici
quod
corruptatur
aduentu
formæ,
quatenus
ei deficit
quidam
respectus,
quo
respiciebat
præexistentem
formam,
in qua
complacebat.

264.
Dubium
secundum.

Quod
semper
sequi
debiliorem
partem.

ralium quæstionum cap. ultimo. legantur in ipsis.

Totius quæstionis resolutio.

HAbemus ergo ex tota hac quæstione dari materiam primam in rerum natura quæ sit verum ens, incompletum, reale, substantiale, à forma realiter distinctum, eique relatiuè oppositum, non per generationem, sed per creationem productum, quod est pura potentia, non obiectiua, sed subiectiua: habet quippe entitatum actum, & essentialem independentem à forma, etsi ab hac spectet subiectiuum physicum, formalem, seu completum actum, quo efficitur actualis pars physici compositi, & speciei completæ: vnde diuinitus existere valet sine forma, quia quod aliud absolutè præcedit, sine eo à Deo potest conseruari: eam tamen respicit triplici potentia, vna positua, secundum quam potest actuari à forma. hæc autem licet quietariuè non possit intelligi sine forma, eam tamen non respicit primariò, quia quidditariuè est ens absolutum, primariò ad se, & non ad aliud. Hæc potentia dicitur prima indeterminata, vniuersalis, remota, confusa essentialis materia, ab eaque inseparabilis: alia potentia negatiuè & indifferenter respicit formam, quia ex natura sua non magis determinat hanc quàm illam. Tertia denique relatiua, qua formaliter connotat formas, quæ cum relatio sit, nequit essentialiter absolutam materiam constituere. Item ei concedimus alium respectum quo formam actualiter informantem connotat & respicit. Hic autem prædicamentalis est ad separationem formæ separabilis. Item habemus materiam esse de quidditate

corporis naturalis, in eaque non esse dimensiones terminatas, aut interminatas, cum ei non insit aliqua quantitas cœua & concreata. Item esse vnã speciem in omnibus sublunariibus, & in cœxistentibus numericè distinctam. Denique ingenerabilem & incorruptibilem, similemque generi in indifferentia, subiectione, vniuersalitate, &c. in aliis verò dissimilem; & hæc de hac quæstione.

QVÆSTIO III.

*De priuatione, secundo
corporis naturalis
principio.*

Quoniam priuatio prius inest materiæ, quàm forma, vt optimè notauit Doctor in 3. dist. 3. quæst. 1. num. 15. dictis iam de materia quæ obscuram & abditam eius naturam explicare videntur, nunc de priuatione, quæ ipsi immediatius inhæret post ipsam tractare debemus. Explicuimus in Logica quæst. 2. difficult. 2. art. 1. quid sit priuatio, & qualiter ens reale priuatiuum dicatur, & in quo differat à negatione. Item hic quæst. 2. diffic. 2. ostendimus esse corporis naturalis principium, non in facto esse, sed in fieri: vnde in hac quæstione solum restat examinandum, an priuatio distinguatur realiter à materia & forma, cum eisdemque in ratione principij conueniat.

DIFFICULTAS VNICA.

Explicatur natura priuationis.

ARTICVLVS I.

Vtrum detur priuatio à parte rei.

1. Priuatio multifariam dicitur.

Priuationem multifariam accipit Doctor in 1. dist. 28. quæst. 2. §. quantum ad primum dico, vers. Priuatio etiam, num. 3. ex mente Aristotelis, 5. Metaph. cap. 22. Primò pro carentia formæ, in subiecto apto ad habendam illam secundùm rationem superiorem: sic talpa dicitur priuata visu, quia secundùm quod est ens potest habere visum. Secundò pro carentia formæ, quam subiectum natum est habere secundùm rationem genericam, vt talpa secundùm quod animal priuata dicitur visu. Tertiò sumitur pro carentia formæ, quam quis potest habere pro tali tempore, non tamen secundùm speciem suam, vt catus ante nonum diem dicitur cæcus. Quartò & vltimò accipitur pro carentia formæ, quam potest aliquis habere, secundùm suam naturam, & secundùm tempus à natura statutam, vt carentia visus in homine, frigiditatis in aqua. Ex his omnibus acceptionibus, in hac vltima de priuatione agimus, quæ definitur ab Aristotele esse carentiam formæ in subiecto apto nato. Vnde manifestè inferitur tot esse priuationes in materia, quot formæ possunt esse. nam inter priuationem & habitum non est medium, quapropter vel materia debet esse sub forma, vel sub eius priuatione. Secundò etiam inferitur, quòd cum priuationes distinguantur per habitus, vt docet Scotus in 1. distinct. 23, illæ priuationes specie distinguantur, quæ habeant formas oppositas specie di-

Quid sit priuatio.

Et sunt priuationes in materia, quot formæ possunt esse.

stinctas; illæ verò solo numero, quæ opponuntur formis eiusdem speciei.

Dico ergo. Datur priuatio à parte rei, non vt ens positium, sed priuatiuum. tenet Scotus in 1. dist. 23. q. vnica §. ad quæstionem, num. 8. est communis sententia, & probatur primò, quia inter principia realia corporis naturalis enumeratur. Secundò nullo intellectu considerante materia plantæ est priuata forma leonis; ergo ex se non est quid rationis, sed reale priuatiuum; qua propter Arist. 4 Metaph. inter entia realia numerauit, non quia sit ens positium, sed quia eius esse ab opere intellectus nõ pendet. Hoc autem esse est purum nihil, seu nõ ens simpliciter, vt docuit Arist. in hoc libro sextu 75. & expressit August. capit. 5. in Genesim docens Deum non fecisse priuationes, quia ad nihilum pertinent.

2. Coclusio.

Obiicies primò. Quod percipitur à potentia sensitua, est ens reale positium: sed vmbra & tenebræ percipiuntur à sensu quæ priuationes sunt; ergo. Confirmatur, quia de priuatione multa verificantur in Scriptura, quæ nequeunt priuationi, sed enti positio conuenire. nam primo Genes. dicitur, *Tenebra erant super faciem abyssi.* Item in cantico Puerorum, tenebræ excitantur, & inuitantur ad laudandum Dominum, cum dicitur, *benedicite lux & tenebra Domini;* sed benedicere & esse nequit competere non enti; ergo priuatio est quid positium. Respond. tenebras non percipi à visu, sed ex eo quòd lux non percipitur à visu colligit intellectus esse tenebras. Ad illud Genes. August. cap. 4. de vita beata, explicat, non erat lux super faciem abyssi. Ad canticum idem Aug. contra Manichæos lib. de natura boni ait quòd sicut in cantu interpositiones silentiorum, certis moderatiff-

8. Obiectio prima.

Tenebra nõ percipiuntur à sensu.

que interuallis, licet sint priuationes vocum, suauitati cantilenæ aliquid conferunt: ita ex harmonia rerum posituarum, & priuationum, pulchritudo specialis vniuersi resultat, quæ laudem conditoris parit in bene considerantium cordibus.

ARTICVLVS II.

Utrum priuatio realiter distinguatur à materia & forma.

4.
*Cōclusio.
Quæ pos-
sunt
separari
realiter
differunt.*

Respond. materiam & formam distingui realiter à priuatione & è contra, non positiuè, sed priuatiuè. est communis sententia, & probatur primò ex Aristotele in hoc libro, qui posuit hæc tria principia distincta. Secundò quando duo ad inuicem possunt separari, & vnum sine alio existere, realiter distinguuntur: sed materia modò est sub priuatione, postea sub forma huic opposita, qua destruitur priuatio; ergo hæc ab vtroque principio realiter distinguitur, quandoquidem vtrumque sine hac, vel illa priuatione potest esse.

*Obiectio
prima.*

Obiicies primò Doctorem 1. Physic. quæstione 21. vbi dicit materiam, & formam non distingui. Respond. intelligendum esse de distinctione positiuæ, non negatiuæ, seu priuatiuæ.

*Obiectio
secunda.
Materia
& priua-
tio sunt
vni numero
subiectiuè.*

Obiicies secundò Aristotelem in hoc capite asserentem, materiam & priuationem esse vnum numero: sed quæ sunt vnum numero, non distinguuntur realiter; ergo.

Resp. esse vnum numero subiectiuè, non verò formaliter.

ARTICVLVS III.

Utrum priuatio vniuocè conueniat cum materia & forma in ratione principij.

Certum debet esse, nullum dari prædicatum vniuocum commune enti, & non enti, ideo dicemus in Metaph. ens non dici vniuocè de ente reali & rationis, quia illud prædicatū ab vtroque abstrahens, vel est reale, vel rationis; in hoc enim non est dare medium: si est reale, nequit contrahi per ens rationis, quod est ens secundum quid; si rationis, non poterit determinari entitate reali, quia ens reale diceretur ens rationis, cum omne superius de inferioribus prædicetur. Sic ergo dicendum est in proposito, quòd illud prædicatum commune, vel esset quid priuatiuum, vel positiuum: si positiuum; ergo nequit determinari priuatione, quia nullū imperfectum inferius, cōtrahit suū perfectū superius, tū etiam, quia priuatio esset aliquid positiuum, cum includeret in se aliquod prædicatum positiuum enuntiabile de ipsa. Si dicas superius esse quid priuatiuum; manifesta est repugnātia. nam includeretur formaliter priuatio in ente positiuo, & ita sicut homo dicitur animal, quia istud formaliter includit, ita materia & forma dicerentur priuationes, quia formaliter includerent priuationem.

Quia verò concipere possumus principium quatenus denominat singula corporis naturalis principia, dicendum est quòd licet ob rationes superdictas nequeat esse vniuocum prædicatū, vniuocè tamē prædicari potest de materia, forma & priuatione. nam, vt bene notauit Doctor in 1. d. 8. q. 3. §. ad argumenta, verè secundum etiam, n. 14. vt aliquid sit prædicatū vniuocū, debet

5.
*Ens non
dicitur
vniuocè
de ente
reali &
rationis.*

6.

*Principi-
um uni-
uocè præ-
dicatur
de mate-
ria, for-
ma, &
priuatione,
nō tam-
en est
uniuocè
prædica-
tum.*

debet includi formaliter in subiecto: vt autem vniuocè prædicetur, sufficit si ratio quæ prædicatur sit in se vna, siue includatur in subiecto, siue hoc solum denominet, in quo distinguitur ab æquiuocis, quorum ratio per nomen significata alia est. Vnde sic formo rationem. Ratio principij, seu significatum per hoc nomen æquè denominat materiam, formam, & priuationem; ergo vniuocè dicitur de eis. Patet ex definitione principij antecedens, & etiam consequentia, quod quæstione 2. difficult. 1. probauimus conuenire priuationi; ergo principium vniuocè dicitur de materia, forma & priuatione. Confirmari potest hæc doctrina primò, quia ratio scibilis, seu scibilitas vniuocè dicitur de rebus diuersorum prædicamentorum, imò de ente reali & rationis, quia est quædam denominatio; ergo & ratio principij. Secundò oppositio vniuocè dicitur de ente, & eius priuatione, nam de vtroque extremo æqualiter dicitur; ergo etiam si ratio principij nequeat esse vniuocum prædicatum, vniuocè tamen & denominatiuè prædicabitur de priuatione, forma & materia.

Resolutio quæstionis.

Habemus ex hac quæstione priuationem esse quid reale priuatiuum, realiter priuatiuè distinctum à materia & forma, conuenirèque vniuocè cum eis in ratione principij, quia quanquam principium non sit vniuocum prædicatum, vniuocè tamen enuntiatur de materia, forma & priuatione.

* * *

QVÆSTIO IV.

De forma, tertio corporis naturalis principio.

QUANTVM forma sit dignitate & præstantia primum & summum generationis principium; tertium tamen & vltimum est ordine generationis: nam vt forma inducatur in materia, hanc debet supponere, ex cuius potentia educatur, & suimet priuationem; ideo de forma vltimo loco disputamus. Cuius præstantiam & excellentiam satis manifestant nominum diuersitas, quibus à Philosophis perpetuè illustratur & decoratur; dicitur enim *forma*, quod format, poliâtque informitatem, & ruditatem materiæ, sine qua hæc esset rudis, deformis & ferè non ens. Ob eandem rationem appellatur *species*, quatenus pulchram decoramque vniuersam reddit naturam; eius enim obsequiis cuncta accidentia mancipantur, à quibus vniuersa visibilis Orbis pulchritudo promanat. nam vt ad eam disponant, vel postea conferuent, continuè occupantur. Dicitur etiam, *quod quid erat esse*, nam cuiusvis rei quidditas & natura à forma est tâquam à præcipuo principio. Item actus, quia sicut materia est pura potentia subiectiua, ex dictis quæstione 3. diffic. 2. ita forma est purus actus quo actuatur formaliter & perficitur materia, vt habet Aristoteles 2. Physic. text. 11. & 12. in quo sensu ab aliis participatio diuinæ nature appellatur, quoniam sicut diuina natura est purus actus; ita forma quantum ad esse actuale est actus entis completi, nihil habens potentialitatis

I.

Forma diuersis nominibus à Philosophis decoratur.

Forma appellatur species.

Forma dicitur quod quid erat esse.

Forma dicitur actus.

substantialis, quia à nulla alia substantia actuari & perfici potest. Et hac etiam causa dicitur à Platone proles diuina, quia in hoc præ cæteris creaturis suo assimilatur creatori. Item *terminus*. sic enim appellatur ab Aristotele 3. & 4. Physicorum, & 1. de generatione, quia materiam ex se indefinitam contrahit, atque determinat ad definitam & determinatam speciem completam rerum. Item *Exemplar* dicitur ab Aristotele 2. Physicor. cap. de causis, quia, ut notarunt Simplicius, Themistius, & Alexander, quemadmodum artifex imitatur exemplar quod in mente habet, ad cuius instar ad extra operetur; sic efficiens producit effectum simile suæ formæ. Tandem dicitur *Character*, quia materiam notam imprimit, & per illam cognoscitur materia & compositum, estque finis & scopus, in quem natura tendit per generationem, non adæquatè, huius enim tendentiæ finis est compositum; sed primariò inadæquatè, quæ omnia præstantiam & excellentiã formæ satis ostendunt, quam quasi inexplicabilem nomine diuinitatis insigniuit Aristoteles cap. 9. huius lib. dum dicit esse quid diuinum & optimum. Ad cuius exactam cognitionem plura veniunt examinanda. Primum, an sit, & quid sit forma substantialis. Secundum vtrum formæ substantiales educantur de potentia materiam, idemque inquirendum est de formis cælorum & accidentalibus. Vltimò tandem, an duæ formæ substantiales completæ possint eandem numero informare materiam?

Forma dicitur proles & terminus.

Forma dicitur exemplar & character.

Formam quid diuinum Philosophus appellauit.

DIFFICULTAS I.

An sit forma substantialis, & quid sit?

Hoc nomen *forma* multifariam potest vsurpari, ex mente Platonis & Philosophi. Plato enim duotantum cognouit genera formarum, vnum expers materiam, & particeps intelligentiæ, quod vocat exemplar, ideam, per se ens: alterum materiam coniunctum, quod appellat similitudinem, vel imaginem. Arist. autem plura genera explicuit. nam ex doctrina ipsius, forma alia est artificialis, alia naturalis. Rursus hæc diuiditur in substantialem, & accidentalem. Substantialis autem diuiditur in informantem, qualis est anima rationalis, &c. & assistentem, qualis est intelligentia, hæc enim dicitur anima & forma cæli. Item forma informans alia separatur à materia, hæc est anima rationalis; aliæ nequeunt naturaliter separari, hæc sunt formæ elementorum mixtorum, stirpium, & animalium. In præsentia ergo nostra disputatio est de forma substantiali, quæ est altera pars physici compositi, quatenus ad ipsum ordinatur, & de ea primò inquiritur, an sit.

2. Nomen forma multifariam sumitur.

ARTICVLVS I.

An dentur formæ substantiales.

Quæquam de fide sit dari aliquam formam substantialem à subiecto separabilem, & ipsum compositum constituentem, ut de anima rationali definitum est in Concilio Lateranens. III. sub Leone X. sess. 8. & in Clementina vnica, de summa Trinitate; tamen non desunt qui dubitent,

3.

bitent, an evidentibus & omnino necessariis rationibus demonstrari possit dari formas substantiales, à materia prima & accidentibus distinctas. Verumtamen hæc veritas ita constans est, vt pluribus, & efficacissimis rationibus ostendi possit.

3. Dari formas substantiales pluribus rationibus esse dicitur.

Primò, ex compositione substantiali, quæ potentia & actu substantiali constat, hic est forma, illa verò materia, aliàs nulla daretur compositio substantialis. Secundò ex determinatione specifica, hæc autem determinatio non est à materia, quia hæc de se est indifferens, & indeterminata; ergo est ab aliquo actu, seu forma substantiali. Tertio ex distinctione, nam materia vna est secundum speciem in omnibus; ergo hæc distinctio specifica & formalis, ab aliqua forma provenit. Quarto si tollatur forma substantialis; ergo homo, v. g. non esset essentialiter, sed accidentaliter homo, cum non sit homo per materiam, hæc enim est communis homini & leoni, nec per formam substantialem, quia hanc negas; ergo esset homo per aliquam formam accidentalem, ac per consequens accidentaliter talis. Respondebis, non esse hominem per vnam formam accidentalem, sed per plures vnitas. Sed contra est quòd hæc vnio, seu complexio est etiam accidentalis; ergo negata forma substantiali, nihil restat, vnde homo, v. g. possit esse substantialiter homo.

si auferantur forme substantiales homo non erit essentialiter homo.

ARTICVLVS II.

Quid sit forma?

4. Definire formam substantialem.

Formam sic possumus strictè definire, est actus simplex substantialis, vnum per se constituens cum materia. Per rationem actus differt à materia, quæ

pura potentia est. per ly simplex differt à composito, quod est ens in actu physico, tamen non simplex. per ly substantialis differt à formis accidentalibus, quæ non vnum per se constituunt cum subiecto, sicut forma, sed vnum per accidens.

Obiicies primò de ratione accidentis esse informare; ergo implicat aliquid esse substantiale, & informare materiam. Confirmari potest ex Aristotele 2. de generatione cap. 2. vbi dicit *qualitates primas esse formas substantiales elementorum*; sed qualitates primæ sunt calor & frigiditas quæ sunt accidentia; ergo. Resp. de ratione accidentis esse inherere: forma autem substantialis non informat inhærendo, sed adhærendo. Ad confirmationem resp. elementa sumi posse secundum substantiam & naturam, & quatenus elementa sunt primo modo, istæ formæ non sunt substantiales. Secundo modo dicuntur substantiales formæ, seu de quidditate elementi. (nam quidditas rei substantia dicitur, vt sæpius diximus ex mente Philosophi, præcipuè in Logica quæst. 12. difficultate 1. articul. 1.) etenim elementum non est nomen naturæ, sed contrarietatis; hæc autem formalissimè est inter qualitates.

5. Obiectis prima.

Elementum non est nomen naturæ, sed contrarietatis. Obiectis secunda.

Obiicies secundò substantiam esse subiectum accidentium: sed materia pluribus substat quàm forma, quia hæc est actus, illa potentia; ergo materia est magis substantia quàm forma. Resp. accidentia subiectari in toto composito, ex his duabus partibus resultans, vnde quantum ad hoc æqualiter substanc accidentibus: forma autem non dicitur magis substantia, quia magis substet, sed quia perfectior est in entitate.

Obiicies tertio materiam esse purum actum; ergo non distinguitur à Deo.

6. Obiectis tertia.

Deo. Resp. primò non esse purum actum metaphysicum, quandoquidem constat ratione substantiæ, & differentiæ specificæ, & individualis incompletæ. Secundò resp. non esse purum actum physicum, quia licet nequeat physicè componi, ordinatur tamen ad componendum aliud: verumtamen Deus nec metaphysicè componitur, nec potest aliam entitatem physicè componere.

Deus nec componitur nec componere potest.

7. *Quæstio.*

Definitio formæ est descriptiva.

Petes, vtrum hæc definitio formæ sit essentialis? Resp. negativè. Fundamentum est quòd nullus respectus potest esse de quidditate entis absoluti, vt diximus quæst. 3. difficult. 2. art. 5. Sed hac definitione definitur forma per ordinem ad materiam; ergo hæc definitio non erit essentialis. Erit tamen descriptiva. nam respectus transcendentalis formæ ad materiam est illi intrinsecus, sicut respectus accidentis ad subiectum, vt diximus in Logica quæstione 11. difficultate 2. artic. vnico, & quæstione 16. difficultate 2. artic. 1.

DIFFICULTAS II.

Utrum forma substantiales educantur de potentia materia?

ARTICVLVS I.

Explicatur, quid sit educi de potentia materia?

8. **A**ffirmant nonnulli, educi de potentia materiæ nihil aliud esse, quàm quòd formæ introducat in materia, vltimatè disposita. Falluntur tamen: nam anima rationalis inducitur in materia vltimatè disposita, & omnes catholici consentunt, non educi ex eius potentia.

Dicendum ergo est, educi de potentia materiæ nihil aliud importare quàm dependentiam formæ à materia in esse, fieri & conseruari. Ita quòd sine influxu materiæ, forma neque conseruari, neque produci valeat. Vnde educi de potentia materiæ propriissimè dicitur habitudinem causæ materialis, non efficientis. nam quamuis formæ contineantur virtualiter in efficiente, quia tamen ab hoc in suo conseruari non pendent sicut à materia, ab eius potentia non dicuntur educi. est sententia Doctoris in 2. distinct. 18. quæst. vnica, §. *contra*, num. 4. quem sequuntur Ruv. tract. 4. de forma quæst. 1. Murcia disput. 6. quæst. 1. Plaza disput. 5. quæst. 2. & alij recentiores.

Conclusio.

Educi de potentia materia dicitur habitudinem causæ materialis, non efficientis.

Addunt aliqui Scotistæ recentiores quòd vt aliqua forma educatur de potentia materiæ, debet esse in potentia passiva naturali ipsius materiæ, & non sufficit quòd sit in potentia obedienciali. Per potentiam naturalem intelligimus eam, secundum quam forma recipitur in materia connaturaliter, hoc est, secundum inclinationem passivam, & naturalem, quam dicit ad formam. Per obediencialem potentiam intelligimus non repugnantiam ad formam recipiendam cum carètia inclinationis naturalis. Vtrum autem potentia obediencialis distinguatur à potentia neutra, an verò ordinem & respectum addat supra hanc potentiam terminatam ad agens supernaturale, dicemus in Metaphysica.

9.

Hanc conditionem reicit quidam alius Scotista, disputat. 6. quæst. 2. Primò, quia anima rationalis creatur, & tamen ad illam dicitur naturalem inclinationem; ergo. Sed hæc obiectio nulla est. nam aliud est ad educationem requiri potentiam naturalem passivam, aliud verò, hac præcisa ratione

ratione eductionem constitui: vnde quamuis materia prima habeat potentiam naturalem passiuam respectu animæ rationalis, quia tamen hæc ab ipsa non dependet in fieri & conseruari, quod complet eductionem, ex eius potentia non educitur.

Secundò obiicit quòd sequeretur, calorem non educi ex potentia aquæ, quia hæc non dicit naturalem inclinationem ad calorem. quod argumentum efficax est, si ipsi per potentiam naturalem passiuam intelligant formalem inclinationem subiecti, seu innatum appetitum illius. Si verò intelligant capacitatem subiecti, & naturalem receptibilitatem ipsius, certum est hanc requiri. nam actus & potentia debent proportionari: sed forma est actus naturalis; ergo in subiecto correspondet alia similis potentia. hancque sufficere sic ostendo. nam ex dicendis in libris de celo, cælum habet potentiam solùm neutram ad motum circulare, & nihilominus hic educitur de potentia ipsius, cum sit accidens, productam à causa creata, nempe intelligentia, quæ nequit causare nisi dependenter à materia; ergo ad eductionem sufficit potentia naturalis indeterminata, seu neutra.

Ad eductionem sufficit potentia naturaliter receptiua.

10. Notare etiam oportet, ad eductionem non requiri quòd forma producatur ab agente creato. nam Deus multas formas producit, quas non creat, sed educit de potentia materiæ, vt de omnibus formis viuentium docet Doctor in 2. distinct. 8. quæst. vnica. §. *Quod ergo*, versic. *dico igitur*, num. 10. Nec sufficere formam in eodem instanti temporis, in quo producitur, informare materiam. nam hoc habet anima rationalis, & nihilominus ex potentia materiæ non educitur. Requiritur ergo solùm quòd ex vi actio-

nis, qua forma producitur, mutetur subiectum, aut producatur forma ex vi mutationis subiecti: vnde optimè colligit Doctor in 4. dist. 43. quæst. 2. §. *potest dici*, versic. *Nos autem*, num. 20. hanc esse differentiam inter generationem hominis, & aliorum entium, quod in horum generatione eadem numero actione forma producitur, vnitur materiæ, & resultat totum; in generatione verò hominis diuersa actione creatur anima rationalis, & vnitur materiæ vt resultat totum, creatio enim supponitur prior natura, ad vnitionem formæ cum materia. Hæc doctrina est contra quendam neotericum Complutensem in hoc libro disput. 2. quæst. 2. qui quamuis fateatur, formam eadem actione produci & recipi in materia, negat tamen eadem actione produci & vniri, distinguit enim vnitionem & receptionem, & hanc identificat cum eductione. quod si verum esset, libentissime fateremur vnitionem & receptionem differre. nam anima rationalis vnitur materiæ, & non recipitur, hoc est, non educitur ex ea, tamen in formis materialibus hæc doctrina falsa est.

Obiicies Doctorem in 4. dist. 13. quæst. 1. §. *ex dictis*, num. 12. clarius num. 10. vbi affirmat, formam distincta actione produci à productione totius, ideo istam actionem vocat productionem, illam verò eductionem, vel inductionem; ergo non vnica actione producitur genitum, sed diuersis. Resp. Doctorem non admittere distinctas actiones, seu distinctos fluxus naturæ productæ, quamuis distinguat respectus, scilicet educentis ad eductum, inducentis ad inductum, qui in vnica actione completa inueniri possunt, vt explicabimus amplius lib. 3. Physicorum, quæstione 1. distinctione 1.

II. Obiectio.

Responsio.

*Obiectio
secunda.*

Obiectis secundò partes præcedere totum : sed forma est pars totius ; ergo prior ipso , & consequenter totum distincta actione produceretur.

Solutio.

Resp. prioritates naturæ non opponi unitati termini producti : unde quamvis passiones promanent à composito , non tamen diuersis actionibus , sed eadem producantur.

Aliud discrimen potest inueniri in materia respectu animæ rationalis , & aliarum formarum , quòd materia in sua virtute & potentia materiali continet omnes formas , non tamen animam rationalem , quia hæc non dependet ab ipsa : dicitur tamen materiam habere potentiam naturalem passiuam respectu animæ rationalis , non quia hæc dependeat ab ipsa in fieri & conseruari , sed quatenus est subiectum capax , vt informetur ab ea.

ARTICVLVS II.

Satisfit titulo difficultatis.

*12.
Sententia
prima.*

Quamquam constans sit omnium Peripatheticorù sententia quòd omnes formæ materiales educantur de potentia materiæ , fuerunt tamen nonnulli Philosophi , qui hanc clarissimam veritatem conuati sunt obscurare. Primus fuit Plato in Phædone , qui nullam formam educi de potentia materiæ , sed omnes à quibusdam ideis & substantiis separatis in materiam infundi autumabat : has autem substantias separatas reiecimus q. 6. Logicæ difficult. 1. & 2. art. 2. & in Metaphysica reprobamus. Tribuitur etiam Aureolo nostro quòd concedat in materia præcedere formas imperfectas , seu quasdam rationes seminales , seu inchoationes formarum. Sed hanc etiam sententiam reiecimus cum Doctore q. 3. difficult. 1. art. 2. Anaxagoras autem putabat omnes formas

*Sententia
secunda.*

*Sententia
tertia.*

fieri ex atomis , (qui secundum ipsum erant materia prima) in quibus formæ latebant , posteaque virtute agentis naturalis , hæc , vel illa , penes diuersitatem agentium apparebat. Hæc autem sententia eò communiter reicitur , quòd tolleretur generatio substantialis , cum non fiat aliqua forma de nouo , sed omnes supponantur in materia. Secundò impugnari potest eisdem rationibus , quibus probamus vbi supra , non dari in materia formas feminales , nec inchoationes formarum. Auicenna lib. 1. sufficientiæ cap. 10. de omnibus formis affirmat quòd de anima rationali nos statuimus , scilicet non educi ex potentia materiæ , sed à quodam agente superiori in ipsa induci , iuxta dispositionem agentium naturalium , & hanc vocat educationem de potentia materiæ. Hæc autem sententia quantum ad id quòd asserit , quòd formæ istæ non producantur ab aliquo agente inferiori , loquendo de formis viuentium , vera est , vt nos inferiùs dicemus : falsa autem , quatenus affirmat , has formas produci ab aliqua intelligentia superiori quæ non sit Deus. nam hoc dictum exprobrat cuncta Peripatheticorum schola. nam Angeli non possunt creare has formas , neque transmutare materiam primam substantialiter ; solùm ergo possunt applicare actiua passiuais , vt sic subiectum disponatur , & ad eius exigentiam ab agente superiori fiant generationes : sic dæmones in aère causant Meteorologicas impressiões , niuem , fulgura , grandinem , &c. Angelos autem non posse producere formas substantiales , tenet August. lib. 3. de Trinitate cap. 8. sanctus Thomas 1. parte quæst. 110. art. 2. & omnes Theologi , cum Concilio Bracarense cap. 8. vbi damnat asserentes substantias separatas posse efficere grandinem ,

*Sententia
quarta.*

*Angeli
nequeunt
formas
substantiales
producere.*

rem, &c. Intelligendum tamen est Concilium modo iam explicato, quod non possint producere formas substantiales.

Dicendum nobis est cum communi sententia, quam tenet Doctor in 2. dist. 18. quaest. vnica, Philippus Faber theoremate 16. omnes formas substantiales materiales educi de potentia materiae. Potissimum fundamentum est quod educi de potentia materiae nihil aliud est, quam quod forma producat ex ipsa, & in ipsa vnica actione, & quod dependeat ab eadem in fieri & conseruari: sed quilibet forma materialis vnica generatione actiua fit in materia ex virtute ipsius, ab eaque taliter dependet, vt si semel separeretur, statim corrumpitur, ergo ex eius educitur potentia. Secundò agens naturale non potest producere independenter à materia, quia producere ex nihilo arguit potentiam infinitam: sed plures formae naturales fiunt ab agente naturali; ergo dependenter à materia, ex cuius potentia educuntur, quia educi nihil aliud est, quam fieri dependenter à materia in esse & conseruari.

Obiicies primò formas viuientium non posse produci ab aliquo agente naturali; ergo non educuntur de potentia materiae. Antecedens supponimus ex dicendis in libris de generatione. Consequentiam sic probò, ad educationem requiritur principium passiuum naturale in materia: sed omne principium naturale passiuum respicit aliquod agens naturale. Cùm ergo hæ formae à solo Deo producantur, non erit in materia virtus passiuæ respectu illius. Resp. principium passiuum naturale respicere agens, non naturale creatum, sed naturaliter agens, vnde semel disposita materia, ad formam viuentis, vel ad aliam for-

mam quando agens non est praesens, Deus vt naturæ author illam formam educit ex materia, vt docet Doctor in 4. dist. 43. quaest. 2. §. potest dici, versiculo, *sed quare*, num. 21.

Obiicies secundò animam rationalem produci à Deo, iuxta exigentiam materiae, & vt naturæ author; ergo ex eius potentia educitur. Resp. hæc non sufficere, sed requiri vterius quod forma & compositum eadem actione producantur. Item quod forma dependeat in conseruari & fieri à materia, vt supra diximus: anima autem rationalis separata materia conseruatur, vt fides adstruit.

ARTICVLVS III.

Utrum forma calorum & elementorum educta fuerint de potentia materia in prima mundi conditione.

Qvod dicimus de formis calorum & elementorum, possemus dicere de omnibus aliis compositis, qui sine vlla dispositione prauia producerentur. Negatiuam partem tenet S. Thom. 1. parte q. 46. art. 3. in argumento sed contra, & in solutione ad secundum, & q. 65. art. 3. & in corpore, quem sequuntur Suar. 1. tomo Metaphysicæ disp. 15. sect. 2. n. 17. Fonseca 5. Metaphysicæ cap. 2. q. 4. sect. 2. & alij Thomistæ recentiores. Fundamentum est, primò quod Genes. 1. dicitur quod *in principio creauit Deus caelum & terram*, quod testimonium notat Doctor Montesinos 1. 2. q. 112. disp. 32. n. 34. de vera creatione intelligi communiter à Patribus. Secundò probat Suar. à priori, quia vnica actio est qua caelum secundum se totum producit, & non solum forma, sed etiam materia vnica actione integra concreantur: sed eductio supponit

13.
Nostra
conclusio.

Ratio
prima.

Ratio
secunda.

Obiectio
prima

Principium passiuum naturale non respicit agens creatum prædicte sed agens naturale.

Obiectio
secunda.

Anima
rationalis nec in fieri, nec in conseruari à materia dependet.

15.
Conclusio
negatiua.

materiam iam productam; ergo forma cæli non potuit educi, sed con-creari.

Dicendum nobis est formas cælorum & elementorum eductas fuisse de potentia materiæ. supponit expressè Doctor in 2. dist. 17. q. 1. §. *Quid quid sit*, versic. *supposito*, num. 3. quem sequuntur Molina & Vasquez 1. parte q. 45. art. 1. Murtia & Plaza vbi supra. Ruu. tractatu 2. de forma, q. 2. & alij plures, quos ipsi referunt, quam sententiam sequent. dictis sic explico.

16.
Conclusio prima.

Dico primò, formæ cælorum non producuntur per veram creationem. Probat, illud verè creatur quod producitur independentè à materia, in fieri & conseruari: sed formæ cælorum non sunt incorruptibiles à natura, nec independentes à materia; ergo nec verè creatæ. Probat, nam inde manifestè infertur, animam rationalem non contineri in virtute materiæ, quia spiritualis est, & separata à materia non corrumpitur: sed formæ cælorum sunt materiales, & corruptibiles per separationem à materia; ergo non est vnde colligatur quòd in ipsa creentur. Vnde colligatur, inquam, nam negare non possumus formas cælorum potuisse creari extra compositum. nam Deus quodcunque ens potest ex nihilo producere; solum ergo intendimus formas cælorum neque ex natura propria, neque ex vi productionis ipsius cæli exigere creationem: vnde videtur dicendum in productione cælorum & elementorum, duas fuisse actiones, prima creatiua, per quam fuit producta materia prima: secunda, eductiua, per quam forma ex potentia materiæ fuit educta, & refultrauit totum. nam non est vnde cogamur asserere formam istam creatam fuisse, & non eductam ex potentia ipsius materiæ.

Dico secundò, productio istius formæ non debet dici rigorosè generatio, sed largo modo creatio. Probat, nam generatio ex Aristot. 1. de generatione cap. 4. est mutatio huius totius in hoc totum, nullo sensibili remanente: sed in creatione istius formæ nulla forma substantialis supponebatur, nec aliquòd totum quod mutaretur, & transiret in hoc totum cælestè; ergo non est dicenda generatio rigorosè, sed productio, vel eductio. nam quamuis in rebus quæ modò generantur, eductio & generatio conuertantur; si tamen eductio præesse accipiatur, superior est ad generationem, & fortè ab ea solum accidentaliter distinguitur, & nomine communi appellatur, scilicet eductio, aut productio, quia nomine speciali caret, vt docet Doctor in 4. dist. 43. q. 5. §. *de tertio*, versic. *si arguas*, num. 9. & nos notamus quæst. 19. diff. 2. art. 4. n. 34.

17.
Conclusio secunda.

Dico tertio, formæ cælorum non fuerunt concreatæ ad creationem totius. tenet Doctor in 1. dist. 5. q. 2. §. *Et probatur*, quia omne esse quod ex aliquo est, aut constituitur, supponit ea, quæ sunt ipsius causa: sed totum compositum quod est adæquatus terminus productionis, vt docet idem Doctor vbi supra q. 1. §. *ad argumenta*, versic. *ad rationem*, n. 9. supponit partes ex quibus componitur, etsi istæ supponant primum efficiens, vt habet Doctor in 1. dist. 8. q. 1. §. *ad quaestiones*, n. 2. ergo tale totum non creatur, & consequenter nec partes ad creationem illius concreabuntur. Patet consequentia. nam creatio est ex nihilo: sed totum supponit partes; ergo non creatur. Vnde cum formæ cælorum & elementorum nec ex natura propria petant creari, nec extra subiectum creatæ fuerint, nec aliquam actionem habeant independentè à materia, nec

18.
Conclusio tertia.

ad creationē totius potuerint cōcreari, manifestē infertur, eductas fuisse de potentia materiæ, & hanc per distinctam actionem creatam fuisse.

Ad fundamentum oppositum resp. cælum largo modo dici creatum ab Scriptura & Patribus, quatenus non supposuit aliud suppositum corrumpendum. Patet. nam etiam homo dicitur creatus, & in eisdem verbis apparet repugnantia veræ creationis; cum dicatur de limo terræ formatus: dicitur tamen vtraque creatio quatenus est ex subiecto totaliter creato, & nihil aliud compositum supponit; rigorosa enim creatio ex nihilo fit. Vnde Angeli & anima rationalis verè creati dicuntur.

Cælum largo modo dici creati dicitur.

19. Obiicies primò Aristotelem in libris de cælo, affirmantem cælum esse ingenerabilem, & incorruptibilem. Resp. cælum esse incorruptibilem per accidens, non verò per se. Item ingenerabilem, quia nulla virtus creata potest producere cælos. nec forma supponit materiam transmutabilem.

Obiectio secunda.

Obiicies secundò, vbi non est generatio totius, nec potest esseeductio formæ, de potentia materiæ: sed cæli non fuerunt geniti; ergo nec formæ illorum eductæ, sed creatæ. Probat maior, quoniameductio & generatio non distinguuntur. Resp. primòeductioem & generationem converti quando potentia passiva materiæ antecedit temporeeductioem, non tamen quando non antecedit tempore, vt patet ineductioem formæ elementorum & cælorum, vt docet Doctor in 4. vbi supra. Secundò resp. cum Scotto in 1. dist. 5. q. 2. §. ideo tenendo, n. 11. vers. dico primo, quòd generatio in creaturis duo dicit, productionem & mutationem, & istorū rationes formales aliæ sunt, & sine contradictione separabiles ab invicem: productio autem formaliter est ipsius

Mutatio & productio sunt separabiles.

producti quod est compositum, ex 7. Metaphysica textu 26. & accidit sibi quòd fiat cum mutatione alicuius partis compositi. Vnde actio productiva cæli habet rationem productionis, licet non mutationis, & sic aliquo modo vocari potest generatio, sicut productio Verbi æterni generatio nuncupatur, etsi ibi non sit mutatio, sed productio: quando autem Arist. vocat cælum ingenerabile, loquitur de generatione cum mutatione, vt diximus supra num. 19.

Obiicies tertio, materiam non precessisse formam: sed in eodem instanti creatum fuit totum compositum, & partes ipsius concreatæ; ergo forma non fuit educta de potentia materiæ. Resp. negando, totum produci vnica actione, quia cum hoc dependeat à partibus, eas supponere debet. Cum autem dicis materiam non supponi ad formam, respondetur supponi natura priorem, quod sufficit, vt eius potentia forma educeretur, seu dependenter ab ipsa in esse fieri & conservari: sicut si concretum accidentale produceretur, non vna, sed pluribus actionibus existimaretur productum, tum quia subiectum est materia accidentium, tum quia actio quæ terminatur ad substantiam, distinguitur ab ea, qua accidentia producantur, vt omnes fatentur. nam prima dicitur generatio, secunda verò alteratio.

20. Obiectio tertia.

Vt forma substantiales educantur ex materia, sufficit hęc prius natura supponi.

ARTICVLVS IV.

Vtrum forme accidentales educantur de potentia subiecti.

Formæ accidentales sunt in triplici differentia, naturales scilicet, supernaturales & artificiales. Cum autem inquirimus de subiectis istarum formarum, non est sermo de materia prima. nam certum est ex dicendis in

Forma accidentales sunt in triplici differentia.

primo de generatione, formas naturales in toto compositas, & ex materia de beatitudine & charitate lumen gloriæ, gratiam & charitatem in intellectu & voluntate, ex mente Doctoris, & ex q. 17. Logicæ, difficult. 1. formas artificiales in quantitate subiectari; est ergo difficultas, vtrum omnes istæ formæ educantur de potentia suorum subiectorum.

21.
Conclusio prima.

Creatura nequit ex nihilo producere.

Dico primò, formæ naturales materiales educuntur de potentia totius. tenet Doctor in 4. dist. 1. q. 1. §. *ideo dico*, num. 2. Ratio est conspicua, nam istæ formæ virtualiter continentur in suis subiectis, & ab ipsis pendunt in fieri & conseruari; ergo. Confirmatur, creatura nequit ex nihilo producere, aliàs naturaliter crearet, quod omnes respuunt: sed ista accidentia naturalia producuntur ab agentibus creatis naturaliter; ergo educuntur de potentia suorum subiectorum.

22.
Conclusio secunda.

Dico secundò, formæ artificiales educuntur de potentia suorum subiectorum. tenet R. u. q. 3. Fundamentum est, quòd forma statuat nequit fieri, nec conseruari independentem à subiecto, & hoc est in potentia saltem neutra passiuæ naturali respectu talis formæ; ergo hæc educitur ex potentia eius. Secundò hæc formæ non creantur; ergo educuntur. Resp. aliqui, has formas non educi, sed coëduci. nam resultant ex motibus localibus instrumentorum, sicut resultant relationes & propriæ passionis. quod idem videretur dicendum de qualitatibus secundis, quæ non producuntur per veram actionem primariò, sed resultant ex primarum qualitatum mixtione. Ego tamen fateor, qualitates secundas & alia accidentia quæ non producuntur immediatè per actionem, non educi, sed coëduci ad educationem

alterius. Existimo tamen figuram formaliter produci per motum, cum sit relatio extrinsecus adueniens, vt examinabimus in Metaphysica. quod si verum est, omnes qui hoc concedant, hanc veram educationem debent existimare. Si verò dicant esse qualitatem secundam, meritò affirmabunt non educi, sed coëduci.

Dico tertio, actus supernaturales educuntur de potentia suorum subiectorum. tenet expressè Doctor in 1. dist. 17. q. 4. §. *ad argumenta*, versic. *ad tertium*, num. 34. Fundamentum est, primò quòd nulla causa secunda potest creare, creatio enim est solius agentis primi, vt etiam docet in 4. dist. 1. §. *Dico etiam*, n. 31. sed intellectus & voluntas concurrunt ad productionem actuum fidei, spei & charitatis; ergo cum sint causæ creatæ, non aliter producantur quàm educendo.

Dices, posse producere hos actus saltem vt instrumenta Dei, independentem à materia. Resp. hoc etiam negare Doctorem, & nos in 2. *Physicorum*, q. 13. difficult. 3. art. 2. Confirmat Doctor in primo vbi suprà, quia creatio non supponit subiectum receptiuum, à quo dependeant effectus in fieri & conseruari: sed hi actus supernaturales supponunt sua subiecta in potentia passiuæ receptiuæ, ab ipsisque dependent in fieri & conseruari; ergo ex eorum potentia educuntur.

Dico quarto. Habitus supernaturales non educuntur de potentia suorum subiectorum, v. g. fides, spes, charitas, & lumen gloriæ: sed producuntur per veram creationem. tenet expressè Doctor in 1. dist. 17. q. 6. §. *hic dicit*, vers. *ad primam rationem*, n. 4. & in 4. dist. 1. q. 5. §. *contra istam opinionem*, & §. *ad primam ergo questionem*, n. 12. & alibi sæpius, idem docet de gratia; est

23.
Conclusio tertia.

24.
Conclusio quarta.

senten

sententia communis in nostra schola, & fuit antiquitus receptissima, est etiam D. Thomæ in 1. dist. 14. q. 3. Bonaventuræ, Alensis, Ferraræ, Durandi, & Nominalium. Quidam neotericus Scotista hoc probat fundamento, quod vt forma educatur de aliquo subiecto, hoc debet habere potentiam passiuam naturalem respectu talis formæ: sed voluntas, seu anima rationalis solum sunt in potentia obedientiali, respectu habituum supernaturalium; ergo non educantur de potentia voluntatis, seu animæ. Sed hæc probatio est contra Doctorem & veritatem, contra Scotum. nam ipse admittit potentiam passiuam naturalem in voluntate respectu habituum supernaturalium in q. 1. prologi, & de voluntate respectu beatitudinis docet in 4. dist. 49. q. 10. §. Respondeo, & Scotista iste in materia de gratia disp. 4. q. 3. admittit cum Doctore in creatura rationali inclinationem naturalem ad habitus supernaturales, de quibus in materia de habitibus. interim legatur Rada primo controuersiarum, controuersia prima, conclusione 3. Est etiam contra rationem, quia, vt diximus art. 1. sufficit potentia neutra, seu indifferens ad educationem; ergo quamuis intellectus & voluntas carerent potentiis passiuis, seu inclinationibus naturalibus, quibus exigeret formas, sufficeret potentia neutra, seu indifferens, vt ex hac parte educi possent.

23. Obiicit potentiam passiuam identificari cum suo subiecto, vt diximus q. 3. difficult. 3. art. 2. sed ista potentia passiuæ nequit identificari cum subiecto naturali; ergo. Probat minor, hæc potentia respicit formam supernaturalem; ergo est supernaturalis: sed nullum supernaturale potest identificari cum ente naturali; ergo. Resp. Doctor quaest. 1. Prologi, §. ad quaestio-

nem, potentiam non dici supernaturalem in ordine ad formam, sed naturalem si naturaliter inclinatur, violentam si sit contra inclinationem naturalem: neutrum tamen si nec inclinatur ad istam formam, nec ad oppositam. In hac autem comparatione nulla est supernaturalitas, sed comparando receptiuum ad agens, à quo recipit formam, est naturalitas, quando receptiuum comparatur ad tale agens, quod natum est naturaliter imprimere talem formam in tali passo: supernaturalitas autem quando comparatur ad tale agens, quod non est naturaliter impressurum illius forme in illo passo. Hoc vltimum etiam docet in 4. dist. 43. quaest. 2. §. potest dici, versiculo sed quare, num. 21. sed respectus ad agens est extrinsecus subiecto; ergo supernaturalitas distinguetur ab eo, & consequenter potentia respiciens istos habitus, & naturaliter inclinata ad eosdem, non supernaturalis, sed naturalis nuncupabitur.

Hac ergo potissima ratione, omiffis aliis theologis (in tractatu de habitibus examinandis) nostra conclusio probatur. nam gratia & cæteri habitus, ita excellentes sunt in ordine gratiæ & gloriæ, sicut anima rationalis in serie naturæ: sed hæc, ob suam perfectionem, petit à Deo in nobis creari; ergo & illi habitus ob suam excellentiam. Secundò isti habitus ab intrinseco & substantia-liter, dicuntur supernaturales; ergo ab intrinseco petunt produci, extra vires cuiusvis causæ creatæ: sed nulla actio datur totaliter supernaturalis dependenter in fieri à subiecto; ergo dicendum est, istos habitus à Deo supernaturaliter creari, & non educi de potentia subiecti. Confirmatur ex ratione D. Thomæ. nam habitus hi eleuant animam, & eius potentias supra totum esse naturæ; ergo nec materia

Sufficit
potentia
neutra
ad edu-
cationem.

23.
Obiicit.

26.

materialiter in aliquo principio naturali continentur.

27.
*Sententia
opposita.*

*Ratio
prima.*

Contrariam sententiam tenet Suarez disput. 15. Metaphysicæ sect. 2. & 3. tomo, in tertiam partem disput. 9. sect. 1. Vasquez 1. parte disput. 174. Lorca prima secundæ disp. 24. de gratia, & communiter recentiores Thomistæ. Probant primò, de ratione accidentis, & in esse; ergo nequeunt produci in subiecto, nisi dependenter ab ipso in fieri & conseruari; ergo habitus isti non creantur, sed educuntur. Respondent aliqui quòd de ratione accidentis non est inhærentia actualis, sed aptitudinalis. Sed contra saltem inhærentia aptitudinalis est propria passio accidentis, ut diximus in Logica quæst. 1. difficultate 2. art. vnico, in fine; ergo ex natura sua perent accidentia quòd fiant dependenter à subiecto; ergo Deus qui iuxta existentiam rerum producit effectus, producet hos habitus dependenter à subiecto, licet miraculosè possit producere illos sine actuali dependentia. Secundò nos non solum intendimus habitus istos posse creari, sed quòd ab intrinseco petant actionem creatiuam, ita quòd in nullius causæ materialis virtute contineantur; ergo quamuis probes quòd miraculosè potest Deus creare hos habitus extra subiectum, quia actualis dependentia accidit ipsi, non concludis nostrum intentum. Resp. ergo verum esse aptitudinalem inhærentiam esse passionem accidentis; hoc tamen quid diuersum est ab educatione. nam hæc dicit dependentiam in fieri & conseruari, inhærentia tamen siue actualis, siue aptitudinalis, solum importat dependentiam informationis. nam sicut anima rationalis quatenus forma ab intrinseco respicit materiam, & nihilominus tamen ex eius poten-

tia non educitur, quia in ea virtualiter non continetur, ob suam perfectionem; ita quamuis hi habitus respiciant subiectum inhærentis ab intrinseco, quia tamen in eius virtute non continentur, ex eius virtute nequeunt educi. Instabis quòd non alia ratione probauimus articulis præcedentibus, animam rationalem creati, nisi quòd separata adhuc durat independentem in conseruari à subiecto, & econtra, formas calorum generari & educi, quia nullam habent operationem independentem à materia: sed hi habitus supernaturales nec operantur independentem à subiectis, nec ab ipsis separantur; ergo educuntur de potentia subiecti, & non creantur. Resp. concedendo maiorem, ad minorem dicitur, hos habitus separabiles esse à subiecto, quia sicut ab eo non producantur, ita nec conseruantur: tamen non separantur, primò, quia nulla est necessitas separationis, sicut est in anima rationali; quid enim prodest charitas sine subiecto, aut fides? Quòd autem in subiecto ab eo dependant in suis operationibus, verum est, tamen hæc dependentia non est ab eo tanquam à causa materiali, sed tanquam à concausa efficienti, eo quòd habitus non est causa principalis sui actus, sed coeffectiua cum potentia, quæ ita dependens ab ea est in genere causæ materialis, ut nec destructio ipsius possit à subiecto physicè pendere, sed à solo Deo per annihilationem destruat, ut docet Scotus in 4. distinct. 6. quæst. 9. §. ad quæstionem, versic. ad tertiam rationem, num. 20.

Probant secundò, creatio est rei subsistentis: sed accidentia supernaturalia non subsistunt; ergo nec creantur. Resp. negando maiorem, sufficit enim ut terminus creabilis possit existere

28.
*Ratio
secunda.*

existere independenter ab alio, tanquam à conseruante & producente, ideo anima rationalis, creata dicitur, & tamen extra compositum non subsistit.

29.
Ratio
vntia.

Tertio inhærentia actualis ita conaturalis est cuilibet accidenti, sicut quantitas substantiæ materiali: sed hæc naturaliter nequit esse sine quantitate; ergo neque accidens conaturaliter produci sine tali inhærentia. Resp. concedendo paritatem, negamus tamen consequentiam. nam substantia non petit ab intrinseco produci sine quantitate: accidentia tamen supernaturalia petunt produci independenter à subiecto tanquam à causa materiali; vel concedamus paritatem, quòd sicut substantia conaturaliter exigit quantitatem, ita habitus supernaturales exigunt inhærentiam. Inde tamen non infertur educi de potentia subiecti. nam ad hoc requiritur, vt supra diximus, quòd ab eo in fieri, & conseruari dependeant, & quòd vnica & eadem actione vniantur & producantur in subiecto. Hæc tamen accidentia distincta actione producuntur & vniantur, vt habet expressè Doctor in 4. distinct. 1. quæst. 1. §. ideo dico, num. 28. versicul. *secunda conclusio*, de omnibus entibus quæ fiunt per creationem, quidquid senserit Faber in 4. sententiarum, distinct. 2. vnde anima rationalis etsi conaturaliter exigit corpus, non tamen dicimus ab eo in suo conseruari dependere, nec ex eius potentia educi.

Ratio
vntia.

Probant quartò. Res quæ à Deo creantur, semper durant, v. g. materia prima, anima rationalis, spiritus Angelici, &c. Sed gratia sapiens destruitur; ergo non creatur. Respond. Deum nihil sine occasione destruere: eum autem nulla detur occasio con-

grua annihilandi Angelos & materiam, ideo conseruat: gratiam autem annihilat occasione peccati, quòd peccator auertitur à Deo, & fit moraliter indignus gratia.

Petes, vtrum supernaturaliter possit creari à Deo accidens naturale independenter in fieri à subiecto. Resp. affirmatiuè cum Doctore in 2. dist. 12. quæst. 2. §. *quero*, versicul. *contra*, n. 1. Fundamentum est, quòd accidens potest à subiecto separari, & sine eo conseruari; ergo & poterit à Deo creari sine concursu subiecti. quod idem argumentum potest fieri de forma materiali, vt habet Scotus in 2. vbi supra, in fine, vnde falsò imponit Vasquez Doctore quod in 4. distinct. 1. quæst. 1. affirmet, accidentia materialia non posse creari à Deo. nam ibidem Doctor hanc possibilitatem creandi principaliter, seu instrumentaliter, solum negat esse in creaturis, non autem in Deo, vt patet ex §. *ideo dici potest*, num. 28. & §. *dico etiam*, num. 31.

30.
Diuinitus
potest
creari
accidens
naturale
independenter
in fieri à
subiecto.

DIFFICULTAS III.

Vtrum plures forme substantiales possint simul eandem numero informare materiam.

NON est difficultas de formis substantialibus subordinatis & integrantibus. nam de his docet Doctor in 4. distinct. 11. quæst. 3. §. *ad rationes*, num. 46. plures admittendas esse, ideo etiam admittit formam corporeitatis, distinctam à forma viuentis in animalibus, vt dicemus 1. de generatione. Neque est difficultas de formis accidentalibus diuersæ speciei. nam certum est homini, v. g.

Dua forme
accidentales
possunt

esse in eadem subiecto. naturaliter inesse albedinem, calorem, &c. difficultas ergo est de formis substantialibus eiusdem, aut diuersæ speciei non subordinatis & integrantibus, sed adæquatis & totalibus. v. g. Vtrum in eadem materia possint esse duæ formæ rationales, vel forma hominis & leonis simul.

31. Nec inquiritur vtrum hoc naturaliter possit contingere. nam certum est & omnes admittunt, per nullam potentiam naturalem posse plures formas simul eandem numero informare materiam. Fundamentum est, quod natura quauilibet portionem materiæ destinavit, vt ex ea fieret vnicum tantum indiuiduum sub determinata specie; ergo per eandem naturam nequit eadem materia diuersis formis substerni. Confirmatur. nam diuersæ formæ, saltim specificè, diuersas & oppositas exigunt dispositiones; ergo nequeunt diuersæ formæ ob impossibilitatem dispositionum simul coëxistere, informando eandem materiam. Hoc conuincitur experientia, qua semper experimur, in vno homine esse vniformes operationes, quæ ex diuersis formis totalibus non possent prouenire. Est ergo difficultas, vtrum supernaturaliter hoc possit contingere.

ARTICVLVS I.

Proponitur sententia contrariorum, & explicatur nostra.

32. *Sententia prima.* Prima sententia affirmat plures formas substantiales non subordinatas posse supernaturaliter eandem numero informare materiam. tenet Gregorius in 1. distinct. 12. quæst. 3. articul. 2. Paludanus in 3. distinct. 15. quæst. 2. Fonseca 5. Metaphys. cap. 4. quæst. 4. sect. 2. Plaza

disputat. 5. quæst. 4. Suarez tomo 1. Metaphysicæ disp. 15. sect. 10. num. 60. Ruu. tractatu de forma, quæstione 7. num. 72. Hurtado disputatione 4. Physicorum, sectione 3. §. 23. quorum fundamenta articulo 2. obicitur contra nostram conclusionem. his subscribit quidam neotericus Scotista.

Verior sententia affirmat plures formas non subordinatas per nullam potentiam posse eandem numero informare materiam. hanc sententiam, licet in propriis terminis non resoluat Doctor, eam tamen expressè supponit in 4. distinct. 10. quæst. 2. §. *Ego etiam*, num. 4. versicul. *secundò sic*, idem insinuat in 2. distinct. 2. quæst. 7. versicul. *ad vltimum dico*, num. 4. & in 4. distinct. 11. quæst. 3. §. *aliq*, num. 33. versicul. *si dicatur*, impossibile iudicat plures formas vnâ numero materiam informare, licet ibi non loquatur expressè de potentia supernaturali, & 1. Physicor. quæst. 24. & quæstione 19. Physicæ, ibi Pitigianus, est sententia S. Thomæ 1. part. quæst. 76. artic. 3. & 4. item opusculo 33. & quodlib. 1. artic. 6. in quibus locis licet expressè non loquatur de potentia supernaturali, tamen argumenta quibus probat contradictionem & impossibilitatem, etiam impossibilitatem supernaturalem conuincunt. eam sequitur Vasquez de Incarnatione disput. 29. cap. 4. num. 23. Lorca disput. 23. est communis inter recentiores Scotistas, antiqui tamen hanc difficultatem expressè non tractarunt. his adhærent quidam recentiores disp. 4. Physicæ quæst. 6. §. 2.

Huius autem rei impossibilitas est contradictio. Primò probari potest. Nam si vna materia duplici informaretur forma; ergo compositum resultans esset vnum & plura numero: plura numero

33.
Authoria sententia.

Dua forma substantiales non subordinata nequeunt naturaliter eandem numero informare materiam.

34.
Ratio prima.

numero, quia duabus formis informaretur, & hoc fatentur contrarij; vnum numero, quia vnica solum materia componeretur. Hoc secundum quod non admittunt, probatur, materia non est minus pars essentialis compositi, quam forma, licet hæc sit perfectior & præcipua pars, vt diximus quaestione 3. difficultat. 5. artic. 2. sed vnica tantum est materia; ergo vnicum tantum compositum. Confirmatur ex Arist. 8. Metaphysicæ text. 12. & 12. Metaphysicæ text. 11. & 12. vbi ex vnitatem, vel pluralitatem materiae colligit vnitatem, vel pluralitatem indiuiduorum; ergo vbi est vnica materia, erit vnicum indiuiduum; ergo si informaretur pluribus formis, esset compositum vnum & plura.

35.
Ratio
secunda.

Alij autem sic probant, effectus formalis formæ non potest à Deo suppleri: sed expulsio formæ ab eadem materia est effectus formalis formæ; ergo nequeunt simul informare. Si autem respondeas effectum expulsionis esse secundarium, & ita supplebilem à Deo. Contrà obijciunt quod licet effectus secundarius positius possit diuinitus impediri, non tamen, si fuerit priuatius & valde intimus: vnde cum expulsio formæ substantialis, quando aduenit alia, sit secundarius priuatius proueniens à forma de nouo adueniente, quia nihil est aliud, quam non esse illius, in tali subiecto & valde intimus, cum sit ex intrinseca ratione formæ substantialis, ideo non est dispensabilis à Deo. quæ doctrina licet vera sit, tamen non explicat veram contradictionem, ob quam iste effectus secundarius sit indispensabilis, alij verò non.

36.
Tertia ratio
esset.

Efficacius hæc contradictio ostendi potest, ex principiis Doctoris, in 3. distinct. 1. quaest. 2. §. ad quaestionem, num. 5. vbi docet, implicare contra-

ditionem quod eadem natura humanitrici diuina personalitate dependeat. Fundamentum est, quod independentibus essentialiter implicat vnum dependens dependere à pluribus, sed debere dependere ab vnico totaliter & adæquatè eius dependentiam terminatè; aliàs totaliter ab vno dependeret, & non dependeret totaliter, siquidem alterum etiam terminaret; dependeret ergo à quopiam eorum essentialiter, quatenus omnes terminant eius dependentiam, & simul non dependeret, quatenus singuli adæquatè & completè totam dependentiam complent; dependeret ergo, & non dependeret. Sic ergo cum vna personalitas reddat naturam incommunicabilem, implicat ex mente Doctoris, quod postea altera personalitate eadem natura personetur. Ita in casu nostro, cum quæuis forma sit completum principium, & totale informatiuum materiae, appetitum eius complacentiæ satians & adæquatè actuans, implicabit, eandem materiam alia adæquata forma simul actuari; aliàs materia in informatione totaliter dependeret, & non dependeret, quod argumentum maximè vrget ad probandum non posse vnicam formam duplicem materiam informare: nam cum secundum omnes esset vnicum indiuiduum, idem indiuiduum dependeret à duplici causa totali materiali in suo esse essentiali, quod absurdum reputat Doctor, vt videbimus 2. Physic. q. 16. diffic. 3. art. 2. loquendo de causis efficientibus. Et notat optimè quidam recentior & ingeniosissimus Scotista, quod si argumentum Scoti de subsistentiis habet vim in causis efficientibus, maiorem debet habere in formalibus, & materialibus, tum quia hæc sunt magis intrinsecæ, tum etiam, quia subsistentia magis

In dependentibus essentialiter, implicat vnum dependens dependere à pluribus.

affinis est causæ formali, quàm efficienti, quandoquidem nihil extra se producit, sed suum effectum causat per exhibitionem sui.

Sequeretur etiam, quodpiam illorum indiuiduorum esse suppositū, & non suppositum. Esse suppositum fauerentur aduersarij; non esse suppositū, inde probatur, quia suppositū est omnibus modis incommunicabile: sed pars essentialis & numerica, scilicet materia, alteri supposito communicatur; ergo nō est pars suppositi actualis.

ARTICVLVS II.

Obiiciuntur argumenta oppositæ sententiæ, & enodantur.

37.
Obiectio prima.

Authores oppositæ sententiæ obiiciunt primò, materiam primam appetere omnes formas; ergo per receptionem vnius non amittit potentiam, & capacitatem recipiendi simul aliam. Resp. non amittere potentiam passiuam recipiendi plures formas successiuè, tamen non habet potentiam recipiendi plures simul ob repugnantiam supra explicatam: sicut enim materia habet potentiam ad formam & eius priuationem, tamen ob implicationem manifestam, simul esse nequeunt; ita materia, quamuis sit omnium formarū capax, quia aliunde repugnat ab eisdem, non potest simul informari.

Obiectio secunda.

Secundò obiiciunt, nullam esse repugnantiam ex parte formarum, nam quamuis quælibet naturaliter suam portionem determinatam materiæ exposcat, de potentia tamen absoluta Dei nulla est implicantiæ quòd eandem portionem participent, & in ea diuersa constituentur composita, cum multiplicatio cōcretorum proueniat ex multiplicitate formarum. Resp.

non solùm hoc implicare naturaliter, sed supernaturaliter, cum ex dictis supra non solùm forma, sed etiam materia, sit pars essentialis compositi. Vnde hæc non multiplicata non possunt multiplicari composita, ideòque esset vnum simpliciter, & plura simpliciter. Nec obstat quòd formæ non dent esse materiæ, sed composito. Nam neque subsistentia dat esse naturæ, sed supposito; & tamen secundum Doctorem nequeunt tres subsistentiæ eandem numero naturam terminare. Rursus materia existit completè ratione formæ, nam quamuis habeat suam proprium actum, completè tamen non existit sine forma; ergo quantum ad hunc effectum existendi completè & formaliter, dependeret totaliter ab vna forma, & non dependeret totaliter, quod est implicatorium. Nec intendendo existentiam completam solius esse formæ, est enim totius, sed quòd materia actuata per formam determinetur ad speciem completam, & sit capax existendi existentia totius compositi. Cum autem dicis, concreta multiplicari ad multiplicationem formarum. Resp. falsum esse, vt sæpiùs diximus, non enim multiplicatur nisi ad multiplicationem suppositorum & formarum, vnde quamuis in eodem homine simul essent plures intelligentes, non diceretur plures intelligentes, sed vnus intelligens, vt docet Doctor in 3. dist. 8. quæst. vnica. §. tertio ergo. versicul. *ad argumenta*, & nos diximus in Logica quæstione 16. difficult. §. art. 4. in fine.

Multiplicatio concretorum prouenit ex multiplicatione suppositorum.

Tertio duo contraria in gradibus intensis possunt diuinitus esse in eodem subiecto, & duo corpora in eodem loco; ergo & duæ formæ substantiales in eadem materia. Resp. negando paritatem, nam cum contraria sint

38.
Obiectio tertia.

ARTICVLVS III.

Utrum una forma possit duplicem informare materiam supernaturaliter.

sint formæ accidentales, & non dent esse simpliciter, sed secundum quid, non est inconueniens quòd simul informant idem subiectum. Ad illud de corporibus respond. quòd in tali casu, vel vnum corpus esset in loco definitiuè, & alterum circumscripitiuè: vel si vtrumque circumscriberetur à loco, non esset vnica tantum repletio loci, sed duæ, esset enim duplex vbi passiuam, seu duplex circumscripitiuam passiuam, quòd magis explicabitur lib. 4. Physicorum.

Obiectio quarta. Quartò non implicat quòd vna res sit simpliciter plura, & vnum secundum quid; ergo nec implicabit quòd duo composita substantialia essent plura essentialiter ratione formæ, & vnum secundum quid ratione materiæ. Respond. ex contraria sententia inferri compositum illud esse plura simpliciter, & vnum simpliciter, cum materia sit pars essentialis compositi, & per eam etiam distinguantur composita materialiter, vt docuit Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 6. §. ad quæstionem, num. 22. vers. Dico tunc.

Obiectio quinta. 39. Obiectio quinta. Obiicies quintò Doctorem in 4. dist. 11. quæst. 3. §. quantum ergo, n. 24. vers. secundum hanc viam, vbi dicit posse Deum facere aërem simul cum igne de potentia Dei absoluta; ergo. Respond. ibi Scotum loquutum fuisse dubitantiè, propterea subdit, & fortè ex eadem materia. Secundò quòd ibi non loquitur forsan de materia prima, sed secunda, scilicet ex eodem ligno, & in tali casu, cum ignis & aër discontinua sint, illa materia ligni partiretur, & non esset vnica, sed duplex materia.

Respond. negatiuè. Hanc veritatem probant argumenta supra posita pro nostra conclusione, nam si vnica forma duplicem materiam informaret, cum formæ educantur de potentia materiæ, dependeret in fieri & conseruari à materia; ergo cum totaliter dependeret à duabus & à qualibet, iam dependeret; & non dependeret totaliter forma in suo esse à materia, quòd in dependentibus intrinsecis est maximum inconueniens. 40. Conclusio.

Obiicies primò quòd duo corpora diuinitus possunt esse in eodem loco: sed locus est accidens; ergo vna forma per supernaturalem potentiam potest informare duo subiecta. Respond. Scotus in 3. distinct. 1. quæst. 2. §. ad quæstionem, vers. ad quartum, negando quòd vnum accidens possit informare duo subiecta. Ad probationem dico, quòd sunt duo vbi, & tamen ab vno loco circumscribente. Et cum dicit quòd vnius loci erit vna circumscripitiuam actiua. Dico quòd si locus sit aliquid absolutum formaliter, in quo fundatur non actio, sed relatio illa, que signatur per modum actionis, vt circumscripitiuam actiua, dua circumscripitiuam possint fundari in eodem absoluto ad duo corpora circumscripitiuam. Si autem locus dicat formaliter respectum ad locatum, & materialiter fundamentum, in quo fundatur iste respectus, tunc est vnus locus propter vnitatem materialis, sed dua locationes formaliter, & vtroque modo commultiplicatur circumscripitiuam actiua & passiuam.

Obiicies secundo. D. Dionysius propriis manibus gestauit suum caput viuum 41. Obiectio secunda. &

& prædicabat. Idem refertur de sancto Victore Burgenſi; ergo iam vna forma informat duas materias. Respond. animam ſolùm fuiſſe in capite, & corpus miraculoſè mouebatur à Deo. Vel ſecundò quòd non erant duo corpora, ſed vnum diuiſum in duas partes heterogeneas: vnde miraculum fuit, quòd anima eſſet in duobus locis definitiuus, cum petat vnum naturaliter, & quòd informaret ſuum perfectibile diuiſum; non verò ſequitur vtramque partem informare, cum ex vtraque reſultet ſuum adequatũ perfectibile quod naturaliter informat.

42.
*Obiectio
vlt.*

Obiectio vltimò, non implicat quòd vna ſubſiſtentiã terminet plures naturas, vt docet Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 3. à num. 2. ergo neque vnã formã eſſe in duplici materia. Respond. ſi ſubſiſtentiã eſt diuina & independens, fatetur Scotus & omnes: at verò ſi ſubſiſtentiã eſt creata, Scotus quæſt. 4. problematicus eſt, & magis ſe inclinãt in partem negatiuã, quia ad hoc quòd ſuppoſitum terminet plures naturas, debet eſſe independens, & creatum non eſt ita, & ſic ad hoc quòd forma informaret plures materias, debebat eſſe independens. Cæterũ addo, quòd eſt diſpar ratio de ſuppoſito reſpectu plurium naturarum, & de forma reſpectu plurium materiarum. nam, vt ſæpè reperit Scotus quæſt. 3. citata, & q. 4. in fine, ſuppoſitum ſe habet vt cauſa reſpectu naturarum, & ſic docet quòd vnus effectus nequit dependere à duplici cauſa totali, nec tres ſubſiſtentiã terminare eandem naturã creatã, ramen vna cauſa poteſt producere plures effectus, & ſic vnum ſuppoſitum terminare plures naturas in noſtro caſu, materia eſt cauſa compoſiti, & in genere cauſe materialis concutrit ad productionem formæ, &

ſic vna forma, vel vnum compoſitum, quod eſt vnus effectus, nequit dependere à duplici cauſa, ſcilicet duplici materia.

ARTICVLVS IV.

*Vtrum due forme accidentales
absoluta poſſint eſſe in
eodem ſubiecto.*

NON dubitamus in præſenti de formis relatiuis, diximus enim in Logica quæſt. 16. diſt. 5. art. 4. poſſe plures eiſdem ſpeciei eſſe in eodem ſubiecto, nec de formis accidentalibus ſpecie diſtinctis. nam experientia docet, calorem eſſe colorem, quæ ſpecie diſtinguuntur, idem ſimul informare ſubiectum; ſolùm ergo dubitamus de formis abſolutis eiſdem ſpeciei, tam intentionalibus, quàm realibus. quod dubium reſoluit Doctor in 3. diſt. 8. q. 1. §. *hic dicitur*, num. 6. verſ. *Contra iſtam rationem*, & probat partem affirmatiuã, quia in omni ordine eſſentiali cum vnitãte prioris eſſentialiter poteſt ſtare pluralitas poſterioris naturaliter, non per ſe, nec adequatè inherentiã priori: ſubiectum eſt prius eſſentialiter illa diſpoſitione qua ponitur ſibi inherens, qua nec per ſe inheret, nec adequatè; ergo. Maior probatur per ſimile in cauſa & effectũ, quia vna cauſa poteſt eſſe reſpectu plurium effectuum, & licet ibi effectus non inſint cauſa, non tamen eſt maior repugnantia in illis poſterioribus qua inherentiã (ſi tamen non per ſe inherentiã) quàm in alijs qua per ſe exiſtunt, quia tunc vnum non eſt cauſa intrinſeca alterius: ita quòd ad vnitãtem eiſdem ſequatur vnitãtẽ alterius, & maximè, ſi non ſunt adequata, ita quòd vnum illorum in actualitate completa determinet potentialitatem receptiui: non eſt ergo contradicctio, plura abſoluta

43.

*Cõcluſio
Doct.*

luta eiusdem rationis per accidens inesse eidem, cui nullum eorum adequatur.

Plures species phantastica sunt in eodem organo phantasia alioquin deleta specie unius imaginabilis, non posset aliquis perfectè imaginari aliquod imaginabile, & patet, quod ista species sunt eiusdem speciei, sicut & obiecta à quibus generantur: & sunt in eadem parte organi, quia organum non potest in tot partes minimas dividi, qua possent per se informari tot speciebus imaginabilibus, separatim existentibus, quot possunt simul esse in toto organo; ergo oportet quod eis non respondeant distincta partes organi.

44. Obiectio. Et si obiiciatur: quare ergo non potest per operationem natura eadem quantitas alterari ad plures qualitates simul habendas qua sunt eiusdem rationis?

Responsio. Respondeo, quod cum in subiecto sint plures potentia, ad plures formas eiusdem speciei, si non inducatur aliquis actus, continens omnes actus, qui possunt illi perfectè inesse, non terminatur tota potentia ipsius susceptivi, & ideo non est contradictio quod aliqua alia forma similis insit: tamen de facto non inducitur alia peragens naturale, quia ipsam intendit formam præexistentem imperfectam perficere; inducit enim aliquam realitatem qua nata est esse pars cum realitate præexistente, & unit eam realitati præexistenti, ut partem parti: & ita non inducit formam omnino aliam. Non esset tamen repugnantia, quod ipsa esset alia, subiecto non propter hoc diversificato, quia subiectum habens potentialitatem ad plures formas eiusdem speciei, est illimitatum ad illas, & illimitatum ad aliqua non oportet commultiplicari illis.

QVÆSTIO V.

De unione materiae & forma.

HIMVS de tribus compositi naturalis principiis, in communi & particulari, videlicet, materia, priuatione & forma, in ordine ad compositum constituendum. Cùm ergo hæc principia separata nequeant causare, dubitandum venit quid sit illud quo istæ partes coniungantur, ad causandum, an sit aliqua forma absoluta, an relativa, an substantialis, an accidentalis, an modus aliquis realis, an causalitates vtriusque principij, de quibus in sequentibus difficultatibus erit sermo.

Vnio latissimè vsurpatur pro quarumcunque rerum coniunctione, sic dicitur vniri iustum Deo per charitatem & intellectum beati per visionem: similiter dicitur plura individua vniri in prædicatis specificis, quatenus eandem naturam participant in presenti; ergo sermo est de vnione strictè sumpta, quæ est vinculum, seu nexus duorum extremorum. quod vinculum duplex est, alterum indiuisibilitatis, quo extrema, seu partes vniantur in continuo, hoc est, aliquod indiuisibile continuatum: alterum quo extrema quæ se habent per modum actus & potentia, vniantur in ordine ad causandum aliquod tertium compositum; de hac ergo vltima vnione, seu vinculo quo partes vniantur in ordine ad compositum, est præsens quæstio.

I. Quæstio que rerum coniunctio vnio dicitur.

DIFFICULTAS I.

Vtrum unio, materiae & forma ab utroque distinguantur extremo.

ARTICVLVS I.

Explicantur diuersa Philosophorum placita.

2.
Sententia prima.

PRima sententia affirmat vnionem istam nullatenus à materia & forma distingui. tenet Gregorius in 1. dist. 28. quæst. 2. ad argumentum 17. Caietanus 3. parte quæst. 2. artic. 7. & 10. ad 1. Alvarez ibidem, disputatione 13. & Philosophus 8. lib. Metaph. textu 15. D. Thomas 3. contra gentes c. 7. quatenus asserant, actum & potentiam sine medio vniri: differant tamen isti authores, quod Caietanus admittit, ad hanc extremorum vnionem consequi relationem vnionis prædicamentalem; quam tamen Gregorius non admittit, quia vniuersè negat dari relationes reales à fundamento distinctas in creatis, vt vidimus in Logica quæst. 16. diffic. 5. art. 1. Fundamentum huius sententiæ est, quod seclusa quauis realitate ab extremis distincta, forma & materia suis causalitatibus intrinsecè possunt coniungi, & vniri; ergo superfluit aliud vinculum distinctum. Confirmatur. nam si admittamus hanc vnionem, vt vitemus processum in infinitum, tenemur fateri, se ipsa extremis vniri; ergo si vnio se ipsa vnitur subiecto, quare non vna pars intrinseca alteri, cum magis intrinsecè copulentur? Hæc videtur expressa sententia D. Thomæ in 3. sententiarum, distinct. 2. quæst. 2. art. 1. vbi hæc habet, *In vnione natura*

humana ad diuinam nihil potest cadere medium formaliter vnionem causans, nisi per prius humana natura coniungatur, quam diuina, sicut inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis.

Hæc tamen sententia falsa est, primo, quia implicat aliquid de nouo aliter se habere nunc, quam prius, nulla entitate intrinseca, vel extrinseca superaddita, vt optimè probant recentiores ex Okamo in 1. dist. 30. quæstione 4. nam idem in quantum idem semper est natum facere idem: sed materia & forma aliter se habent per vnionem ac ante vnionem; ergo aliquod nouum habent quod antea non habebant. Respondebis causalitatem partium distingui realiter ab ipsis; ergo hæc mutatio causalitatis actualis sufficit, vt hæc extrema vnita dicantur. Sed contra est, quod partes separatæ causare nequeunt; ergo debet supponi approximatio earum: hæc autem approximatio est idem quod vnio, vt inferius dicemus; ergo non sufficit causalitas vtriusque partis. Vnde infero, quod argumentum petitum à separatione partium ab vnione & à mutatione partium, in toto nullam habet efficaciam, cum authores contrarij fateantur causalitates vtriusque partis realiter ab eisdem distingui, & per eas vniri; fatentur ergo mutationem partium per aliquid distinctum ab eis,

et si negent, hoc distinctum aliquid addere supra causalitates vtriusque partis.

ARTI

3.
Refellitur.
149.

Idem in quantum idem semper est natum facere idem.

ARTICVLVS II.

Explicatur verior sententia.

4
Verior
sententia.

Verior sententia affirmat modum vnionis esse quid distinctum ab vtraque parte, tenet expressè Doctor locis diffic. 2. citandis. nam si ipse affirmat vnionem esse relationem extrinsecus aduenientem, euidenter inferitur, hanc realiter distingui à materia & forma, quæ sunt entitates absolutæ. Hanc sententiam tenet expressè Suarez 1. tomo Metaph. disp. 15. sect. 6. num. 10. Vasquez tomo 1. in 3. partem disput. 8. sect. 3. concl. 3. Gabriel in 1. dist. 30. quæst. 4. art. 1. Cabrera 3. parte quæst. 2. artic. 4. disput. 8. num. 27. & alij quos refert Vasquez vbi supra, est sententia communis, refertur pro ea Angelicus Doctor 1. parte quæst. 76. art. 1. in solutione ad 6. quatenus ibi asserit animam separatam à corpore non esse ipsi vnitam, sed proximè vnibilem. Sed hoc etiam fatentur authores contrariæ sententiæ, nam certum est quèd corpus in sepulchro, & anima in cælo, non causant compositum. Vtrum autem hæc vnio à causalitatibus distinguatur, non inferitur ex illis D. Thomæ verbis.

Hanc sententiã sic primò probant authores. Extrema separantur ab vnione; ergo realiter distinguitur ab extremis, nullum enim argumentum efficacius demonstrat distinctionem realem, quàm separatio extremorum. Sed huic argumento facilè responderi potest. nam causalitas materiæ & formæ, per quam vnionuntur ab extremis, realiter distinguitur.

Obiicies has causalitas nihil producere quod possit denominare partes; ergo debet dari noua vnio eas denominans. Ab hac difficultate fa-

cilè se expedit Caietanus concedens relationem resultantem à causalitatibus extremorum, hæ enim causalitates sunt fundamentum proximum eius, ad earumque positionem ponuntur; hac ergo optimè possunt vnita denominari. Sed contra communem sententiam potest argumentum retorqueri. nam si causalitas materiæ, quæcunque sit, sufficit, vt eam denominet causantem, etiam si non addat nouam entitatem distinctam realiter à materia, cur etiam hæc non sufficiet ad denominandum eam vnitam formæ. Quod argumentum non est efficax contra Suarez, qui, vt vidimus inferiùs, affirmat per causalitates partium, produci modum vnionis ab eisdem realiter distinctum. Secundò argumentor contra affectantes relationes reales non distingui à fundamento & termino; sed esse coexistentiam vtriusque, vt vidimus in Logica quæ. 16. diffic. 3. Nam si duorum extremorum coexistentia sufficit vt dicantur eadem, vel diuersa, cur coexistentia materiæ & formæ additis causalitatibus non sufficiet, vt dicantur vnita? Vnde authores qui negant relationes distinctas ab extremis, consequenter negare possent vnionem ab eisdem distinctam.

Ego autem hanc veritatem sic probò, vt extrema possint causare, debent ab aliquo agente approximari: hæc autem approximatio est vnio partium; ergo hæc distinguitur à partibus simul causantibus. Maior patet, nam forma separata à materia non causat compositum. Minorem sic probò, approximatio materiæ est applicatio vnus partis ad aliã: sed hoc non est aliud quàm vniri; ergo. Respondebis, hanc approximationem esse simultatem absolutam vtriusque extremi; ergo non est necessarium ad-

dere nouam realitatem. Sed eótrá est, quodd agens per actionem approximatiuam aliquid producit, non partes. nam in homine, v.g. anima rationalis & materia sunt improducibiles; ergo aliquam realitatem ipsi superadditam. Confirmatur, homo per generationem aliquid producit non materiam, nec formam, vtraque enim producit per creationem, non totum compositum, hoc enim resultat ex partibus; restat ergo quodd producat aliquid quo istæ partes vniantur ad causandum, de quibus in primo de generatione erit sermo.

*Responde-
tur fun-
damento
oppositæ
sententiæ.*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ respond. causalitates vtriusque partis non sufficere ad vnionem; sed hæc debet præsupponi vt causare possit. Ad id quod dicitur vnionem se ipsa vniri, respond. ideo esse, quia est ratio vniendi, & non quæ vnitur. Secundò quodd sicut extrema se ipsis referuntur quando essentialiter dependent, vt diximus in Logica vbi supra difficult. 2. sic eum vniones intrinsecè dependeant ab extremis, se ipsis vniantur, & non media alia relatione. ♣

ARTICVLVS III.

*Verum hæc vnio distinguatur à
causalitate materiæ &
formæ.*

Non potest explicari sufficienter istius vnionis exercitium & munus, nisi distinctione à causalitatibus partium explicemus. Ideo breuiter hæc difficultatem in secundo *Physicorum* explicandam pertingemus.

Negatiuam partem tener Suar. 1. tomo *Metaph. disp. 13. sect. 9. num. 15. Ruu. 2. Physicorum, tractatu de causa materiali, & formali, qui plures cau-*

salitates formæ & materiæ tribuunt. Aliã dicunt esse causalitatem: materiæ in ordine ad educationem formæ ex ipsa, aliam in ordine ad receptionem formæ, aliam verò vtriusque partis in ordine ad fieri compositi. Denique quartò aliam in facto esse compositi. Causalitatem ergo propriam materiæ, & proximam dicunt esse istam vltimam, quam ab vnione non distinguunt, imò affirmant causalitatem materiæ, & formæ proximè circa compositum, nihil aliud esse, quàm vnionem actualem vtriusque. Fundamentum istius sententiæ est, quia negari non potest, quodd actualis causalitas materiæ & formæ, sit aliquid realiter distinctum à materia & forma, quandoquidem sunt extra essentialiam, & existentiam materiæ, & formæ, vt patet, si materia & forma essent adinuicem separatæ & extra compositum: sed in composito nihil aliud est realiter distinctum à materia & forma, præter vnionem; ergo ista vnio est causalitas vtriusque. Secundò materia & forma postquam approximantur, nullam aliam causalitatem possunt habere circa compositum præter vnionem, eum totum nil sit præter partes vnitas; ergo ista vnio erit causalitas vtriusque.

Nostra ergo sententia est, quodd vnio materiæ & formæ nequit esse causalitas earum, sed supponitur vt partes istæ possint causare. colligo manifestè ex Scoto 3. *Sententiarum d. 2. q. 2. §. quantum ad tertium dubium, n. 11.* vbi expressè affirmat vnionem materiæ cum forma, solùm esse approximationem vtriusque in ordine ad causandum compositum: sed conditio ad causandum non est causalitas, imò præcedit ipsam; ergo vnio materiæ, & formæ distinguitur à causalitatibus earum. Ratione etiam probatur

*Sententiæ
negati-
uæ.*

*Verior
sententiæ
D. Sc.*

Prima ratio.

probatur unio ista, ut dicemus in 1. libro de generatione, est formalis terminus unionis; ergo non potest causari causalitatibus utriusque partis. Secundò materia & forma nullo alio modo causant, quàm per exhibitionem suarummet entitatum, in hoc enim distinguitur causa efficiens à materiali & formali, quòd causa efficiens producit aliquid extra se, materialis autem, & formalis manent intrinsecè in effectu: sed unio formaliter, & abstractivè non includit partes, etsi eas connotet; ergo non est effectus earum. Minor probatur, partes suis causalitatibus causant totum: sed hoc distinguitur realiter ab unione; ergo effectus causalitatum non est unio ad totum. Utrum autem istæ causalitates includant aliquam relationem, dicemus 2. Physicorum quæst. 10. difficult. 2. artic. 1. num. 7.

Secunda ratio.

Sed argues efficaciter, contra istam conclusionem, quòd approximatō materiae & formæ non est unio; ergo est quid causatum à partibus simul approximatīs. Probatur antecedens, anima rationalis creatur in corpore, & tamen ex vi illius actionis creativæ, non est unita corpori; sed unitur per generationem totius, & similiter si Angelus esset intimè præsens corpori nostro, ista præsentia non esset unio; ergo aliquid aliud est unio, distinctum ab approximatione, ac per consequens causatur unio à partibus approximatīs. Respond. concedendo non quancunque approximationem esse unionem ad compositum, licet omnis approximatō sit in suo genere unio, scilicet approximatō localis unio pertinens ad prædicamentum ubi, & sic in aliis. Similiter præsentia Angeli, secundum indistantiam cuicunque rei, tamen unio materiae

9. Obiectio.

Responsio.

ad formam dicitur unio, non solum per approximationem, sed per approximationem ad causandum, quia fit inter extrema exigentia causationem, & ita cum ista unio auferat impedimentum ad causandum, nempe distantiam, dicitur unio in ordine ad compositum. Si tamen anima rationalis non est unita in instanti quo creatur in corpore, hoc provenit, quia in illo instanti nõ debetur unio, cum nondum advenit actio generantis per quam producit, sicut non in eodem instanti quo forma educitur de potentia materiae dicitur unita materiae, sed per aliam actionem unitivam, per quam proximè dependet à materia in ordine ad causandum compositum; quòd magis explicabimus in libris de generatione.

Unio materia ad formam est approximatō in ordine ad causandum compositum.

Ad argumenta primæ sententiæ respond. concedendo causalitatem materiae & formæ, distingui realiter ab ipsis, tamen non inde sequitur quòd ista causalitas sit aliquod verum ens realiter distinctum ab utraque; sed causalitas ista, est actualis informatio & receptio, quæ est propria causatio materiae & formæ, ut explicabimus magis secundo Physicorum. Obiicies materiam & formam, suis causalitatibus uniri perfectissimè; ergo unio est effectus harum causalitatum. Respond. concedendo esse perfectissimam unionem, ea enim unum compositum coalescit, tamen hæc aliam debet supponere, cum partes unitæ & separatæ causare non valeant.

Est satis argumētis opposita sententia.

ARTICVLVS IV.

*Utrum unio distinguatur ab
eductione formæ.*

Ratio dubitandi est pro parte negativa quod per eductionem forma sufficienter vnitur & approximatur materiæ; ergo superfluit alia relatio vnitiva vt vniantur istæ partes. Confirmatur, unio est receptio formæ in materia: sed per actionem eductiuam forma recipitur in materia; ergo.

12. *Celestis.* Veruntamen dicendum est per actionem eductiuam non vniri formam materiæ; sed alia actione diuersa, quæ dicitur unio, & est productiva unionis. Fundamentum est, quod unio & eductio realiter distinguuntur, & separari possunt; ergo per eductionem non causatur hæc unio. Probatur antecedens in vnitioe animæ rationalis, hæc enim ab agente vnitur materiæ, media forma ex potentia vtriusque extremi educta, & tamen non educitur de potentia materiæ; ergo unio & eductio distinguuntur. Confirmatur, potest Deus educere aliquam formam ex subiecto, & non vnire ipsi, suspendereque causationem totius; ergo distinguuntur. Secundò probatur à priori, nam eductio est productiva solius formæ, unio verò eò tendit, vt vtrumque extremum neclatur & vinciat; ergo terminus eductionis non est unio, sed hæc debet per actionem vnitivam causari.

Ad rationes dubitandi respond. concedendo, formam non educi extra materiam, sed in ea; tamen inde non inferitur actionem vnitivam non distingui ab eductiva, quandoquidem separari possunt, verum est esse vnicam integram actionem fundamentaliter, respectus tamen realiter distinguuntur: vnde quamuis eadem actione in-

tegra, fundamentali forma educatur ex materia, diuersificat tamen respectus educentis ad eductum, & inducentis ad inductum. Doctor in 4. d. 13. quæst. 1. num. 9. & 12. vt dicemus in 3. *Physicorum*. sic addendus est alius respectus qui dicitur unio, terminatus ad formam vnitivam, quæ dicitur unio, & ea formaliter extrema denominantur vnita.

Ad confirmationem dicitur non quamcunque receptionem sufficere ad istam unionem, sed hæc formaliter debet esse per aliquam formam superadditam. Dices; ergo præcisa hac unionè extrema saltem fundamentaliter dicentur vnita, sicut duo indiuidua. Eiusdem speciei, fundamentaliter eadem præcisa relatione identitatis respond. negando paritatem. nam extrema relationis intrinsecus aduenientis, ex natura propria petunt referri, ideo ex eorum naturis pullulant relationes; extrema autem unionis cum possint esse sine tali unionè agente extrinseco deficiente, hinc est quod non dicantur fundamentaliter vnita, nisi remotè, quatenus agens extrinsecum, potest educere unionem de potentia vtriusque extremi.

Ex quibus manifestè inferitur unionem non esse partem intrinsecam compositi, sed conditionem intrinsecam & necessariam, vt partes possint causare, sicut approximatio agentis, vt possit suum effectum producere, docet expressè Doctor in 3. dist. 2. quæst. 2. §. *quantum ad tertium*, vers. & *ideo*, n. 11, & dist. 22. q. 1. n. 18.

DIFFICULTAS II.

Quid sit hæc unio.

Habemus iam ex difficultate præcedenti unionem realiter ab extremis

*Extrema
vniens
vniens
proprie
dicuntur
fundamentaliter
vnita.*

II.
*Unio non
est pars
intrinseca
compositi.*

remis eorumque causalitatibus diringui, & solum esse conditionem requisitam ad causandum. Restat ergo explicare vtrum hæc entitas vniua sit relatio, an modus substantialis absolutus, & relatiuus secundum dici.

ARTICVLVS I.

Explicantur diuersa authorum placita.

12.
sententia prima.

Prima sententia affirmat hanc realitatem vniuiam esse modum substantialem, qui est fundamentum relationis secundum dici. ita Suarez 3. part. disp. 8. quaest. 2. & 1. tomo Metaphysicæ disput. 13. sect. 9. num. 13. Vasquez 3. part. disp. 18. cap. 3. Plaza disputat. 2. quaest. 2. Murcia disput. 2. quaest. 3. vbi dicit esse relationem secundum esse, Ruuius tractatu 4. de forma quaest. 6. num. 62. affirmat modum istum esse inhærentiam formæ ad materiam. Fundamentum huius sententiæ est quod hæc vniio est substantialis; ergo ratio vniens debet esse substantia, non quæ sit res, alias esset pars compositi, & indigeret alio vniuiuo modo, vt vniiretur ipsa; ergo est aliquis modus substantialis quo partes vniuntur in ordine ad compositum. Secundò terminus formalis generationis, præcipuè in homine, non est materia, nec forma, producuntur enim per creationem; ergo est vniio: sed generatio est actus substantialis; ergo iste terminus productus debet esse aliqua substantia. Si autem eis obiciatur, quod vniio est quid respectiuum ordinans vnam partem ad aliam? Respondent istum modum esse relatiuum secundum dici, quod sufficit vt vnam partem ordinet ad aliam.

13. Hæc tamen sententia vera non est,

primò, quia si vniio essentialiter includit respectum, vt fert communis sententia, contra Gabrielem difficultate præcedenti; ergo non erit modus substantialis, sed aliqua relatio. Aliqui ita probant, quia modus substantialis est absolutus; ergo est ad se, & non ad aliud: sed hæc ratio nihil probat. nam in sententia Doctoris dantur plures relationes substantiales, quæ cum entibus absolutis identificantur, vt diximus in Logica quaest. 16. difficultate 2. ergo quamuis modus esset absolutus substantialiter, habere posset aliquem respectum sibi identificatum; efficacius ergo illa consequentia hac ratione potest probari; modus vniionis primariò & intrinsecè dicit vniire & ordinate extrema; ergo non potest esse substantia. Probo consequentiam, conceptus primariùs substantiæ est esse ad se, etsi secundariò possit esse ad aliud, vt fatentur plures Thomistæ vbi supra: sed vniio primariò dicit ordinare ad aliud; ergo non potest esse substantia quæ intrinsecè & primariò dicit esse ad se. Confirmatur, vniio non potest intelligi sine ordine ad aliud: sed substantia potest præscindi à tali respectu; ergo. Dices hoc verum esse de realibus entitatibus, non verò de modalibus: sed contra est quod tales modi finguntur primò. nam Aristoteles vbique substantiam in vniuersum, in materiam, formam & compositum diuisit, nullam mentionem faciès prædicti modi substantialis, quem certè si necessarius esset ad vniionem materiæ & formæ, non omisisset, agens adamussim de cõpositione totius substantialis; sicut agens de cõpositione continui non omisit indiuisibilia, quia scilicet erant nexus necessarij ad illius partes copulandas; mirum enim aliquibus videtur quod nec parens Philosophiæ, nec vllus

Refellit
sententia.
Prima
impugnatio.

Cõfirmatio.

antiquus Philosophus, vel Theologus inuenerint modos substantiales, quos recentiores primùm in scholam inuexerunt.

14.

Mihi tamen in hac parte nec videntur mirabiles, nec ratio superiùs facta alicuius momenti. Priuò quia est ab autoritate negatiua. Secuò quia eodem argumento posset impugnari nostra sententia à Gabriele, nam nec Philosophus meminit relationis vniuiã; ergo superfluit relatio vniens, & sufficiunt extrema suis

*Secunda impugna-
tio alicuius.*

causalitatibus vnita. Alij sic probant, eo ponuntur indiuisibilia continuatiua substantiã, quòd partes non se habent per modum actus & potentiã; sed materia & forma ita se habent; ergo non indigent modo substantiali; sed sufficiet relatio qua formaliter denominentur vnita. Sed nec hæc ratio efficax est, primò quia vnio non

*Vnio non
penitit
gracipue
ut extre-
ma dis-
tur vni-
ta.*

causatur per actum & potentiam, vt diximus supra, sed potiùs supponitur ad causalitates vtriusque partis; ergo tota ratio vniendi est illud quod inrecedit. Secuò ista vnio non ponitur præcipuè vt extrema dicantur vnita, sicut paternitas, vt Pater dicatur formaliter pater, sed vt extrema simpliciter vniantur, est enim hæc vnio formalis terminus vniitionis: vnde deficiente hac forma, nec fundamentaliter proximè extrema dicerentur vnita, vt diximus artic. vltimo difficultatis præcedentis num. 10. Propterea ergo isti modi nulla efficaciori ratione possunt excludi, nisi quia primariò dicunt ordinare, & respectus nequit esse de primario conceptu substantiã, nisi nouæ substantiã constringantur, vt diximus supra. Secuò impugnari potest hæc sententia, quia si relatio identitatis, & distinctionis, quamuis sint accidentiã prædicamentalia, sufficiunt vt identificent & di-

*Tertia
impugna-
tio.*

stinguant substantialiter extrema, cur vnio quamuis non sit substantia non sufficiet vt extrema substantialiter vniantur. quòd argumentum magis urget authores qui nobiscum fatentur, relationes prædicamentales esse formas accidentales ab extremis realiter distinctas.

ARTICVLVS II.

Explicatur nostra sententia.

Nostra sententia est, hanc entitatem vniuiã esse relationem extrinsecus aduenientem. tenet expressè Doctor in 4. dist. 12. quæst. 1. §. *ad quartum dubium*, num. 21. vbi hoc absolutè probat de vnione omnium absolutorum. Idem supponit dist. 43. quæst. 1. §. *de secundo*, vers. *ad vltimum*, num. 13. & expressè habet in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *de primo disco*, num. 3. licet hic loquatur de vnione naturæ humanæ ad verbum; hanc sententiam sequuntur omnes Scotistæ, Rada 3. controuersiarum, controuersia 3. artic. 4. Philippus Faber in 3. disp. 3. cap. 2. citatur Aureolus apud Capreolum in 3. distinct. 1. quæst. 1. artic. 2. tenet ex parte Caietanus 3. parte quæstione 2. articul. 7. quatenus fatetur aliquam relationem resultare per vnionem. Probabilem indicat Lorca in 3. partem, disput. 15. num. 8. Quæ sententia hoc fundamento breuiter probatur, & primò esse relationem sic ostendit Doctor in 3. vbi supra, quia quocunque absoluto intellecto in altero extremo, non intelligitur perfecta ratio vnionis, quia absolutum est ad se, vnio verò ad aliud; ergo hæc est relatio superadueniens extremis absolutis. Hanc autem relationem esse extrinsecus aduenientem, ex eo probat Doctor distinct. 12. quæst. 1. quòd

15.
*Verior
sententia.*

*Vnio non
est mo-
dus ab-
solutus.*

quodd neutrum extremorum ex ratione sui, nec ambo simul sunt necessaria causa talis vnionis, potest enim Deus materiam & formam separatas conseruare, sine vnione; ergo hæc vnio cum ex natura extremorum non resultet, sed per actionem vnitiuam, seu vnitionem, de potentia extremorum educatur, erit relatio non intrinsecus, sed extrinsecus adueniens, diximus enim in Logica quaest. 16. difficultate 4. artic. 1. in hoc differre relationes intrinsecè ab extrinsecè aduenientibus, quodd hæc producuntur per actionem, illæ verò resultant ex natura vtriusque extremi necessariò.

Vnio est relatio extrinsecus adueniens.

Obiicies primò ad relationem non dari per se motum, vt docet Aristoteles cap. de ad aliquid: sed vnio producitur per actionem; ergo. Resp. Aristotelem intelligendum esse de relationibus intrinsecè aduenientibus, vt diximus in Logica vbi supra.

Obiectio prima.

Secundò vnio materiæ ad formam est substantialis; ergo non fit mediante aliquo accidenti. Probo consequentiam, omnis forma denominat subiectum in quo est: sed ista vnio est accidens; ergo denominabit extrema accidentaliter vita, & consequenter hæc vnio erit accidentalis. Resp. vnionis naturam non esse attendendam penes formalem rationem realitatis vnitiuæ; sed attendenda est natura extremorum. Vnde cum materia & forma substantialiter ordinentur in ordine ad compositum, parum est quodd forma vnitiua sit accidens, vt extrema dicantur substantialiter vnita. Patet in relationibus identitatis, quæ accidentia sunt, & nihilominus substantialiter venit extrema. Cum autem dicitur quodd forma denominat subiectum in quo est. Resp. extrema ista posse dici accidentaliter vnita, quatenus sit contingen-

15. Obiectio secunda.

ter vnio, & mediante aliquo accidenti; vnio tamen concretinè dicitur substantialis, quia connotat extrema substantialia. Confirmatur. nam per aduersariòse extrema mediante aliquo modo vniantur, & nihilominus hæc vnio in eorum sententia non dicitur modalis: sed verè & propriè extrema dicuntur vnita; ergo quamuis realitas intercedens sit accidens, attempta natura extremorum, hæc dicuntur substantialiter vnita.

Tertiò generatio terminatur ad vnionem: sed actiones specificantur à terminis; ergo cum generatio sit actio substantialis, vnio quæ est ipsius terminus, non accidens, sed substantia erit. Resp. terminum adæquatum generationis esse totum compositum substantiale, quod sufficit vt generatio dicatur substantialis. nam actio non denominatur à minus præcipua ratione termini, seu quasi conditione ipsius, sed ab integra & adæquata eius ratione, quæ est totum compositum substantiale. Patet in sententia contrariorum. nam ipsi non admittent generationem hominis, v. g. esse modalem, etsi fateantur vnionem esse modum.

Obiectio tertia.

Petes, supposito, quodd hæc vnio est accidens relatiuum ad quod prædicamentum pertinet. Respondet Doctor in 4. distinct. 12. quaest. 1. §. ad quaestionem, versic. & si quaras, num. 6. pertinere ad prædicamentum passionis, si loquamur de vnione materiæ ad formam; ad prædicamentum verò actionis si loquamur de vnione formæ ad materiam, quod sic explico. nam relatio actionis subiectatur in agente quatenus transmutat materiam; in hac autem relatio passionis, terminata ad agens, quatenus ab ipso transmutatur, vt diximus in Logica quaest. 17. difficultate 2. sed forma transmu-

Actio denominatur à termino adæquato, & generatio est nō ad relationem tanquam ad terminum ad quē. vide quaest. 7. diffic. 1. artic. 2. num. 8. 17. Relationes vnionis mutue redcuntur ad actionē & passionem.

transmutat materiam, & hæc patitur à forma suppositis vnionibus, vt optimè explicat Doctor in 2. distinct. 1. quæst. 5. §. dico tunc, num. 5. ergo istæ relationes reduci debent ad prædicamenta actionis & passionis.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit vna relatio vnions, vel duplex?

18.
Sententia prima.

Authores qui affirmant vnionem esse modum substantialem, communiter dicunt sufficere vnicum vnionis modum. Aliqui dicunt in vtroque extremo subiectari. Fundamentum est quod vtrumque extremum æqualiter est perfectibile per vnionem quæ non minus coniungit formam materiæ, quàm materiam formæ. Confirmatur, quia omnis perfectio rei debet in illa subiectari: sed vnio vtrumque extremum æqualiter perficit; ergo in vtroque extremo subiectatur. Hæc autem sententia licet ostendat extrema æqualiter debere vniri, & referri, falsa tamen est quatenus intendit hoc posse fieri vnica vnione modalis. Primò vnica entitas substantialis non potest extrema opposita adinuicem referre. Ratio est, quia dato quod sit entitas relativa, solum ordinavit vnum ad aliud; ergo erit insufficiens vt illud quod extrinsecè connotat, intrinsecè referat ad fundamentum. Ratio à priori est quod relatio vnum extremum afficit intrinsecè, aliud verò extrinsecè: sed ista vnio est relativa saltem secundùm dici; ergo nequit intrinsecè vtrumque extremum afficere.

19.
Sententia secunda.

Alij affirmant, vnionem subiectari in sola forma, ita probabile reputat Suarez 1. tomo Metaphysicæ disp. 13. sect. 9. Fundamentum est quod tota

agentis efficientia ed tendit, vt educat formam de potentia materiæ; ergo quidquid efficitur, se tenet ex parte formæ: hæc autem sententia primò reiicitur, quia generatio formæ tendens in educationem eius ex materia, non subiectatur in forma; ergo si attendatur fundamentum Suarez, etiam vnio subiectabitur in materia, & non in forma. Vasquez in 3. part. disput. 19. num. 23. hanc sententiam alio fundamento probat vnionis modum in forma subiectari, nempe quia forma est indifferens, vt sit separata à materia, & vt eam informet; ergo requiritur quod forma determinetur per modum vnionis, vt possit informare materiam. Sed hoc fundamentum non probo, primò. nam etiam materia est indifferens respectu formæ; ergo etiam deberet determinari per vnionem. Secundò vnio vtrumque extremum perficit & vnit, nam sicut forma vnitur materiæ, ita hæc vnitur formæ; ergo vnio æqualiter debet vtrumque extremum respicere, & consequenter non erit maior ratio, quare subiectetur in vno extremo, & non in alio.

Reijci. tur.

Sententia tertia.

Reijci. tur.

Alij admittunt in compositi omnino materialibus vnionem in vtroque extremo subiectari, in homine tamen affirmant vnionem in sola materia recipi. Fundamentum est quod vnio est simplex & materialis; ergo cum vtrumque extremum materiale est, non inconuenit quod in amobus æqualiter subiectetur: at cum altera pars hominis spiritualis sit, non subiectabitur materialis modus in vtraque, sed in sola materia, quod exemplo vnionis hypostaticæ confirmant, hæc enim quia creata est, non in Verbo diuino, sed in natura humana subiectatur, terminatur tamen ad personalitatem Verbi. Hæc autem

20.
Sententia quarta.

Reijci. tur.

opinio.

opinio quantum ad primam partem eisdem argumentis impugnatur quibus supra probamus unicum modum non posse subiectari in duobus extremis oppositis. Quod autem asserit de composito rationali, sic impugnari potest, quia sicut unio materialis se tenens ex parte materiae potest terminari ad formam spiritualem, cur in ista non poterit subiectari alia spiritalis unio, quae ad materiam terminetur: quod autem asserit de unione hypostatica, inferius explicabitur. Rursus si unio subiectata in materia sufficit ad unionem compositi rationalis, cur non sufficiet etiam ut materia uniatu formae materiali.

21. *Sententia quinta.* Alij admittunt duplicem unionem partialem tenentem se ex parte materiae & formae, ita tenent omnes auctores qui affirmant unionem non distingui à materializatione & informatione, quod inde manifestè inferitur. nam informatio in anima rationali, v. g. est spiritalis, materializatio verò materialis: sed materiale & spirituale differunt; ergo & modi quibus istae partes uniantur. Hanc sententiam impugnamus argumentis quibus art. ultimo difficultatis praecedentis probamus unionem distingui à causalitatibus utriusque principij.

22. *Sententia sexta.* Alij tenentes, unionem non distingui à causalitatibus utriusque partis, affirmant in composito rationali unionem subiectari in materia, & ad formam terminati. Huius autem sententiae falsitas sic convinci potest, unio subiectatur solum in materia; ergo per eam materia respicit formam, & haec solum terminat eius respicientiam: sed suis causalitatibus, materia & forma mutuo se respiciunt, cum materia sit ad formam, & forma ordinetur ad determinandam materiam; ergo vel unio distinguitur à

causalitatibus, vel non sufficit una simplex unio in materia subiectata.

23. *Sententia septima.* Alij affirmant, materiam & formam unio reali modo unionis uniri, addunt tamen esse realiter formaliter multiplicem, sicut dicunt de actione & passione, quae secundum Philosophum sunt idem in motu, distinguuntur tamen per diversos respectus, quibus agens & passum respiciunt. Fundamentum huius sententiae est quod frustra fiunt per plura quae fieri possunt per pauciora: sed unio modo unionis possunt perfectè, & complete materia & forma uniri, cum unio sit vinculum & nexus duarum partium; ergo superflue multiplicantur modi. Quod autem sit istiusmodi subiectum, isti auctores non explicant. Sed hanc sententiam sic possumus impugnare. nam vel iste modus subiectatur in utraque parte, quod iam impugnavimus supra, vel in altera, & tunc sic argumentor, utraque pars formaliter unita dicitur, & intrinsecè; ergo unio debet in utraque parte subiectari: sed unicus modus nequit in duabus partibus intrinsecè subiectari; ergo debent duae uniones concedi. Illud autem quod asserit de actione dato quod verum sit, non est ad rem. Nam in ea sententia quae affirmat actionem intrinsecam subiectari in passo, consequenter dicit agens denominari extrinsecè tale, quatenus terminat relationem existentem in forma, quae est in passo: at partes unitae intrinsecè uniantur in composito, ideo exemplum actionis & passionis nihil probat.

34. *Verior sententia.* Nostra ergo sententia est, in quovis composito physico esse duplicem modum unionis, quorum unus ex parte materiae se tenet, alter verò ex parte formae. hanc sententiam tenet Durandus in 3. dist. 15. quaest. 3. & amplecti

amplecti debent omnes qui affirmant, materiam & formam suis causalitatibus vniri. Fundamentum huius sententiae est, quod materia & forma intrinsecè vniantur in composito; ergo vtraque pars est subiectum vnionis: sed vnio est relatio, vt diximus suprà; ergo nequit subiectari in vtroque extremo. Debent ergo esse duæ relationes. Maior probatur, nam sicut materia respicit formam intrinsecè, sic hæc respicit materiam. Item ambo intrinsecè constituunt compositum; ergo intrinsecè debent vniri. Minor probatur, relatio vnum extremum afficit intrinsecè, aliud verò extrinsecè, nempe terminum; ergo vnio ista relatiua nequit vtrumque extremum intrinsecè afficere; debet ergo hæc vnio esse mutua, & consequenter duplicari. Confirmatur primò, quia non est maior ratio, cui vnio subiectetur in materia, quàm in forma, vt diximus suprà contra Suarez & Vasquez; ergo cum vtraque pars sit subiectum capax vnionis, in quavis subiectabitur sua particularis vnio. Confirmatur secundò, materia & anima rationalis intrinsecè dicuntur vnita: sed anima rationalis nequit intrinsecè vniri relationi materiali, quia huius non est capax, nec materia relationi spirituali, cum sit subiectum improportionatum; debent ergo resultare, vel produci duæ relationes vnionis, quarum altera in materia, altera in forma subiectetur.

25.
Obiectio
prima.

Obiicies primò sufficere vnam relationem vnionis, subiectatam in natura humana, & terminatam ad personalitatem Verbi, vt extrema ista infinite distantia copulentur; ergo sufficet vnica vnionis relatio, vt materia, & forma perfectissime vniantur. Resp. disparem esse rationem, nam in vnione hypostatica, alterum extre-

morum, scilicet personalitas Verbi, est incapax accidentis, ideo in altero extremo debet vnica relatio subiectari, nempe in natura humana, propterea Doctor in 3. dist. 1. quæst. 1. §. de primo dico, num. 3. hanc relationem docet esse disquiparantiae: at in vnione materiae & formae vtrumque extremum est capax relationis, & ideo, cum non sit maior ratio vnus, quàm alterius, duæ relationes debent resultare, sicut de mutuis prædicationibus diximus in Logica quæstione 16. difficult. 3. artic. 3. Secundò est maxima disparitas, nam personalitas solùm est terminus vltimus naturæ, qua vltimò eius dependentia terminatur, & ideo sufficit si terminet dependentiam intrinsecam naturæ, quia hæc dependet à personalitate; partes autem compositi, cum mutuo intrinsecè dependant, mutuo etiam intrinsecè vniri debent. hoc autem nequit vnica relatione fieri; ergo duplici.

Obiicies secundò vnicum modum indiuisibilem substantiæ intrinsecè vnire duas partes; ergo vnica vnio poterit intrinsecè vnire materiam & formam. Resp. negando paritatem, nam modi indiuisibiles sunt absoluti, ideo vtrique parti possunt adherere: vnio autem materiae & formae, cum sit relatiua saltim secundum dici, in omni opinione nequit intrinsecè duo extrema copulare, quia de ratione relationis est quod vnum extremum, nempe subiectum, intrinsecè afficiat, aliud verò extrinsecè, nempe terminum. Instabis primò istum modum connotare duos respectus, quibus istæ partes mutuo se respiciunt. Sed contrà est, quod ratio terminandi & respiciendi opponuntur; sed dato quod isti respectus sint possibiles, terminabuntur ad materiam & formam; ergo cum

26.
Obiectio
secunda.

cùm hæ partes sint termini, his respectibus non poterunt mutuo se respicere, sicut filius non respicit patrem relatione paternitatis ad ipsum terminata. Instabis secundò, cur sicut modus vnitivus partium cõtinui est simpliciter absolutus, non dicetur idem de modo vnitivo materiæ & formæ. Resp. partes continui non esse in se esse incompletas, sed tantum per accidens; quatenus ordinantur ad extendendum continuum, ideo non vniuntur dependenter: materia autem & forma cùm per se ordinentur ad compositum, & vna dependeat ab alia in causando, hinc fit quod vno quæ est conditio vt possint causare, mutua dependentia formaliter fit.

Totius quæstionis resolutio.

27. **E**st ergo vno, non modus absolutus, nec relatiuus secundum dici, non in materia, aut forma subiectata, nec eadem cum causalitatibus earum, sed relatio duplex extrinsecus adueniens per vniõnem producta, quarum altera in forma subiectatur reduciturque ad prædicamentum actionis, alia verò in materia, & hæc in prædicamento passionis reductiue constituitur.

QVÆSTIO VI.

De composito.

EXPLICATIS iam difficultate antecedenti partibus & vniõne compositi, superest explicandum, quod sit hoc compositum, & vtrum à partibus realiter distinguatur.

* * *

DIFFICULTAS I.

Vtrum totum physicum realiter distinguatur à partibus simul sumptis & vnitis.

ARTICVLVS I.

Explicatur status controuersie.

NVLLA est difficultas in præsentia de toto Metaphysico, videlicet homine, quatenus cõponitur genere & differentia, cùm certum sit nihil addere supra partes formaliter componentes, per quod realiter ab eisdem differre possit, ideo solùm differt ex natura rei, seu formaliter, de quo in Metaphysica erit sermo, nec de toto per aggregationem, aut per accidens, de his enim in fine difficultatis erunt speciales articuli; est ergo difficultas de composito physico, quatenus constat materia, forma, & vniõne, qualiter ab istis partibus vnitis distinguatur.

I.
Primum suppositum.

Supponendum ergo est pro huius difficultatis intelligentia, ab omnibus admitti, totum physicum distingui realiter à qualibet partium; sicut includens & inclusum. Ratio est conspicua, nam totum includit vtramque partem & vniõnem; ergo aliquid reale includit distinctum à qualibet parte, aliàs vna pars alteram includeret; ergo realiter distinguitur à partibus seorsim, seu in obliquo sumptis.

2.
Secundum suppositum.

Secundò supponendum est, totum compositum à partibus simul sumptis, & non vnitis realiter differre. Probat eodem fundamento, ac probauimus de qualibet parte, nam compositum præter partes includit vniõnem; sed vno realiter distinguitur

3.
Tertium suppositum.

ab utroque extremo, ut probauimus quæst. 5. diffic. 1. ergo totum realiter distinguitur à partibus simul sumptis, sicut includens & inclusum, quandoquidem addit vnionem ab eisdem realiter distinctam. Est ergo difficultas, vtrum totum compositum à partibus simul sumptis & vnitis distinguatur.

3. *Sententia prima.* Partem negatiuam tuentur Alexander, Themistius, Philopponus, Simplicius in hoc libro, Durandus in 3. dist. 2. quæst. 2. Gregorius in 1. dist. 24. quæst. 1. artic. 1. Paludanus in 3. dist. 1. quæstione 1. Astudillo 1. *Physicorum* q. 6. Suarez in *Metaphysica* disp. 36. sect. 3. num. 9. Ruuius super 3. caput primi libri *Physicorum* quæst. 1. Murcia disp. 2. quæst. 4. Plaza quæst. 3. Hurtado disputatione 6. *Physicæ* sectione 1. & alij recentiores. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est quòd compositum solum dicit intrinsecè partes & compositionem: sed hæc fit per vnionem; ergo totum nullatenus differt à partibus simul sumptis & vnitis.

ARTICVLVS II.

Explicatur sententia Scoti.

4. *Verior sententia.* Sententia Doctoris est, totum physicum realiter distingui, seu esse aliud ab omnibus partibus coniunctis & diuisis, similiterque ab eisdem vnitis. docet expressè in 3. dist. 2. quæstione 2. §. *quantum ad primum*, num. 7. & deinde distinct. 12. quæstione 1. & 8. *Metaphysicæ* quæst. 4. quem omnes sui sequuntur, Mayronus in 3. dist. 1. quæst. 10. Bassolis in 2. dist. 12. quæst. 2. Leuchetus in 2. distinct. 2. quæst. 2. Antonius Andreas 7. *Metaphysicæ* quæst. 18. Philippus Faber theoremate 21. & in 3. dist. 9.

cap. 3. Valonus folio 239. Laurentius Viola in lib. 5. de arcanis Scoti folio 174. ex alijs, Heruæus quodlib. 2. quæstione 4. Capreolus in 3. distinctione 2. artic. 1. Caietanus 3. parte quæstione 6. artic. 5. in solutione primi argumenti, Ferrara 4. contra Gentes cap. 85. & quæst. 5. huius libri, Flandria 7. *Metaphysicæ* quæstione vltima, Fonseca 5. *Metaphysicæ* cap. 2. quæst. 2. sect. 2. Collegium Conimbricense 1. *Physicorum* quæst. 1. art. 3. In hanc sententiam videtur se inclinare Suarez vbi supra num. 2. refertur pro hac sententia Angelicus Doctor in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 3. & in 4. dist. 16. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 3. ad 2.

Hanc sententiam probant primò ex Aristotele 5. *Metaphysicæ* cap. 14. textu 19. dicente, *sex non sunt bistris, sed semel sex*; & lib. 7. cap. 17. ait quòd syllaba *Ba*, non est B. & A. sed aliud similiter; quòd caro non est ignis & terra, sed aliud quidpiam resultans ex eis. & secundo de anima, diuidit substantiam in materiam, formam & compositum; ergo hoc aliud est à suis partibus. Tandem 8. *Metaph.* cap. 6. text. 15. affirmat, totum esse aliud præter partes.

Ratione etiam probat Doctor in 3. vbi supra quæstione 2. §. *quantum ad primum*. Primò, quia alias non esset differentia totius quod est per se vnum, ad totum quod est vnum aggregatione: ut cumulus, vel aceruus, quia istud totum secundum est sue partes, 8. *Metaph.* text. 15. Consequens videtur inconueniens, tum ex eodem 8. tum quia etiam vnum per accidens est magis vnum, quam illud aggregatione, & minus vnum, quam totum vnum per se; & tamen vnum totum per accidens non est sue partes, quia secundum Philosophum 7. *Metaphysic.* textu 11. & 12. cap. de vnitatis definitionis in

5. *Primaria sententia Scoti.*

in hoc, Homo est albus, & unum aliquid, quia albedo inest homini, non autem esset tale totum si non informaret.

Secunda ratio Scoti.

Præterea, per se terminus ad quem generationis est aliquid habens entitatem propriam, quia generatio est ad esse proprii termini: sed totum est primus terminus ad quem generationis, non altera pars; imò si utraque pars præexistat, & de novo unirentur, nil minus esset generatio, vel productio ipsius compositi: sicut in resurrectione, dato quòd tam anima, quam corpus præexistere secundum suas entitates, adhuc fieret resuscitatio ad esse totius compositi, non autem ad esse corporis, vel animæ, nec ad ambo ista: igitur ad aliquod eorum ab istis.

6. Tertia ratio Scoti.

Tertio potest argui à simili de corruptione, secundum argumentum Philosophi, 7. Metaph. in fine, quia manet A. & B. & non manet ab, iidem realiter non potest manere, & non manere; ergo ab est aliud realiter ab A. & B. igitur cum sic in omnibus compositis per se rationi partium non repugnet, ut illa maneat, & totum non maneat, aliqua erit entitas propria ipsius totius, alia ab entitatibus partium.

Quarta ratio Scoti.

Item quarto sequeretur quòd nihil esset per se causatum à causis intrinsecis, materia scilicet, & forma, quia ista causa causant hoc compositum, quia sunt partes causati: sed ista non sunt partes, neque alterius earum, neque ambarum, quia neutra est causata, nec amba, quia sunt primæ causæ, & primæ principia rei; igitur, &c.

Responsio Hurt.

Respondet Hurtado quòd causæ intrinsecæ non sunt cum extrinsecis comparandæ. nam causa extrinseca efficit aliquid extra se in suo conferuari à causa dependens: causa autem intrinseca causat totum se ipsam illi formaliter exhibendo, & se includendo in effectu, quapropter vocatur causa essentialis effectus. Sed

contrà est, quòd licet verum sit causas intrinsecas includi essentialiter in composito, & in hoc à causa efficiendi distingui; tamen cum totum non sit partes unitæ solum, quia unio solum est conditio ad causandum, ut diximus q. 5. diffic. 1. art. 4. illud reale quòd addunt partes, erit sufficiens ratio, ut totum ab eisdem unitis realiter distinguatur, quòd inferius magis explicabitur.

7. Ratio quinta.

Quinta ratio sic est. Propriæ passionis & operationes totius per se debet alicui uni competere, non materiæ, nec formæ, ut patet: sed nec utrique unitæ; ergo entitati ex eis unitis resultanti. Minor probatur, quia si illis unitis tribueretur, cum materia non sit actiua, sed solum sit vehiculum formæ, sicut ferrum calidum solum est vehiculum caloris; iam forma ignis sola diceretur ignire, sicuti in ferro solus calor dicitur calefacere. Item in homine anima non minus diceretur ædificare & texere, quam intelligere. quòd est contra Arist. lib. 1. de anima, cap. 4. textu 64. & lib. 3. cap. 4. ubi intelligere ait esse solius animæ; texere verò & ædificare non animæ, sed communis & compositi. legatur Philippus Faber theoremate 21.

8. Totum dicit entitatem absolutam ab aliam ab entitate partium.

Concludit ergo Doctor §. de secundo dico, num. 8. quòd totum est aliud ens, & illud entitate absoluta, quia solus respectus non sufficeret ad hoc, quòd totum diceretur per se unum; quia in toto uno per accidens est per se respectus & essentialis partis ad partem, ut patet de dependentia accidentis ad subiectum. Similiter quidditates omnium absolutorum ut includentes materiam & formam, & ut definibilis (quia sic sunt species generis absoluti) non sunt tantum formaliter entia respectiua, quòd tamen oporteret si entitas propria totius esset respectus.

Generatio nō est per se ad respectū ut ad terminū ad quem.

Hoc etiam concludunt rationes facte ad primum dubium, quia neque generatio aliqua est per se ad respectum, ut ad terminum ad quem: nec etiam corruptio est à solo respectu ut termino à quo, neque cause absoluta sunt solius respectivi causa, neque propria passio consequitur totum præcisè in quantum respectuum, neque propria operatio, vel aliud accidens absolutum: nec tandem videtur possibile posse assignare differentiam specificam omnium quidditarum; quia non videtur possibile tantam ponere differentiam respectuum inter partes unitas. Quibus rationibus licet efficaciter probetur, totum à partibus simul sumptis & unitis realiter distingui, non tamen satis explicatur, qualiter extrema istius distinctionis comparentur inter se.

9. Philippus Faber theotemate 21. cap. 3. affirmat, totum realiter distingui à partibus simul sumptis, non tamen transactis in tertiam entitatem, dicit enim partes per suas causalitates habere quoddam esse completerum in composito, quod ab esse proprio distinguitur. Vnde cum partes in toto aliud esse habeant, à se ipsis distinguuntur, quatenus sunt causa proxima totius. Qui modus explicandi non satis intelligitur, nam distinctio realis debet esse inter duo extrema actu existentia: sed partes in toto transeunt in aliud esse, ergo non possunt terminare distinctionem totius, cum se habeant ex parte illius, & in proprio esse non perseverent.

10. Totū distinguitur à partibus unitis sicut includens & inclusum.

Hæc autem distinctio facilius explicatur, si dicamus totum distingui realiter à partibus unitis, tanquam includens ab incluso, pro quo reducendum est in memoriam, quod diximus quæst. 5. difficultate 1. artic. 3. scilicet unionem distingui à causalitatibus materiæ & formæ, solumque esse conditionem necessariam ut cau-

sare possint. Vnde sic argumentor: Es realiter inter se distinguuntur tanquam includens & inclusum, quando unum extremorum includit aliquid quod non includit aliud, etiam si in aliquo conveniant: sed totum compositum aliquid includit, præter materiam & formam unitas, etsi istæ includantur in toto; ergo hoc distinguitur realiter ab eis. Maior probatur, quia eo præcisè in communi opinione homo albus realiter distinguitur ab homine, ut sic, quod includit præter humanitatem albedinem, & communiter Thomistæ fateentur totum distingui realiter à partibus non unitis, quia cum partibus includit unionem, quam non includunt partes. Minor probatur, materia & forma ex dictis supra uniantur ut causent; ergo causatio ista actualis aliquid reale est distinctum à materia & forma. Probatur antecedens, materia & forma separatæ non possunt causare; ergo unio requiritur ad causandum, sed causalitas aduenit materiæ & formæ, quandoquidem materia & forma diuinitus extra compositum possunt existere, ut diximus quæst. 3. diffic. 4. & patet in corpore Christi Domini, in triduo separato ab anima, & post triduum reunito, & etiam in quouis hominum, ubi compositio ista per mortem dissolvitur, ut in die nouissima corpus hoc mortale ab anima reassumatur: sed omne quod abest & adest præter subiecti corruptionem distinguitur realiter à subiecto; ergo causatio ista actualis realiter distinguitur à partibus unitis. Quæ sententia sic explicata, licet non conuincat asserentes unionem partium non distingui à causalitatibus earum, nam si unio nihil est præter causalitates; ergo nihil est reale in composito, per quod possit à parti

à partibus vnitis distingui: quam sententiam impugnabimus quaest. 5. vbi supra. Conuincit tamen omnes affirmantes, vnionem distingui à causalitatibus vtriusq; principij, & præcipuè Vafq. tomo 1. in 3. part. disp. 19. n. 26. vbi affirmat ex forma deriuari in materiam aliquem effectum substantialem diuersum realiter à forma substantiali & modo vnionis. Addo quòd si vnio partium est earum causalitas, nec formaliter poterit totum à partibus vnitos differre. Ratio est conspicua, quoniam ea formaliter distinguuntur, de quibus diuersa prædicata enuntiantur, vt anima & rationale: sed nihil prædicatur de toto, quod non dicatur de partibus actualiter causantibus; ergo. Confirmatur, quoniam, sicut Marcus, Tullius, Cicero pro re significata, nec formaliter differunt, quia eundem hominem significant; sic nec totum, & partes vnita si sit vnio eorum causata, cuius opinionis veritas inferius magis explicabitur; & hoc credo esse intantum Fauentini, licet obscure explicet.

ARTICVLVS III.

Satisfit aliquibus obiectionibus contrariorum.

II.
Obiectio
prima.

Obiicitur primò August. 7. de Trinitate c. 4. vbi asserit quòd homo nihil est aliud, quàm anima & corpus, & Athanasius in Symbolo dum dicit, *sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Resp. verum esse hominem non esse aliud à materia & forma vnitis & actualiter causantibus, vnde August. cap. 3. lib. 9. de Ciuitate, multum commendat Baronem, eo quòd hominem, neque animam solùm; nec corpus solùm esse arbitrabatur. quasi di-

ceret, partes non causantes non esse hominem, sed ipsæ vt influunt in compositum. Ad illud Athanasij respond. similitudinem esse in hoc, quòd sicut mediante vnione componitur vnus homo; sic mediante vnione naturæ humanæ ad Verbum fit vnus Christus.

Secundò obiicitur Aristoteles 2. de anima cap. 1. & 5. Metaph. textu 31. & in 4. Physicorum, textu 35. vbi videtur asserere totum nihil esse præter partes vnitas: sed intelligendus est de partibus vnitis & causantibus, cum certum sit partes vnitas non posse non causare.

Obiectio
secunda.

Tertio obiicitur Damascenus, qui loquens de diuino Verbo, illa verba toties repetita protulit, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*; sed si tertia entitas realiter distinguitur à partibus, eam assumere debuit, & postea in triduo mortis dimittere; ergo aliquid assumpsit quod dimisit. Resp. hoc argumentum etiam vrgere Thomistas. nam in triduo dimisit vnionem, qua materia & forma vniuntur, & secundum ipsos est modus substantialis. Rursus in eorum sententia totum distinguitur realiter à partibus non vnitis: sed hoc totum in triduo dimissum fuit à Verbo, & solùm partibus erat vnitam; ergo. Respond. illam propositionem intelligendam esse de partibus essentialibus, materia scilicet, & forma, quarum vnionem diuinum Verbum nunquam dimisit.

12.
Obiectio
tertia.

Quartò obiicitur, quod aduenit enti in actu est accidens, ex Arist. 1. Physic. cap. 8. sed materia & forma vnita sunt entia in actu; ergo tertia entitas illis adueniens, est accidens. quod est impossibile. Respond. tertiam entitatem non aduenire materiæ & formæ vnitis, nec has partes vnitas

Obiectio
quarta.

vnitas esse ens in actu, sed in fieri: unde tertia entitas, seu partes actualiter causantes, distinguitur à partibus vnitis, tanquam fieri, & factum esse totius. Aristoteles autem loquitur de entitatibus quæ contingunt rebus completis & substantialiter perfectis.

Obiectio quinta.

Quintò obicitur. Sequitur ex sententia quòd in quolibet composito sit duplex compositio; altera ex materia & forma, altera ex his cum tertia entitate. Probat Hurtado vbi supra §. 5. nã hæc tertia entitas vel est de essentia hominis, vel non: si non, quare ponitur. Si est de essentia, aut tota essentia, aut pars essentiæ: si tota essentia; ergo corpus & anima non sunt de essentia hominis: si pars; ergo hæc tertia entitas simul cum materia & forma componunt hominem, & est duplex compositio, & sicut quod resultat ex materia & forma, est realiter distinctum à partibus, ita quòd resultat ex materia & forma. & hac tertia entitate realiter distinguetur ab eisdem; ergo vel dabitur processus in infinitum in his compositionibus, vel negandum est totum realiter distingui à partibus simul sumptis & vnitis. Sed hoc argumentum contra Hurtado sic retorqueo. nam entitas quam homo addit supra partes non vnitas, quæro an sit simplex, an composita, an sit tota hominis essentia, an pars? Ecce idem argumentum quidquid ille responderit nobis, intelligat sibi esse à nobis responsum.

Ad argumentum ergo perspicuè respondet Doctor in 3. dist. 2. quæst. 2. §. *quântum ad tertium dubium*, num. 3. Dico quòd si intelligatur in toto, præter formam partis, cuiusmodi est in homine anima intellectiua, esse aliam formam quasi supervenientem illi qua sit etiam

aliquid ipsius totius, & tamen dicitur forma totius, distinguendo eam contra formam partis, quia completius constituitur totum, quam illa alia forma: iste intellectus est falsus, quia tunc esset in homine aliqua forma constituens hominem perfectior anima intellectiua, quod est inconueniens. Similiter si innitatur rationi accepta ex vnitate totius, puta quia ex materia & forma qua est pars, non fieret unum nisi per aliquam aliam formam, vnientem illas partes, qua sit forma totius. Ista ratio concluderet processum in infinitum, quia etiam de ipsa quæro, quomodo facit unum cum materia, & forma partis. Si ex se ita potest concedi de forma partis, quòd ex se sit nata facere unum cum materia, si per aliud, erit processus in infinitum.

Ideo dico, quòd ultra formam qua perficit materiam ultimam, qua dicitur forma partis, non est necesse ponere aliquam formam quasi perficientem tam formam, quam materiam, quia materia & forma in toto non sunt partes eiusdem rationis, siue elementa perfectibilia, ab aliquo actu tertio; sed unum est proprium perfectibile, & aliud proprius actus, & hæc est præcisa ratio quare faciunt unum per se, ex 8. Metaph. text. 15.

Si tamen intelligatur forma totius non aliquid constituens totum, sed ipsa natura tota, et quidditas, hoc modo concedi bene potest, quòd forma totius sit alia à forma partis. & quòd natura, vel quidditas, posset dici forma, patet ex Philosopho 5. Metaph. textu 2. cap. de causa: quòd autem sit alia à forma partis, patet ex primo articulo hinc tacto. Sed respectu cuius est forma? Respondéo & dico quòd respectu totius compositi, non quidem forma informans, sed forma qua compositum est ens quidditatiuè, & hoc modo totum.

13.

totum est ens formaliter forma totius, sicut album dicitur album albedine, non quidem quod forma totius sit quasi causa ipsius totius cum materia & forma partiali, causans quasi totum, sed est ipsum totum præcisè consideratum, secundum illum modum, quo loquitur Avicenna 5. Metaphysica cap. 1. equinitas est tantum equinitas.

14. Ex his patet quid respondendum sit aliis obiectionibus quæ communiter fiunt, nempe quod sequeretur, ternarium esse quaternarium, cum præter tres entitates, sit alia realiter distincta. Secundò sequeretur integram quantitatem esse maiorem omnibus suis partibus, simul sumptis & unitis, cum præter quantitatem partium sit alia quantitas totius. Resp. ergo quod cum entitas tertia non sit pars numeri, sed forma totius numeri, non facit quaternarium: hinc etiam integra quantitas non facit maiorem quantitatem, quia non est pars, sed forma quanti.

Obiectio
prima.

Sextò obiicitur, definitio debet explicare totum definitum: sed in definitione totius solum ponuntur partes; ergo totum non est aliud ab ipsis. Resp. quod sicut quælibet pars definitionis explicat partem definiti, ita tota definitio explicat totum definitum, nam in hac definitione, Homo constat corpore & anima, sicut corpus & anima explicant partes hominis, hæc constat explicat totum, & formam totius.

15. Obiectio
secunda.

Septimò obiicitur, ideo relatio creaturæ ad creatorem est idem realiter creaturæ, ex Doctore in 2. dist. 1. quæst. 5. seu 4. §. ad questionem, num. 21. & dist. 2. quæst. 2. in fine, & sæpius alibi, ut diximus in Logica quæst. 16. difficultate 2. quia creatura nequit esse sine tali dependentia: sed partes unitæ nequeunt esse sine toto, nec to-

tum sine partibus; ergo non distinguuntur realiter. Resp. non eo solum dependentiam à creatore identificari creaturæ, quia hæc nequeat esse sine illa, sed quatenus ab intrinseco & secundum propriam entitatem ei convenit, unde, ut optimè notat Doctor vbi supra, num. 22. versic. contra, cuius verba nos in Logica vbi supra retulimus, quamvis cælum non possit esse sine motu, nec essentia diuina sine denominatione cognitæ, quæ causatur ab ipsamet cognitione diuina, tamen quia motus continuatur ab intelligentia, & illum cælum respicit indifferenter, & esse cognitum Dei non sit intrinsecum Deo, sed solum inseparabile, quatenus cognitio Dei est inuariabilis, nec motus identificatur cum cælo, nec esse cognitum cum Deitate. Ita cum materia & forma non possint esse sine toto, non ab intrinseco, sed ab extrinseco, nempe ratione unionis, quæ extrinseca est materiæ & formæ, quamquam nec diuinitus materia & forma unitæ possint non causare totum, cum hoc provenit ab extrinseco, nempe ratione unionis, & applicationis partium, non conuincitur quod identificentur cum toto.

ARTICVLVS IV.

Virum totum sit entitas simplex, an composita.

NONnulli Scristæ existimant, totum esse simplicem entitatem. Fundamentum eorum est, quod totum solum causatiuè est suæ partes, formaliter tamen & secundum propriam entitatem illas non includunt, quandoquidem ab eis realiter distinguitur; ergo cum partes non includantur formaliter in toto, hoc erit

16. Sententia
prima.

quid absolutum simplex physicè, compositum tamen metaphysicè suis prædicatis essentialibus.

17.
Verior
sententia.

Dicendum nobis est, entitatem totius esse compositam intrinsecè, includerèque in suo conceptu materiam & formam actualiter causantes. colligitur manifestè ex Doctore in 3. dist. 2. quæst. 2. §. *quantum ad primum*, num. 9. quatenus asserit in toto, materiam & formam non esse partes eiusdem rationis, sed formam esse actum per se, & materiam puram potentiam; ergo sentit, totum formaliter esse compositum. Colligitur & hæc doctrina manifestè ex ipso in 4. dist. 12. quæst. 3. §. *ad principales*, num. 36. ubi ait quod forma totius est quidditas rei includens utramque partem essentialem, & illa non est aliud realiter ab ipso, & in 3. dist. 22. quæst. 1. §. *quantum ergo*, num. 33. expressè fatetur compositum non esse entitatem simplicem, sed essentialiter dicere partes, & in hoc distingui ab aliis entibus simplicibus. & in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *sed ista rationes*, num. 7. affirmat formam esse in materia, esse entitatem totius, & nihil aliud. quod etiam expressè docet 8. Metaphysic. quæst. 4. §. *difficilia*, num. 6. unde nescio quo fundamento contrarium imponere Doctore.

Probatur ratione. nam materia & forma sunt causæ, quæ per applicationem propriarum entitatum causant compositum, & in hoc distinguuntur à causa efficienti, quod effectus est totaliter independens in suo esse, & extra rationem causæ; ergo effectus causæ materialis & formalis cum sint effectus intrinseci, causæ ipsæ debent existere in effectû, & sic totum causatum erit compositum, & non simplex. Confirmatur, quia aliàs totum non posset physicè definiti

per partes, quandoquidem in ipso non essent.

Ad fundamentum contrarium resp. solum probare, totum dicere aliquid superadditum partibus, & ita distingui realiter ab ipsis, tanquam includens ab inclusis, non tamen quod hæc entitas causata, sit extra rationem materiæ, & formæ totaliter, quia hoc est contra rationem causæ materialis & formalis.

Obiicies, si totum formaliter solum est suæ partes actualiter causantes; ergo non est entitas absoluta, ut supra diximus cum Doctore. Probatur consequentia; totum supra unionem, solum dicit causalitates partium: sed hæc sunt quid relatiuum; ergo. Hoc argumentum satis urget nonnullos Scotistas asserentes in 2. *Physicorum* causalitates materiæ & formæ esse relationes; nos verò ibidem dicemus, esse quid absolutum fundamentaliter, ad quarum positionem relationes reales resultant; ideo argumentum nihil probat contra nos, fatemur enim hanc tertiam entitatem esse fundamentaliter absolutam, formaliter verò respectiuam, sicut de causalitatibus partium dicimus quæst. 10. difficult. 2. art. 1.

18.
Obiectis.

ARTICVLVS V.

Vtrum distinctio totius & partium sit mutua.

TRombeta in suis formalitatibus, 19. cap. de identitate, & distinctione reali. Pirigianus in 3. sententiarum, dist. 2. art. 2. quæst. 2. Ioannes Canonicus primo *Physicorum* quæst. 3. cum Leucheto, Bargio & aliis antiquioribus Scotistis, affirmant partes unitas distingui realiter à toto: hoc autem non distingui realiter ab ipsis, seu non distingui

Sententia
primâ.

distingui mutuè. videntur colligere ex Doctore in 1. dist. 2. quaest. 7. & dist. 8. quaest. 4. Fundamentum est, quod nihil distinguitur realiter ab his, quæ in suo intrinseco conceptu includit: sed totum physicum includit partes; ergo ab eis non distinguitur: verumtamen cum partes unitæ non sint totum, ab ipso realiter distinguuntur.

20.
Verior
sententia.

Verior tamen sententia est quod ista distinctio sit mutua, & inadæquata, quod de prædicatis superioribus & inferioribus dicemus in Metaphysica. hanc sententiam tueretur Illustrissimus & Doctissimus Archiepiscopus Armachanus Hiberniæ Primatus, Hugo Cauellus in scholio quaestionis secundæ, distinctionis secundæ libri tertij sententiarum Scoti post numerum sextum, cum sequuntur communiter recentiores Scotistæ.

Totum
inadæ-
quatè
differt à
partibus
unitis.

Hanc distinctionem esse inadæquatam sic probo, ea inadæquatè distinguuntur, quando vnum extremorum includit aliquid, quod aliud excludit: sed totum continet partes actualiter causantes, & unitas, partes verò unitæ non continent totum, vt diximus supra; ergo inadæquatè distinguuntur. Confirmatur ex Doctore in reportatis lib. 1. dist. 36. quaest. 2. §. *Dico ergo ad quaestionem*, vbi docet, unitatem formalem adæquatam interea solam esse, quorum definitio vnus nihil continet, quod in definitione alterius non contineatur: unitatem autem inadæquatam vocat, quando extrema non se inuicem totaliter includunt. quod idem de distinctione intelligendum est, cum oppositorum eadem sit ratio; ergo cum totum & partes unitæ non includantur totaliter, quia totum addit aliquid supra partes essentialiter; ergo ab ipsis inadæquatè distinguitur.

Totum
mutuè
differt à
partibus
unitis.

Hanc distinctionem esse mutuam probatur; quia si ex eo partes distin-

guuntur realiter à toto, quod non includunt ipsum; ergo sic similiter totum debet distingui à partibus, quia includit aliquid præter partes. Confirmatur, si totum potest esse terminus distinctionis partium, etiamsi eas partes includat in se, quare etiam non poterit esse fundamentum relationis distinctionis terminatæ, ad ipsas partes unitas, quæ non sunt ipsum; ergo distinctio ista est mutua. Ad rationem dubitandi resp. assumptum esse falsum, quia licet aliquid non distinguitur ab aliquo, vt est ipsum; tamen vt est non ipsum, potest ab ipso distingui: vnde cum materia & forma unitæ non sint totum, sed aliquid superadditum ipsis, hinc est quod totum ab ipsis vt non sunt ipsum, optimè possit realiter distingui.

21.

Sed replicabis quod partes nunquam dantur separatæ à toto, & unitæ; ergo non poterit esse talis distinctio. Resp. eodem argumento probari neque partes unitas distingui realiter à toto. Resp. ergo non esse necessarium quod extrema sint separata vt distinguantur realiter, sed sufficere quod vnum sit extra rationem realem & completam alterius: vnde cum totum in quantum totum realiter dicat aliquid præter materiam & formam unitas, hinc est quod realiter, mutuè & inadæquatè ab ipsis distinguatur.

Ex quibus patet, qualiter explicandus sit Doctor primo Physicorum quaest. 9. vbi docet totum & partes unitas esse idem realiter, ibi enim Doctor vel loquitur de partibus unitis & actualiter causantibus, à quibus nec formaliter distinguitur totum, vel negat distinctionem adæquatam, & si hæc non placent, dicatur, mutauisse sententiam in locis superius allegatis.

ARTICVLVS VI.

*Vtrum totum integrale distinguatur
realiter à partibus vnitis.*

22.
*Sententia
prima.*

Affirmant aliqui recentiores Scotistæ. Fundamentum eorum est quòd totum integrale est vnum per se indiuiduum habens passiones; ergo sequuntur ad aliquod totum quòd non est suæ partes vnitæ tantum, ac per consequens distinguetur realiter ab ipsis. allegant pro se Scotum in 2. dist. 16. §. *alia opinio.*

*Quid sit
totum in-
tegrale.*

Pro intelligentia nostræ sententiæ est notandum, per totum integrale intelligi totum illud continuum, siue sit substantia, siue quantitas, siue qualitas, cuius partes mediis indiuisibilibus copulantur: sic est corpus, linea, albedo, & quælibet substantia, vt diximus in Logica q. 15. difficult. 1.

*Conclusio
prima.*

Dico ergo primò. Totum integrale distinguitur realiter à qualibet parte seorsim sumpta, hoc docet expressè Doctor in loco & §. à contrariis citato, num. 11. vbi nec insinuat quòd ipsi affirmant. Probatum manifestè, totum integrale non est solùm hæc pars, vel illa, sed plures partes vnitæ; ergo distinguitur realiter à quauis parte. Idem probari potest de partibus simul sumptis, & non vnitis, cum continuum præter partes dicat vnionem, ab eisdem realiter distinctam.

23
*Conclusio
secunda.*

Dico secundò. Totum integrale non distinguitur realiter à partibus simul sumptis, & vnitis. Probatum, totum integrale tantum est suæ partes vnitæ; ergo ab ipsis nequit distingui, quia idem à se ipso, in quantum ipsum, non distinguitur. Probatum antecedens; primò istæ partes vnitæ non sunt causæ, sicut materia & forma, cum se habeant per modum perfecti, & perfectibilis, vt notauit Scotus vbi supra; ergo non possunt causare aliquid distinctum ab ipsis

partibus. Rursus ista vnio partium integralium, facit transire partes, quæ in se totum erant integrum in aliud totum indiuiduale, quia, vt diximus cap. de quâtitate, quælibet pars quantitatis, vnum quid aptum est esse, quòd idem dicendum est de qualitate & substantia; ergo partes illæ vnitæ non causant aliquod totum extra partes, sed totum ipsum est suæ partes, in ipso vnitæ. Confirmatur & explicatur magis. Ideo diximus totum physicum distinguui realiter à partibus vnitis, quia supra ipsas addit causationem actualem: sed partes integrales nullam dicunt causationem, cum non se habeat vna per modum potentie, & alia per modum actus: sed solùm dicuntur passiuè vniri per indiuisibilia propria; ergo non causant totum ab ipsis realiter distinctum.

Ad fundamentum oppositum resp. passiones cuiuscunque totius integralis, in quantum totum integrale est, in hoc distingui à passionibus cuiuscunque compositi physici, quòd istæ sequuntur tertiam entitatem, seu totum compositum distinctum realiter à partibus; illæ verò sequuntur totum integrale, quòd tantum est suæ partes vnitæ, vt probauimus, & in hoc differunt totum integrale, & totum essentielle physicum. Ad authoritatem Scoti resp. ibi solùm affirmare totum integrale à qualibet parte distingui.

ARTICVLVS VII.

*Vtrum ens per accidens distinguatur
à partibus simul sumptis
& vnitis.*

Totum per accidens appellat Doctor in 3. dist. 22. q. 1. §. *quantum ergo*, n. 14. vers. *essi arguatur*, quòd ex rebus diuersorum prædicamentorum constituitur. Hoc autem distingui à partibus non vnitis, & à qualibet in partu

24.
*Quid sit
totum per
accidens*

particulari, eisdem argumentis probatur, quibus supra de toto integrali.

Quod totum istud realiter à partibus vnitis distinguatur, mihi satis probatur, et si communiter Scotista teneant oppositum. Fundamentum est, quod, si totum physicum eo solum realiter à partibus vnitis differt, quod vltèrius includit actualem causationem partium, cur totum accidentale non distinguetur realiter à partibus vnitis, cum addat supra vnionem actualem informationem accidentis, & receptionem subiecti.

25.

Obiicies Doctorem in 3. dist. 2. q. 2. §. *quantum ad tertium*, vers. *esse quas*, num. 10. vbi totum per accidens à toto per se distinguit quod hoc dicat tertiam entitatem, illud non. Resp. Doctorem solum affirmare, partes per se constituere tertiam entitatem per se, partes verò per accidens, entitatem per accidens vniam. Vnde in eadem quaest. §. *quantum ad primum*, n. 7. aperte docet vnum per accidens non esse suas partes, sicut vnum per aggregationem, hæc enim habet, *vnum per accidens est magis vnum, quam vnum aggregatione, & minus vnum quam totum vnum per se, & tamen vnum totum per accidens non est sua partes, quia secundum Philosophum 7. Metaphysica cap. de vnitare definitionis, textu 11. & 12. in hoc homo albus est vnum aliquid, quia albedo inest homini, non autem esset tale totum si non informaret; ergo totum supra partes addit informationem & receptionem, quibus vnum accidentale dicitur à partibus realiter distinctum.* Vnde quoties Doctor tertiam entitatem ab inconuenienti vult probare, ponit exemplum non in toto per accidens, sed in toto per aggregationem, sequeretur, inquit, si à partibus vnitis non resultat tertia entitas, totum per se non distinguui à toto per aggregationem, sic

habet vbi supra, §. *quantum ad primum*, num. 7. & dist. 22. quaest. 1. §. *modo ad propositum*, num. 18.

Quare autem hoc dicatur totum per se, illud autem per accidens, resp. Doctor q. 2. vbi supra num. 10. cum Aristotele 8. Metaphysicae textu 15. quia materia & forma sunt per se actus, & per se potentia; accidens verò & subiectum sunt per accidens actus, & per accidens potentia, itaque non distinguuntur ratione vnionis, aut respectus, accidens enim per se respicit subiectum, vt optimè notauit Scotus vbi supra q. 2. §. *de secundo*, num. 8. sed quia sunt actus & potentia per se, vel per accidens. Si autem istes, Quare autem ista entitas est per se actus respectu vnus, & alia tantum per accidens respectu alterius; non est ratio, nisi quia hæc entitas est hæc entitas. Cum ergo totum per accidens dicat partes vnitas, & vltèrius causalitates earum, quid mirum si dicamus distinguui realiter ab vnitis partibus, tanquam includens ab incluso, cum hæc causalitates aliquid reale sit distinctum ab ipsis partibus vnitis, vt diximus de toto per se.

26.

Totius quaestionis resolutio.

Habemus ergo ex tota hac quaest. totum physicum per se, & idem dicimus de toto per accidens, realiter distinguui, non solum à qualibet parte, & ab vtraque simul, sed ab eisdem vnitis, tanquam includens & inclusum mutè, sed inadæquatè, & hanc tertiam entitatem esse absolutam & compositam ex partibus suis quas intrinsecè claudit. De toto integrali & per aggregationem diximus solum esse suas partes, hac obseruata differentia quod totum per aggregationem solum dicit iuxta positionem partium, integrale verò vnionem indiuisibilem.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

POSTquam ex mente Aristotelis in quæstionibus antecedentibus, de tribus principiis corporis naturalis, in communi & particulari, de vnionēque & composito disputauimus, in hoc secundo libro, in quo textus authoris nouem capitibus continetur, & in eis, de ipso corpore & ente naturali, ex eis genito, pertractat, decem alias quæstiones, examinare & explicare conabimur. Primò agemus de natura. Secundò de causa in communi. Tertio de causa materiali & formali. Quarto de efficiēti. Quintò de dependentia causæ secundæ à prima. Sextò de instrumentis in communi. Septimò de finali causa. Octauò de exemplari. Nonò de comparatione causarum inter se, & cum effectibus. Decimò de casu & fortuna.

QVÆSTIO I.

De natura.

1. **N**ATURA multipliciter à Philosophis accipitur. Primò pro mente diuina & rerum artifice, quo pacto idem est quod Deus, Augustino teste 15. de Trinitate cap. 1. Secundò pro essentia & quidditate rei, inter quæ tamen hæc est differentia, quod essentia pertinet ad esse rei, quidditas verò ad definitionem, natura ad operationem. Tertio pro ordine rerum

naturalium, vel causarum, quo pacto, id quod extra ordinem naturæ contingit, miraculum appellamus. Quarto pro viuientium generatione, quæ natiuitas dici solet communiter, & est germana significatio huius nominis, quia natura à nascendo trahit originem. Quintò, quia generatio oritur à principio interno, deriuatum hoc nomen est, ad significandum internum principium à quo vnaquæque res naturaliter mouetur. Vel quiescit, & in hac acceptione secundum omnes sumpsit Philosophus naturam in præsentī. Vnde quamuis Metaphysicus agat de natura, vt videre est apud Aristotelem 5. Metaphysicæ textu 5. vbi varias eius significationes distinguit, tamen Metaphysicus agit de natura, quatenus substantia est, cuius genera & significationes explicare debet, substantia enim diuiditur in naturalem & diuinam, in mobilem & immobilem, vt patet ex 12. Metaphysicæ textu 5. et Physicus agit de natura proprie & per se, pro vt est principium & causa motus & quietis.

Naturale totidem modis vsurpatur, quot natura, quos retulimus quæst. 1. difficultate 1. art. 1. in qua quæstione duo veniunt discutienda. Primò vtrum natura rectè definiatur à Philosopho, & in quo ab arte distinguatur. Secundò vtrum natura sit principium actiuum, vel passiuum.

DIFFICULTAS I.

De quidditate nature.

ARTICVLVS I.

Utrum Philosophus exactè defini- rit naturam.

sunt principia motus illorum, non ta- men prima, cum præsupponant ma- teriam & formam, quarum ratione illis grauitas & lenitas conueniunt. *ly & non secundum accidens*, excludit artem medendi, & saltandi, quæ licet sint causa motus in quæ sunt, sunt tamen in eo per accidens, quia non à natura homines sunt saltatores, aut medici. Ex quibus constat optimam & exactam esse naturæ definitio- nem.

2. **P**hilosophus sic naturam definit. *Natura est principium & causa mo- tus, & quietis, eius in quo est primò & per se, & non secundum accidens.* Vel, vt le- gunt Patres Comimbricenses, in hoc libro cap. 1. quæst. 2. *natura est princi- pium & causa, vt id moueatur & quie- scat, in quo primò & per se, & non per ac- cidens inest.* Hanc definitionem Peri- pathetica schola, vt exactam, & opti- mè explicantem quidditatem naturæ admittit, vt patebit discurrenti per singulas eius partes. *ly principium* po- nitur loco generis, in quo conuenit cum aliis principiis naturalibus, v.g. materia, forma, & priuatione; per *ly causa*, intelligimus rationem differen- tialem, qua excluduntur priuationes, quæ licet sint principia corporis na- turalis, non tamen causæ, quia non influunt in effectum; quapropter ra- tionem naturæ non participant. *ly motus*, quancumque mutationem natu- ralem, siue successiuam, siue instan- taneam comprehendit; excludit ta- men omnes formas Mathematicas & artificiales, quæ non sunt causæ mo- tus physici. *ly eius in quo est*, excludit causas extrinsecas, v.g. efficientem & finalem, quæ causant non in se, sed in alio, ideo non sunt principium formale motus. *ly primò & per se*, de- notat naturam non esse qualecun- que principium motus; sed primum quod inest, non ratione alterius, & excludit qualitates, v.g. grauitatem lapidis, & lenitatem ignis, quæ licet

Explica- tur defi- nitio na- turæ.

Obiectio prima. Obiectio prima. *ly & non secundum accidens*, excludit artem medendi, & saltandi, quæ licet sint causa motus in quæ sunt, sunt tamen in eo per accidens, quia non à natura homines sunt saltatores, aut medici. Ex quibus constat optimam & exactam esse naturæ definitio- nem. Obiectio prima, natura est quid absolutum, principium quid relati- uum; ergo non bene natura definitur per principium. Resp. in hac defini- tione non poni principium formaliter, & relatiuè ad effectum, seu prin- cipiatum, sed fundamentaliter: vt sic autem, quid absolutum est.

3. Obiectio secunda. *ly & non secundum accidens*, excludit artem medendi, & saltandi, quæ licet sint causa motus in quæ sunt, sunt tamen in eo per accidens, quia non à natura homines sunt saltatores, aut medici. Ex quibus constat optimam & exactam esse naturæ definitio- nem. Obiectio secunda, natura est quid absolutum, principium quid relati- uum; ergo non bene natura definitur per principium. Resp. non superfluere, quia ponitur vt magis explicetur differentia natu- ræ, & priuationes.

Obiectio tertia. *ly & non secundum accidens*, excludit artem medendi, & saltandi, quæ licet sint causa motus in quæ sunt, sunt tamen in eo per accidens, quia non à natura homines sunt saltatores, aut medici. Ex quibus constat optimam & exactam esse naturæ definitio- nem. Obiectio tertia, natura est quid absolutum, principium quid relati- uum; ergo non bene natura definitur per principium. Resp. cælum posse quiescere, si intelligentia motrix, vt potest, cessaret; tamen nec motus, nec quies est naturalis cælo, vt docet Doctor in 4. distinct. 48. quæst. 2. §. *ad questionem*, & §. *ad argumenta*. terra autem ratione parti- tium mouetur naturaliter deorsum. Deinde tota illa naturaliter mouere- tur deorsum, si à loco naturali extra- heretur, quod sufficit vt definitio sit vera, cum eius verba non dicant actû, sed aptitudinem. Vnde prædicta defi- nitione Aristotelem cælos non com- prehensisse, saltem quoad motum, tenuit Plutarchus & Albertus, quod nos in libris de cælo, examinabimus.

Quartè

4.
Obiectio
quarta.

Quartò. Grauià & leuia mouentur à grauitate; ergo natura non est principium motus in quo est. Resp. primò negando antecedens, quoniam à se moueri probabimus lib. 7. & licet antecedens esset verum, consequentia falsa est, quia principium passiuum, quod nullus eis negauit, sufficit ad verificandam definitionem naturæ, quæ de principio passiuo solùm, non de actiuo intelligitur, vt videbimus quæstione sequenti.

Obiectio
quinta.

Quintò motus & quies opponuntur priuatiuè; ergo natura nequit esse principium primò & per se vtriusque, quia implicat idem esse per se principium oppositorum. Deinde cum quies sit priuatio, & nihil non habet causam; ergo quies non habet pro causa naturam. Resp. ex Doctore ibi suprà ad secundum, quòd quies dupliciter capitur, primò pro priuatione motus, secundò pro permanentia in loco per motum adquisito, quo pacto non opponitur motui, quia non est eius priuatio, sed finis illius. Definitio ergo Aristotelica intelligitur de quiete secundo modo sumpta; argumentum verò solùm probat de quiete in prima acceptione accepta. Secundò in nostra sententia, de quiete quouis modo potest intelligi, quia quæstione sequenti dicemus, solùm requiri ad rationem naturæ, quòd sit principium passiuum, & hoc optimè potest opposita recipere.

Obiectio
sexta.

Sextò ars saltandi est principium motus eius in quo est, & ars horologii suorum motuum, & figura rotunda est causa quòd corpus melius moueatur; ergo definitio naturæ etiam conuenit arti. Resp. motum saltationis procedere à virtute naturali, motum verò artificiosum ab arte. Idem iudicium est de horologio, & de figura, quæ solùm sunt dispositiones ex-

trinsecæ motus, non verò principium intrinsecum, & naturale ipsius.

ARTICVLVS II.

An definitio natura sit essentialis.

NON loquimur in præsentia de vera & rigorosa definitione, quia licet natura, secundum rigorem Dialecticum definiri possit, hæc tamen definitio tradita à Philosopho, non est rigorosè definitio, est enim nimis longa, & plura continet, quæ licet explicent quidditatem naturæ, sunt tamen extra rationem generis, & differentia, ex quibus solùm definitio debet constare. Solùm ergo dubitatur, vtrum hæc definitio qualiscunque sit, ad descriptiuam, an ad quidditatuam reducatur.

5.
Definitio
naturæ
non est
exacta in
rigore
diale-
ctico.

Prima sententia affirmat, hanc definitionem esse descriptiuam. tenet Albertus, Ferrara, Zimarra, & alij, quos citat Masius in præsentia q. 3. Fundamentum huius sententiæ est, quòd natura est quid absolutum; ergo nequit quidditatiuè per relationem definiri, sed causa & principium includunt relationes; ergo.

6.
Sententia
prima.

Alij affirmant hanc definitionem esse quidditatiuam. tenet Masius in hoc libro, cap. 1. q. 3. Plaza disp. 1. q. 2. cum Soto & Toletò. citatur S. Thomas in hoc libro, lectione 1. Fundamentum est, quòd hæc definitio datur per intrinsecam & intimam ipsius naturæ, hæc enim ab intrinseco est principium & causa motus; ergo est quidditatiua.

Sententia
secunda.

Dico primò, si principium & causa formaliter accipiantur in definitione, hæc definitio non est quidditatiua. Probat, quia nullus respectus potest esse de quidditate alicuius absoluti, vt diximus cum Doctore, in Logica q. 11. diff. 2. art. vnico, & q. 16. diff. 2. art. 1. habet expressè in 4. dist. 12. q. 1. & 7. Metaphys. q. 1. & idè notauimus

7.
Conclusio
prima.

Nullus
respectus
est essen-
tialis ali-
cui abso-
luto.

in

in 1. Physicorum difficult. 2. quæst. 3. art. 5. cum Doctore in 2. dist. 16. §. *alij dicunt*, num. 13. & in 1. dist. 3. quæst. 5. num. 7. sed principium formaliter dicit respectum; ergo non potest esse de quidditate naturæ quæ quid absolutum est. Respond. quidam recentiores, in Physica, disp. 7. quæst. 2. hunc esse respectum secundum dici, vt expressit sanctus Thomas, vbi supra, his verbis, *ponitur autem in definitione natura principium quasi genus, & non aliquid absolutum, quia nomen natura importat habitudinem principij*. quam habitudinem explicant de respectu secundum dici, & hunc dicunt esse de quidditate naturæ. Sed contra est quod, vt probamus vbi supra, nec respectus secundum dici potest esse de quidditate absoluti, sed ab eo saltem formaliter debet distingui. Fundamentum est, quod absolutum est ad se, relatiuum ad aliud; ergo respectus non potest esse de quidditate absoluti; fateatur tamen principium transcendentaliter respicere suum principatum, & ideo iste respectus erit passio principij, & consequenter hæc definitio erit descriptiua, si principium formaliter accipiamus, vt diximus de potentia formali materiæ quæst. 3. vbi supra. Probatum secundum, operatio supponit esse; ergo in natura prior est conceptus essendi, quam principij formalis, cōnotaris effectus.

8. *Conclusio secunda.* Dico secundum si natura fundamentaliter accipiatur quatenus est prima radix, cui debetur ratio formalis principij, sicut homini risibilitas, hæc definitio est essentialis. Fundamentum est, quod ea est definitio essentialis quæ explicat primum conceptum, seu quidditatem rei: sed primus cōceptus naturæ, & ei magis intimus, est esse radicale principium motus & quietis; ergo.

Obiicies principium non posse intelligi sine respectu; ergo iste non distinguitur à ratione radicali. Resp. bene posse intelligi, quod natura est ens absolutum, cui debetur respectus ad motum, licet non quietetur intellectus quousque istum respectum, & eius terminum adæquate cognoscat. *Obiectio.*

ARTICVLVS III.

In quo distinguantur res naturalis, & artificialis.

9. **D**Vas differentias proponit Doctor in 2. dist. 18. quæst. 1. §. *arguitur*, num. 5. vers. *Respond.* primam differentiam sumit ex parte principij actiui, quia natura determinata est ad suam operationem, ars verò non determinat necessarid, sed continget. *Secundam ex principio passive, quia naturalia habent in se principium passiuum inclinans & tendens in hoc vt sic agatur: artificialia autem non habent huiusmodi principium, sic inclinatum, vel inclinans ad talem incisionem, vel erectionem, vt patet in edificijs, imò inclinatur ad contrarium, vnde artificialia mouentur ad formam talem contra inclinationem naturalem, & per consequens violenter: vel diceretur, quod sunt in potentia neutra, si talis forma artificialis non insit eis, contra inclinationem principij receptiui.* Quibus aliæ differentie possunt adiungi. Prima est quod res extrinsecus denominantur artificiales, nimirum ab arte: naturales autem ab intrinseco dicuntur tales, quoniam habent in se naturam quæ est principium motus, vt videre est apud Arist. 6. Metaph. textu 1. Aliam differentiam ponit Alexander, vt refert Simplicius, super primum textum libri secundum Physicorum, quod omnes partes & principia rei naturalis, sunt à natura

natura, patet in animali, cuius quælibet pars, siue physica, siue integralis, à natura est, & non ab arte: partes autem entis artificialis, aliquæ sunt à natura, aliæ ab arte, statua enim habet materiam naturalem, formam verò artificialem. Tertio differunt quòd forma artis semper supponit materiam, quæ sit ens completum, natura verò aliquando supponit materiam incompletam. Patet in compositione physica, essentiali, cuius pars materialis est ens incompletum. propterea Arist. 2. de anima, textu 3. affirmat, corpus naturale esse principium corporis artificialis.

IO. Dubitari potest, an forma artificialis differat à corpore naturali cui inhaeret. Aliqui affirmant, formam artificialem solùm ratione à corpore naturali distingui. Fundamentum est, primò quòd non sunt multiplicanda entia sine necessitate, debet enim sapiens imitari naturam, quæ nihil frustra operatur, sed omnia quæ dicuntur de forma artificiali, sufficienter intelliguntur, si dixerimus, formam artificialem esse quendam modum, seu determinationem quantitatis, per quem quantitas diuersas induit formas artificiales; ergo superflue ponitur forma realiter distincta. Secundò forma artificialis non educitur de potentia materię; ergo si distinguitur, tanquam verum ens à subiecto, producet per creationem, quod neque instrumentaliter potest fieri ab agente creato.

II. Nobis tamen dicendum est, formam artificialem esse relationem quandam superaduenientem diuersis positionibus partium quantitatis, sic docet expressè Doctor de figura, quæ à forma artificiali non differt, in 4. dist. 12. quæst. 4. §. ad quæstionem, num. 19. ver. *sed de figuracione*, vbi hæc ha-

bet, *figura ergo non dicit ultra quantitatem, nisi relationem partium ad se inuicem, vel terminorum, includentium partes: hæc autem relatio mutari potest, manentibus eisdem partibus in se & in toto.* Itaque eadem cera potest sine accretione, aut minutione partium, nouas figuras, seu artificiales formas habere, si partes vel ab arte, vel rarefactione, aut condensatione, diuerso modo disponantur; sunt enim in ipsis secundum diuersas has dispositiones, diuersæ formæ relatiuæ, quæ formæ artificiales appellantur. Qualiter autem hæc relationes possint poni in prædicamento qualitatis, & in quo prædicamento propriè collocentur, dicemus in Metaph. quæstione de qualitate.

Probat hęc sententia. nam quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, diuersas habent entitates: sed ens artificiale secundum materiam propriam pertinet ad substantiam, vel quantitatem, secundum formam ad qualitatem; ergo. Non me latet responderi posse sufficere distinctionem denominatiuam vt aliqua in diuersis prædicamentis collocentur: sed in hoc metaph. quæst. de prædicamento in communi reiciemus. Secundò probatur, ea realiter distinguuntur, quorum vnum potest esse sine alio, vt de relatione sui subiecti probauimus in Logica q. 16. diffic. 3. art. 2. sed forma artificialis separatur à materia, & iterum ei contingit de nouo; ergo realiter distinguitur à suo subiecto.

Ex quibus patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, has formas non esse superfluas, nec posse formam artificialem in sola denominatione consistere. & has formas non creari diximus quæst. 5.

diffic. 2. art. 4.

DIFFICULTAS II.

Utrum natura sit principium actuum, vel passuum.

ARTICVLVS I.

Præmittuntur aliqua ad intelligentiam difficultatis.

12. Naturale equiuocè accipitur & tripliciter.

PRO clariori huius difficultatis intelligentia, supponit Doctor in 4. dist. 43. quaest. 4. §. intelligendum ex hoc, quod naturale equiuocè accipitur. quod apparet ex hoc, quia diuersis opponitur, & illa est una doctrina cognoscendi multiplex, 1. Topic. 12. opponitur enim naturale uno modo supernaturale, alio modo libero, vel voluntario, tertio modo violento. Naturalitas enim aliquando pertinet ad principium actuum, & tunc opponuntur sibi liberum uno modo, & alio modo supernaturale. Nam agens naturale, vel naturaliter dicitur, quod opponitur libero, quia agit necessitate naturali, sed voluntarium, vel liberum, quod se ipsam determinat ad agendum, & illo modo loquitur Philosophus 2. Phys. textu 49. diuidens naturam contra agens à proposito. & 9. Metaph. textu 3. & 10. cap. 2. & 4. de potentis actiuis irrationabilibus, & actiuis rationalibus, siue liberis.

Alio modo ex parte principij actiui, naturale dicitur, quod habet naturalem ordinem actiui ad passum, & supernaturale quod excedit omnem talem ordinem naturalem, & illo modo quodcumque agens causatum dicitur naturale, & solum agens increatum dicitur supernaturale.

Ex parte autem passi opponitur naturale uno modo violento, prout naturaliter dicitur moueri, vel pati quod patitur secundum propriam inclinationem passi,

violenter verò quod patitur contra inclinationem passi.

Ex hoc sequitur quod naturale & violentum non sunt opposita contraria immediata, imo est inter ea medium, quando scilicet passum neutro modo se habet, neque inclinatur ad illud quod recipit, neque ad oppositum, sicut superficies ad albedinem, vel nigredinem, vel ad medium, sequitur etiam quod non potest esse violentia in primo passo, scilicet materia prima; quia non inclinatur contra aliquid cuius est absolute respectuum. & haec distinctio illorum oppositorum & mediij, accipitur in passo, ut comparatur ad formam, ad quam transmutatur: ut autem passum comparatur ad agens, à quo recipit formam, dicitur naturaliter moueri, quando mouetur ab agente naturaliter sibi correspondente: supernaturaliter autem moueri, quando ab agente supra totum ordinem agentis naturaliter proportionato isti. Idem docet quaest. 1. prologi. §. ad quaestionem.

Datur potentia neutra.

Materia prima non mouetur violentè.

Sic ergo habemus naturale dupliciter, ut pertinet ad actuum: quia, ut distinguitur contra liberum, & supernaturale & naturale, vel naturaliter dupliciter, ut pertinet ad passum, quia ut distinguitur contra neutraliter, & contra violentum.

Sed contra distinctionem duorum violentorum membrorum arguitur, quia secundum Philosophum tertio Ethicorum, violentum est cuius principium est extra, non conferente vim passo: ergo in definitione violenti ponitur principium motuum, & per consequens violentum essentialiter non tantum accipitur ex comparatione passi ad formam, sed ad agens.

Quid sit violentum.

Respondet ad quocumque tales instantias per hanc propositionem, illud est per se causa, quo posito & circumscripito, alio, vel variato sequitur effectus. Nunc autem licet forma, contra quam inclinatur

receptiuum non inducatur nisi per agens per se violentans passum. tamen per se ratio violenti est ex habitudine passi ad formam, quia passio & forma mansentibus in sua ratione, puta quod forma sit receptibilis, tamen contra inclinationem passi, quomodocunque variatur agens, violentia passum violenter recipit. Hoc etiam apparet, quia non tantum in induci, sed etiam in permanere dicitur, quod aliqua forma violenter permanet in passio, & diu aliqua autem naturaliter, ita quod circumscribendo agens, quod scilicet non habet actionem post inductionem forma, ibi est naturalitas, vel violentia precise, comparando formam ad receptiuum.

Concedo ergo quod in descriptione violenti ponitur agens tanquam extrinsecum, sed non tanquam per se completens, nec tanquam per se constituens rationem violenti, sed tantummodo completur per illud, passio vim non conferente. & tamen modo maneret violentum post omnem actionem agentis, sicut si lapis possit quiescere sursum sine continua actione detinentis. additur tamen principium in descriptione violenti, tanquam causa extrinseca.

Consimiliter, licet passum recipiat aliquam formam, aliquo modo supernaturalem, & in hac supernaturalitas possit dicere modum habitudinis passi ad formam: tamen nunquam dicitur supernaturale, nisi quia recipit eam à tali agente, cuius probatio est, quia si formam naturaliter sui perfectiuam reciperet à tali agente, adhuc respiceret eam supernaturaliter, non quidem propter habitudinem ad formam, quia sic naturaliter recipit, sed propter habitudinem ad agens à quo recipit.

13.
Violentia non est solum contra principium actiuum.

Ex quibus manifestè infertur, violentiam non esse contra solum principium actiuum, vt affirmat Vasquez 1.2. disp. 25. cap. 3. Nec contra actiuum

& passiuum, vt tenet Ravi. in hoc lib. q. 2. n. 17. sed solum contra principium passiuum, vt cum communi sententia affirmat Doctor. Si autem insites, quod violentia supponit renitentiam in passio: sed principium passiuum non dicit renitentiam; ergo. Resp. principium passiuum dicere renentiã quatenus habet inclinationem ad formã oppositam sibi connaturalem.

Secundò infertur cum communi sententia Aristotelem non agere de natura vt distinguitur contra supernaturale, aliàs omnis motus quantumuis violentus, posset dici naturalis, & omne principium actiuum non supernaturale posset dici natura, quod est absurdum. Nec in secunda acceptione, quatenus opponitur libero, aliàs omnes actus humani, liberi & spontanei, viribus naturæ facti naturales non essent, nec anima, vt est principium illorum, esset natura, quod est contra Arist. quæst. 1. de partibus animalium cap. 1. In tercia ergo acceptione sumpta natura pro principio, scilicet, seu inclinatione interna, distincta contra violentum, sumitur natura ab Aristotele, dum dicit, esse principium motus & quietis; difficultas ergo est, an prædicta inclinatio debeat esse passiva recipiens motum, an actiua illum eliciens.

Notandum etiam est, vt clariùs procedamus, quod violentum tribus vocibus à Scholasticis nominatur, nempe necessarium, violentum & coactum, siue, quod idem est, necessitas, violentia, seu vis; & quamuis coactio in rigore sermonis significet actum coagendi, Scholastici tamen pro ipsa violentia frequenter vsurpât, hac obseruata differentia quod coactio & coactum præse & proprie de rebus sententia

Arist. non agit de natura vt distinguitur contra supernaturale, nec distinguitur contra liberum.

14.
Violentiã Aristoteli nominatur.

sentientibus solum dicitur; violentia vero de non sentientibus, etsi vsus iam indiscriminatim vtraque voce ad violentiam significandam vtratur. Hoc autem nomine *necessitas* aliquando violentia significatur, etsi non omnis necessitas sit violentia, vt patet de actu quo ignis producit calorem in se ipso, qui necessarius est, & naturalis ipsi igni; necessarium vero, pro eodem quod coactum, seu violentum vsurpatur in praesenti, quatenus dicit resistentiam, & renitentiam in principio, de quo dubitatur, an sit actiuum, vel passiuum. legatur Vasquez vbi supra cap. 1. & 2.

ARTICVLVS II.

Proponuntur diuersa authorum placita; & explicatur nostrum.

15.
Sententia prima.

Pater Vasquez vbi supra, sequutus Vallesium controuersia 11. affirmat principium positum in definitione naturae de principio actiuo solum esse intelligendum. Fundamentum est, quod natura, vt hic accipitur, est quae opponitur violento: sed violentum tantum est contra principium actiuum secundum ipsum; ergo natura tantum de principio actiuo dicitur. Secundò probat ex Aristotele 2. Physic. cap. 2. text. 3. vbi ait, quod natura est principium & causa, vt id moueatur, atque quiescat, in quo primo, & per se, & non per accidens est. at causa & principium motus est causa efficiens, non materialis, vt colligitur ab Aristotele eodem lib. cap. 3. ergo natura de principio actiuo, non de passiuo dicitur.

16.
Sententia secunda.

Secunda sententia asserit sufficere tam principium actiuum, quam passiuum, quod ex eo probant communiter, quia materia est natura, & forma,

tamen illa solum est principium passiuum, haec vero actiuum; ergo natura vtrumque comprehendit.

Tertia sententia & nobis tenenda affirmat, naturam solum dici de principio passiuo. ita Doctor in 2. distinct. quaest. 10. §. concedo, num. 8. & dist. 18. §. Contra primum, num. 4. & in 4. dist. 43. quaest. 4. §. intelligendum, n. 2. & 5. Metaphysicae cap. de materia, quem omnes eius expositores sequuntur, Philippus Faber theoremate 33. cap. 1. & per totum.

Sententia tertia vtrior.

17.

Probatio prima ex mente Philosophi.

Quae sententia primò probatur ex Aristotele, qui vbique loquitur de interno principio motus, quod est natura. semper illud explicat, verbis sonantibus, principium passiuum, non actiuum. Primò enim capite huius libri, loco definitionis assignatae, alij legunt iuxta Graecum rigorem, vt notauimus difficultate praecedenti, *natura est principium & causa, vt id moueatur*, quod denotat principium passiuum, quam interpretationem sequitur Doctor in 2. dist. 18. quaest. 1. §. arguitur, num. 5. dum naturam sic definit, *Natura est principium intrinsecum motus, in eo quod mouetur, in quantum mouetur in existens sibi solum propter principium passiuum.* Item textu 5. docet illa esse secundum naturam, quae insunt entibus naturalibus per se, vt ignem ferri sursum, & terram deorsum. Item 8. Physicorum textu 27. ait, mouentia alia secundum naturam, alia violento, vel extra naturam moueri, quam diuisionem explicans subdit, *Quae mouentur contra principium passiuum, non mouentur naturaliter, sed violento, vt cum tetra mouetur sursum.* Tandem in hoc libro textu 71. docet, mouentia mota esse physicae considerationis, non ita mouentia non mota; reddens vero rationem, quare mouentia non mota non sint physicae considerationis,

derationis, subdit, quia non habent principium motus in se ipsis. tunc sic, ideo mouens non motum non est principium physicum, vel naturale ex Philosopho, quia caret principio motus: sed non caret principio actiuo, quandoquidem mouet; ergo ad rationem entis naturalis, nihil est principium internum actiuum; sed passiuum intrinsecè, & necessariò requiritur.

*Probatio
secunda.*

Secundò probat Doctor in 2. vbi supra, *Natura ut est principium motus, vel mutationis naturalis, est principium intrinsecum: sed natura est huiusmodi, ratione principij passiuo, & non quia est principium actiuum; ergo probatur per Aristotelem 2. Physic. qui vult, quod accidit infirmo, qui mouetur ad sanitatem, quòd sit medicus, vel quòd habet illam artem qua est principium actiuum intrinsecum. Tunc enim si per se esset quòd haberet tale principium, sanaretur in quantum medicus, quòd est falsum.*

*18.
Probatio
tertia.*

Tertiò idiplum ratione probatur primò, motus dicitur naturalis, vt opponitur violento (sicut hìc loquimur secundùm omnes) non quia procedit à principio intrinsecò actiuo, sed quia recipitur in subiecto habente ad illum recipiendum passiuam inclinationem naturalem; ergo natura de qua in præsentì Aristoteles, non est principium actiuum, sed passiuum tantùm. Consequentia patet, & probatur antecedens in calefactione aquæ facta ab igne, quæ licèt producat à principio actiuo intrinsecò igni determinato ad talem motum, non tamen dicitur naturalis, sed violentus, non nisi, quia in aqua non est passiuam inclinatio naturalis ad illum recipiendum. Confirmatur ex Doctore vbi supra in 4. quia ab illo dicitur motus naturalis, quo posito sortitur talem denominationem, etiam si aliud

quodcunque auferatur, & quo ablato, etsi quodcunque aliud ponatur, auferatur prædicta denominatio naturalis, sed posita in subiecto motus naturali inclinatione passiuam ad illum recipiendum, etsi ex parte principij actiuo auferatur naturalis inclinatio ad illum producendum, naturalis dicitur, non verò è conuerso; motus ergo intrinsecò dicitur naturalis quatenus est à principio, non actiuo, sed passiuo, ac proinde principium possum in definitione naturæ, de passiuo erit intelligendum. Minor probatur & experitur in calefactione temperata hominis quæ ipsi naturalis dicitur, quatenus inclinatur internè passiuè ad illam recipiendam; etsi aliàs produceretur à principio extrinsecò, earente inclinatione intrinseca actiuam producendi illam, vt si produceretur ab Angelo, &c. At si prædictus calor reciperetur in subiecto non habente talem inclinationem passiuam, v. g. in aqua, non existimaretur naturalis, sed violenta, quamuis produceretur ab igne, naturaliter inclinato, & ab intrinsecò, ad illam producendam; ergo.

Quartò si natura esset principium actiuum intrinsecum agenti, duo absurdum manifestè sequerentur, primum omnes motus forè naturales, nullum violentum, cum omnes procedant ab agente habente innatum principium ad illos producendos. quòd argumentum etsi à nonnullis obiiciatur, meo videri parum vrget Vasquez, ipse enim facillimò negotio respondere poterit fore naturalem respectu mouentis, violentum autem, respectu moti, si fuerit contra actiuam inclinationem, non verò quia contra principium passiuum sit. Secundò sequeretur minus bene in definitione naturæ Aristotelem dixisse esse principium

*19.
Probatio
quarta.*

principium

cipium motus eius, in quo est, cum in actibus transcuntibus, principium actiuum non in subiecto motus, sed in agente sit.

ARTICVLVS III.

Obijciuntur aliqua contra nostram conclusionem, & enodantur.

20.
Obiectio prima.

Contra prædictam conclusionem plura obiicit sibi Doctor in 2. dist. 18. quæst. 1. §. Responso, num. 3. quæ etiam aduersarij nobis obiiciunt, & idem Doctor enodat ibidem. §. arguitur, versic. Respondetur, num. 5. primò quòd Aristoteles in hoc libro docet, quòd artificialia differunt à naturalibus, quia naturalia habent in se principium motus, artificialia non: sed illud principium nõ est principium passiuum, quia illud habent artificialia; igitur debet intelligi de principio actiuo. Respondet Doctor distinxisse naturale ab artificialibus, quia naturalia habent principium passiuum inclinans, artificialia verò minimè, sed sunt in potentia neutra respectu huius, & illius formæ, quæ non est contra eius inclinationem. Vnde bene infert Philosophus, quòd si in artificialibus esset principium arte factorum, sicut petra propter principium passiuum inclinans naturaliter tendit in centrum, sic materia naturaliter fabricaret, cum haberet in se principium arte factionis.

Artificialia sunt in potentia neutra ad diuersas formas.

Obiectio secunda.

Secundò, 6. Metaphysica textu 1. dicit Philosophus quòd principium artificialium est in cognoscente, & principium naturale in moto; cū ergo accipiat ibi principium aequaliter & uniformiter. (aliter argumentum nihil valet) & principium artificialium in cognoscere sit actiuum, oportet quòd natura dicatur etiam de principio actiuo. Resp. argumentum non debere sumi vniformiter, sed diffor-

miter. Vnde principium rei factibilis est in cognoscente, verum est principium actiuum: principium autem rei naturalis est in moto, verum est principium passiuum, et dictum est supra.

Tertiò, ex 3. Ethicorum cap. 1. violentum est cuius principium est extra, non conferente vim passo, igitur per oppositum, passum naturale quòd non mouetur totaliter ab extrinseco, sed ab intra, confert aliquam vim, aliter si passum naturale totaliter moueretur ab extra, esset motus violentus. Respondet Doctor ad illud de violento quòd est ad extra, non conferente vim passo. Dico, quòd debet exponi, non conferente, id est, non præbente inclinationem & tendentiam, imò magis contrariam inclinationem, non autem debet exponi, non conferente, id est, non coagente, agenti exteriori. Ideo in 4. distinct. 29. quæst. 1. §. ad quæstionem, num. 6. notat, illa verba, non conferente vim passo, non negatiuè, sed contrariè esse intelligenda, ac si diceretur, violentum est cuius principium est extra passo resistente, vel præbente contrariam inclinationem, & tamen inclinatio non debet esse actiua, sed passiva, & hæc solum significatur nomine impetus interni ab Aristotele. cum 2. Ethicorum sic violentum definiuit. Vnde respectu nullius formæ potest esse generatio violenta in materia; quia materia inclinatur naturaliter ad quamlibet formam inducendam in ea: quamuis per comparationem ad qualitates, quæ expellunt & corrumpuntur, & ad formam etiam substantialem, quæ corrumpitur per accidens, posset dici violenta. Differunt ergo violentum & naturale, quòd violentum præbet resistantiam, vel contrariam inclinationem passiuam, & sic intelligendus est Aristoteles 2. Ethicorum, vbi sic violentum definit. Quando igitur foris quidpiam præter impetum intrinsecum mouerit, vel sedauerit.

21.
Obiectio tertia.

In quo differant violentum & naturale.

vidi fieri asseneramus. negat ergo impetum intrinsecum præbentem inclinationem, non verò resistentē passivè, in quo differt à naturali. nam hoc præbet inclinationem passivam, iuxta quam producit forma, in eaque naturaliter recipitur.

ARTICVLVS IV.

Utrum materia prima sit natura.

22.
Sententia prima.

VAsquez vbi suprà cap. 3. num. 22. expressè affirmat, materiam improprie dici naturam. probat ex Aristotele 5. *Metaphysicæ* cap. 4. asserente, quòd omnis substantia dicitur propter hanc, nempe propter formam; ergo materia non est proprie natura, cum non sit forma. Alia obiicimus inferiùs contra nostram conclusionem.

Verior sententia.
Ratio prima.

Quibus non obstantibus, asserendum est, materiam primam, quantumuis passivè se habeat, esse naturam; docuit Aristoteles 5. *Metaphysicæ* cap. 1. idem insinuat primo de partibus animalium, cap. 1. & in hoc 2. lib. cap. 1. & probatur ratione, quia materia prima ex quæstione 3. diffie. 5. artic. 2. est de quidditate physici compositi naturalis, & essentialis pars illius: sed compositum non nisi ex naturis essentialiter componitur; ergo. Secundò sequeretur nullam generationem esse naturalem, saltem ex parte materiæ. Tertio probatur à priori, quia materia prima, etsi hanc, vel illam formam indifferenter respiciat, vt diximus vbi suprà difficult. 3. art. 2. tamen hanc & illam formam appetitu naturali innato, inclinationeque passiva appetit, quamvis non possit simul sub pluribus existere, vt ibidem diximus: et natura est principium passivum receptivum alicuius mo-

Ratio secunda.

Ratio tertia.

tus; ergo materia, natura debet existimari.

Ad auctoritatem Aristotelis ex 5. *Metaphysicæ* resp. materiam non dici metaphoricè naturam, sed esse magis naturam, quàm formam, quòd non excludit à materia rationem naturæ, sed denotat, formam esse naturam principaliorem, sicut & præcipuam partem essentialem compositi. Vnde sicut non obstat quòd forma sit pars principalior, vt materia etiam sit pars essentialis compositi, vt diximus vbi suprà; ita nec id obstat vt dicatur natura, etsi minus principalis & perfecta. Nec ibidem Philosophus naturam conuertit cum forma, nec dicit materiam esse substantiam per *Metaphysicam*, sed solam dicit nomen naturæ metaphoricè vsurpari pro substantia. Vnde quando dixit, materiam esse naturam, quatenus receptaculum formæ, nõ negat materiam esse naturam, sed docet eam non esse naturale principium alicuius determinati motus, nisi determinetur à forma: quòd verissimum est, quia res non magis inclinatur, vt recipiant hunc, quàm illum motum ratione solius materiæ, aliàs omnes motus essent naturales, quia materia omnes naturaliter respicit, sed præcipuè ratione formæ, quæ indifferentiam illam materiæ determinat ad hunc motum, & non ad illum, vt patet in passiva inclinatione ignis ad sursum, quæ igni competit non ob solam materiam, cum hæc non magis inclinatur naturaliter ad sursum, quàm ad deorsum; sed præcipuè ad formam, quæ sicut principalius communicat igni suum esse, ita & specialem propensionem ad motum sursum.

Obiicis, quòd ex nostris principiis natura non quomodocunque dicitur de principio passivo, sed ultra hoc

23.
Materia est minus natura quàm forma.

24.
Obiectio.

ARTICVLVS V.

Verum forma, quae est altera pars compositi, sit natura.

hoc debet includere inclinationem, secundum quam opponatur violento: at, ex quaestione 3. difficult. 3. & difficultate 2. artic. 5. materia prima neutra est & indifferens respectu omnium formarum; ergo non est natura. Confirmari potest ex Doctore in 4. dist. 43. quaest. 4. §. *intelligendum*, num. 3. vbi affirmat, materiae primae nullam posse inferri violentiam, *quia non inclinatur contra aliquid, cuius sit absolute receptiva*. appetit enim naturaliter omnes formas, sed hinc agimus de natura, vt opponitur contra violentum: sed materia nequit violentari; ergo nec dici natura. Quod secundo confirmari potest ex eodem Doctore in 2. dist. 18. quaest. 1. §. *arguitur*, num. 6. versic. *ad illud*, vbi asserit, nullam formam violententer posse generari in materia, quia omnes aequaliter appetit, & ad quamlibet formam inducendam in ea naturaliter inclinatur. Resp. quod etsi materia secundum indifferentiam radicalem non dicat connatum, nec formalem inclinationem ad formas; dicit tamen appetitum secundum potentiam formalem, vt diximus vbi supra, difficult. 2. artic. 5. Ad confirmationem resp. de per accidens esse ad rationem naturae quod possit pati violentiam, vel non, vnde materia prima, etsi quatenus appetit omnes formas, nullam possit pati violentiam, nihilominus erit natura distincta contra violentum, non violentum quod possit inferri ipsi, sed quod alteri potest inferri: sicut aer naturaliter est sub luce, tamen per ablationem lucis non potest pati violentiam, quia lux non habet contrarium quod possit ipsam expellere.

25.

Notanter de forma partiali inquirimus. nam certum est formam totius esse naturam, principiumque motus & quietis. Ratio dubitandi est pro parte negatiua, quia ex dictis art. 2. natura est principium passiuum motus & quietis: at forma quae est altera pars compositi, est purus actus, & in hoc distinctus a materia, quae est pura potentia subiectiua; ergo forma non est natura. A qua difficultate facile se expediunt, qui affirmant naturam dici de principio actiuo & passiuo.

Scotus vero in 2. distinct. 18. quaestione vnica §. *arguitur*, num. 6. affirmat formam secundum principium passiuum dici naturam. probat Scotus, quia forma non solum est actiuum principium, sed etiam passiuum, quia licet forma sit actus respectu materiae: tamen in se est principium receptiuum alicuius motus, quia passionem consequuntur ad formam tantquam ad principium passiuum, in quo subiectantur, & petra non secundum materiam, sed secundum formam mouetur naturaliter ad locum deorsum. Probat etiam ex Aristotele 8. lib. Physicorum, textu 23. & 28. vbi docet non viuentia non moueri a se actiue, se ab alio extrinseco, nempe a generante. quod ita intelligendum est, quod se ipsis passiuè moueantur ab intrinseco. Si vero actiue, hoc est, ab extrinseco, in quantum ab eo generante accipiunt suum esse intrinsecum, quod passiuè petit talem motionem: quomodo autem hoc fiat, dicemus alibi. Potest etiam haec sententia corroborari argumentis, quibus

Forma est natura quatenus principium passiuum.

Obiungit natura quod possit pati violentiam.

probauimus, naturam tantum dicere proprium passiuum, vt probemus formam esse naturam, non in quantum actiuam, sed in quantum passiuam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum priuatio sit natura?

26.
Sententia prima.

NEgat Sotus in presenti. Probatur primò, quia natura est principium & causa motus & quietis; priuatio tamen cum non influat in effectum, non est causa, etsi sit principium rei naturalis, vt diximus quaestione 4. ergo non est natura. Secundò priuatio est nihil; ergo non est natura.

Sententia secunda.

Albertus Magnus, Villalpandus, Toletus & Conimbricenses in hoc 2. libro affirmant. Et probant primò ex Aristot. lib. 2. *Physicorum*, cap. 1. vbi hæc ait, Forma itaque natura est: sed forma & natura dupliciter dicitur, etenim priuatio forma quodammodo est; ergo priuatio est natura. Probatur deinde ratione, quia priuatio est principium per se generationis in fieri: at generatio est motus; ergo principium motus per se, ac per consequens natura. Secundò, quia licet priuatio non sit generatio generationis; est tamen causa corruptionis, cum sit terminus ad quem eius, non positiuus, sed negatiuus; ergo propter hoc natura.

Vterior sententia.

Media via incedit Ruu. & ita affirmat priuationem esse naturam non vniuocè cum forma, & materia, sed analogicè; ideo non simpliciter, sed secundum quid. quod probant argumenta secundæ sententiæ, & auctoritas Aristotelis.

Ad primam sententiam resp. concedendo priuationem esse principium, & non causam, ex quibus so-

lùm infertur non esse propriè naturam, sicut nec est propriè entitas, sed priuatio entitatis: vt autem priuatio aequaliter dicatur natura, sufficit quòd sit principium, etsi non sit causa.

ARTICVLVS VII.

Vtrum anima rationalis habeat rationem natura?

QUamuis ex artic. 5. videatur sufficienter probari animam rationalem esse naturam, cum sit principium humani motus & quietis, tamen non desunt qui hoc dubitent, imò negent. hi sunt Simplicius in presenti, Albertus Magnus lib. 1. *Physicorum*, tractatu 1. cap. 2. & lib. de origine animæ cap. 9. Auicenna 1. sufficientiæ, cap. 5. Fundamentum est, quòd Aristoteles in hoc lib. cap. 1. diuisit naturam in subiectum & actum: sed anima rationalis neque est materia prima vt de se patet, nec actus, cum spiritalis sit, & ideo non possit informare materiam; ergo non est natura.

Secunda sententia affirmat animam rationalem, quatenus rationalem, esse perfectissimam naturam. tenet D. Thom. 1. part. quaest. 75. artic. 2. ad 2. & q. 72. artic. 1. & 1. de anima textu 1. Alexander, Valelius, Toletus, Conimbricenses, Ruu. & alij in presenti, Suar. tomo 1. suæ *Metaphysicæ* disput. 1. sect. 2. num. 17. Probant nonnulli, quia anima nostra vt rationalis, est principium motus naturalis eius in quo est, cum sit principium admirationis, risus, fletus, &c. ergo est natura, vt in presenti ab Aristotele definitur. Sed hæc ratio nulla est. nam ex dictis artic. 5. forma non est natura, quatenus actus, sed quatenus est subiectum receptiuum motus. Quod confirmari

27.
Sententia prima.

28.
Sententia secunda.

confirmari potest ex Aristotele 2. lib. Physic. cap. 7. ubi docet primum motorem non spectare ad considerationem philosophicam, nec esse physicam naturam, quia non est principium motus: sed negari non potest esse principium actuum, cum plures effectus, mediata & immediata producat; ergo eo solum quod careat principio passivo, quia transmutari non potest, à ratione physicae naturae debet excludi; ergo forma non est natura quatenus actus, sed in quantum receptiva alicuius motus. Alij secundò probant, quia anima rationalis est pars alicuius entis naturalis completi; ergo natura, quia natura completa, non nisi ex naturis componitur. Sed hoc argumentum solum probat animam rationalem esse partem compositi rationalis, & ut sic naturam incompletam; hoc tamen non probat esse formaliter naturam, cum ad hoc requiratur quod sit principium receptivum motus.

29.
Cōclusio
primā.

Dico primò, si per naturam intelligamus physicum principium motus & quietis substantialis, anima rationalis non est natura. Probatur, quia principium positum in definitione de principio passivo, ut saepius diximus, est intelligendum: sed anima rationalis cum spiritualis sit, nequit recipere aliquem motum materialem & corporeum, nec aliqua forma physica immutari; ergo nec erit natura. Unde quaest. 1. difficult. 1. artic. 3. diximus de Angelis per accidens agere physicum, & de anima rationali, solum quatenus actuat materiam, quia spiritualis est, & ideo proximè ad corpus naturale, seu physicum, formaliter nequit pertinere.

30.
Cōclusio
secundā.

Dico secundò, si per naturam intelligamus principium passivum cuiusvis motus, anima rationalis potest

dici natura, & sub hac definitione contineri, est enim receptaculum specierum intentionalium, & aliorum actuum, quibus etiam gaudet à corpore separata. Si autem istes, quod anima est pars compositi physici; ergo physica natura. Resp. esse partem physicam hominis, & consequenter naturam incompletam, non autem physicam naturam, quia est subiectum, cui accidentia materialia, & physica repugnant. sic venit intelligendus Philosophus cap. 1. huius libri, textu 10. & 11. ubi haec habet, *Vno igitur modo natura sic dicitur prima uniuscuiusque subiecta materia habentium in se ipsis principium mutationis, alio autem modo forma & species.* quasi dicat solum materiam in suo primario conceptu esse naturam, quia essentialiter est subiectum receptivum motus; forma autem & species, licet sint subiectum motus, hoc tamen aliter eis convenit, quia ex primaria & intrinseca ratione, & quatenus formae sunt, solum competit eius ratio actus, materiae & totius.

ARTICVLVS VIII.

Utrum forma totius dicatur natura.

Affirmant nonnulli recentiores, formam totius, qualis est humanitas, & huiusmodi alia, in rigore non esse dicendam naturam, nec in hac definitione comprehendi. colligunt ex Aristotele in praesenti, textu 11. ubi postquam dixit materiam & formam esse naturam, subdit, *quod autem ex his natura quidem non est, sed à natura, quam auctoritatem explicans Angelicus Doctor, asserit per eam excludi compositum, quia non est principium, sed principiatum.*

31.
Sententia
prima.

Sententia secunda. Alij dicunt formam totalem esse naturam, quia componitur naturis, non tamen comprehendi in hac definitione, quia motus non ei conuenit primò & per se, cum prius conueniat materiæ & formæ.

32. *Verior sententia.* Nobis tamen dicendum est, formam totius, seu totum compositum esse naturam, & sub definitione naturæ ab Aristotele tradita comprehendi. Fundamentum est quod natura est principium passiuum motus: sed in toto composito omnia accidentia subiectantur; ergo in ipso sunt plures motus, ac per cõsequens cum sit principium passiuum horum motuum, erit per se natura physica.

Obiectio. Obiiciet quod natura est principium motus per se, & non secundum accidens: sed totum compositum suis accidentibus accidentaliter mutatur; ergo nõ est natura. Resp. definitionem sic esse intelligendam, quod natura sit per se, & non accidentaliter principium passiuum motus: sed totum compositum per se est principium passiuum accidentium, cum ex eius potentia educantur; ergo est natura. Quando autem Aristoteles affirmat compositum non esse naturam, sed à natura, loquitur de natura, quatenus est principium passiuum motus substantialis, quod solum materiæ conuenit, cum ea solum sit subiectum transmutabile & materialiter causatum formæ substantialis: propterea Philosophus nõ dixit compositum esse à naturis, sed à natura, quia solum materia in hac acceptione potest existimari natura. Vnde text. 10. huius capituli primi, non negauit speciem esse naturam, sed alio modo, formam & speciem esse naturam, quam materia, vt explicuimus articulo precedenti.

33. *Motus cali est neuter.* Hic solet dubitari, vtrum cœli motus sit naturalis, vel neuter, vel vtrum

motus dicatur natura respectu circularis motus, de quibus agendum est in libris de Cœlo, vbi dicemus cum Doctore, motum cœli esse præternaturalem, vel neutrum. sic habet in 2. dist. 14. quæst. 2. §. *ad questionem*, & in 4. dist. 48. quæst. 2. §. *ad argumenta*, vers. *ad aliud*, num. 16. & dist. 43. q. 4. §. *intelligendum*, vbi potentiam neutram concedit. Et quæst. 1. prologi §. *ad questionem*, n. 10. & 9. *Metaphysicæ* quæst. 4. de quibus potest legi Faber, theoremate 63. Pitigianus 2. *Physicorum* in annotationibus quæstionis 4.

Etiam solet dubitari, vtrum ars possit efficere opera naturæ? Affirmant plures, vt videtur probari ex illo Exodi 7. vbi legitur Magos, aut sapientes Ægyptiorum quasdam serpentes per artem magicam produxisse, quas non esse apparentes, sed naturales, affirmant Augustinus & Glossa, estque communis sententia Doctorum; & confirmari videtur experientia. nam arte chymica ex metallorum commixtione verum aurum & argentum generatur.

Dicendum ergo est, artem non posse esse causam principalem effectus naturalis. Probat. nam effectus virtualiter debet in sua causa contineri, sed natura non continetur virtualiter in arte quatenus ars est; ergo. Ex quibus inferitur nec posse esse causam instrumentalem, tum quia nullum dari physicum instrumentum probabimus in 1. libro de generatione, vbi de his causis artificialibus latius tractabimus, & quæstione 13. difficultate 3. tum etiam, quia instrumentum physicum in schola quod admittitur, agit virtute suæ principalis causæ: sed ars non agit virtute naturæ, quia hæc vtitur instrumentis naturalibus; ergo.

34.
Art non potest principaliter opera naturæ attingere.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ respond. artem posse efficere opera naturæ, applicando actiua passiuus, vt disposita materia ab vniuersali causa forma introducatur, sic contingit, cum calore Solis & putrefactione ex luto generatur anguis, vel alia imperfecta animantia; spectat enim ad prouidentiam authoris naturæ, vt vltimò disposita materia non careat forma sibi debita, de quibus, vbi supra, hoc faciebant magicz incantationes dæmonum virtute, nemper per applicationem qualitatum disponere materiam, vt à causa vniuersali introduceretur forma, & nihil aliud arte chymica operatur.

nes ad Physicum & Metaphysicum, affirmat Doctor lib.9. Metaph. q.4. §. hinc sunt videnda, n. 2. pertinet enim ad Metaphysicū quatenus abstrahunt ab hac & illa materia, ab hoc vel illo motu; ad physicum verò quatenus contrahuntur ad naturaliatē, puta in quantum sunt, propter quæ aliquid habet esse naturale, vel in quantum propter illa modo naturali aliquid habet esse. Secundò notandum est, hinc solum esse sermonem de physica causa per se; quia hinc non intendimus agere de causa morali, quæ non immediatè, sed præcipiendo, suadendo, vel consulendo, attingit effectum.

Causarū consideratio pertinet ad Physicum & Metaphysicū.

ARTICVLVS I.

Quid sit causa per se.

QVÆSTIO II.

De causis per se in communi.

Hactenus egimus in hoc secundo libro de natura ex his, quibus conuenit eius definitio: nunc autem de causis oportet disputare. Circa quam quæstionem plura veniunt discutienda. Primum quid & quotuplex sit causa? Secundum vtrum omnis causa sit prior suo effectu? Tertium vtrum causalitas cuiusvis causæ sit respectiua, vel absoluta? Quartum vtrum omnis causa sit prior suo effectu.

DIFFICULTAS I.

Quid & quotuplex sit causa physica.

Causarum considerationem pertinere secundum diuersas ratio-

Cum causa per se nullibi à Philosopho definita fuerit, inde Philosophi diuersi, diuersas definitiones tradidere.

Prima definitio est Sancti Thomæ in hoc secundo libro, lectione 10. in in hunc modum. *Causa est ad quam sequitur esse alterius*, quam etiam tradit opusculo 31. & quæst. 10. de potentia art. 1. est etiam Seraphici Doctoris in 2. dist. 20. art. 2. Masij 2. Physicorum cap. 3. quæst. 2. Toleti ibidem quæst. 1. & Soti quæst. 3. huius libri. Hæc tamen definitio multis de causis non placet. Primò, quia etiam ad priuationem sequitur generatio, & nihilominus non dicitur causa generationis, & ad primum punctum lineæ sequitur lineæ. Item ad esse partis in diuinis sequitur esse filij, & ad esse vtriusque Spiritus sanctus, & tamen ad intra nulla est relatio causæ in diuinis; ergo. Secundò definitio debet explicitè ostendere naturam definiti, sed si huic definitioni non addatur quòd effectus sequatur per verum

2.

influxum, & sit natura, vel numero distinctus à sua causa. hæc definitio nõ magis cuius principio, quàm veræ causæ potest adaptari; ergo quantumvis velitis huius definitionis profunditatem eruere, semper erit diminuta. Itaque fatemur omnes de ratione causæ esse vt per verum influxum influat in effectum, & quod effectus saltim numericè distinguatur à causa. Tamen quis dicet, his verbis, *causa est, ad quam sequitur esse alterius*, sufficienter explicari influxum verum, & distinctionem inter causam & effectum. Nec hæc definitio, vt Thomistæ affirmant, in libro de causis continetur, vt legenti manifestè patebit.

3.

Conimbricenses hâc cap. 8. quæst. 1. art. 1. quos sequitur Fonseca 1. Metaph. cap. 7. quæst. 1. sect. 3. sic causam definiunt, *causa est id, à quo aliquid per se pendet*. Suarius 1. Metaphysicæ disp. 12. sectione 2. num. 3. sic eam definit, *causa est principium per se influens esse in aliud*. Vtraque definitio idem significat, prima à posteriori, secunda à priori. nam effectum dependere à sua causa, inde prouenit quod ab ea per verum influxum procedit, principiumque per verum influxum producere, quia producit effectum, dissimilem saltim numericè in natura & à principio dependentem. Sic ergo clariùs causa definiri potest, *causa est principium per se influens esse in aliud, cum dependentia effectus à causa*. principium ponitur loco generis, in quo causa cum aliis principiis, quæ causæ non sunt, communicat. Reliqua ponuntur loco differentie. per *ly influens*, distinguitur causa à priuatione, puncto & instanti, quæ licet sint principia, non influunt. *ly per se*, excludit causas per accidens,

Definitur
causa ex-
sist.

quæ licet influant in effectum, tamen non per se & immediatè, sed mediatè per aliud. *ly in aliud*, denota effectum habere naturam realiter distinctam à causa, quod magis explicatur illis verbis, *cum dependentia effectus à causa*. quibus excluditur Pater respectu filij, & vterque respectu Spiritus sancti, quia quamuis filius generetur à Patre, & Spiritus sanctus vb vtroque procedat, tamen cum hoc non fiat per verum influxum, & eadem numero essentia tribus diuinis personis communicetur, nulla est in diuinis processionibus dependentia, nec ratio causæ respectu diuinarum personarum.

Obiicies hac definitione non satis explicari, Patrem æternum non influere in filium, vt in effectum, quia licet hoc verum sit, tamen non explicatur per definitionem causæ. nam inquirentibus, quare Pater non est causa filij. Respondebimus, quia non influit in illum vt in effectum. Sed tunc vterius poterit inquiri, quid sit influere vt in effectum; ergo non satis explicatur natura causæ. Respond. in hac definitione solum definiri causam vt sic, vnde cum definitio ista nequeat personis diuinis conuenire, infertur optimè, non causare ad intra. Cur autem istæ personæ non influant, nec causent, hoc examinant Theologi in materia de Trinitate. Cum autem dicis, quod inquiri poterit, quid sit influere? Resp. idem inquiri posse de omnibus definitionibus essentialibus. nam si inquiratur, Quid est homo? optimè respondebimus, est animal rationale. Si autem vterius rogetur; Quid ergo est esse animal rationale? nihil aliud respondere poterimus, nisi ani-
mal

4.
Obiect.

mal rationale, quamvis à posteriori, & per effectus istam quidditatem explicare possumus. Sic cum dicimus, causa est quæ per se influit in aliud, & interrogatur, quid sit influere, solum à posteriori possumus explicare, cum dicimus in eadem definitione cum dependentia effectus, nam effectus dicit dependentiam à sua causa, & causa per se influens denotat necessarium effectum dependentem, quod diuinæ generationi, aut Spiritus sancti processioni convenire repergnat.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit causa per se.

5.
Quatuor
sunt cau-
sarum
genera.

5. **C**ommunis Peripatheticorum consensus quatuor genera causarum cum Philosopho admittit, efficientem scilicet, finalem, materialem & formalem. tenet Philosophus in hoc libro, cap. 3. & 7. & 5. Metaph. cap. 2. & probatur hac potissima ratione, compositum naturale cum non fiat per creationem, hæc enim soli Deo competit, sed per generationem, non potest ex nihilo fieri, cum ex nihilo naturæ vis & efficacia nihil faciat; ergo debet fieri ex aliquo præsupposito subiecto: sed hoc subiectum est materia; ergo. Rursus, materia est pura potentia subiectiva carens omni actu formali, & pars incompleta compositi; ergo debet actuari & compleri per aliud, hoc est, forma; ergo ultra causam materialem aliam formalem debemus admittere. Item omne ens creatum est ab alio, & solus Deus à se; ergo ultra causas dictas debemus admittere efficientem. Tandem omne efficiens de-

bet operari propter aliquem finem à se, vel ab auctore naturæ præstitutum; ergo causæ materiali, formali & efficienti, aliam quartam, nempe finalem debemus adiungere: sed nulla alia causa desiderari potest ad complementum physici compositi; ergo.

Sed petes primò, an omnia ista membra verè & formaliter participant rationem causæ diuisæ? Respond. affirmatiuè, quia vnaquæque causa in suo genere est principium influens in aliud, materia enim & forma ita dant esse composito, vt ex eis tanquam ex partibus essentialibus intrinsecè coalescat: vnde causæ intrinsecæ & essentielles dicuntur. Efficiens etiam per se influit in effectum, ita vt ei communicet verum esse existens & actuale, quod antea non habebat. De fine poterit rationabilius dubitari, cum non præsupponatur existens ad effectum, contingit enim, quòd aliquando à rebus solum possibilebus ad operandum moueamur: sed causa debet supponi existens ad effectum; ergo. Respond. hoc peculium esse causæ finalis, quòd sufficiat eius existentia obiectiva vt causare possit, de quibus inferius quaest. 10.

6.
Qualibet
quatuor
causarum
est vera
causa.

Obiicies primò contra conclusionem, quòd causa disposita est vere causa, & tamen sub nulla istarum continetur; ergo diminuta est diuisio.

Obiectus
prima.

Respond. reduci ad efficientem, nam dispositiva etiam producit suos effectus, vel formaliter, vel efficienter, vel proprius ad materialem, quoniam dispositio quatenus dispositio semper se tenet ex parte materiae.

Obiicies

*Obiectio
secunda.*

Obiicies secundò obiecta causare suos actus; ergo debet multiplicari aliud genus causarum. Respond. obiectum habere rationem motiui & terminatiui. secundum priorem rationem est vera causa efficiens, siue speciei impressæ, siue expressæ, vt vult Doctor quodlibeto 13. & in 3. dist. 27. quæst. 1. in 2. verò acceptione & quatenus terminat, alij reducunt ad causam finalem; quia potentia & actus in illud vt in finem tendunt, alij ad formalem extrinsecam, quatenus extrinsecè specificat actus, de quibus alibi, Deo dante, probabilius est, neque esse propriè causam formalem, nec finalem, quia non influit per se in effectum.

7.
*Obiectio
tertia.
Causa
exemplaris
non
differt ab
efficienti.*

Obiicies tertio, exemplar, vel ideam esse veram causam & à prædictis distinctam; ergo. Respond. Doctor in 1. dist. 2. quæst. 2. §. *ad primam questionem*, num. 10. causam exemplarem non esse aliud genus causa ab efficiente, quia tunc essent quinque genera causarum, vnde causa exemplaris est quoddam efficiens, quia agens per intellectum distinctum contra agens per naturam, & dist. 36. q. 1. §. *contra ista*, vers. *Præterea*, n. 5. vbi hæc habet, quod attribuat alium effectum causa exemplari, & alium causa efficienti, non videtur probabile, quia causa exemplaris non est nisi quoddam efficiens. efficiens enim diuiditur in efficiens per intellectum, siue propositum, & efficiens per naturam secundum Philosophum secundo *Physic.* Sicut igitur naturaliter produciens non est alia causa ab efficiente, ita nec exemplaris, nec exemplariter produciens: & ita idem est effectum, & exemplariter productum, alicuius intelligentis, in quantum est intelligens, & in quantum exemplaris. Idem habet quodlibeto 16.

Quod probatur etiam ex Aristotele 7. *Metaph.* dicente, quod sanitas

externa, & externa domus, effectiue fiant à sanitate, quæ est in mente Medici, & à domo quæ est in mente artificis. & 1. *Metaph.* ait statuarium esse causam per se statuæ per artem, quam vt talis habet: sed ars non est principium efficiens statuæ nisi per ideam; ergo ex Aristotele exemplar, quo medio operatur ars, spectat ad causam efficientem.

Sed insurges, quod Aristoteles hic inter causas formales enumerauit exemplar; ergo. Respond. quod exemplar licet respectu effectus producti ab artifice sit efficiens, est tamen forma ipsi artifice, quem formaliter constituit in ratione agentis artificiosi. Quod si respectu exemplatæ rei vocatur forma, non est ob causalitatem formalem in illam, sed quia illam continet per modum imaginis, in esse representatiuo, & omnes imagines solent dici formæ rei representatæ, de quibus q. 15.

DIFFICULTAS II.

Utrum omnis causa sit perfectior suo effectui.

Hæc difficultas intelligi potest de causis intrinsicis, & extrinsecis. Rursus de intrinsicis partibus simul sumptis & vnitis, vel seorsim sumptis.

ARTICVLVS I.

Utrum partes vnite sint perfectiores aequalis cum composito.

Notanter de partibus vnitis & actualiter causantibus solum inquiritur, vtrum sint æqualis perfectionis cum composito. nam certissimum est totum compositum perfectius

ARTICVLVS II.

Utrum causa efficiens sit perfectior suo effectu.

fectius esse materia, vel forma, cum utramque partem unitam includat, & singulæ partes mutuo se excludant. De partibus ergo unitis respectu totius exquiritur, utrum sit æqualis perfectionis.

9. Resp. affirmatiuè, hanc sententiam expresse debent admittere omnes auctiores, qui affirmant, totum non esse aliud à suis partibus unitis. Item & nos qui fatemur totum à partibus unitis, & non causantibus, solum distinguui tanquam includens & inclusum, quatenus totum includit actuales causationes partium, quas materia & forma unitæ non includunt, de quibus egimus quæst. 6. difficult. 1. art. 2. Fundamentum est primò, quia effectus omnem perfectionem habet à sua causa, nihil enim est perfectum à se, sed totum causatur à materia & forma, simul sumptis & unitis; ergo totum non addit aliquam perfectionem, quam partes unitæ saltem virtualiter non contineant. Omnis enim adæquata causa nequit esse imperfectior suo effectu, ut optime probat Doctor in 4. dist. 12. quæst. 3. §. *secunda conclusio*, num. 13. Secundò totum per nos solum est suæ partes unitæ & actualiter causantes; ergo æqualis est perfectionis cum ipsis, quatenus actu causant.

Obiicies, totum esse aliud à suis partibus; ergo aliquam perfectionem dicit distinctam à partibus. Resp. totum distinguui à partibus unitis, & aliquam perfectionem includere, quam ipsæ non includunt, nempe causationes actuales: totum autem physicum non debet comparari cum partibus utcumque, sed ut influunt in effectum,

& connotant causationem, ut

sic enim æqualis sunt

perfectionis.

* * *

Causam efficientem in uniuersam & æquiuocam distinguimus, nec mentionem facimus instrumentalis causæ. nam licet concedamus causas instrumentales, dicimus tamen, secundum quid dici instrumentales, vel quatenus disponunt ad effectus perfectiores, vel quatenus subsunt concursui alicuius superioris causæ, hæc enim instrumenta causare semper uniuocos effectus, & æqualis perfectionis, dicemus quæst. 13. difficultate 3.

Dico primò. Causa æquiuoca perfectior est suo effectu. Probatur. nam ea dicitur æquiuoca causa, saltem adæquata, quæ plures effectus specie distinctos potest producere sibi in specie dissimiles. sic sol dicitur æquiuoca causa caloris & siccitatis, & intellectus huius, vel illius intellectio nis: sed sol & intellectus perfectiores sunt intellectioibus & calore, cum sol & intellectus sint substantiæ, calor autem & intellectio accidentiæ; ergo.

Obiicies, intellectioem esse perfectiorem specie impressa, & nihilominus hæc est causa æquiuoca illius; ergo. Resp. esse æquiuocam partialem, non totalem. Vnde non mirum quod coniuncta cum perfectiori, nempe cum intellectu possit effectum se perfectiorem producere, ut optime notauit Doctor in 1. dist. 3. quæst. 7. §. *ad argumenta*, verfic. *istam conclusionem*, num. 25.

Propterea notauit Doctor in 2. dist. 32. quæst. vnica, §. *circa tertium*, num. 6. inter æquiuocas causas difficillimè posse ingeniri circulum. Ratio

10.
Conclusio prima.

Obiectio prima.

tio est, quia cum causa æquiuoca sit suo effectu perfectior, raro contingere potest quod aliqua entitas recipiat effectum imperfectiorem producente, & quod habeat virtutem producendi alium effectum, cuius prima causa sit capax.

II. *Conclusio secunda.* Dico secundò, causa vniuoca est æqualis perfectionis cum effectu. Probatur, quia causa efficiens vniuoca est quæ producit effectum sibi similem in specie. v.g. ignis generat vniuocè ignem, & leo leonem: sed omnia indiuidua eiusdem speciei, æqualis sunt perfectionis essentialis; ergo. Confirmatur, omnis causa continet in virtute effectum, aliàs ipsam attingere non posset, vt de se patet: sed agens vniuocum producit suum effectum; ergo illum in virtute continet: at imperfectum nequit continere perfectius; ergo causa vniuoca ad minus æqualis est in perfectione cum effectu.

Obiectio prima. Obiicies Augustinum, lib. 83. quæstionum, quæst. 2. vbi asserit, omne quod fit, ei à quo fit, par esse non posse. Resp. certum esse inter causam & effectum aliquam esse inæqualitatem. nam causa in hoc excedit effectum, quod iste ab illa, ea autem ab illo non præcedit, & in hoc sensu loquitur Augustinus.

Obiectio secunda. Obiicies secundò, plures causas imperfectiores, effectus perfectiores attingere, v. g. animalia imperfecta quæ ex putrefactione generantur, &c. Resp. putrefactionem non esse causam effectiuam animalium, sed solum dispositiuam, illæ enim formæ à prima causa, seu authore naturæ, iuxta dispositionem vltimam materiæ ex ea producuntur, & generantur.

..*

DIFFICULTAS III.

Vtrum causalitas cuiusuis cause physica sit absoluta, vel respectiua.

Notanter de causalitate inquiremus, nam certum est quod causa quatenus præcedit actualem causationem, quid absolutum est, saltem secundum esse, etsi de connotato includat aliquem respectum secundum dici, vt expressè docet Doctor in 2. dist. 1. q. 2. §. *quantum ad istum*, num. 8. vers. *& quando arguitur*, & alibi sæpius, vt dicemus infra. Solum est difficultas vtrum causa quatenus causans, & origo actualis sui effectus, vel quatenus subest actuali causationi, seu est fieri effectus, sit aliquid relatiuum, vel absolutum.

ARTICVLVS I.

Explicantur aliqua authorum placita.

Aliqui recentiores Scotistæ affirmant, causam physicam influere in effectum, seu actualiter causare per aliquam relationem mediam inter causam & effectum, ita quod hæc relatio sit formalis causalitas causæ. hanc sententiam colligunt ex Doctore in 4. dist. 13. quæst. 1. §. *ad huius autem*, num. 5. vbi loquens de causalitate efficientis, qua formaliter dicitur produciens, docet esse relationem secundum esse, pertinentem ad tertium prædicamentum. Confirmari potest, quia causalitas ista non est qualitas, neque quantitas, neque aliquid ex sex vltimis prædicamentis; ergo debet esse aliqua relatio. Confirmari potest etiam ex eodem Doctore, theoremate 22. num. 19. vbi asserit,

12.

Sententia prima.

rit,

rit, causalitatem materiae & formae esse relationes, & 9. Metaphysicæ q. 4. §. sciendum, num. 5. ubi etiam affirmat causalitates utriusque partis includere relationem; ergo causalitas formaliter, seu constitutum causationis, est relatio.

13.
Refelli-
tur.

Sed fateor, me nunquam intelligere potuisse qualiter causatio alicuius absoluti, mediante relatione fieri possit. tum quia relatio ista causae ad effectum est intrinsecus adueniens, ut docet ibidem Doctor §. si ergo, n. 11. ergo debet resultare necessario ex positione fundamenti & termini: sed terminus est effectus secundum esse absolutum; ergo praesupponitur ad istam relationem tanquam causa ipsius, & consequenter ista relatio talem effectum causare non poterit: si autem dicas esse relationem extrinsecus aduenientem, non fugis difficultatem. nam vel haec relatio resultat ex fundamento & termino, & hoc non, ob rationem supra dictam de relatione praedicamentali: vel produceretur per motum, & hoc etiam implicat, cum causalitas non causetur, nec ad actionem sit actio. Nec Doctor ubi supra intendit relationem istam esse causalitatem, sed quod resultet in causa ex positione absoluta effectus: sicut pater non producit filium per relationem paternitatis, sed per potentiam generatiuam, ut docet Doctor de agente creato, vers. ad quintum, num. 26. tamen denominatur pater per relationem resultantem. Si autem obiicias eundem Doctorem, §. ad argumenta, versicul. ad secundum, n. 23. ubi ita habet: *Necesse est dicere creationem creature non esse passionem de genere passionis, sed relationem proprie dictam*; ergo. Resp. quod ibi Doctor, ut manifestè colligitur, loquitur de creatione passiva, quae

necessario connotat relationem terminatam ad Deum creatorem, propterea dicit, creationem in ipso Deo esse formaliter relationem rationis, & hanc esse mentem eius inferius magis patebit.

Ad fundamentum respondetur relationem non esse de genere actiuorum, & ita nec est actio, nec causalitas, sed forma resultans in causa ex positione causati. Cum autem dicis, hanc causalitatem nec esse quantitatem, nec qualitatem. Resp. esse formam in fieri, ut tendit ad factum esse.

Obiicias, quod in diuinis generatio filij, est relatio; ergo in creatis. Resp. hoc ideo esse, quia genitum est intrinsecè relatiuum, effectus tamen creatus, cum sit intrinsecè absolutus, & esse genitum istius effectus absolutum sit, nequit per relationem fieri. Quod argumentum nostram sententiam confirmat. nam sicut in diuinis filius generatur à Patre, & inter Patrem & filium nihil intelligimus mediare, sed entitatem intrinsecam filij per generationem procedere, cur etiam non dicemus, entitatem absolutam effectus immediatè à sua causa procedere. Quod autem postea resultet relatio, hoc inde est, quia extrema sunt capacia formalis dependentiae, sicut de relatione identitatis & paternitatis diximus in Logica q. 16. difficultate 3.

14.

Alij recentiores affirmant causam in actu primo solum dicere in recto entitatem propriam, connotare tamen in obliquo causalitatem, actionem scilicet, aut passionem, quae tendit in terminum causandum. Vnde consequenter affirmant causam formaliter, & in recto includere respectum quendam secundum dici, quatenus respicit & connotat effectum in quem tendit,

15.
Sententia
secunda.

tendit, in obliquo tamen connotare relationem quandam transcendentalem, nempe causalitatem. Fundamentum huius sententiæ est, quod potentia generatiua & spiratiua Dei constituuntur in recto, per aliquid absolutum, & relatiuum secundum dici, & in obliquo connotant veram relationem, & potentia creatiua non dicit respectum in recto, vt ex Doctore diximus suprâ, & cum communi sententia affirmat Vasquez tomo primo in primam partem, disp. 104. cap. 6. ergo idem debet dici de causis creatis. Alia argumenta artic. 3. obiiciemus.

Hæc autem sententia plura inuoluit, quæ veritatem non continent. Primò relationes secundum dici, à transcendentalibus differre, quod impugnauimus in Logica quæst. 16. difficultate 2. vbi diximus, relationes transcendentales, seu secundum dici, formaliter ab entibus absolutis differre, & necessariò connotare terminos saltem possibiles, vnde in tractatu de omnipotentia dicemus, omnipotentiam Dei non esse relatiuam transcendentalem. quia, etsi creaturæ omnes repugnarent, nihilominus Deus esset omnipotens. hac de causa Suarez 2. Metaphysicæ disp. 47. num. 9. ait probabilius esse Deum non dicere relationem transcendentalem ad creaturas, quia eius esse non dependet à possibilitate creaturarum, & nos ponimus relationem inter materiam & formam, quia nequit intelligi potentia passiuæ materiæ sine ordine ad actum formalem, sicut nec potentia & actus sine ordine ad obiectum, & accidens sine ordine ad subiectum, completè & quietatiuè; falsò ergo distinguunt isti authores relationes secundum dici distinctas à transcendentalibus.

Secundò falsò asserunt, causam posse dici actualiter causantem, per connotationem causalitatis, quæ est relatio transcendentalis. quod sic probo. Nam actio est actus secundus superadueniens & cõtingens in tempore entitati causæ; ergo non potest constituere causam in actu primo causantem. Probo consequentiam. Actus secundus supponit actum primum: sed, quod est posterius, nequit cõstituere suum prius; ergo causalitas non poterit esse actus primus causæ.

Terridò, omnis forma denominar subiectum in quo est: sed causalitas non est in causante, sed fluit in effectum; ergo non potest in actu primo constituere causam.

ARTICVLVS II.

Explicatur verior sententia.

Sententia Doctoris est, causam non constitui in actu primo, causantem per aliquam relationem, secundum esse, vel secundum dici, sed ad absolutum in causa sequi absolutum in effectum, tenet expressè in 2. dist. 1. quæst. 2. §. *Quantum ad istum articulum*, num. 8. perspicuè his verbis, & quando arguitur contra istud per illam rationem, quod oportet habitudinem nouam aliquam naturaliter precedere, in producente ad productum, & non e contrario, dico, sicut dictum est distinctione 35. primi, & alias frequenter, quod ad absolutum in causa immediatè sequitur absolutum in effectum: & in effectum primo consequitur respectus ad causam, & tunc si aliquis est respectus causa ad effectum, ille respectus ad effectum est vitimus, & aliquando nullus. Cum igitur dicis, quod quia causa dat esse; ideo effectus recipit esse, & non e contrario. Dico quod si intendas per ly quia, redupli

Ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectum.

reduplicationem relationis in causa, vel aliquam realitatem novam in causa, siue relativam, siue absolutam, propositio est falsa. Si autem intelligas reduplicare actum primum causa, qui praecedit naturaliter causatum; illo modo propositio est vera, absolutum enim in causa praecedit naturaliter causatum.

Et si dicas quod non tantum, quia est absolutum, causat, quia similiter tale est, scilicet absolutum quando non causat.

17. Dico quod in illo instanti, in quo causat, adhuc causat ut prius naturaliter ipsa causatione, & ut sic nihil intelligitur nisi absolutum, à quo ponitur ipsum causatum in esse, & ideo nihil potest accipi, cum hoc causa huius quod est, causari, nisi illud sit prius, nec respectu huius instantis, nec respectu alterius. Fallit autem imaginatio, quia semper videtur quod causa sit indeterminata, usque ad illud instans quando causat, & tunc quod aliqua relatio determinans ipsam ad effectum primo requiratur à parte eius, quod falsum est, illud enim idem absolutum, quod in causa praecessit, tam natura, quam duratione ipsum effectum productum, vel causatum, est etiam in ea in illo instanti prius naturaliter quam causet: & secundum illud absolutum, secundum quod prius fuit causatum, est nunc causans, & non secundum aliquid additum, neque absolutum, neque respectivum. Idem habet in 2. distinct. 16. quaest. 1. §. alij dicunt, veris. contra, num. 13.

Si autem instes quod causa siue naturalis, siue libera, transit de non operante in operantem; ergo aliquid ponitur ex parte principij quod sit causandi ratio. Probo consequentiam; quia non potest esse transitus de contradictorio in contradictorium, sine aliqua mutatione: sed causa transit de non causante actualiter, in causantem; ergo respondet Doctor ibidem, Ad secundum patet per

idem, quia causa aequè determinata, ad producendum aliquod productum, quantum est ex parte sui, potest quandoque producere, & quandoque non producere. quia sicut in naturalibus causam determinari ex parte sui, est ipsam habere formam qua causet: ita in liberis, causam esse determinatam est ipsam habere volitionem respectu volibilis. & sicut ibi forma haberi potest, antequam effectus causetur, si tunc est impedimentum extra, vel absentia passi; ita quoque hic potest volitio haberi, antequam volibile habeatur, & prius natura & duratione.

Unde ut causa, quæ antea non causabat, modò causet, non est necessarium, quod aliquid de nouo recipiat; sicut ad hoc quod aliquod extremum aliter se habeat ad extra, non est necessarium quod intrinsicè, sed sufficit quod extrinsecè mutetur; ideo si causa necessaria nunc causat, & antea non causabat, ideo est quia approximatur passum, vel aliquod aliud impedimentum auferitur, quod in causis materiali & formali manifestè cognoscitur. nam ideo forma actualiter non informat, & materia non patitur actualiter, quia non vniuntur ut causent: unde non alia ratione anima rationalis, separata à corpore, non constituit hominem, nisi quia separatur à corpore, & hac etiam de causa ignis non producit ignem in ligno, quia non approximatur. quod si in debita distantia applicetur materia, sine vlla sui ipsius mutatione effectum producit: si autem causa sit libera, se ipsam determinat, & ideo libera existimatur. Mutatur tamen vtraque causa ab extrinsecò, quia ex productione effectus resultat relatio causæ ad affectum, vel agentis ad passum, de quibus in 3. libro erit disputatio, & q. II. difficult. 4. art. 2.

18.

19. Ex quibus aduertere oportet, aliud esse inquirere per quid causa causet, aliud verò per quid formaliter denominetur causa.

Conclusio prima. Dico ergo causare per entitatem absolutam, quæ licet includat respectum formaliter distinctum, quatenus dicit ordinem ad effectum, quem virtute continet, in se quid absolutum est.

Conclusio secunda. Secundò dico causam formaliter dici causam, non per connotationem aliquam extrinsecam, quia ut sic solum extrinsecè diceretur causa, sed per relationem quandam intrinsecus aduenientem, quæ in ipsa subiectatur, & terminatur ad effectum.

ARTICVLVS III.

Verum cuiusvis causa causalitas realiter distinguatur à suo principio.

20. **H**Anc difficultatem non possumus exactè examinare, nisi specialiter de quauis causa disputemus, quod commodiùs fiet, cum de eisdem in particulari fiat sermo. Nunc autem breuiter dico, cuiusvis causæ, siue intrinsecæ, siue extrinsecæ, causalitatem à suo principio realiter distingui, quod euidenter probat Suarez, primo tomo Metaphysicæ disput. 12. sect. 2. num. 11. quia causatio & causalitas in communi, nihil aliud est quàm influxus, seu concursus, quo vnaquæque causa in suo genere actu influit esse in effectum: sed iste influxus suis causis contingit, quandoquidem causa potest esse quin actualiter influat, ut patet de anima rationali, & materia prima, si diuinitus separaretur à subiecto. Item in causis efficientibus. nam ignis aliquando causet, aliquando non, ex defectu ma-

teriz; ergo istæ causalitates à suis principiis realiter distinguuntur. Probo consequentiam, nam ex sæpiùs dictis nullum argumentum efficacius probat distinctionem realem, quàm separabilitas extremorum.

DIFFICULTAS IV.

Verum omnis causa sit prior suo effectui.

ARTICVLVS I.

Explicatur, quid per prioritatem intelligamus.

DE prioritatibus nonnulla diximus in Logica quæst. 6. difficultate 1. art. 1. & quæst. 18. difficult. 2. art. 1. vbi cum Aristotele in postprædicamentis quinque prioritatum genera explicuimus, videlicet, temporis, consequentiæ, ordinis, dignitatis, & causalitatis. Ex quibus solum prioritatem temporis, originis, ordinis & causalitatis explicabimus, hæ enim ad negotium præsens tantum pertinere possunt. Prioritas temporis ex mente Philosophi vbi suprà, est prioritas durationis, quando vna res tempore antecedit aliam: ut, Aristoteles est prior Cicerone. huius prioritatis meminit Doctor in 2. dist. 3. quæst. 4. §. *contra istam conclusionem*, n. 6. versic. *præterea*, ibique affirmat, quòd ut aliqua dicantur duratione priora, non est necessarium, quòd existant sine posteriori, sed sufficit ut quantum ex se est, sine posteriore valeant existere, vnde si Deus vnica actione substantiam accidentibus vestitam crearet, nihilominus diceretur prior duratione accidentibus, quia quantum est ex se, potest sine eis existere. Vnde optimè

21.
Quinque sunt prioritatum genera.

Quæ sit prioritas temporis.

mè notat in 2. dist. 1. quæst. 3. versic. *omittendo*, num. 19. priora non debere prius duratione inesse alicui, quàm posteriora. Idem habet in 1. dist. 28. quæst. 3. §. *ad questionem*, num. 8. & probat ex Philosopho 5. Metaphysicæ textu 16. quam veritatem ex D. Augustino probat Vasquez tomo 2. primæ partis disput. 167. num. 8. est communis sententia.

22.

Observandam tamen est prioritatem durationis non requirere vtriusque extremi existentiam; sed sufficere si vnum extremum existat, & aliud nisi impediretur, posset existere. Unde natura prior duratione dicitur gratia & carentia eius, vel subiectam prius albedine, quia potest esse sub ea, vel sub eius priuatione, quod notavit Doctor in 3. distinct. 3. quæst. 4. §. *si autem*, versic. *sed si obiicias*, num. 17.

23.

Quid sit prioritas ex natura rei seu realitatum.

Alia est prioritas realitatum, quæ est inter realitates formaliter solum distinctas, seu ex natura rei. hanc esse per intellectum, communiter docent Thomistæ, & esse realem, seu in re, dicemus cum Doctore in Metaphysica. hæc prioritas est in duplici differentia, & est quando fit comparatio inter prædicata superiora & inferiora, quia à superiori ad inferius non valet consequentia. hæc dicitur prioritas in subsistendi consequentia. huius meminit Doctor in 1. dist. 7. quæst. 1. §. *ad aliam*, versic. *cum igitur*, num. 24. vbi docet quod prius secundum consequentiam, non semper est prius secundum causalitatem. Exemplum est manifestum. nam etsi bene inferatur, est ignis; ergo calidus. non tamen econtra; ergo caliditas est prior igne secundum subsistendi consequentiam, posterior tamé quia causatur ab igne. Secundò contingit hæc prioritas inter conceptus æquè vniuersales, aut singulares, quando vnum est radix

alterius, v.g. essentia respectu passionum, humanitas, seu natura communis respectu suæ singularitatis, de quibus loquitur Doctor in 2. dist. 3. quæst. 6. §. *ad questionem*, num. 10. vbi fatetur naturas vniuersales metaphysicas, priores esse singularitate, non tamen duratione, quia nequeunt existere extra singularitatem.

24.

Quæ sit prioritas originis.

Tertia est prioritas originis, quam aliqui Theologi non prioritatem, sed ordinem vocant, & est, quæ vnum principium concipitur: vt origo alterius & in re, est tale, sed cum omni moda similitate temporis, naturæ & existentia, implicat enim principium hoc esse sine ea re, cuius est principium. Has prioritates originis esse inter diuinas personas, docet Doctor in 1. dist. 28. quæst. 4. §. *ad questionem*, n. 8. & in 4. dist. 13. quæst. 1. §. *ad argumenta*, versic. *ad quartum*, num. 24. Ratio huius est, quod Pater est principium à quo est filius, Pater autem non est à filio.

Obiiciens quod Pater & filius sunt relativi: sed relativi sunt simul natura, tempore & cognitione; ergo improprie pater dicitur vilo modo filio prior. Respondet Doctor in primo vbi supra, versic. *nec est difficultas alia. quod simultas relativorum, quæ dicuntur esse simul natura, est ista, scilicet non posse esse sine se inuicem sine contradictione, si sint relativa mutua. nam vna relatio non potest esse sine termino, quia si posset esse sine eo, esset ens ad se: pari ratione nec relatio alia sibi correspondens potest esse sine isto termino, quia tunc esset ad se. igitur istæ duæ relationes, quando sunt mutua, non possunt esse sine se inuicem absque contradictione. Omne autem prius naturæ potest esse sine contradictione, sine posteriori, ita quod si ponatur, hoc esse sine illo, non est contradictio, sicut patet per Philosophum 5. Metaphysicæ textu 16. cap.*

cap. de priore. isto modo concedo personam primam, & secundam non posse esse sine se inuicem absque contradictione, & non est contradictio ex aliquo extrinseco, sed ex formali ratione istarum personarum. Et tamen cum hoc fiat prioritas originis, quod una sit ab altera, quod declaratur primò, quia si Sortes sit pater Platonis, Sortes non intellectus ut subiectum paternitatis, sed ut sub paternitate, & Plato intellectus ut sub filiatione, ista sunt simul natura; quia sic intelliguntur ut correlatiua: & tamen ut sic Sortes est prius origine, quam Plato, quia sic intelligitur sub paternitate, quae est formaliter prioritas originis; ergo videtur quod eodem, quo aliquid est prius origine in creaturis, est simul natura cum eodem, eo modo quo simultas natura requiritur ad correlatiua. Hoc autem ibidem confirmat Doctor quodam exemplo. nam duae species quae sub eodem genere militant inaequalis perfectionis, perfectior quatenus perfectior, dicitur prior minus perfecta, ex Philosopho 9. Metaphysicæ cap. 7. textu 15. hæc tamen species mutuo se respiciunt. En qualiter vna est prior alia, etsi quatenus eadem & relatiuæ sint simul.

25.
Quid sit
prioritas
causalitatis.

Quarta prioritas est causalitatis, seu influxus, & secundum hanc causa prior dicitur causato, quia causatum est à causa, hæc autem non est à causato.

ARTICVLVS II.

Respondetur titulo difficultatis.

Soncinas 5. Metaphysicæ quæst. 7. affirmat causam non esse suo effectu priorem. Fundamentum est, quod causa & effectus sunt formaliter relatiua: sed hæc sunt simul natura & cognitione; ergo.

Dico primò, si causa consideretur quatenus est principium sui effectus, prior est ipso, non prioritate in quo, seu durationis, ita vt necessariò debeat existere sine effectu, sed prioritate à quo, seu causalitatis. Probat. nam causa quatenus causa influit in effectum; ergo iste est à causa: sed hæc non est ab effectu; ergo est prior ipso, prioritate causalitatis. quod explicuimus artic. præcedenti dum loqueremur de prioritate originis.

26.
Conclusio
prima.

Dico secundò, si causa consideretur quatenus relatiua & formaliter respiciens suum effectum, est simul ipso tam natura, quam duratione. Probat. quia relatiua sunt simul natura, tempore & cognitione, ex Philosopho, vt probauimus sæpiùs. legatur Doctor lib. 9. Metaphysicæ q. 7. num. 3.

27.
Conclusio
secunda.

Obiicies primò quod causa potest esse secundum esse absolutum sine suo effectu; ergo non solum est prior natura & à quo, sed duratione. Probo consequentiam, quia hæc est definitio prioritatis durationis; ergo. Resp. prioritatem durationis bene posse inueniri in naturis causantibus, imò hoc semper contingit, quia omnis causa secundum esse absolutum potest esse sine suo effectu, quod in causis efficientibus naturaliter contingit, in materiali autem & formali saltem diuinitus accidere poterit; tamen hæc prioritas non est propria causæ quatenus causa est, hæc enim constituitur in esse causæ per prioritatem à quo, omnis quippe causa quatenus causa est, à qua procedit effectus, & hæc sola sufficit vt causa prior existimetur effectu, alia verò contingit.

Obiectio
prima.

Obiicies secundò, totum esse perfectius suis partibus; ergo prior ipsis; ergo effectus est prior sua causa. Resp.

Obiectio
secunda.

ex dictis supra inter eadem extrema, secundum diuersas considerationes inueniri posse prioritatem, simultatem & posterioritatem: totum autem est prius secundum perfectionem suis causis, posterius tamen ordine causalitatis, seu quatenus effectus.

Obiectio
1111.

Obicit tertio Soncinas, quod posterius distinguitur realiter à priori, & ab eo potest separari: sed totum nec distinguitur realiter à partibus, nec ab eisdem separari potest; ergo. Respond. supponere fundamentum falsum, quod nos impugnauimus supra q. 6. difficult. 1. art. 2. ubi ostendimus, totum realiter à suis partibus distingui, & quod inseparabilitas non obstat, quia prouenit ab extrinseco, & non ex natura ipsius rei.

QVÆSTIO III.

De causis materiali, & formali.

Acturi de causis in particulari, postquam de eisdem in communi iam egimus, à causa materiali & formali consentaneum ordiri iudicamus, sunt enim causæ intrinsecæ, quæ si cum extrinsecis comparentur, primum debent obtinere locum, quatenus ab eis compositum intrinsecè pendet. in qua quæstione duo veniunt discutienda. Primum, quid sit causa materialis & formali, & quæ eius causalitates. Secundum, qui sint effectus causæ materialis & formali.

DIFFICULTAS I.

Quid sit causa materialis, & formali.

ARTICVLVS I.

De causa materiali.

Aristoteles cap. 3. huius libri materialiam causam sic definit, est principium, ex quo aliquid fit cum insit. Quæ definitio eadem est cum illa 5. Metaph. cap. 2. ubi ita habet, Materia est ex qua in existente aliquid fit. ly principium, ponitur loco generis, in quo conuenit cum aliis principiiis, reliqua verò differentiarum, quia per ly ex quo aliquid fit, non solum differt causa materialis ab efficienti & finali, quæ non sunt ex quibus, sed à quo & propter quid, sed etiam à formali, quoniam licet ex ea etiam fiat compositum, non tamen in eo rigore, quo hinc dicitur fieri ex materiali, ly enim ex quo aliquid fit, potest sumi largè & strictè. Primo modo capitur pro quocunque principio intrinseco compositi, vel generationis eius. quo sensu sumptum fuisse in definitione principiorum, diximus 1. libro, quæstione 1. difficultate 1. Secundo modo solum significat principium intrinsecum generationis illum antecedens & inchoans, quo sensu capitur in præfenti definitione, per quod differt causa materialis à formali, cum hæc nec antecedit, nec inchoet, sed potius terminet & perficiat. per ly cum insit, differt à priuatione, quia licet sit principium generationis, ipsam antecedens, sed non inexistit componendo rem productam per generationem.

2.
Corollaria.

Causa
materialis
latius
patet quæ
materiam
primam.

Ex his collige primò causam materialem latius patere, quàm materiam primam. nam præter hanc comprehendit materiam secundam, seu subiectum receptivum formarum accidentalium & artificialium. Ad hanc reducuntur partes integrantes totius integralis, quatenus gerunt rationem materiæ, & continuatiua rationem formæ, reducuntur etiam quatuor elementa, ex quibus generantur mixta, & propositiones respectu syllogismi, seu termini respectu propositionum, ex eis enim tanquam ex causis materialibus, propositiones & syllogismi componuntur. Solent etiam reduci ad causam materialem qualitates disponentes subiectum, ut sit proximè capax receptionis formæ, v.g. calor receptus in ligno, quatenus disponit ipsum ad receptionem formæ substantialis ignis, dicitur, causa materialis, se enim habet ex parte materiæ disponendo ipsam.

& artificialem, quia quatenus conueniunt subiecto intrinsecè & vltimatè, complet esse sui compositi.

Plura alia reducit Aristoteles ad causam formalem, quibus tamen illius ratio propriè non conuenit, nempe còtinuatiua partium integralium, quæ tamen non informant partes quas copulant, sed eis adherent, quare nec partes sunt propriè causæ materiales, nec continuatiua formales. Solet etiam reduci verborum copula, quæ tantùm in propositione vniuntur. Item nota illationis, quæ consequens & antecedens coniunguntur, quia sicut forma est actus, & determinatio materiæ; ita copula, & illatio determinant verba ad speciales significationes. Additur etiam à nonnullis metaphysica differètia, quæ intrinsecè complet quidditatem speciei; verùm hæc non est causa formalis physica, sicut nec genus materia physica, sed metaphysica.

4.
Plura re-
ducuntur
ad cau-
sam for-
malem.

ARTICVLVS II.

Definitur causa formalis.

3. **C**Ausam formalem sic cum recentioribus definitio, est qua dat intrinsecè & completiue esse rei. ly dat esse, ponitur loco generis. ly intrinsecè, excludit efficientem & finalem. ly completiue, excludit materialem, quia licet intrinsecè etiam det esse rei, non tamen completiue, sed initiatiue, ut supra diximus. Hæc definitio eadem est cum ea, qua Arist. 5. Metaph. cap. 2. formalem causam in communi definiuit, dicens esse rationem, & quod quid erat rei, id est, actum, & vltimam partem completentem esse rei. Vnde non solum comprehendit formam substantialem, sed accidentalem etiã,

DIFFICVLITAS II.

Qui sint effectus cause materialis, & formalis.

SVARIUS 1. tomo Metaph. sect. 7. affirmat cum quibusdam, materiam præter causationem compositi, alium quoque effectum habere, nempe formam quæ de eius potentia educitur, & ab ea in fieri & conseruari dependet. Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 1. sect. 2. & Conimbricenses hinc cap. 7. q. 8. art. 1. addunt, etiam animam rationalem esse effectum materiæ, quia licet non educatur de potentia materiæ, cum tamen materiam sine concursu materiali informare non valeat, ab ea in sua informatione dependet. His addit Suarius vbi supra, generationem entis naturalis, (quam distinctam existit

5.
Sententia
prima.

Sententia
secunda.

existimat à composito,) esse effectum causæ materialis. Probat ex Arist. dicente, materiam esse principium, non solum entis naturalis, sed generationis eius. Itaque tres effectus materiæ primæ communiter tribuunt, scilicet, recipere formam, concausare ipsam cum agente, quando ex eius potentia educitur, & concausare compositum cum forma. quæ omnia licet vera sint, & admittat Doctor in 4. dist. 13. quæst. 1. §. ex dictis, vers. iuxta quintam, num. 13, nihilominus difficultate non carent sic explicata.

6. *Conclusio prima.*
 Dico primò cum Alberto 2. Physicorum, tractatu 2. & Maiori 2. sententiarum dist. 12. q. 1. & aliis, materiam propriè unicum tantum effectum habere, scilicet cõpositum, quod actualiter recipiendo formam concausat, ut diximus q. 7. difficult. 1. Reliquos autem effectus esse secundum quid, & accidentales, respectu causalitatis propriæ. Fundamentum est, quod materia prima solum respectu compositi est causa per se intrinseca, & pars essentialis compositi; ergo effectus proprius, rigorosè loquendo, solum est compositum, cum illius materia sit pars intrinseca, & essentialis, quæ est ratio materialis causæ, et si largo modo forma, & generatio possint dici effectus causæ materialis, quatenus hæc aliquo modo concurrunt ad productionem formæ, & generationem totius.

Formalis causa vere gaudet sibi.
 Ex quibus consequenter dicendum est, formalem causam unico tantum effectu formali gaudere, quo ipsum compositum intrinsecè, & primariò causat, completque ut pars intrinseca, & essentialis, quamvis negari non possit materiam ab ea pendere, non in sua existentia, ut contra Thomistas diximus q. 3. d. 2. art. 2. sed in sua receptione, seu causatione receptiva, quia

materia non valet formam recipere, nec materializare, quin informetur ab ea.

ARTICVLVS I.

Quæ sit harum partium causalitas.

EX dictis facile erit vtriusque partis causalitatem colligere: loquimur autem de materia, & forma substantiali, de quibus quidquid dictum fuerit, poterit materiæ secundæ, & formæ accidentali, seu artificiali accommodari. Nec sermo est de actu primo, qui est virtus, seu entitas materiæ, & formæ; sed de secundo, qui dicitur causalitas, seu actualis causatio: nam primum actum posse dari sine secundo, anima rationalis à corpore separata sufficienter demonstrat; quod idem contingeret materiæ, si diuinitus separaretur à forma, ut possibile est ex quæst. 3. difficult. 4. art. 3.

7. *Conclusio.*
 Dico ergo causalitatem materiæ, seu materializationem, quam media receptione formæ materiæ causat, nihil esse, fundamentaliter loquendo, præter entitatè ipsius materiæ actualiter recipientis formam. Fundamentum est, quod causa materialis est principium, ex quo aliquid fit; ergo tantum causat, ut subiectum receptivum, quod per actualem receptionem communicat subiecto suam entitatem. Vnde consequenter dico, causalitatem formæ nihil esse præter ipsam actualè informationem formæ, per quam actualiter, & per modum actus formalis applicatur intrinsecè materiæ recipienti, ex quibus tanquam ex concausis actualibus essentialiter physicè compositum constat. Confirmatur, quoniam hoc distinguit causam materialem, & formalem ab efficienti, quod hæc aliquid extra

*Quid sit
causalitas
fundamen-
talis.*

se producit, ita vt effectus sit totaliter extra entitatem causæ ab hac in suo conseruari independens: illæ autem nihil extra se, sed se ipsis causant, præbendo suas entitates effectui; ergo causalitas earum fundamentaliter loquendo nihil erit præter mutuam applicationem vtriusque fundamentaliter, inquam, quia formaliter loquendo, quælibet causa constituitur in actu secundo formaliter causans, aliqua relatione, qua respicit suam effectum, vt ex Doctore diximus quæst. 2. difficult. 5. art. 2. & magis explicabitur quæst. 4. diffic. 2. loquentes de causa efficienti. quam veritatem expressè docuit Doctor de causa materiali, & formali theoremate 22. num. 19. & nono Metaph. quæst. 4. §. *sciendum*, num. 5. Habemus ergo fundamentaliter, has causas intrinsecas se ipsis compositum causare, quod non est aliud præter partes vnitas, & actualiter causantes; ad absolutum enim cuiusuis causæ sequitur absolutum eius effectus, vt ex Doctore in 2. d. 1. quæstione 2. §. *quantum ad istum articulum*, num. 8. notauimus vbi supra; formaliter verò, & in actu secundo includere respectum terminatum ad effectum, quo causa est formaliter causans, & formaliter respiciens effectum.

Obiectio. Dices materiam primam solùm materialiter causare; ergo non constituitur causans per formam, aliàs esset formalis causa.

Respond. aliud esse constitui formaliter causam, aliud formaliter causare. Primum solùm dicit, quòd causa in suo genere respiciat effectum per respicientiam formalem; secundum verò, quòd hoc sit per modum actus. Dicimus ergo hac relatione non constitui materiam cau-

lam formalem, sed formaliter causantem in suo genere passiuo; respectus enim resultant secundum naturam, & exigentiam fundamenti.

Ex quibus primò patet, causalitatem materiæ, & formæ, fundamentaliter loquendo, nihil esse præter influxum, seu formam in fieri totius, quod à partibus vnitis, & in actu primo consideratis realiter distinguitur, tanquam includens ab incluso. Patet, quia nihil est, quod fluat ab istis partibus vnitis, nisi compositum: sed iste fluxus ex dictis vbi supra est causalitas fundamentalis; ergo causalitas materiæ, & formæ fundamentaliter nihil est præter fluxum totius. Nec obstat, quod obiicit quidam neotericus Scotista, causam scilicet non causare per aliquid, quod sit extra rationem sui: sed effectus in fieri est extra rationem causæ, cum ab ea realiter distinguatur; ergo non potest causalitas consistere in fluxu. nam responderetur, hoc argumentum euidenter concludere, non posse dici formaliter causans per fluxum, cum causa sit formaliter ad effectum: fluxus autem solùm respiciat causam, non tanquam quod est ad aliud, sed tanquam à quo est aliud. Fundamentaliter tamen nulla est implicancia, vt causa constituatur causans per fluxum. nam sicut in quibuslibet reatiuis aliqua entitas absoluta semper supponitur tanquam fundamentum proximum relationis, & neuter est extremorum; ita cum causalitas formaliter sit relatio supponens necessario duo extrema, quæ mutuo se respiciant, necessario aliquam absolutam entitatem supponere debet, quæ sit proximum fundamentum istius resultantiæ; ista est fluxus, seu effectus in fieri. ergo.

9. *Illatio se-
cunda.* Secundò infertur causalitatem ma-
teriæ & formæ, non esse vnionem,
quod probauimus suprà q. 5. diffic. 1.
articul. 3.

*Obiectio
prima.
Solutio.* Obiiciens materiam & formam suis
causalitatibus vniri; ergo causalitas
& vnio non distinguuntur. Resp.
quòd si loquamur de vnione quam
requirunt partes ad causandum, de
qua loquitur Scotus vbi suprà, cer-
tum est, à causalitatibus distingui,
quandoquidè supponitur vt partes
causare possint. Si verò loquamur de
vnione per modum compositionis,
seu per modum actus & potentia,
certum est materiam & formam suis
causalitatibus vniri, & hanc esse per-
fectissimam vnionem, vtpote essen-
tialè; tamen hæc vnio non est aliud
à partibus, actualiter causantibus. nec
istæ causationes sunt aliquid præter
partes, quarum vna actualiter recipit,
alia verò actualiter informat.

10. *Obiectio
secunda.* Obiiciens secundò causalitatem ma-
teriæ (& idem iudicium est de causa-
litate formæ) distingui realiter à ma-
teria; vt ostendimus sæpius; ergo ali-
quid est à materia distinctum non
compositum. nam non distinguitur à
partibus causantibus; ergo debet esse
aliquis modus à materia distinctus.

Responsio. Resp. concedendo causalitatem ma-
teriæ & formæ ab eisdem realiter di-
stingui, inde tamen inferre non licet
esse aliquid distinctum ab informa-
tione & receptione, hoc enim habent
peculiare causa materialis & forma-
lis, quòd causant per exhibitionem
sui, & hoc exhibere se est causare.

Insuetudo. Instabis; quare ergo dicitur causans
materia, vel forma, quæ antea nõ cau-
sabat, siquidem nihil additur ipsis.
*Remoue-
tur.* Resp. ideo causare nunc partes quæ
antea non causabant, quia modò ap-
proximantur per vnionem, & antea
non approximabantur; causant tamen

per suas entitates absolutas; sicut etiã
ad absolutum causæ efficientis sequi-
tur absolutum effectus, hac obseruata
differentia, quòd efficiens causat ali-
quid extra se: causa autem materialis
& formalis per exhibitionem sui, ita
quòd remaneant in effectù, qui effe-
ctus cum includat vtriusque partis
causationem, quamuis includat par-
tes intrinsecè, intelligitur quasi fluës,
non efficienter, sed materialiter, &
formaliter à partibus vnitis, & in actu
primo consideratis; eo ergo modo,
quo distinguitur ab eis, ab eisdem
fluere existimandum est: dicuntur ta-
men formaliter causæ, per relationem
aliquam, qua quælibet pars compositum
respicit.

Tertiò infertur effectum causæ ma-
terialis & formalis ab eisdem vnitis
realiter distingui, tanquam includens
& inclusum, vt ex professo probaui-
mus lib. 1. quæst. 6. diffic. 1. art. 2. Ratio
est conspicua, quia totum includit,
causalitatem vtriusque partis, ab eis-
dem realiter distinctam, quam partes
vnitæ non includunt.

*Illatio
tertia.*

ARTICVLVS II.

*Vtrum effectus formalis primarius
forma possit suppleri à Deo.*

Respondetur cum communi sen-
tentia negatiuè. Ratio est quòd
cum effectus formalis nihil aliud sit
quàm actualis applicatio ipsius for-
mæ, implicat quòd subiectum sit for-
maliter tale sine forma, non enim po-
test Deus facere, quòd homo sit albus
sine albedine. Rursus, Deus effectus
causarum secundarum se ipso supplet:
sed Deus non potest esse causa infor-
mans, neque inhærens, quia hoc dicit
imperfectionem; ergo Deus non po-
test supplere effectum causæ formalis;
potest

*II.
Conclu-
sio nega-
tiua.*

*Deus nec
potest in-
formare,
nec inhæ-
rere.*

potest tamen extrinsecè effectum alicuius formalitatis supplere: vt v.g. personalitas Verbi gerit vices personalitatis humanæ Christi, mediante vnione hypostatica; hoc tamen inde prouenit quòd personalitas Verbi formaliter est faciens subsistere, tamen cum Deus nec sit ignis, nec albedo, &c. neutrius formalem rationem potest supplere.

Obiectio. Sed argues quòd causa efficiens suppletur à Deo, potest enim producere animam in materia disposita, aliàs producendam, mediante aliqua causa secunda; ergo potest similiter causalitatem formæ. Resp. disparem esse rationem, quia causa efficiens extrinsecè influit in effectum, quandoquidem effectus est extra rationem ipsius: at causa formalis intrinsecè communicat se per causationem, & ita hoc non potest suppleri à Deo. Vt enim Deus efficiat immediata, sufficit continentia virtualis, quam habet omnium creaturarum; hæc tamen nil prodest ad informationem, cum forma intrinsecè se præbeat subiecto; Deo autem repugnet quòd sit formaliter forma, siue substantialis, siue accidentalis intrinseca.

ARTICVLVS III.

Verum possit Deus impedire effectum primum & secundarium formæ.

CAsus est quòd forma sit in subiecto actualiter, vtrum possit Deus facere quòd ipsum actualiter non informet, vel quòd non habeat effectum formalem secundarium, qualis est expellere formam oppositam.

Dico primò, si forma sit vnita corpori per modum informationis, non

potest effectus ipsius impediri à Deo. Ratio est manifesta, formalis causa in actu nihil aliud est quàm quòd causa actualiter communicetur subiecto: sed semel vnita formæ, & materia, iam communicatur forma, & si vnione causatiua vniantur, non potest non communicari; ergo nec potest effectus formalis impediri. Confirmatur, Deus effectum alicuius causæ debet impedire per subtractionem concursus, vel per expulsionem ipsius si aufert causam à materia, iam non procedit argumētum. Concursus Dei non potest suspendi, quandoquidem sicut non est vera actio, sic nec est verus còcursus Dei, aliàs possemus dicere Deum informare parietem: sicut dicimus, Deum efficere hominem; ergo effectus formalis formæ primarius nequit impediri.

Dico secundò effectus formalis secundarius formæ potest impediri à Deo. Probat ex his quæ diximus in primo libro *Physic.* quæst. 4. vbi secundum probabilem sententiam posunt plures formæ substantiales informare eandem numero materiam; quare ergo non expellere vnā aliam si Deus voluerit, nisi quia est effectus secundarius formæ, qui cum extrinsecus sit, potest impediri à Deo. Hac de causa sustines ego in materia de Incarnatione, quòd etsi vnio hypostatica formaliter iustificaret, & esset causa donorum & virtutum Christi: nihilominus Christus de potentia Dei absoluta potuisset peccare, & carere talibus donis, cū esset iste effectus secundarius vnionis, & non primarius, quia primarius tantum dicit vnionem naturæ cum personalitate Verbi.

13.
Cōclusio
secunda.

12.
Cōclusio
prima.

ARTICVLVS IV.

*In quo genere causa vna forma
aliam expellat.*

*conclusio
prima.*

Sotus hic q. 4. dicit vnam formam expellere alteram effectiue. Probat primò. Effectus formalis nequit à Deo suppleri: sed si expulsio formæ est effectus formalis formæ, nequit Deus sustentare materiam sine forma. quod est falsum, & contra nos; ergo vna forma aliam efficienter expellit.

14.
*Verior
conclusio.*

Nihilominus tamen dicimus cum Scoto in 4. dist. 1. q. 5. §. *ad primam ergo*, versicul. *probat* etiam, num. 15, quem sequuntur recentiores, Murcia disp. 3. quaest. 6. Plaza disp. 4. quaest. 3. expellere in genere causæ formalis, & probatur, quia vna forma expellit aliam informando materiam: sed quod forma facit media sua informatione, dicitur facere in genere causæ formalis; ergo. Secundò non expellit in genere causæ efficientis; ergo formalis, quia in genere causæ materialis, neque finalis, certum est non expellere. Probat antecedens, expellere effectiue duobus modis potest contingere, vel suspendendo còcursum quo illam conseruabat, vel effectiue causando aliquid quod illam expellat. Sed primo modo non conuenit formæ, quia forma adueniens non conseruabat formam præexistentem: neque secundo modo, quia forma nihil producit effectiue à quo expellatur, sed per se ipsam expellit; ergo aliàs deberemus assignare aliquem terminum per istam efficientiam productum.

*Obiectio
prima.*

Sed obiectis primò, vnum corpus expellit aliud à loco effectiue; ergo vna forma aliam à materia. Resp. cum aliquibus disparem esse rationem. nam vnum corpus non immediatè, sed

medio impulsu expellit aliud, & sic aliquid causando, ac per consequens effectiue. nam impellere efficere est. Dices etiam, forma expellit aliam media informatione; ergo medio aliquo à se producto, ac per consequens effectiue. Resp. illam informationem non esse effectum productum à forma, sicut est impulsus productus à corpore, sed est causalitas ipsius formæ; ego tamen concedo paritatem, & dico etiam corpus expellere aliud formaliter, vt insinuat Doctor in 4. distinct. 1. quaest. 5. num. 15. vt dicemus 4. Physic. quia impulsus non est corporis, sed mouentis, aut impellentis corpus.

15.
*Obiectio
secunda.*

Obiectis secundò, vel calor, v. g. expellit frigus à subiecto, quando est frigus in subiecto, vel quando non. Si primum; ergo simul est frigus & calor in eodem subiecto. Si secundum, nihil est quod expellat; ergo. Augetur difficultas, quia vt materia recipiat formam, debet præsupponi vacuam; ergo vel simul materia habet duplicem formam, vel materia datur sine forma. Hoc argumentum petit vt sciamus an introductio formæ aduenientis sit prior expulsionem formæ præexistentis. Et omisso modo philosophandi Vasquez 1. 2. disput. 212. num. 8. de quo in theologica materia de gratia, dicunt quidam recentiores introductionem formæ esse priorem in genere causæ formalis expulsionem alterius formæ: at verò in genere causæ materialis expulsionem formæ esse priorem introductionem nouæ formæ. qui modus satis receptus est, tamen à Murcia & Plaza sic reicitur, expulsio formæ est effectus secundarius formæ introductæ: sed effectus secundarius nequit intelligi ante primarium, etiam in diuerso genere, quia secundus vt secundus, nequit esse

esse ante primum; ergo expulsio formæ cum sit effectus secundarius formæ introducendæ, non potest intelligi ante productionem formæ. Propter quod aliter respondent hi recentiores, quod licet tam introductio formæ, quàm expulsio sint simul in eodem instanti temporis, quia in eodem instanti incipit vna forma, & desinit altera, cum hoc tamen stat quod introductio sit prior prioritate naturæ & causalitatis formalis, expulsionem formæ, quia ex vi introductionis sequitur in eodem subiecto expulsio alterius formæ, ac per consequens vna materia non habet simul duplicem formam, cum in eodem instanti vna forma habeat esse, & altera habeat non esse. Imò si hoc sequitur, etiam sequeretur si expulsio esset prior in genere causæ materialis, quod materia esset nudata ab omni forma. Patet. nam in illo priori naturæ, in quo expulsio formæ præcedit introductionem alterius, non est introducta forma de nouo, & est tunc expulsio formæ antecedentis. Addo quod simul non sunt duæ formæ in esse completo, & in facto esse, sed vna in fieri, scilicet quæ producitur, & altera in facto esse, scilicet quæ expellitur.

Qualiter forma qua introducitur & expellenda sint formal.

QVÆSTIO IV.

De causa efficienti.

IN hac quæstione plura discerniendi veniunt. Primò quid & quotuplex sit causa efficiens. Secundò utrùm causæ secundæ creatæ aliquid efficiant. Tertio utrùm efficiens operetur per suam substantiam, an per aliquam entitatem ipsi superadditam.

DIFFICULTAS I.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens.

ARTICVLVS I.

Explicatur natura efficientis cause.

PHilosophus hinc cap. 3. & 5. Metaphysicæ efficientem causam sic definit, est unde est primum principium mutationis, & quietis, vel primum principium, à quo oritur mutatio & quies. ly principium, ponitur loco generis, ly unde, quod æquiualeat huic, à quo motus ponitur loco differentię, per illud enim differt ab aliis causis, quæ non sunt à quo motus, sed materialis ex quo, formalis per quod, finalis propter quod; additur ly quoties, quia sicut efficiens est principium, unde motus quando operatur etiam est principium, unde quies, quando ab operatione cessat. Duo tamen oportet in hac definitione notare, pro maiori diligen-
tius intelligentia, primò non dici primum principium facta comparatione cum aliis causis, ita vt sit sensus, inter quatuor causas quæ influunt per se in effectum efficiens est prima, tum quia in suo genere quæuis est prima, vt patet de formali, & materiali, & de finali dicemus quæst. 6. tum etiam, quia aliàs causæ secundæ non essent efficientes, cum aliqua prioritate infra declaranda prius influat prima; dicitur ergo primum principium ad excludendum causas per accidens, quæ non primò & per se influunt, sed secundum quid. Secundò nomine mutationis intelligit quemcunque influxum siue instantaneum, siue successuum, siue improprium, vt est creatio, imò siue sit physicus, siue moralis, vt consultatio, præceptio. Patet in exemplo

Causa efficiens non dicitur primum principium comparata ad alias causas.

exemplo à Philosopho adducto, ubi habet ita, *qualis causa est is qui consulit & pater filij, & uno nomine, quod efficit eius quod fit, & quod immutat quod immutatur.*

1. Ratio prima.

Vnde quamuis causa vniuersalis sit aliquo modo prior, causa secunda nihilominus efficiens dicitur prima causa, quatenus ordine executionis est primum principium, à quo secundum esse motus & quies absolute & simpliciter influit, ordine, inquam, executionis, quia, vt dicemus quaestione 14. finis prius influit ordine intentionis, cum propter ipsum efficiens operetur.

2.

Ratio secunda. In ordine ad composita causa efficiens est prior.

Secundò infertur quòd licet in suo genere quæuis causa sit prior, tamen in ordine ad compositum & vt influit in effectum, causa efficiens potest dici prior, quia hæc est optima consequentia; ideo materia recipit formam, & forma informat materiam, sitque compositum quia agens agit. Ratio est conspicua. nam si efficiens excludatur, nec forma erit in materia, nec materia formam reciperet, sunt enim partes quarum neutra separata, alteri valet coniungi.

ARTICVLVS II.

Quotplex sit causa efficiens.

3. Causa efficiens dicitur simul triplex.

Causam efficientem multifariam auctores diuidunt, ex Philosopho. Diuidunt primò in causam per se, à qua vt tali procedit effectus, qualis est statuarius respectu statuæ, & in causam per accidens, à qua licet vt talis est non procedat effectus, dicitur tamen causa illius, vel ob coniunctionem accidentalem cum causa per se, quo sensu musicus dicitur causa statuæ, si statuarius est musicus, & aquam calefacere, vel ob coniunctio-

nem accidentalem sui effectus per se, cum effectu cuius dicitur causa per accidens, quo sensu fodiens terram dicitur causa per accidens inuentionis thesauri, quia effectus per se fodiendi coniungitur cum alio effectu non intento & contingenti, nempe inuentione thesauri.

Causa efficiens physica & moralis.

Secundò causa per se diuiditur in physicam, quæ realiter influit, siue sit naturalis, siue artificialis, siue corporea, siue spiritualis, siue necessaria, siue libera: & in moralem, quæ licet realiter non influat in effectum, tamen quo ad mores ita se habet ad illum ac si influeret, & non minus imputatur ei ad meritum, vel demeritum, qualis est præcipiens, consulens, suadens, non impediens, cum possit, vel teneatur possibiliter, vt nauta, cuius negligentia nauis periclitatur. vnde causa moralis solum in genere moris est per se, quia in genere naturæ semper est per accidens, ideo merito à præsentis reicitur instituto.

4.

Causa principalis & instrumentalis.

Tertiò causa physica diuiditur in principalem & instrumentalem. Causa principalis est quæ in esse quieto, & ante actualem motionem habet virtutem ad agendum: instrumentalis autem propriè non habet virtutem ad agendum in esse quieto, sed in actuali motione illam recipit à causa principali: propriè, inquam, quia causam instrumentalem multifariam vsurpari dicemus cum Doctore.

Quartò Thomistæ causam instrumentalem diuidunt in coniunctam & separatam. Instrumentum coniunctum appellant, quod in esse, vel operari dependet à principali causa, vt ferra, respectu artificis: instrumentum separatum appellant, quod separatim potest attingere effectum causæ principalis, v. g. calor separatus ab igne, qui producit in virtute ipsius

formam substantialem ignis. Sed hoc genus instrumentorum esse fictum probauimus ex Doctore vbi supra.

Causa principalis & partialis. Quintò relicta instrumentali causa, principalis diuiditur in totalem, quæ se sola sine concursu alterius agit, & in parrialem, quæ non agit nisi adiuta ab altera causa.

Causa prima & secunda. Sextò totalis in primam, à qua pendent in sua operatione omnes aliæ, ipsa verò à nulla. hæc est solus Deus, & in secundam quæ ab illa pendet, quales sunt omnes causæ creatæ.

Causa uniuoca & æquiuoca. Septimò in uniuocam, quæ est eiusdem speciei cum suo effectu, vt homo, & ignis, & in æquiuocam, quæ est diuersæ, vt sol respectu caloris & plantæ.

DIFFICULTAS II.

Vtrum causæ secundæ aliquid efficiant.

ARTICVLVS I.

Explicantur aliqua Philosophorum placita.

Sententia prima. 6. Vidam antiqui, quorum meminit Auerroes 9. Metaph. comment. 7. & lib. 11. comment. 18. & Albert. 2. Physic. tract. 2. cap. 3. D. Thomas 3. contra gentes cap. 69. & 1. part. quæst. 105. artic. 5. & in 2. distinct. 1. quæst. 1. art. 4. & quibus videtur subscribere Gabriel in 4. dist. 1. quæst. 1. artic. 3. dub. 3. quatenus hanc sententiam probabilem reputat, licet affirmare non audeat, existimantur, causas secundas nihil efficere, sed ad earum præsentiam Deû effectus omnes producere; tribui autem actionem istam agentibus creatis, v. g. igni, & aquæ apparenter, quatenus Deus veluti pepigit tales effectus ad talium

rerum præsentiam producere. Fundamentum huius est, primò quòd Scriptura non raro totalem vim productiuam Deo tribuit, & à creaturis penitus alienat. 1. enim Corinth. 13. docet Apostolus, *Deum operari omnia in nobis*; & 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis*; ergo omnis operatio à Deo est in nobis, non tamen ex nobis. Ratione etiam sic suadetur, Deo tribui debet perfectissimus causandi modus, qui est se solo operari sine consortio alterius; ergo Deus omnia efficit, causæ secundæ nihil. Confirmatur, Deus, cum sit prima, & vniuersalissima causa, singula dependent ab ipso, in omnésque effectus externos verè influit; ergo se solo sine consortio alicuius creaturæ. Probatur consequentia, quia frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora; ad quid ergo requiritur causarum secundarum influxus, si ad harum præsentiam sola prima sufficit.

Auicembron concessit efficaciam rebus spiritualibus, quam rebus corporeis negauit, existimabat enim agens debere intimari per propriam entitatem passo, quod corporeis entitatibus ob quantitatem, & extensionem partium repugnat.

Auicenna 4. Metaph. cap. 4. & 5. cuius meminit D. Thomas vbi supra, concedebat corporeis entitatibus efficaciam in accidentia, non verò in substantiam; existimabat enim, quòd à causa prima solùm procederet immediate quædam spiritualis substantia omnium perfectissima, à qua alia procederet, ab ista secunda, tertia, & ita deinceps vsque ad infimam substantiam spiritualem, quæ inducebat omnes formas substantiales in materia, dispositas ab agentibus corporeis; putabat enim subiectum corporeum non esse immediate operatum, sed mediis

7. *Sententia secunda.*

8. *Sententia tertia.*

mediis accidentibus, quæ substantiam non valent producere. Quod demonstrari videtur in animantibus generatis ex putrefactione terræ, quæ non habent efficiens proximum, sed ad aliam causam superiorem necessariò est recurrendum: vnde Augustinus 1. de ciuit. cap. 9. corporeas causas non debere inter efficientes computari manifestè docet. Tenendum ergo est, causas materiales nullum effectum substantialem sortiri.

ARTICVLVS II.

Explicatur vera sententia.

9.
Verior
sententia.

Vera, & communis sententia docet, causas secundas tam materiales, quam spirituales aliquid ad extra producere; quod sequentibus dictis sic explano.

Cō. Auzs
prima.

Dico primò, agentia creata verè, ac propriè efficiunt effectus sibi connaturales, & proportionatos. quam sententiam ita veram existimant omnes Philosophi, & Theologi, vt contrariam reputent temerariam, & erroneam secundam Suarium 1. romo Metaph. disp. 18. sect. 1. num. 4. Errat enim opposita sententia non solùm in fide, sed etiam in Philosophia; in fide quidem. nam Scriptura sacra expressè docet, causas corporeas habere virtutem ad producendam substantiam. Genes. 1. *Germinet terra herbam viuentem, &c. Et producat terra animam viuentem*; ex quibus verbis Basiliius homil. 9. colligit, res naturales accepisse efficaciam continuè efficiendi rerum generationes, & corruptiones; quod latius prosequitur Ambrosius lib. 3. Exaameron à capite 8. & lib. 5. & 6. Et Lucæ 21. idem ostenditur, eum dicitur, *videte ficulneam, & omnes arbores, cum producant iam ex se fructus,*

Et Marci 4. ait Christus, *aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum*; vnde Sapient. 16. miraculo tribuitur, quòd ignis suæ virtutis oblitus iustos, & indumenta eorum non consumpserit, ibidè que conceditur aquæ, quòd omnia extinguat; draconibus, quòd venenos habeant dentes ad occidendum. Quòd si interdum ab his actionibus impediuntur, hoc solùm diuinæ tribuitur potestati; ergo iuxta sacrarum litterarum sensum actiuitas causis secundis denegari non valet.

Quam veritatem etiam efficacissimè suadet Suarius vbi supra ab inconuenienti, quoniam sunt plures catholicæ, & definitæ veritates, quæ hac causalitate causarum secundarum deficiente non valent subsistere, quarum præcipua est veritas nostri liberi consensus, seu arbitrij; quod si non sit concursus secundæ causæ, corruet omnino: vnde Tridentinum sessione 6. can. 4. expressè damnat autamantes liberum arbitrium creatum nil omnino agere, merè que passivè se habere; ex quibus verbis manifestè infertur, potentiam creatam non solùm gaudere efficientiæ naturali, sed etiam supernaturali, si diuina gratia, & auxilio adiuetur; secus esset, si causæ secundæ nihil efficerent, sed ad eam præsentiam prima causa operaretur. Item, si causa prima singulos effectus ad præsentiam causarum secundarum operatur; ergo quando homo peccat, Deus est, qui ad præsentiam peccatoris efficit peccatum, & consequenter nec homo liberè peccat, nec Deus immunis à peccato existimandus est. quod erroneum, & blasphemum est. Deinde duæ illæ operationes, humanæ scilicet, & diuinæ, quæ tot Conciliorum definitionibus in Christo esse confitemur, si

si causa secunda nihil producat volitè liber hominis consensus.

in natura creata nulla est vis agendi, saluari nequaquam poterunt. Denique homini tribueretur animæ rationalis creatio, quod est absurdum, & error in fide. Pater, nam sicut igni eo solum tribuitur alterius ignis generatio, quatenus Deus ad eius præsentiam ignem producit, cur etiam, si ad præsentiam hominis Deus animam rationalem creat, imò iuxta dispositionem ab homine generatè præviè causatam, non diceretur homo creans animam rationalem.

10.

Hanc etiam veritatem, vt perspicuam sensimus, nullaque tergiuersione celabilem omnes Philosophi antiquiores vnanimè receperunt; id supponit Aristoteles sæpius, & alij plures Philosophi, quorum opiniones ipse refert. 1. *Physic.* & 1. *Metaph.* ideo ex suppositione huius veritatis non parum in explicando quid, & ex quo causare possunt, cum ex nihilo nihil fiat, insudarunt, in quo sensu Plato apud Damascenum in sua *Physica* cap. 9. causas naturales primi motoris instrumenta appellauit, dicitur enim quæcunque secunda causa instrumentum primæ, quatenus ab ea mendicat propriam virtutem, & actiuam formam, eiusque cõsortium non excludit, sed essentiali respicit dependentia, vt optimè notauit Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *ad quæstionem*, n. 26. Ideo etiam Trismegistus in dialogo 9. mundum instrumentum Dei, à quo femina accipit, vt omnia producat, existimauit; his subscripserunt Commentator, & alij posteriores, quorum loquendi normam non obscure imitari videtur Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 7. 8. & 9. dum ait, *indivisiè Deum elementis, & alijs causis creatis feminales rerum rationes, quæ ex D. Thoma 1. part. quæstione 115. art. 2. & in 2. distinct. 18. quæst. 1. artic. 2.*

nil aliud sunt quàm actiua, & passiva principia motuum, generationumque naturalium, quæ Deus in creaturis mirabili, & ineffabili disposuit prouidentia: vnde idem Augustinus 3. de ciuitate cap. 30. de hac loquens prouidentia, ita habet, *sic omnia, quæ creauit, administrat, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.*

Nec alia efficaciori ratione suaderi potest hæc veritas, quàm experientia, qua sensibus percipimus, solem illuminare, ignem calefacere, terram tot herbas, & flores germinare, hominem generare. Dices, hos effectus fieri præsentibus his rebus, non verò concurrentibus. Sed contrà est, quòd destrueretur omnis argumētandi vis, quoniam non aliter possumus promanationè effectuum à causis inuestigare, aut eas ex effectibus colligere. Secundò si ignis non verè calefacit; falsò ergo calefacere affirmamus, quòd est contra communem sensum. Dices, Deum ad eius præsentiam calefacere, quòd sufficit, vt verè calefactius nuncupetur: sed contrà est, quòd etiam lapidi in hoc sensu posset tribui creatio Angelì, si ad eius præsentiam illum Deus creasset. Tertio cum ex Arist. 1. *Ethic.* c. 7. vnumquodque sit propter suam operationem, si causæ secundæ nihil agerent, frustrà essent in rerum natura, eiusque auctor malè indidisset illis tãtam varietatem potentiarum, & organorum distinctionè. Quarto virtus formalis agendi creata, & limitata non repugnat rebus creatis, imò earum auget perfectionem; ergo sine fundamento eis denegatur. Antecedens est certum, quoniam si posset producere externos effectus, est perfectio in creatore, quanto magis in creaturis; consequentia etiã sic suadet, de ratione boni est, quòd se
commu

communicet: sed vnum ex bonis diuinae perfectionis est haec producendi potestas; eam ergo iuxta cuiusvis capacitatem singulis creaturis communicat.

II. Conclusio secunda. Substantia materialis nequeunt substantiam completam producere.

Dico secundò. Certissimū primū est, substantias materiales non posse producere substantiam completam secundū se totam. Fundamentum est, quòd producere substantiam secundū se totam, & in esse completo, est creare: at nulli creaturæ ex quaest. 13. diffic. 3. hæc virtus creatiua saltim naturaliter communicari potest; imò nec supernaturaliter, ex mente Doctoris, cū arguat infinitam virtutem, & actiuitatem; ergo nec productiua virtus substantiæ secundū se totam, & in esse completo; per completam substantiam intelligimus non quamlibet partem compositi physici, sed integrum compositum ex materia, & forma vnitis coalescens.

12. Conclusio tertia. Nequit demonstrari agens naturale posse educere formam ex materia.

Dico tertio. Etsi certum sit, agens naturale posse educere formam de potentia subiecti, seu materiæ, cū experiamur ignem generare ignem, solem mineralia producere, &c. & hæc non sit ex dictis supra dicto primo, perfectio excedens creaturæ capacitatem; nihilominus non ita perspicuè ostendi potest, ac illa vniuersalissima, nempe quòd causæ secundæ aliquid efficiant. Patet, nam si aliqua ratione ostendi posset, maximè experientia, qua sensibus percipimus ignem generare ignem, &c. Sed etiam experimur ex putrefactione generari angues, aliæque reptilia, quorum formæ ex dicendis quaest. 13. difficult. 3. à prima causa introducuntur; ergo non sufficienter conuincitur intellectus hac sensuum experientia, ad affirmandum causam illam attingere immediate inductionem formæ substan-

tialis, licet negari non possit, saltim disponere materiam.

Dico quarto substantiæ spirituales, etsi possint producere formas, seu effectus accidentales, nequeunt tamen alias spirituales substantias producere. Quòd possint accidentales, inde patet; quoniam se mutuo, & omnia externa cognoscunt: sed hoc est mediante specie expressa, quæ ex 3. de anima accidēs est; possunt ergo qualitates spirituales efficere. Quòd autem spirituales substantiæ sint extra spheram actiuitatis earum, patet, quoniam istæ non educuntur de potentia subiecti, cū sint substantiæ simplices, & incompositæ physicè, etsi metaphysicam compositionem ex prædicatis superioribus, & inferioribus includant; ergo creantur, cū creatio sit productio rei ex nullo præsupposito subiecto: sed creatiua actio ex dicendis vbi supra, nulli creaturæ quantumuis perfectæ, communicari potest; ergo nec substantiæ spirituali virtus productiua alterius.

13. Conclusio quarta. Substantia spirituales nequeunt formas substantiales producere.

Dices; ergo cū sint substantiæ corporis perfectiores, poterunt educere formas materiales de potentia subiectorum, seu materiæ. Negamus sequelam; non enim quoduis perfectius valet producere singulas entitates imperfectiores. nam licet substantia perfectissima ob suam infinitatem, & eminentiam omnes imperfectiores valeat producere, non ideo est, quia perfectior sit effectu, sed quia perfectissima est, & infinita, continens virtualiter omnes effectus producibiles, quod requiritur, vt eos causare possit: cæteræ autem causæ, cū sint creatæ, finitæ & limitatæ virtutis, nequeunt producere omnes effectus imperfectiores, cū eos in virtute non contineant: vnde licet homo sit igne perfectior, perspicuum

Obiectio. Diluitur.

tamen est, ignem non producere virtute propria; verum est, nullam apparere implicantiā, qua Deus hanc virtutem spiritualibus substantiis communicare non valeat, sicut Soli communicavit virtutem producendi calorem, aurum, & gemmas in visceribus terræ, omniumque naturalium generationes associari; fuisse tamen concessam illam virtutem substantiis spiritualibus, non constat; imò oppositum in materia de Angelis Theologi omnes communiter admittunt; ergo non est, vnde colligamus posse attingere eductionem materialis formæ: Deus autem, qui omnes, & singulos effectus in virtute continet, eosdem mediare, & immediate valet causare.

14.

Ex quibus ruunt oppositarum sententiarum fundamenta. Ad auctoritates Apostoli pro prima sententia adductas, dicimus, Apostolum non excludere concursum creaturarum, imò manifestè includere; propterea in illo cap. 3. epistolæ 2. Corinth. postquam dixit, nos non esse sufficientes cogitare aliquid ex nobis, subdit, *sufficiētiā nostrā ex Deo esse*; sufficiunt ergo secundæ causæ, si diuino adiuentur auxilio ad attingendum externos effectus. Ad rationes dicimus, in Deo non esse perfectissimum modum operandi se solo singulos effectus, sed maiorem in eo sapientiam, & bonitatem. arguit dedisse rebus creatis non tantum esse, sed etiam virtutem operatiuam; maxime cū Deus propter earum consortium non desinat totum effectum producere, nec pendeat ab eis in operando, sed è contrā. Ad confirmationem dicimus, illud axioma esse verum, quando æquè bene fit per pauciora, quod per plura: hoc autem in casu nostro non contingit; decet enim diuinam bonitatem consortium creaturarum in ope-

rando non excludere, eisque virtutem actiuam perhibere.

Ad fundamentum Auicembron respondetur, ad agendum non requiri agens per propriū esse intimari passō, sed sufficere, continere ipsum intra spheram suæ actiuitatis, quod à causis materialibus non est alienum.

Ad fundamentū Auicennæ respondetur, suppositionem eius esse falsum figmentum, sine fundamento enim fingit tales substantias spirituales inductiuas formarum materialium, quoniam licet substantia mediis accidentibus materiam disponat; virtute tamen sibi realiter identificata formam substantialem inducit. Nec Augustinus verbis relatis causas naturales indiscriminatim à vera ratione causandi intendit relegare; sed eas solum, quæ dominio suarum actionum gaudent, & se possunt ad actionem applicare; propterea subdit, *corporales causa, quæ magis fiunt, quàm faciunt, non sunt inter causas efficientes numerandæ, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates*. separat ergo causas, quæ ductu alterius, & non cæco impetu naturæ efficiunt; non quia non sint efficientes, sed quia diuerso, & speciali modo efficiunt.

DIFFICULTAS III.

Vtrum causa efficiens substantialis per aliquod principium substantiale, an accidentale producat.

Solum de efficiēti causa dubitatur Sin præsentī, an per principium substantiale, an accidentale producat, quoniam perspicuum est, causam materialem, & formalem non mediis accidentibus, sed suismet entitatibus substan-

substantialibus immediatè causare, causamque finalem ex q. 7. d. 2. art. 2. num. 8. neque esse veram causam, nec substantialiter in effectum influere, sed solùm intentionaliter, & quatenus apprehensam. De causa ergo efficienti substantiali dubitamus, & obiter de causa accidentali in calce difficultatis examinabimus, an immediatè influat in effectum.

ARTICVLVS I.

Explicantur diuersa Philosophorum placita.

12.
Sensitua
prima.

Prima sententia affirmat, substantiam nec producere mediatè, nec immediatè substantiam: sed accidens propria virtute, & efficientia in substantiam immediatè influere; ita vt cum ignis producit ignem, tota ea productio intrinsecè, principaliter, & effectiue à calore per resultantiam procedat, sine vilo effectiuo concursu formæ substantialis existentis in igne. Hanc sententiam singulariter tuetur Benedictus Pererius 8. lib. de causis c. 11. 12. & 13. Fundamentum præcipuum, & à priori est, quòd actio non est sine contrarietate: sed substantiæ ex Philos. c. de substantia, nihil est contrariū; ergo hæc nõ est actiua, sed hoc principaliter conuenit accidentibus. Alias rationes obiiciemus inferiùs contra nostram cõclusionem: sed hæc sententia falsa est, & contra commune Philosophorū placitum. Primò, quia ex Arist. 1. de generatione text. 54. & 55. & in hoc lib. c. 7. substantialis forma est principium operandi, seu qua constituitur agēs in esse operatiui; ergo nõ solùm accidentibus conuenit operari. Secundò actiones sunt suppositorum, seu subsistentium ex eodē Philosopho 1. de anima c. 4. sed suppositum est substantia; ergo hæc est principium operadi.

impug-
nabit.

Tertiò accidentia sunt imperfectiora substantia; ergo nequeunt ipsam saltim principaliter producere. Probo consequentiam, causa continet in virtute effectum: sed inferiùs perfectione non habet virtutem, qua possit superius adæquatè continere, aliàs idem esset inferiùs, & æquale; ergo nec accidens virtutè ad producendum principaliter substantiam. Neque effugiū Pererij aliquid valet, nempe quòd licet accidens sit imperfectius in entitate, perfectius tamen est in ratione producentis; quia contrà est primò, quòd entitas debet continere in virtute effectum; ergo si accidens est imperfectioris entitatis, non poterit substantiam perfectiorem continere, vt dicebamus nuper. Secundò entitatiua perfectio ex virtute operantis optime infertur; ideo ex Apost. ad Rom. 1. *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, qua facta sunt, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* ergo si non solùm virtus Dei, sed eius diuinitas, & entitatiua perfectio ex eius effectibus inuestigatur legitime, etiam entitatiua perfectio cuiusuis causæ creatæ ex perfectione effectiuū inuestigabitur: sed ignis potest producere calorem, sicut sol siccitatè, &c. & accidens potest producere substantiam; ergo ab effectibus accidens erit entitatis perfectioris, quàm substantia. Respondet Pererius, hoc argumentū concludere, accidēs nõ per se causare substantiam per se, non tamen per resultantiam, qua forma substantialis posita vltima dispositione resultat in materia. Sed hoc etiam effugiū nullum est. Primò, quoniã solùm probat, accidentia esse vltimam dispositionè ad generationem formæ. Secundò resultantia debet supponere virtutem in suo principio: at hæc virtus nec continetur in materia, hæc enim non est effectiua, sed solùm receptiua;

16.

Legatur
Dob. in
4. d. 12.
q. 3. §. se-
cunda
conclusio
n. 13. ubi
id late
impu-
gnat.
nec

nec in accidentibus, ut probauimus supra: ergo spectari debet actio alicuius agentis principalis creati, vel increati. Tertio sine fundamento excludit principalem causam productiuam substantiæ, eamque ab agentibus effectiuis separat, & diuidit.

17. *Sententia secunda.* Secunda sententia, licet contra primam supponat, substantiales formas actiuas esse, ad productionemque substantiæ concurrere ut causas principales, & ut quo; negat tamen concursum istum esse immediatum, aut media aliqua substantiali potentia, sed mediis accidentibus virtute ab ipsa substantia mendicata in effectum influentibus. Hanc sententiam tenent communiter Thomista cum Angelico Doctore 1. p. quæst. 54. art. 3. ibidem Zumel. Caiet. & Banez. tenet etiam quæst. 77. art. 1. & 3. p. quæst. 77. art. 3. & in 4. d. 12. q. 1. eum sequuntur Capreolus in 4. d. 12. q. 1. Hispalensis ibidem. & Maior q. 3. Ferrara 4. contra Gentes cap. 66. Heruæus quodlib. 3. q. 12. Sotus in 4. d. 10. q. 2. art. 3. Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 6. sect. 3. & alij, quos refert, & sequitur Ruuius tractatu de causa efficienti q. 6. Præcipuum huius sententiæ fundamentum est, quod in creaturis esse, & operari realiter distinguuntur, solus enim Deus ob suam infinitatem purissimam, simplicissimamque perfectionem est sua operatio; ergo illa potentia, quæ ordinatur ad existentiam, realiter differt ab ea, quæ tendit in operationem. Antecedens est certum; consequentia patet, potentiæ specificantur per actus: sed esse, & operatio realiter distinguuntur, cum essentia possit esse existens sine actuali operatione, ut experientia demonstrat; ergo & potentiæ, à quibus promanant isti actus, realiter differunt. Confirmatur hæc sententia, quoniam potentia, & actus

ex Philosopho 9. Metaph. text. 3. & 12. Metaph. text. 26. & 28. sunt in eodem genere, sed operari est accidens formæ; ergo & potentia ad operandum.

Hæc autem sententia vera non est, 18. & primo relictis aliquibus rationibus, quibus efficacissime suadetur accidentia nec principaliter, nec instrumentaliter posse attingere substantiæ productionem, quoniam id improbauimus quæst. 13. diff. 3. agentes de instrumentis in communi, & particulari; sic impugno hanc sententiam ratione Doctoris in 2. d. 16. quæst. 1. §. *rationes ista, num. 5. argumento ad hominem. nam isti authores ponunt in anima virtutem actiuam respectu istarum potentiarum; quia fluere ab essentia tribuitur virtuti actiuæ substantiæ; ut docet expressè S. Thom. 1. parte q. 57. art. 6. cur ergo denegant virtutem actiuam substantiæ? Secundo admittunt, quod essentia anima est immediatum principium, & proximum receptiuum istarum potentiarum, quantumcumque sint accidentia secundum ipsos; & tamen secundum ipsos non sunt in eodem genere cum essentia anima; ergo receptiuum non semper est eiusdem generis cum recepto, vel receptiuum actus & ipse actus. Tertio illud, quod asserunt, quod agere per essentiam solius est Dei, nullius est ponderis. nam ut optimè notauit Doctor nam. 10. agere per essentiam fit dupliciter, uno modo idem est, quod in agendo non dependere ab alio, & non habere essentiam per participationem; alio modo idem est, quod non per accidens, siue per additum, licet dependenter à prima causa; verum enim est, in prima consideratione creaturam non agere per essentiam, non autem in secunda; imò hoc patet per Avicennam 6. Metaph. cap. 2. quæ dicit, quod virtutes aliqua sunt agentes non per additum. Quod sic ex eorum principiis confirmat ibidem Doctor*

§. Dico

Actus & potentia sunt in eodem genere.

§. Dico igitur, num. 16. nam si aliquis actus, vel aliqua forma inferior anima potest esse principium immediatum agendi, patet de calore, & qualitatibus actiuis, aliter esset processus in infinitum. hoc etiam est nobilitatis, aliter non competeret Deo sic operari, scilicet immediatè per essentiam suam; igitur multo magis debet hoc competere anima intellectiua, quod idem est de cæteris formis substantia- libus operatiuis.

19. Confirmatur viterius ex eodem Doctore lib. 4. dist. 12. quaest. 3. §. etsi contra hoc, versic. item, num. 11. nam si forma substantialis sine inconuenienti potest dici immediatè operatiua accidentium. (nam ignis, vt omnes Thomistæ fatentur, & tenentur confiteri secundum Philosophum 7. Metaphys. cap. 9. textu 32. in fine, est immediatè productiuus caloris, aliàs daretur processus in infinitum, vel deueniendum est ad aliquam primam causam, quæ sit huius caloris primi immediatum principium;) cur etiam non dicemus, posse sine inconuenienti per essentiam suam immediatè producere substantiam. nam si substantia potest immediatè influere in effectus alterius generis, quanto magis in effectus similes nõ solum in genere, sed etiam in specie. Quarto id, quod obli- ciant, quod actus, & potentia sunt eiusdem generis, nil vrget. nam, vt optimè notauit Doctor in 2. vbi supra, §. rationes, num. 5. potentia uno modo est principium operandi; & sic diuiditur in potentiam actiuam, & passiuam 5. Metaphysic. textu 17. & 9. Metaphys. textu 2. & 3. alio modo accipitur vt diuiditur contra actum, & hoc modo potentia, & actus non sunt tantum eiusdem speciei, sed etiam eiusdem numeri, vt dicitur 9. Metaphys. textu 8. illud enim indiuiduum, quod nunc est in actu, illud idem fuit in potentia: potentia autem

Qualiter
intelli-
gendum
sic quod
actus &
potentia
sunt in
eodem
genere.

primo modo est principium transmutandi aliud in quantum aliud, vel ab alio in quantum aliud. Cum ergo dicitur, quod potentia, & actus sunt eiusdem generis, falsum est de potentia, quæ est principium transmutationis, quia accidens immediatè recipitur in substantia, aliter esset processus in infinitum; ergo potentia passiuæ, vel actiua sic accepta non est eiusdem generis cum suo actu. Hoc etiam probatur per Aristotelem 7. Metaphys. textu 31. in fine, qui dicit, quod substantia non produ- citur in esse, nisi à substantia præex- stente in actu; sed quantum, vel quale producitur in esse, nullo quanto, vel quale presupposito in actu, sed in potentia tantum; ergo secundum ipsum substantia ponitur immediatè esse effectiua acciden- tis.

ARTICVLVS II.

Explicatur verior sententia.

20. Verior sententia, & nobis tenenda docet, formas substantiales non mediis accidentalibus potentiis, sed se ipsis substantialiter esse imme- diatè productiuas tam aliarum for- marum substantialium, quàm acci- dentalium; & hoc siue in causis vn̄- uocis, siue æquinocis. Hanc senten- tiam tenet expressè Doctor in 2. & 4. sententia supra relatus; item in 1. distinct. 7. quaest. 1. & lib. 9. Metaphys. quaest. 7. per totam, præcipuè §. ad questionem, num. 2. & 2. Physic. quest. 5. ibi Pytiganus. Rada. 2. controuersia- rum controuersia tertia art. 2. Faber theor. 34. His subscribunt Durandus in 2. dist. 1. q. 4. & in 4. dist. 12. quaest. 2. Okam in 2. q. 23. Iandunus 1. lib. de anima q. 8. Valles controuers. 3. ad Tyrones. Villalpandus, Tartarerus, Hurtado disp. 9. Physic. sect. 3. Videtur etiam sententia D. Thomæ 3. contra

gentes cap. 69. vbi hæc ait: *Si forma accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus, habent proprias actiones; multo magis forma substantialis habebit propriam actionem, per quam similis forma introducatur in generatione.* Idem docet 3. parte quæst. 77. artic. 3. in corpore, & ad secundum his verbis. *Ad secundum, quod actio forma accidentalis ita dependet ab actione forma substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantis.* & subdit, *quod quando accidens separatum operatur actio, & efficientia forma substantialis suppletur à Deo tanquam à primo agente, à quo dependet omnis actio forma, & substantialis, & accidentalis.* quibus locis expressè fatetur; formas substantiales esse per se operativas. Solùm ergo poterit esse controuersia, vtrum agat mediis potentiis accidentalibus, an substantialibus.

Notandum primum.

Pro cuius conclusionis intelligentia notandum est cum Doctore in 1. distinct. 7. quæstione 1. §. *ad formam*, versic. *ad propositum*, num. 19. quod multæ sunt formæ tam accidentales, quàm substantiales, quæ non sunt actiuæ; & ita nullo modo dant actum secundum. *Quæ autem sit ratio* (inquit Doctor) *quare quadam forma sunt actiuæ, & quadam non, difficile est assignare rationem communem, quia aliqua forma substantiales sunt actiuæ, aliqua autem forma substantiales non sunt actiuæ, & aliqua qualitates non sunt actiuæ, & tamen plus conueniunt qualitates, & qualitates in aliquo conceptu communi, quàm qualitates, & substantia.* Similiter aliqua forma substantiales imperfectiores sunt actiuæ, sicut elementales; & perfectiores non sunt actiuæ, sicut mixtorum, & aliorum inanimatorum; aliqua etiam mixtorum perfectiorum sunt communicatiua sui, sicut animatorum; aliqua tamen perfectiores non sunt communica-

tiua sui, sicut forma corporum caelestium, & forma Angelica. Non igitur videtur ratio, quare aliqua forma in communi sunt actiuæ, & aliqua non; sicut in speciali non videtur aliqua ratio, quare calor est calefactiuus, nisi quia calor est calor; & ita videtur, quod hæc sit immediata, calor est caloris effectiuus; ita etiam videtur, quod omnes forma de genere quantitatis, omnesque relationes non sunt actiuæ; vnde in præfenti non est sermo de singulis formis substantialibus, & quæ dant verum esse composito; sed de eis solùm, quæ sunt actiuæ, & veram habent operationem.

Secundò noto hæc non intendere impugnare causas instrumentales. nam licet eas concederemus contra Doctorem ex dicendis infra q. 13. difficult. 3. art. 1. non tamen inde negandum esset, substantias esse immediatè operativas, & secundum esse substantiale. nam si accidens instrumentaliter virtute substantiæ produceret, hoc esset per influxum ipsius substantiæ, vt cum Suario ibidem ostendemus; ergo substantia se ipsa immediatè esset causatiua, & operatiua istius influxus. Solùm ergo intendo, substantiam esse immediatè causatiuam suorum effectuum tam substantialium, quàm accidentalium, & non mediis potentiis accidentalibus, quod sequentibus dictis sic expiano.

Dico primò, forma substantialis substantialiter influit in alias substantiales formas. Probatum primò ex Aristot. 2. Physic. cap. 7. vbi tribuit formæ substantiali causalitatem formalem, efficientem, & finalem. & 2. de generatione textu 51. reprehendit negantes efficientiam formarum substantialium: sed hæc autoritates, & aliæ similes, licet ostendant formas substantiales esse actiuas, non tamen inime

2 I.
Notandum secundum.

Conclusio prima.

Ratio prima.

immediate, aut sine concursu accidentium, quod nos intendimus. Rationibus tamen efficacissimis sic suaderi potest hæc veritas. Primò ratione Doctoris in 2. vbi supra, num. 16. nam necesse est substantiam generari à substantia tam in generatione uniusca, quam æquiuoca. Probo, quia necesse est, quòd forma generantis, quæ est principium generationis, sit nobilior, vel æquè nobilis, sicut forma geniti. Sed impossibile est formam accidentalem quamcumque esse perfectiorem forma substantiali; ergo non potest esse principium immediatum generandi. Dices, quòd forma accidentalis non est agens principale, sed instrumentale. Contra, quia si sic dicatur, habetur propositum, instrumentale enim agens non mouet nisi quia motum. igitur aliqua immediata efficiencia datur superiori, agentis scilicet substantie. Præterea, principale agens vbi non potest habere instrumentum, quòd attingat terminum, vel passum, ibi immediate attingit terminum; sed in generatione substantiali instrumentum non potest attingere passum, scilicet materiam primam; ergo tunc non utitur eo; igitur saltem tunc attingit immediate passum, scilicet materiam primam.

Secundò probatur ratione eiusdem Doctoris, num. 15, qua utitur ad probandum, potentias animæ rationalis non distingui realiter ab ipsa, neque esse eiusdem accidentia. Nam illud est ponendum in natura, quòd melius est, si sit possibile, ex 2. de generatione textu 59. & 8. Physic. textu 56. natura enim semper desiderat quòd melius est: sed paucitas sine multitudine est melior in natura, si sit possibile; patet primo Physic. textu 35. 41. & 50. Igitur si possunt esse actus diuersi ab una essentia simplici animæ sine eo; quòd istæ potentie sint accidentia realiter distincta, hoc est ponendum: sed huiusmodi paucitas est

possibilis ex supradictis; ergo. Quòd autem ista paucitas sit nobilitatis, patet, quia aliter non competeret enti nobilissimo, cui competit per unisam essentiam suam operari diuersa. Præterea quanto ordinatum ad finem immediatius attingit finem, tanto maioris nobilitatis est: sed essentia ordinatur ad finem; igitur quanto immediatiori modo attingit finem, tanto erit nobilior: sed hoc est, si se ipsa immediate, non mediante aliquo accidenti realiter differente ab ipsa, operetur, & agat; ergo.

Confirmari potest vrgentiàs hæc veritas ex eodem Doctore in 4. vbi supra, §. est contra, num. 12. versic. ex hoc arguitur, quia illa forma est principium agendi, in qua generans & genitum assimilantur; sed generatum assimilatur generanti principaliter in forma substantiali, secundum quid autem sibi assimilatur in accidentibus; ergo. Nec potest euadi dicendo, quòd ista concludunt formam substantialem esse principium agendi, sed remotum tam respectu substantia, quam respectu accidentis, de quibus procedunt rationes. Hoc non sufficit, quia nullus negat in Deo esse aliquam formam, quæ sit principium proximum agendi, non quòd sine causis intermediis agat, sed quòd in suo ordine causandi per nihil medium ultra formam suam agit; ita esto in proposito, quòd tamen improbatum est, quòd accidens habeat quamdam actionem ad substantiam posteriorem actione substantia; substantia tamen per suam propriam formam erit principium actionis sibi propriæ in suo ordine agendi, quia nihil est, (ait num. 10.) instrumentum alicuius causa, nisi superioris causa in genere causa efficientis; ergo si accidens coniunctum per eos est instrumentum substantia, substantia erit superius agens: sed superius agens prius naturaliter agit, & si est naturale agens agit quidquid

25.

22.
Raris
secunda.

vel quantum potest; ergo substantia in illo priori, in eodem tamen instanti temporis, in quo agit ut superius agens & accidens, agit ut instrumentum eius, substantia producet terminum quem poterit producere: sed potest producere totam substantiam, quia perfectio substantia producta non excedit perfectionem substantia agentis; ergo in secundo instanti natura accidens agens non producit substantiam, vel eadem bis produceretur. legatur Doctor 9. Metaphys. quæst. 7.

Obiectio
prima.

Obiicies Aristotelem de sensu, & sensibili c. de sapore, dicentem, ignem non agere ut ignem, sed ut calidum; ergo substantia non immediate, sed mediis accidentibus substantiam producit. Respondetur ignem formaliter calidum duos effectus efficienter habere, nempe ignite, & calefacere; ignit enim per formam substantialem, calefacit autem, & disponit ad formam ignis introducendam per calorem sibi formaliter inhaerentem; est enim ista forma principium productuum alterius caloris, quo lignum, v. g. disponitur ad recipiendam formam ignis: de hoc ergo secundo effectus, seu de hac secunda productione loquitur Philosophus.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò eundem Philosophum primo de generatione, afferentem, actionem non posse esse nisi ubi est contrarietas: sed hæc est inter qualitates, cum substantiæ nihil sit contrarium; ergo substantia non est immediate actiua, sed mediis accidentibus. Respondetur verum esse, actionem non esse nisi ubi est contrarietas dispositiue, quia qualitates oppositæ, & contrariæ disponunt materiam ad receptionem formæ substantialis. Possemus obiicere plures rationes, quibus videtur, accidentia separata à substantia ipsam producere, quod est signum manifestum ha-

bere actiuitatem productiuam formarum substantiarum. Sed ea omnia expendemus inferiùs agentes de instrumentis in communi, & in particulari; ibidémque ostendemus, accidentia solùm dispositiue attingere productionem substantiæ.

Dico secundò, forma substantialis producit qualitates ab ipsa immediate promanantes, v. g. ignis calorem primum, quo formaliter est calidus, primum, inquam. nam postea calefacit, seu producit calorem medio illo formali calore ex se alterius caloris productiuo; & anima nostra intellectionem, & volitionem, seu formas, quibus formaliter intelligit, & vult. Idem dico de sole respectu caloris, de aliisque agentibus æqui-uocis. nam substantia quæuis non est causa uniuoca respectu accidentium, sed æqui-uoca, cum producat effectus dissimiles, & imperfectiores se in entitate. Fundamentum est, quòd si aliquæ substantiæ medijs potentia accidentali producerent accidentia, & non immediate; ergo cum illa potentia sit formaliter accidens distinctum, realiter à substantia per aliam potentiam accidentalem produceretur, & illa per aliam, & sic in infinitum; ergo ut vitemus istum infinitum processum, necessariò deueniendum est ad aliquod accidens immediate profluens à virtute intrinseca, & entitativa substantiæ. Dices, potentiam hanc accidentalem non esse quid per veram actionem productum, sed resultare ex entitate substantiæ, non ut formam productam; sed ut formam, qua producuntur effectus ab agenti principali. nam sicut qualitates secundæ non producuntur per veram actionem, sed ex primarum qualitatum mixtione resultant, ut dicemus lib. 1. de generatione; ita

24.
Conclusio
secunda.

ista potentia resultant ex entitate principalis causae, vt potentia, quibus ad extra producit. Sed contra est, quod etsi negari non possit, hoc aliquibus qualitatibus conuenire; tamen his non videtur concedendum. Ratio est, quoniam calor, quo ignis producit, est eiusdem speciei cum calore producto ab alio calore: sed iste per veram actionem producitur; ergo ille non petit ab intrinseco resultare, nec veram efficientiam excludit. Confirmatur, quia posse producere effectus externos tam accidentales, quam substantiales, est perfectio in causis efficientibus. Patet in prima causa; sed quod est intrinsecum rei, tamquam eius perfectio, non accrescit ipsi ab aliquo extrinseco, sed ipsi identificatur, vt patet in materia prima, quae identificat sibi potentiam receptiuam; ergo principium proximum agendi in causa efficienti, non erit distinctum ab ipsa, etsi ipsa effectio distinguitur.

25. *Obiectio.* Obiicies, si causa substantialis identificat sibi proximum principium operandi; ergo semper & perpetuo operabitur, nunquamque cessabit ab operatione. nam causa naturalis proxime constituta in actu primo semper operatur: sed experientia constat, naturales causas saepius ab operationibus cessare; ergo efficiens substantiale non identificat sibi proximum principium producendi. Respondetur, aliud est habere proximum principium operandi, aliud esse in potentia proxima ad operandum; potest enim accidere, imò frequenter contingit, aliquid habere principium proximum operandi, & esse in potentia remota ad operandum. nam habere potentiam proximam, solum importat habere principium imme-

diatè elicitium, & productiuum effectus, vt diximus supra ex Doctore in 4. dist. 12. quaest. 3. §. *est contra*, versicul. *Nec potest*, num. 12. esse tamen in potentia proxima dicit non solum potentiam substantialiter potentem; sed non impeditam ab aliquo extrinseco, nempe defectu dispositionis, vel approximationis passivi. nam his conditionibus deficientibus agens dicitur remotè potens, vt docet Doctor in 4. dist. 19. quaest. 1. §. *de quarto articulo*, num. 12. ex Philosopho 9. Metaphys. cap. 4. textu 10. idem habet dist. 49. quaest. 6. §. *Dico ergo*, num. 11. & 13. Dicitur ergo potentia remota, non quia mediante alia potentia operetur; sed quia deficiunt illi aliqua conditiones, defectu quarum non est proxime operatiuus in actu secundo. Respondetur ergo argumentum concludere de causa proxime constituta in actu primo, non verò de habente principium proximum operationis; quod etiam Thomistae tenere debent. nam ignis formaliter calidus habet potentiam proximam operandi in eorum sententia; patet tamen non semper operari.

ARTICVLVS III.

Enodantur aliqua dubia ad maiorem huius difficultatis intelligentiam.

Dubitabis primò, an forma substantialis separata à materia posset compositum substantiale producere. Respondet Doctor in 4. dist. 12. quaest. 3. §. *ad tertium*, num. 39. dubitatiuè, his verbis. *Sed quod dicitur ibi, quod forma substantialis, si per se esset secundum auctoritatem hanc Philosophi, non posset esse principium generandi substantiam compositam. hoc quidem habet*

26.
Dubium primum.

dubium, si enim sicut qualitas est totale principium alterandi, ita forma substantialis generantis sit totale principium generandi, consequens est dicere, quod forma substantialis per se ens potest substantiam generare, nisi forte quia non esset sub modo convenienti ad agendum; nihil enim habet modum convenientem ad agendum in materiam quantam, nisi ipsum sit quantum.

Conclusio prima.

Hanc autem difficultatem, quam Doctor non resoluit, sic breuiter in presenti possumus explicare. Dico ergo primò quòd si loquamur de compositis non organicis, carentibusque forma corporeitatis, v.g. de igne, & aliis similibus, si Deus formam ignis separata à materia conseruaret, posset hæc forma ignis compositum producere. Fundamentum est, quòd producere ignem in concreto, nihil aliud est, quàm disponere materiam, & ad eius dispositionem formam substantialem inducere: sed forma substantialis ignis habet virtutem productiuam caloris, & alterius formæ substantialis ignis, cum sit forma verè actiua; ergo hac ratione compositum valeret producere.

27.
Obiectio prima.

Obiecties Aristotelem 1. Metaphys. afferentem, agere per se esse suppositum: sed forma substantialis non est suppositum; ergo nequit per se agere.

Responderetur ex Doctore vbi supra, §. ad secundum, istam propositionem, Actio tantum est suppositi, non haberi à Philosopho 1. Metaphysic. sed ibi habetur, quòd actio est circa singularia. & pro tanto præfert experimentum arti in agendo, vel expertum artificii; sed vnde locus est circa singulare ut obiectum; ergo est solius suppositi ut agentis. Dicit ergo Doctor, quòd quamuis ista propositio esset Philosophi, hæc esset intelligenda; actio est suppo-

siti ut vltimatè denominari ab actione, sed non ut solius denominari ab ipsa; unde licet forma sit, quæ producit suppositum, denominatur vltimatè producens. quare si forma esset separata, ipsa esset, quæ vltimatè denominaretur producens, quia licet non sit suppositum, (ait Doctor) cum tamen nec esset forma actualiter informans, nec aliud compositum constituens; sed per se, & independenter ab alio producens, vltimatè denominaretur producens, seu influens in effectum. Quæ ratio non solum probat de formis accidentalibus, ut intendit ibi Doctor, sed etiam de substantialibus prædictis, non enim formæ substantiales dicuntur ut quo producere, quia sint formæ quibus alij ut quod producant; sed solum quatenus suppositum vel concretum vltimatè denominant producens, tanquam ipsarum constitutum & quod ab eis habet suum esse, fortè & constitutum intrinsecum.

Obiecties secundò Boëtium de *Obiectio* *secunda.*
Hebdomadibus dicentem, in omnibus circa Deum differunt quo est, & quod est; forma ergo, qua nata est esse quo, respectu actionis non potest esse agens; ergo præcisè suppositum, quod natum est habere illam formam, qua est quo, potest esse agens. Confirmatur etiam per exemplum; quia enim anima est quo homo est homo, ideo anima non potest esse homo; ita à simili, forma, qua nata est esse quo aliquis agit, non potest esse agens.

Responderetur ex Doctore, n. 35. potest dici, quòd sicut ipse loquitur ibi, de quo est, & quod est, quodlibet causarum habet ista aliquo modo distincta; eo modo quo nullum creatum est purum esse; sed non oportet, quòd in quolibet creato, quo agit, & quod agit, sint distincta. Si enim anima est essentia simplex,

plex, & idem realiter sua potentia, non est aliud, quod agit actione intellectiva, & quo agit, & ita hic ista est quadam entitas simplex, nec informans aliud. Exemplum adductum de anima, & homine non probat nisi de quo, & de quod in essendo, & hoc accipiendo quo partiale, non quo totale; quod dico, quia ut homo ut quo totali humanitate est homo; sed per animam est homo ut quo partiali, & hoc est quod aliquando consuevit dici de forma totius, & forma partis: forma autem totius est quidditas rei includens utramque partem essentialem, & illa non est aliud realiter ab ipso; quod si sic forte sit aliud, tantum est aliud in modo intelligendi; & tantum isto modo possunt differre quod, & quo respectu actionis, quando quo est quo totale.

Obiectio
tertiam.

Obiicit tertio Philosophum 1. de generatione textu 87. asserentem, quod oportet agens, & patiens communicare in materia; sed si forma separata produceret compositum, non communicarent agens, & patiens in materia, cum hac careret efficiens, seu agens; ergo forma separata à materia non potest producere compositum.

Respondetur ex eodem Doctore §. ad tertium, numero 38. hanc propositionem exponendam esse vel de communicatione actuali, vel de aptitudinali: in casu autem nostro esset communicatio aptitudinalis, quia quantum est ex se, hæc forma esset informatiua materiæ; quæ solutio manifesta est, & iuxta intentionem Aristotelis, qui solum intendit, quod causa, & effectus sint eiusdem rationis; quia ex quo hæc forma est eiusdem rationis cum forma terminante, sequitur quod sicut forma terminans est in materia, ita ista nata est esse in materia: sed non oportet

ipsam actu esse in materia, sicut illa est, quia agere est forme maxime per se entis; sed recipi, vel produci non est forma nisi in aliquo susceptivo.

Obiicit quarto, quod 9. Metaphysic. textu 85. arguitur contra ideas Platonis, quod idea non possit esse principium generandi compositum, quia est forma tantum; ergo à simili, in proposito formis istis repugnabit producere compositum, licet possent quando erant in materia, seu constituebant compositum.

28.
Obiectio
quarta.

Respondetur ex Doctore ibidem, numero 39. intentionem Philosophi esse, quod idea Platonis non potest esse principium generandi substantiam compositam, quia nulla substantia omnino in materiali potest generare substantiam compositam, nisi mediante corpore. Sed unde est hæc propositio vera apud Philosophum? Dico, quod ex hoc quod ponit ordinem causarum in uniuersum esse simpliciter necessarium; & vidit substantias separatas mouere calos secundum positionem suam, ut per talem motum producant aliqua in istis inferioribus, non autem sic mouerent si possent immediate producere ista; quia tunc ille ordo causarum non esset necessarius, quod sibi esset inconueniens. Neque per hoc oportet imponere sibi truffas aliquorum, quod substantia separata non possit causare aliquid hic inferius propter aliquam imperfectionem, vel tale aliquid, vel tale in substantia inseparata; vel propter improprietatem simplicis ad compositum, sed tantum propter istum ordinem causarum. Concessit enim, quod substantia simplex creat calum motum, quod est compositum per accidens; & quare non ita compositum per se, cum ipsum agens non magis habeat conuenientiam cum composito per accidens, nec toto, nec partibus, quam cum composito per se? Sed

Sed non communicamus cum Philo-
sopho in ista propositione, ordo cau-
sarum naturalium est simpliciter ne-
cessarius; admittimus ideo formas
substantiales separatas posse compo-
situm producere, quandoquidem ipse
non negavit hanc possibilitatem,
quia existimaret formam in materia
non esse totam rationem agendi, &
ita si posset per se esse, posset per se
agere; sed quia existimavit, illam
non posse per se esse separatam à ma-
teria propter necessarium ordinem,
& inevitabilem connexionem causa-
rum apud eum.

*Obiectio
quinta.*

Obiicies quintò, charitas separata
à voluntate nequit producere amo-
rem, nec species impressa separata ab
intellectu cognitionem, seu expres-
sam speciem; ergo nec forma ignis
præcisa à materia substantiale com-
positum. Respondetur negando pari-
tatem. nam forma substantialis, cum
sit totale generationis principium,
non dependet à materia in sua causa-
litate, & efficientia: species autem im-
pressa, & charitas, cum sint partialia,
& incompleta principia, nequeunt
separata ab aliis comprincipiis in ef-
fectum influere. Vnde hoc argumen-
tum solum virget quosdam antiquos
asserentes speciem impressam esse to-
tale productivum cognitionis; ipsi
tamen respondere possent speciem
impressam separatam non posse pro-
ducere cognitionem, non defectu
actiuitatis, sed materiæ, seu subiecti.
nam species impressa in eorum sen-
tentia non erat susceptiva expressæ,
sed solum effectiua; recipiebatur ergo
solum in intellectu. Instabis, ergo spe-
cies non in hærens intellectui poterit
eum illo producere cognitionem.
Concedo sequelam, si sit debite ap-
proximata intellectui efficienti, & re-
cipienti; quoniam species nõ in hæret

*Species
nõ in hæ-
ret qua-
tenus spe-
cies, sed
quatenus
accidens.*

præcisè, quia species est, nec hunc ef-
fectum specificum tribuit inherendo;
sed quia accidens est. Vnde si Deus
hanc in hærentiam diuinitus supplere-
ret, valeret optimè cum intellectu
debite approximate concausare co-
gnitionem, seu expressam formam.

Dico secundò, formæ organicæ, seu
quæ exigunt materiam organicè dis-
positam ad productionem formæ sub-
stantialis, siue hæc organizatio sit per
solum quantitatem accidētibus vesti-
tam, & materiæ primæ immediatè in-
hærentem, vt communiter Thomistæ,
siue per formam substantiale corpo-
reitatis, vt nos cum Doctore 1. lib. de
generatione affirmabimus, nequeunt
separatæ sine nouo miraculo compo-
situm substantiale producere. Funda-
mētum est, quod insinuat Doctor vbi
suprà, quia forma non esset sub modo
conuenienti ad agendum in materiam
quantam, nisi ipsum sit quantum, lo-
quendo de agente vniuerso; forma
enim substantialis equi, v. g. cum requi-
rat materiam organicè extensam, non
solum substantialiter, sed quantitati-
uè, & ex se non habeat virtutem pro-
ducendi quantitatem, nec disponendi
organicè materiam, cum hæc sit actio
totius compositi, vt insinuabimus in-
feriùs, & latius ostendemus in libris
de generatione; consequenter nõ po-
terit compositum producere: forma
autem ignis, cum nec supponat mate-
riam organizatam, nec quantam, sed
ipsa cum materia sit subiectum imme-
diatum quantitatis, quæ subiectatur
in toto composito, in viuētibz in
composito resultante ex materia, &
forma corporeitatis: in non viuētibz
autem in toto composito ex materia,
& forma totius, vt dicemus in libris
de generatione; hinc fit, quod sola
virtute calefactiua possit disponere
materiam ad introductionem formæ
substan-

29.
*Conclusio
secunda.*

substantialis, ex cuius positione integrū cōpositum coalescit. Notanter dixi in conclusione, sine nouo miraculo. nam certum existimo, quod si Deus, v. g. separaret formam equi à materia, & aliam diuinitus disponderet vltimatè, forma illa separata aliam similem in specie valeret inducere in illa materia disposita: vel negandum est has formas viuentium esse substantialiter effectiuas, de quibus in libris de generatione, & anima redèbit sermo.

Forma
acciden-
tiales à
subiecto
separata
sunt ve-
rè actiua.

Ex dictis manifestè infertur, formas accidentales separatas à materia vt contingit miraculosè speciebus sacramentalibus venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, esse verè actiuas & productiuas consimilium qualitatum, ob rationes supradictas de formis substantialibus non exigentibus organicam dispositionem.

30.
Dubium
secundū.

Dubium secundum, an sicut formæ substantiales per suam intrinsecam entitatem vniuocè, & æquiuocè proprios effectus producant, ita formæ accidentales propria virtute, & immediatè causent. Respond. affirmatiuè, eisdemque fundamentis probatur hæc conclusio, quibus probauimus supra de formis substantialibus.

31.
Dubium
tertium.
Prentia
aliæ se-
quuntur
formam,
aliæ com-
pōitum.

Dubium tertium, an supposito, quod formæ substantiales immediatè operantur, scilicet formaliter entitas causæ, & principium proximum operationis distinguantur. Pro cuius dubij exacta intelligentia notandum est, quod nō omnes potentia actiua procedunt immediatè à formis, quæ sunt altera pars compositi substantialis. nam, vt benè notauit Philippus Faber in sua Philosophia theoremate 74. c. 1. aliæ sunt potentia, quæ sequuntur compositum; aliæ sequuntur animam. v. g. in homine potentia ad generandum dimanat, & subiectatur immediatè in toto composito, quatenus includit

vttramque perfectionem corporis, & animæ. nam anima non est, quæ immediatè generat, sed compositum: sicut nec anima est, quæ videt, aut gustat, licet istæ affectiones non possint conuenire composito, nisi quatenus participat influxū ipsius animæ. Aliæ sunt, quæ ipsam animam immediatè afficiunt, sicut intellectus, & voluntas, quod manifestè patet in anima separata à corpore, quæ independentè ab eo suis gaudet operationibus in patria, vbi videt clarè Deum, & perfectissimo diligit amore. Vnde aliud est inquirere, vttram potentia substantialis absolutè distinguantur à forma substantiali; aliud autè, vttram distinguantur à suo intrinseco principio. nō certura est, quod illæ potentia immediatè profluentes à composito, à forma realiter distinguantur. nam si compositum distinguitur realiter à partibus simul sumptis, & vnitis, & à quolibet parte seorsim sumpta, ex q. 7. d. 1. art. 2. etiam eius potentia ab eisdem partibus realiter distinguantur. Ideo ergo solū est sermo de potentiis ad sua intrinseca principia comparatis, v. g. de potentia generatiua in homine respectu compositi, & de intellectu, & voluntate respectu animæ rationalis, aut de potetia igniendi respectu ignis.

Omnes authores, qui affirmant, substantiam agere mediis potentiis accidentalibus, consequenter affirmant, potentias realiter, & separabiliter à suis intrinsecis principiis differre. Ratio est conspicua. nam accidens, & substantia realiter distinguuntur. Sed hæc sententia nullis aliis efficacioribus rationibus valet impugnari, quàm eis, quibus supra probauimus fundamentum huius sententiæ falsum esse, nempe substantiam operari per potentias accidentales.

32.

Doctor probabile existimat, quòd sint omnino idem cum suis principiis. ita habet in 2. d. 16. quæst. 1. §. *Dico igitur*, num. 16. his verbis, *Dico igitur, quòd potest sustineri, quòd essentia anima indistincta re & ratione, est principium plurimum actionum sine diuersitate reali potentiarum, ita quòd sint vel partes anime, vel accidentia eius, vel respectus. nam non est necesse quòd pluralitas in effectus realis, arguat pluralitatem realem in causa; pluralitas enim ab vno illimitato procedere potest. Dices, quòd erit ibi saltem differentia rationis penes diuersa connotata, à quibus imponitur nomen intellectus, & voluntatis. Concedo, sed hoc nihil facit ad principium operationis realis; concipere enim solem ut est principium vermis, vel rana, iste conceptus nihil facit ad hoc, quòd Sol producat realiter vel vermem, vel ranam, & tunc oportet dicere, quòd potentia, ut distincta includum respectus, sed non ut sunt principium operandi. Ista via sustineri possit, sicut sustinetur de Deo, quòd omnino idem re, & ratione reali est principium plurimum realiter distinctorum. quæ sententia probabilitate non caret.*

Obiectio prima.

Si autem obicias, quòd ab vno, & eodem principio non possunt actus oppositi promanare. Respond. ex eodem Doctore in 1. d. 39. §. *ad argumenta principalia*, num. 26. quòd potentia esse simul ad opposita non solam non dicit imperfectionem, imò arguit perfectionem; vnde concedimus Deo esse in potentia ad opposita, non tamen habere oppositas potentias, quoniam hoc contradicit diuersæ perfectioni. Quam veritatem adhuc in creatis omnes admittere debet, quandoquidem vna simplex voluntas, si distinguitur ab anima, est principium amoris, & odij, prosecutionis, & fugæ.

Obiectio secunda.

Si autem secundò obicias, quòd

potentia, seu principium operatiuum includit respectum ad obiectum, & ad actum; sed nullus respectus est de intrinseca ratione alicuius absoluti, vt notauimus ex Doctore q. 3. difficult. 2. art. 5. ergo hæc potentia debet distinguí saltem formaliter ab essentia. Respond. hoc argumentum conuincere in principiis Doctoris, si affirmemus, potentiam includere respectum intrinsecum; dicerem tamen ego, quòd sicut in Deo principium producendi, & omnipotentia formalis non identificant respectus ad creaturas, ex Doctore in 1. d. 43. q. 1. §. *hæc dicitur*, vers. 3. num. 4. quia nulla perfectio diuina dependet à creaturis, aliàs Deus non esset ita perfectus ab intrinseco, si creaturæ non essent. quòd enti per essentiam manifestè repugnat, & hoc arguit perfectionem in operante. Sic in creaturis principium proximum operandi non includit respectum, sed est ipsamet entitas rei operans per suam essentiam non independentem ab alio vt prima causa, sed dependenter vt causa secunda & creatura.

Si verò tertio obicias potentiam productiuam non posse concipi sine respectu ad producibile. Respond. hoc prouenire ex imperfectione nostra non valente distinguere diuersam virtutem operandi sine respectibus diuersis, quòd nihil obest, vt ipsa natura sit proximum operationis principium.

Sed verior sententia est, quam tenet expressè Doctor in 2. d. 16. q. 1. §. *sed quia*, num. 17. nempe entitates actiuas agere proximè mediis potentiis ab ipsis formaliter distinctis; quòd licet solam expressè affirmet de anima rationali respectu suarum operationum; tamen eadem est omnino ratio de quibuscumque actiuis entitatibus. Fundamentum præcipuum huius sententiæ

Obiectio tertia.

33.
Verior sententia.

Potentia
formali-
ter à suo
subiecto
differunt.

rentiæ est, quod prius conuenit rei esse, secundo operari, ergo prius constituitur entitas in esse essentiali, quam in esse operatiuo: sed hæc virtus formalis operatiua nequit ei conuenire per aliquam entitatem realiter distinctam, & accidentalem, vt supra; ergo per aliquam formalitatem, siue realiter identificatam, distinctam vero formaliter, debet constitui formaliter potens. Formaliter, inquam, nam radicalis virtus inest ei essentialiter, cum quidditas cuiusuis rei sit radix, & origo istarum, & omnium aliarum perfectionum. Confirmari potest hæc ratio, nam secundum istam viam possunt saluari omnes authoritates illæ Philosophi, quæ dicunt, quod huiusmodi potentia egrediuntur ab essentia animæ, vt quaedam virtutes; item quod sunt mediæ inter formas substantiales, & accidentales, quia sunt quasi passiones animæ, & passio egreditur à subiecto, vel ebullit; sunt tamen essentia animæ idem, vt dictum est supra; & possunt etiam dici partes secundum quod nulla dicit totam perfectionem essentia continentis, sed quasi partialem. Similiter isto modo facile est concipere, quod vna potentia non continet perfectiones omnium, nec totam perfectionem ipsius animæ, licet sit eadem res propter illam distinctionem formalem. Vnde sic contenta non continent se murò; quia sunt distincta formaliter, & inter se à continente primo, cui sunt idem realiter; vnde duo contenta inter se distinguuntur, & respectu tertij, sunt idem realiter.

Tertio ex dictis in Logica quaest. 6. diffic. 1. art. 1. & dicendis in Metaphysica, non alia ratione prædicata superiora, & inferiora in re formaliter distinguuntur, nisi quia de eis diuersa prædicantur, diuersoque modo con-

ceptibilia sunt; sed esse, & operari diuerso modo concipiuntur, diuersasque formalitates important; ergo & formale constitutum essendi, & proximum constitutum operandi: vnde eadem ratione in Deo distinguimus intellectum, & voluntatem, omnipotentiam, & attributa ab essentia diuina cum Doctore pluribus in locis, præcipue in 1. d. 8. quaest. 4. & in 4. d. 46. quaest. 3. & fatemur, Deum per intellectum, & voluntatem operari ad extra; quando autem dicimus, Deum per suam essentiam operari, non intelligimus, quod ipsa formaliter sit proximum operationis principium; sed quod independenter operetur sine concursu alterius superioris causæ, & non per principia realiter distincta, sed sibi realiter identificata; quia diuina essentia ob suam infinitatem omnem sibi identificat perfectionem.

Potes, qualiter identificentur istæ potentia cum suis entitatibus. Respondet Doctor in 2. vbi supra non identificari, nec contineri in suo principio tanquam quid superius, quod est de natura continentis, vt color cum qualitate, sed solum vniuè, quasi posteriora, quæ profluunt ex natura continentis in esse essentiali constituti; isto modo ens continet multas passiones, quæ non sunt res aliæ ab ipso ente, vt probat Aristoteles 4. Metaph. tex. 3. & 5. Distinguuntur tamen abinuicem formaliter, & quidditatiuè, & etiam ab ente; formalitate dico reali, & quidditatiua. Obiicies; ergo creatura non distinguitur à Deo, quandoquidem identificat sibi proximum principium operandi. Respond. non distingui quantum ad hoc, infinite tamen differt adhuc in ista identificatione; quia Deus non solum identificat sibi principium

34.

Potentia
identifi-
cantur
realiter
cum entitatibus
à quibus
promanant.

Obiectio.

Responsio.

cipium operandi in aliquo genere, sed etiam in omni genere, quod creaturæ nequit competere. Item Deus identificat sibi principium operandi independenter; creatura tamen principium operandi dependenter.

35.
Dubium
quartum.

Dubium quartum, qualiter istæ potentia distinguatur inter se? habemus ex superioribus dubiis potentias istas esse idem realiter cum suo principio, loquendo tam de entitatibus accidentalibus, quam substantialibus. Dubitandum ergo venit, qualiter inter se distinguantur. Dico breuiter cum Doctore ubi supra, inter se solam formaliter distingui. Fundamentum est, quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed istæ potentia sunt idem realiter cum suo principio, & distinctæ formaliter ab eo; ergo inter se solam formaliter distinguuntur, & idem realiter sunt, quod principium in creatis perspicuissimum est, & ab omnibus Philosophis admittitur, ideo vsque ad Metaphysicam maiori explicatione non indiget.

Obiectio
prima.
Anima
rationalis
est Tri-
nitatis
imago.

Obiicies, animam rationalem esse Trinitatis imaginem: sed in Trinitate essentia est eadem personis, personæ tamen inter se realiter distinguuntur; ergo etsi potentia animæ, in quibus assimilatur Trinitati, sint eadem animæ, inter se realiter distinguuntur. Respondet Doctor in 2. ubi supra §. ex hoc dico, num. 21. *quod imago Trinitatis non est completè in anima absolute considerata, seu potentijs suis, nisi in radice, sed ut est sub actibus suis cum unitate sua essentia, representat Trinitatem, & sic consistit imago in tribus realiter distinctis, non autem in potentijs qua realiter non distinguuntur; imago enim ut est perpetua, solum est virtualiter in anima, & formaliter sub actibus.*

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò potentias distinguere per actus, ex 2. de anima textu 33.

actus istarum poteriarum distinguuntur realiter; ergo & potentia à quibus promanant. Respondetur, verum esse potentias distinguere per actus, ut ibidem docet Doctor; & in 1. dist. 6. q. 1. n. 3. & 4. *non tamen oportet quòd sit tanta distinctio in potentijs, sicut in actibus, licet sit aliqua; una enim potentia visiva est plurimum colorum, & vnica voluntas plures actus specie diuersos producit: sed de his in Metaphysica erit sermo.*

Qualiter
potentia
distinguan-
tur
per actus.

Obiicies terriò potentiam naturalem esse in secunda specie æqualitatis, ex August. de spiritu & anima, & Aristotele in prædicamentis, & Simplicio supra prædicamenta, capite de qualitate, & Damasceno in sua Logica; ergo est accidens, aliàs potentie substantialis, quæ sequuntur naturas substantiales, ponerentur in prædicamento qualitatis, & sic substantia sub accidenti constitueretur. Respondetur, *quòd potentia naturalis absolute non est in secunda specie qualitatis, sed facilitas ad utendum illa potentia; unde posse leuare festucam non est in secunda specie, sed facilitas leuandi; unde huiusmodi agilitas dicitur hic potentia naturalis, & patet hoc per eius exempla de pugilatore & cursore, & ideo eius potentia currendi absolute, non est in secunda specie, sed agilitas illius potentie, siue in utendo illa potentia, siue potentia quoad illam agilitatem.* Sic venit intelligendus idem Philosophus, & Aug. 15. de Trinitate cap. 23. cum dicunt potentiam suscipere magis, & minus. Vel dicendum est potentias verè effectiuas dici inæquales in conatu, & subsunt actibus suis; non autem formaliter, nam actus non sunt æquales in intentione & perfectione.

Obiectio
tertia.

Non quia
potentia
est in
secunda
specie
qualita-
tis.

Si autem obiicies quartò Anselmū de casu Diaboli c. 8. asserētē quòd potentia ista etsi non sint substantia, non sunt tamē nihil; erunt ergo accidentia, & cōsequenter realiter inter se distincta.

Obiectio
quarta.

sta. Responderetur, non dicere quod non sunt substantia, sed supposito quod non essent substantia, adhuc haberet intentum suum, quia non sunt nihil, & hoc sufficit sibi.

Obiectio quinta.

Obiicies quintò Commentatoré 1. de anima, asserentem comment. 92. quod anima diuiditur in has potentias, sicut pomú in colorem, odorem, & saporem, talis est in accidentia realiter distincta; ergo potentie ab anima & à suis principiis realiter differunt. Responderetur ex Doctore, num. 22. quod similitudo est pro tanto, quia sicut color non est tota perfectio pomi, ut est quid sensibile, similiter nec sapor; sic una potentia non continet totam perfectionem anima.

§ 6. Dubium quintum.

Dubium quintum vtrum potentia ista, quæ formaliter inter se, & à suis potentiis differunt, includant formaliter respectus ad actus, & obiecta. Responderetur affirmatiuè. Dicimus ergo has potentias absolutas, quæ sunt principium effectiuum rerum, & quibus entitates essentialis proximè operantur, identificare sibi respectus ad obiectum, & ad actum; ad obiectum potentia, quæ sunt vitales, & agunt in obiecta; ad actum solum, seu effectum illa potentia, quæ non sunt vitales, sed merè effectiua, vt ignis, calor, &c. Fundamentum præcipuum est, quod eo solum diximus in Logica quæst. 16. difficult. 2. cum Doctore in 2. sentent. dist. 2. quæst. 2. in fine, vbi se allegat in eodem 2. distinct. 1. quæst. 5. seu secundum aliam recentiorum editionem quæst. 4. § ad questionem, & alibi sæpius, vt ibidem notauimus, dari aliquas relationes identificatas cum fundamento, quia hoc nequit intelligi independenter à termino; ideòque inhaerentiam aptitudinalem accidentis esse relationem identificatam cum fundamento, quia accidens saltim quietatiuè nequit sine tali concipi dependentia. Et ideo

Potentia identificans sibi respectus ad actus & obiecta.

etiam quæst. 3. difficult. 2. artic. 5. asseruimus potentiam proximam, qua materia connotat omnes formas indifferenter esse passionem eius, quia nequit intelligi completè, & quietatiuè sine ordine ad formam; ergo cum potentia non possit quietatiuè concipi sine ordine ad obiectum, & actum, identificabit sibi necessariò hunc respectum.

Obiicies Doctorem in 2. dist. 16. quæst. 1. impugnantem Henricum quodlibero 3. quæst. 14. quia asserbat, potentias animæ esse relationes; ergo. Resp. Henricum non solum asserere esse relationes, sed negare includere aliquid absolutum, quod sit principium actus; vnde cum relatio non sit actiua, optimè infert, potentias non constitui solum relationibus. Asserebat secundò has relationes realiter inter se distinguí, quod iam impugnauimus, cum potentia neque inter se, neque à principio realiter distinguantur. Non tamen inde negat potentias secundariò identificare sibi respectus ad actum, & obiecta, vt optimè docet de habitibus respectu obiectorum in 1. dist. 17. quæst. 3. § tenendo, versic. hanc viam, num. 7. quod idem docuit Philosophus de scientia in fine capitis de qualitate.

Obiectio prima.

§ 7. Obiectio secunda.

Obiicies secundò materiam primam nulla potentia absoluta superaddita esse susceptiuam formæ, vt notat Doctor vbi supra, num. 13. ergo efficiens poterit efficere nulla potentia absoluta superaddita. Responderetur negando paritatem. nam materia solum se præbet composito recipiendo, & eius quidditas formaliter actuatur, & completur per aduentum formæ; causæ autem efficientes quæcumque sint, cum aliquid extra se operentur, nullatenus pertinens ad complementum, & intrinsecam entitatem rei,

indigent potentiis absolutis ab eisdem distinctis, quia sicut esse supponitur ad operari, ita & potentia ad hos effectus supponuntur.

*Obiectio
tertia.*

*Quaestio
potentia
duplici
diuerso
respectu
respicit
obiectū.*

Obiicies tertio quālibet potentiam diuersissimos respicere effectus, præcipuè si sit alicuius causæ æquiuocæ, v. g. voluntatis respectu amoris, & odij, &c. ergo tot erunt respectus in potentiis, quot actus, & obiecta, quæ possunt attingere. Respondetur quamlibet potentiam duos respectus includere, vnum transcendentalem, seu formaliter identificatum cum suo principio respicientem actum, & obiectum in communi, à quibus potentia specificantur; alium realiter distinctum, & prædicamentalem terminatum ad obiectum, & actum quando actualiter existunt; in hoc sensu scientia, & scibile referuntur relatione tertij generis, seu mensuræ, & mensurabilis. Dico ergo quamlibet potentiam vnicam solum identificare relationem respicientem actum & obiectum in communi, multiplicari tamen relationes reales prædicamentales ad multiplicationem actuum, & obiectorum existentium; de quibus omnibus in Metaphysica ex professo disputabimus.

Cōclusio.

DIFFICULTAS IV.

*Quid sit influxus causa
efficientis.*

Habemus ex superioribus difficultatibus quamcumque causam efficientem operari non per potentias accidentales, & realiter distinctas, sed influere in effectum proximè mediis quibusdam potentiis sibi identificatis, formalitèrque inter se, & à suo principio solum distinctis. Venit ergo dubitandum, quid sit iste influ-

xus, seu causalitas, quo causa efficiens influit in effectum: & supponimus vt certum, influxum istum debere esse quid realiter distinctum ab ipsa causa efficienti, & per consequens quid ei accidentaliter accre- scens. Ratio est conspicua, quoniam manifestum est, ea realiter distingui, quæ separari possunt; sed causa potest esse sine actuali causatione, vt experientia demonstrat; ergo ab ea realiter distinguitur, eique ab extrinseco contingit.

*Influxus
causa ef-
ficientis
realiter
differt à
suo prin-
cipio.*

ARTICVLVS I.

*Expenduntur diuersa Philosopho-
rum placita circa causalita-
tem efficientis.*

Prima sententia sustinet, actionem esse causalitatem agentis, intelligit tamen per actionem effectum pro- vt in fieri, & quatenus tendentem in factum esse. ita Suarez disp. 18. Meta- physic. sect. 10. num. 5. Conimbri- censes 2. Physic. quæst. 6. articul. 2. Ruu. tract. de causa efficienti quæ- stione 7. Fundamentum potissimum huius sententiæ, quod causalitas agen- tis est illud, quod mediat inter cau- sam, & effectum, seu est fieri rei, & via ad terminum productum, de- nominatque principium actualiter agens: sed hæc omnia à nullo alio, nisi ab actione valent prouenire; hæc ergo est causalitas efficientis. Con- firmatur, quoniam ea est agentis cau- salitas, qua proximè per se immédia- tè, & intrinsecè attingit effectum quasi via ad illum, & tendentia, sed actio est id, quo proximè agens influit in effectum; ergo ipsa est causalitas agentis.

38.
*Sententia
prima.*

Secunda sententia negat, causali- tatem agentis esse actionem, sed agere,

39.
*Sententia
secunda.*

agere, seu efficere effectum. ita Fons-
seca 5. Metaph. quæst. 13. sectione 3.
Mafius in præsentî q. 3. sect. 3. Funda-
mentum est, quòd ea est efficientis
causalitas, qua agens, seu efficiens ab
aliis causis, materiali scilicet, formali,
& finali differt, sed non per actionem,
sed per agere, seu efficere ab omni-
bus aliis causis distinguitur, à mate-
ria quidem, & forma, quia hæc for-
maliter, illa materialiter concurrît,
nulla tamen agendo à fine, quia finis
non efficit rem, sed eius efficitur gra-
tia; ergo causalitas agentis est agere,
seu efficere rem. Confirmatur, quia
causa non censetur agens nisi quate-
nus subest actioni: sed causam subesse
actioni, non est actio, sed agere; ergo
causalitas non consistit in actione,
sed in agere, seu exercitio illius.

40.
Sententia
tertis.

Quidam recentiores Thomistæ
disputat. 10. Physicæ quæst. 8. §. 2.
num. 135. existimant inter hos au-
thores nullam esse controuersiam de
re, sed solam in modo explicandi; di-
cunt enim, quòd authores primæ sen-
tentia loquuntur de causalitate in ab-
stracto, seu de forma, qua agens con-
stituitur causans: authores verò se-
cundæ sententiæ loquuntur de actuali
causatione, seu de causa quatenus
subest actioni, & actualiter denomi-
natur causans; quæ explicatio conso-
na rationi videtur, tamen vtraque
sententia licet supponat fundamenta
vera, quæ nobis probantur articulo
sequenti; peccat tamen, quatenus
affirmat agens, seu efficiens formali-
ter constitui agens hoc fluxu, seu cau-
salitate fundamentali, seu hac fieri
rei, quatenus tendit in factum esse.
Ratio est conspicua, quoniam effe-
ctus est ab agenti, & hoc respicit tam-
quam terminum à quo: sed causa est
ad effectum, & hunc respicit tanquam
terminum ad quem; ergo licet effe-

ctus possit denominari fluens ab hac
causa per dependentiam ab ista; cau-
sa tamen non poterit denominari
formaliter influens in effectum, nisi
aliqua forma in ipsa formaliter in-
hærente, quod articulo sequenti ma-
gis explicabitur: vnde manifestè in-
fertur, quàm falsò quidam recentio-
res Scotistæ huic subscribant senten-
tiæ in hoc 2. lib. Physic. nam præter-
quam quòd expressè id contra Do-
ctorem affirmant, manifestè sic potest
impugnari. Primò, quia si causa po-
test formaliter denominari causans
solum per denominationem depen-
dentia effectus ab ipsa; ergo nulla
ratione poterit conuinci quòd actio
prædicamentalis de quinto prædica-
mento subiectetur in agente, quod
cum Doctore 3. Physicor. quæst. 4.
sustinent hi Scotistæ. nam facillimo
negotio dicent Thomistæ, agens deno-
minari actione ab illo fluente, quam-
uis in alio subiectetur, scilicet in pas-
so. Secundò idem Doctor in 4. dist. 13.
quæst. 1. §. ad argumenta, num. 20. ex-
pressè affirmat, diuinam productio-
nem, seu producere Dei esse aliquam
relationem rationis in ipso, quia per
nullum absolutum Deus potest dici
producing; si ergo sufficeret fluxus
rei vt causa diceretur causans, seu
producing; ad quid ergo Deus expe-
ctaret relationem intentionalem, vt
diceretur producing formaliter? Item
ad quid concederemus cum Doctore
tot relationes realiter distinctas à
fundamentis, si sufficit extrinseca ter-
minatio, vt causa dicatur causans, ef-
ficiens, & producing? negent ergo hi
pseudo Scotistæ veras relationes præ-
dicamentales cum aliquibus recen-
tioribus, & Nominalibus, vel non
affirmant causam hoc fluxu,
seu fieri rei formaliter
causare.

Produce-
re Dei
formali-
ter est re-
spectu ra-
tionis.

mutat materiam, dicitur passio, seu proximum fundamentum passionis. Actio verò formaliter est respectus subiectatus in agenti, quo formaliter agens denominatur. nam sicut in relatione, v. g. identitatis distinguimus proximum, & remotum fundamentum, proximumque existimamus, illam conuenientiam extremorum in prædicatis quidditatiuis, & essentialibus; remotum verò subiecta in quibus mutæ relationes identitatis subiectantur; sic in actione proximum fundamentum, seu fundamentalem actionem nominamus fieri formæ; formalem verò actionem, seu causationem, aut inductionem respectus resultantes in fundamento remoto, seu subiecto talis actionis, seu causationis: & sicut Petrus, & Paulus dicuntur fundamentaliter idem ob conuenientiam in prædicatis quidditatiuis, formaliter verò relationibus identitatis; sic causa, & agens dicuntur fundamentaliter agere, & causare per fluxum, seu fieri formæ, formaliter verò relationibus actionis, & causationis.

Notandū
tertium.

Tertiò suppono hîc non esse sermonem de actione prædicamentali, seu qua constituitur prædicamentum actionis, nam hæc terminatur, & respicit non effectum productum, sed materiam transmutatam; nec de actione sumpta pro respectu inducentis, & educentis ad inductum, & eductum, quatenus inductum, & eductum. nam optimè potest dari vera causatio, & productio effectus, sine inductione, & educatione: vt si Deus diuinitus formata independentem à materia produceret, tunc esset vera causatio sine educatione, & inductione; solum ergo dubitatur de actione pro fieri formæ, & de relatione causalitatis, qualiter iis causet causa, seu influat in effectum.

Dico primò causalitas efficientis fundamentaliter est effectus in fieri vt tendit in factum esse; docet expressè Doctor in 4. dist. 13. quæst. 1. §. ex dictis, num. 15. & in Metaph. lib. 5. quæst. 2. num. 3. §. ad quæstionem. Fundamentum est, quòd causa secundum esse absolutum, & intrinsecum habet virtutem influendi in effectum; ad absolutum enim in causa sequitur absolutum in effectum, vt ex Doctore in 2. distinct. 1. quæst. 2. §. quantum ad istum articulum, num. 8. diximus q. 2. difficult. 3. artic. 2. ergo fundamentaliter saltim causalitas efficientis est ille fluxus, seu fieri formæ prout tendens in factum esse. quæ veritas confirmari potest omnibus rationibus, quibus alij probât actionem absolute esse causalitatem agentis, eis enim solum ostenditur fundamentalis causalitas, non verò formalis. Item potest hæc veritas suaderi omnibus rationibus, quibus vbi supra ostendimus ad absolutum in causa, sequi absolutum in effectum, huncque immediatè à causa profluere.

43.
Cöclusio
prima.

Quid
causalitas
fundamentalis.

Ad absolute
lutum in
causa sequitur
absolutum
in effectum.

Dico secundò causalitas efficientis, seu efficere formale ipsius est respectus quidam intrinsecus adueniens, resultans necessariò ex positione termini ad istum terminatum, & subiectatum in causa. tener expressè Doctor in 4. vbi supra; & in Metaph. vbi supra etiam. Fundamentum potissimum est, quòd causa formaliter est ad effectum: sed per fieri formæ nequit causa suum effectum formaliter respicere; ergo nequit eo formaliter causare. Maior est certa. Minor probatur primò, quia fieri rei est à causa, & hanc respicit tamquam terminum à quo: sed per istam terminationem causa non respicit effectum, sed respicit causam; ergo nequit isto fluxu formaliter causare. Quod sic

44.
Cöclusio
secunda.
Quid
causalitas
formaliter.

explico. Causa est, quæ est ad aliud fieri rei, & factum esse nõ est ad aliud, sed ab alio; ergo non potest formaliter constituere causam. Secundò terminus, & fundamentum reduplicatiuè loquendo opponitur, vnde in reatiuis identitatis, in quibus est maior similitudo, & æquiparantia, ratio terminandi & fundadi omnino præscinditur. nã Petrus, v.g. terminat relationem identitatis quatenus Franciscus est ad ipsum; fundat verò aliam mutuum, quatenus ipse est ad Frãnciscum: sed in causa ratio termini à quo, & ratio respiciendi se habent tanquã fundamentum, & terminus; ergo causa non potest dici formaliter causans, seu respiciens effectum per fundamentalem causalitatem, seu fluxum formæ. Tertio omnis forma denominat subiectum, in quo est, sed fieri effectus non est in causa, sed à causa; ergo hæc nequit denominari ab eo formaliter influens, seu causans.

45. Respondet huic argumento ille Scotista articulo præcedenti citatus, hoc argumentum probare de causalitate reatiua, nõ verò de absoluta: sed quis non videat, hoc effugium esse inanè. nã vel causalitas absoluta formaliter est causalitas, vel nõ: si non est formaliter causalitas, non est contetio, hoc enim intendimus nos; si est formaliter causalitas, ad quid requiritur alia causalitas reatiua? nam sicut mirabilis videretur qui concedendo Petrum, & Paulum esse idem formaliter suis entitatibus absolutis, postea admitteret aliã formam reatiuam, qua essent idè formaliter reatiuè, cū frustranea esset, sic ipse mihi multo mirabilior videretur, cū ex vna parte admitteret causã hoc fluxu formaliter causare, & postea concedat respectum, quo formaliter causet. Dicimus ergo causam fundamentaliter causare sua entitate ab-

soluta, eiusque causalitatem esse fieri formæ, vt ab ipsa profluentem; formaliter verò esse respectum, quo formaliter influere dicitur, effectumque causare; quod ex solutione argumentorum articulo sequenti clariùs patebit.

ARTICVLVS III.

Obiiciuntur aliqua contra conclusionem, & erodantur.

O Biicies primò Deum formaliter causare quamplures effectus ad extra, & tamen non est capax relationis formalis, est enim incapax cuiusuis informationis; ergo formalis causalitas non est respectus in causa, sed fieri effectus vt ab ea profluens. Probatur consequentia, quod est de ratione formali alicuius, vbi cumque inuenitur, non variat rationem formalem: vnde quia de ratione dealbationis est inhærentia actualis, Deus, qui nequit informari, consequenter dealbari repugnat; ergo si causalitas formalis est per formam inhærentem, Deus non erit formaliter causans, sed est formaliter causans; ergo ista causalitas non constituitur relatione. Respondetur primò, hoc argumento etiam probari posset non dari relationes à parte rei realiter à subiecto distans; quandoquidem sine formis realibus reatiuis Deus distinguitur à creaturis, &c. Resp. ergo secundò Deum formaliter causare per respectum quèdam rationis subiectatū in ipso. tenet expressè Doctor in 4. vbi supra. §. *ad argumēta*, n. 20. vbi hæc habet, *Productio enim diuina, qua Deus producit aliquid ad extra, non est absolutū in eo secundum omnes, quia secundū nihil absolutū in se respicit creaturam; ergo necesse est omnes dicere, illā productionē, qua dicitur Deus produciens, esse respectum.* Vnde ex mēte Doctoris nec

46.
*Obiectio
prima.*

Responsio.

Deus

Deus formaliter causat nisi respectu; ergo argumentum istud ex falsa suppositione maioris ruit manifestè. Instabis, Deum realiter causare: sed iste respectus est rationis; ergo Deus nequit formaliter eo causare. Resp. cum Doctore vbi supra vers. *ad secundum*, n. 23. concedendo creationem Dei esse relationem rationis, & idem dico de quavis operatione ad extra; ad formam ergo argumenti dicimus, hanc actionem esse realem, & substantialem fundamentaliter, non verò formaliter; quod in communi doctrina præcipuis exemplis possumus ostendere. nam sicut transsubstantiatio ex mente Doctoris in 4. vbi supra, etiam si fundamentaliter sit substantialis, & realis, formaliter tamen est respectus rationis, vt libentissimè admittit Vasquez cum omnibus antiquis tomo 3. in 3. part. disp. 181. quæst. 11. & alij quamplures recentiores; & sicut peripathetica schola admittit relationes identitatis, & distinctionis esse formaliter accidètia, & nihilominus eis substantialiter identificari, & distingui; cur etiam & nos non dicemus, quòd creatio sit realis ratione fundamenti, etsi formaliter sit respectus rationis. Instabis secundò, quòd omnis forma denominat subiectum, in quo est: sed hæc est forma rationis; ergo denominabit eum causantem per rationem. Resp. ex dictis quæst. 6. diffic. 2. art. 2. denominationes relatiuorum non esse accipiendas ex natura relationis, sed ex natura fundamenti; relatio enim solùm denominat secundum esse specificum, nempe secundum rationem causandi, vniendi, &c. reliqua verò mendicantur à fundamentis, quorum naturam sapiunt relationes, cum ab ipsis pullulent, & resultent, vt latius explicuimus in Logica quæst. 16. diffic. 3. art. 3. Vnde Doctor nuper citatus optinè notat non bene infetri, Deus relatio-

ne creat; ergo quod principaliter dicit relationem, est relatio. nam est aliud fundamentale, quod subest huic relationi, à quo possit realis, & substantialis denominari. sic venit intelligèdus idem Doct. in 1. dist. 30. q. vnic. per totam, affirmat Deum dici Dominum creatorem, &c. sola terminatione dependentiæ creaturarum ad ipsum, loquitur enim vt cum his locis 4. sententiarum concilietur de fundamentali, seu passiva creatione, & dominio, non verò de formali. nam sicut efficiens dicitur fundamentaliter causans quatenus effectus est ab ipso, sic Deus fundamentaliter creans, quatenus creatura ab ipso dependet, de quibus alibi. quod perspicuis verbis docet in 4. disp. 13. q. 1. §. *ad propositum*, n. 18. ver. & ista. his verbis, *unde productio actiua, vel actio in diuinis est tantum actio, relatio, realis tamen: similiter productio passiva, ad extra autem productio actio est relatio rationis, & è conuerso productio passiva relatio est realis, sicut dictum est 1. lib. dist. 3.* Quo fundamento in tractatu de volutate Dei ostendimus ex mente Doctoris cõtra hunc neotericum Scotistam velle Dei ad extra esse formaliter respectum rationis. Respondebis disparem esse rationem, quoniam volitio ex Doctore quodlib. 13. §. *de tertio articulo*, est forma absoluta, causatio autem includit respectum: sed contrà est, quòd, vt patet ex Doctore ibidem, volitio identificat sibi respectum ad obiectum; ergo magis intrinsecè includit respectum. Ratio est conspicua, quoniam maior identitas arguit maiore necessitatè & cõnexionem extremorum: sed relatio causæ ad effectum, realiter distinguitur à causâ, eiusque entitati accidentaliter cõtingit: relatio autè operationis, seu volitionis ad obiectum, est eadem realiter ipsi; ergo magis intrinseca. Vnde cum actus intrinsecus diuinæ voluntatis, non possit identificare sibi hunc

Instabis
primò.

Instabis
secundò.

respectum; aliàs Deus vel aliquid intrinsecum eius, intrinsecè dependeret à creaturis, quod, cum Doctore, negauimus sapiùs. Itè cū volitio creaturæ sit, ipsam respicere, si diuina volitio identificaret sibi hunc respectû, sicut respectus ei necessariò conueniret, sic & creaturarû efficax volitio, ideo loco istius respectus relationè rationis ponimus, qua obiectû volitû formaliter respiciat, seu qua formaliter obiectû velit: de quibus plura diximus in tractatu de diuina voluntate q. 2. diff. 4. ideo admittit Doct. in 1. disp. 35. q. 1. §. *ad ista*, vers. *ad illud*, n. 16. quòd *Deus prout intelligens dicit relationem rationis positam nõ in primo instati*, id est, in actu primo, *nec in 2.* id est, fundamentaliter, seu quatenus operatio fluit; *sed in 3.* id est, formaliter, & in actu secundo, supposita vtriusque extremi fundamentalitione.

47. *Instatiã*
seriã. Instabis vltimò, respectum rationis expectare considerationem nostrã; sed velle efficax creaturarum non pendet ab humana cognitione; ergo Deus nõ vult formaliter per respectû rationis. Resp. aliqui primò respectum istû esse fundamentalè: sed non euacuant difficultatem, cùm semper perquiramus formam constitutiua operationis. Secundò alij dicunt hunc respectû resultare rei diuinæ cognitionis. Sed cõtra est quòd iam cognitio diuina non solum esset conditio essentialis ad amorem; sed ab ea formalis ratio volendi expectaretur. Breuiter ergo dicimus respectû istum, & alios similes, nõ dici rationis, quia causentur ab intellectu, seu resultent ex eius cognitione, sed solum quia sunt quid diminutum, & imperfectû non requirens semper extrema actualiter existentia, vt relationes prædicamentales: vnde nulla operatione intellectus relationes istæ resultant inter extrema, quæ in genere quid diminutum, seu rationis dicuntur

formales volitiones diuinæ, aliæ formales transsubstantiationes, quarum meminit Doctor in 1. distinct. 45. q. 1. §. *Responsio*, vers. *licet hic*, num. 4.

Si autem dicas harum relationum non meminisse Aristot. Resp. primò argumentum ab autoritate negatiua non esse efficax. Secundò sicut licet ponere cū Doctore relationes extrinsecus aduenientes, itè alias identificatas cum fundamentis, vt diximus in Logica q. 16. diff. 1. et si harû expressè Philosophus non meminerit, cur nõ licebit has relationes necessarias ad explicandas plures actiones admittere.

Obiicies secundò relatiua sunt simul natura, tẽpore, & cognitione; sed omnis causa, vt diximus ex Doct. q. 9. diff. 4. est prior effectu; ergo non constituitur relatione. Resp. concedèdo maiorè ad minorè, dicimus causã esse priorè effectu nõ formaliter, sed fundamentaliter, & quatenus subest relationi.

Obiicies tertio relationè supponere fundamentum, & terminum; ergo relatio causæ ad effectum, supponit effectum causatum, & productum; non ergo causalitas, quæ est fieri effectus, formaliter est relatio. Respond. concedendo causalitatem formalem, supponere effectum productum, & causatum; hoc tamen solum probat, formalem causalitatè supponere fundamentalem. Vnde quamuis forma in fieri, seu fluxus formæ, sit effectio rei, identificeturque cum forma in facto esse, nihilominus iste nequit dici formalis influxus causæ; quia istã nequit denominare formaliter influentem, & causantem: quòd autem relatiua sint simul tempore, & cognitione, non obstat vt saltim fundamentaliter, vel prioritare à quo originis causa existimetur origine prior effectu, vt ex Doctore in 1. dist. 7. quæst. 1. §. *ad aliud*, num. 24. versicul. *cum igitur*, diximus q. 9. diff. 3. artic. 2. Adde, quòd cùm causa

Obiectio
secunda.

Responsio.

48.

Obiectio
tertia.

Responsio.

causa formaliter non possit intelligi sine effectu, quia causa non est ad se, sed ad aliud; implicat in actu secundo & formaliter existimari causam sine fundamentali positione effectus, cum relatio resultet ex termino, & fundamento; sicut quamvis intelligamus identitatem fundamentalem extremorum, nunquam tamē formalem, vsque ad resultantiam relationis: nam hæc est quæ ordinat vñū extremū ad aliud, illa verò solūm convenientiā in prædicatis essentialibus denotat; sic in casu nostro fundamentalis fluxus, seu fieri forme, non dicit ordinē causæ ad effectum, sed solūm denotat effectum istum fieri à causa; quod nō sufficit vt causa formaliter influens censetur.

Obiectio
quarta.

Quartò obijcies Arist. 3. Physicorum text. 19. 21. & 22. asserentem, quòd formale in actione, secundum quod distinguitur à passione, est esse ab alio; ergo vt causalitas sit formaliter causalitas, sufficit quòd sit à causante. Resp. Doctor in 4. d. 13. q. 1. §. ex dictis. vers. et si obijcias. n. 14. ibi Philosophum intelligendum esse de actione pro re acta, nō verò de prædicamentali, hæc enim in agente subiectatur. idem dicimus de fluxu, seu causalitate, quæ licet sit formalis fluxus quatenus est ab agente, nō tamen est, quo formaliter causa influit in actu secundo, cum non subiectetur in causa, ideo fundamentalis censetur, quatenus est fundamentum proximum, quo posito formalis causalitas resultat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum essentia influat in passiones per verum influxum.

49.
Passiones
non differunt
realiter ab
essentia.

Suppono enim pro huius articuli scilicet clariori intelligentia, nō distingui passiones realiter ab essentia; vt diximus q. 11. d. 3. art. 3. dub. 3. & 4. contra Thomistas. Vnde aliter nos, & ipsi in

hac parte philosophamur. nam omnes illi, qui affirmant passiones realiter, & separabiliter ab essentia distingui; consequenter fateri tenentur, per verum influxum produci, cum sint res cōpletæ, & independentes in suo esse cōpleto ab alia causa creata; solūm ergo est controuersia inter istos, an iste influxus verus, & realis sit ipsius essentiæ, an agentis, seu generantis essentiam.

Pater Suarez disp. 18. suæ Metaphysicæ sect. 2. Ruuius lib. 2. de anima, tract. prima. Sententia prima.
statu de potentiis illius, & alij recentiores affirmant, essentiam per verā, & immediatam actionem distinctam ab actione generantis, per quam essentia genita est, influere in passiones, seu eas causare. putant esse sententiam Diui Thomæ 1. parte q. 77. art. 6. quatenus asserit, actualitatem formæ accidentalis, causari ab actualitate subiecti, quod recipit accidens quatenus potentia est. item affirmat omnes potentias animæ fluere à subiecto sicut à principio; ergo essentia immediate influit in passiones, & non generans.

Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quòd si illa resultantia passionum ab essentia, non est vera causalitas, & influxus; ergo iam illa resultantia non erit naturalis sequela causalis, sed illatiua tantum, cōsistens in hoc, quòd posito vno, & aliud propter naturale debitum ponatur: sicut inter materiam, & formam cœli est naturalis illatio, non tamen naturalis veraque emanatio, & ita essentia non cooperatè; sed impura quiete, & otio manente, passiones producerentur in ea, contra communem sensum Peripatheticorum asserentium, passiones dimanare ab essentia, & hanc in eas influere.

Alij affirmant passiones non dimanare ab essentia per verum influxum, Sententia secunda.
seu actionem; sed tantum dimanare

vi, & adiuitate generantis essentiam. putant esse sententiam D. Thomæ 1. parte quæst. 77. art. 6. in solutione ad secundum, vbi asserit subiectum esse solum quodammodo causam suorum accidentium; ergo non vera causa, & in solutione ad tertium docet, emanationem priorum accidentium à subiecto non esse per aliquam transmutationem, sed per quandam naturalem resultantiam. hanc sententiam communiter sequuntur Thomistæ. Fundamentum est, quod ex mente D. Thomæ, vt diximus quæst. 11. diffic. 3. art. 1. substantiæ non sunt verè actiue, sed mediis accidentibus operantur. Sed si per veram actionem influerent in suas passiones, & alia accidentia, essent verè actiue; ergo dicendum est, non influere per veram actionem. Hoc tamen fundamentum reieccimus supra, ibidemque probauimus accidentia verè ab essentia produci.

51.
Verior
sententia.

Nostra ergo sententia aliquibus dictis est explicanda, pro cuius clariori explanatione præmitto, substantiam, respectu formarum, quæ ab ipsa dimanant, trifariam considerari posse. Primò comparata ad proprias passiones, quæ ipsi realiter identificantur, vt diximus ex Doctore in 2. d. 16. quæst. 1. §. *sed quia*, num. 17. quæst. 11. diffic. 3. art. 3. Secundò comparata ad quantitatem, quæ ex communi Philosophorum placito, & fide realiter distinguitur à substantia, aliàs in venerabili Eucharistiæ Sacramento à substantia panis separata non maneret. Tertio in ordine ad prædicamentales relationes, quæ ex dictis in Logica quæst. 16. diffic. 3. art. 2. cum Doctore pluribus in locis, præcipue in 2. dist. 1. quæst. 4. §. *contra istam opinionem*, num. 5. & in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *ad illud in oppositum*, num. 14. sunt

formæ reales accidentales à suis subiectis realiter distinctæ; ideo diuerso modo de his entitatibus promanantibus à substantia loquendum est.

Dico primò, substantia, seu essentia rei non influit in passiones vera causalitate, & efficientia. Fundamentum perspicuum huius dicti est, quod vera causalitas, & efficientia requirit effectum realiter distinctum à sua causa. Sed ex dictis vbi supra, passiones, quæ sunt potentiæ animæ, v.g. intellectus, voluntas, & similiter potentiæ, quibus formæ substantiales, seu accidentales producantur, identificantur suis principiis, etsi ab eis formaliter distinguantur; ergo non producantur per verum influxum. Maior est certa, ex dictis q. 4. vbi supra. quoniam influxus, seu causalitas formaliter est respectus realis subiectatus in causa, & terminatus ad effectum productum. Sed relatio prædicamentalis, ex dictis in Logica quæst. 16. diffic. 5. art. 1. exigunt necessariò extrema realiter differentia; ergo vbi non est distinctio realis inter causam, & effectum, nec poterit esse vera causalitas, & influxus: at passiones non distinguuntur realiter ab essentia, ex notatis nuper; ergo nec per verum influxum producantur. Dicuntur ergo solum dimanare, seu profuere ab essentia, quatenus ex istius positione illarum resultantia, & promanatio necessariò infertur. Vnde non dicuntur termini formales generationis, quia licet ad æquatus terminus essentiam ornatam passionibus, & proprietatibus importet, tamen cum generatio terminetur primariò ad entitatem geniti, quæ habet virtutem influendi in passiones, non dicuntur formalis terminus generationis.

52.
Conclusio
prima.

Petes, verum iste influxus ad aliud quod genus causæ reducat. Resp. reduci

Passiones
non di-
cuntur
terminus
formalis
genera-
tionis.

53.

reduci ad genus causæ efficientis, quatenus ipsa essentia influat in passiones, sicut vera causa efficiens in effectum; non tamen est vera efficientia, quia effectus non distinguitur à causa.

Obiectio. Obiiciuntur passiones, & proprietates rerum esse entitates creatas: sed omne ens creatum per veram actionem producit; ergo & istæ entitates. Respond. concedendo has entitates per veram actionem produci non immediate, sed mediate. possunt enim dici terminus veræ causalitatis, & efficientiæ, quatenus productio, seu effectio entitatis necessariò importat, & imbibit emanationem passionum ab essentia per nullam potentiam separabilem. De ratione ergo entis creati non est, quòd formaliter, & primariò veram actionem terminet generantis, sed sufficit, quòd terminet identicè quatenus identificatur cum primario termino, vt passiones, & etiam ex positione termini primarij necessariò resultet, vt eisdem etiam contingit.

§ 4.
*Conclusio
secunda.* Dico secundò, si loquamur de substantia in ordine ad quantitatem, (hec enim ex dicendis i. lib. de generatione non producit immediate à generante compositum, sed ab hoc pululat, & resultat) causatur à substantia, seu composito substantiali per verum, & realem influxum. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quòd ad veram causalitatem, & efficientiam solum requiritur fundamentaliter, quòd ad absolutum in causa sequatur absolutum in effectum, vt diximus quaest. i. i. vbi supra, seu, quòd effectus realiter distinctus fluat ab entitate intrinseca causæ, vt inde relatio prædicamentalis formalis causalitatis resultet. Sed ad absolutum compositi substantialis sequitur absolutum quantitatis realiter distinctæ,

& ab eo profluentis; item hæc extrema sunt capacia ob talem distinctionem relationis prædicamentalis causæ ad effectum; ergo substantia vera efficientia, seu causalitate in quantitatem influat. quam sententiam admittere tenetur Suarez vbi supra, quatenus asserit essentiam verè influere in passiones, & accidentia ab ipsa promanantia. Confirmari potest hæc veritas primò, quoniam si quantitas per solam simplicem emanationem promanat à substantia; ergo non poterit ab eadem separari. Probo sequelam. quoniam non alia ratione actio est inseparabilis ab agente, quia se ipsa immediate ab illo fluit. Unde vel non debet in rerum natura inueniri, vel debet ab eo semper promanare; ergo si quantitas solum promanaret ab agente, non posset separari ab eo. Respond. aliqui, quòd licet quantitas non resultet per veram actionem sui subiecti, seu substantiæ, resultat tamen per veram actionem generantis tanquam terminus secundarius eius. Unde ea impedita quo ad extensionem ad effectum secundarium nequit quantitas dimanari. nam licet nequeat actio impediri quin producat terminum primarium; bene tamen ne attingat secundarium: sicut licet forma vnita suo subiecto nequeat frustrari à suo effectu formali primariò; bene tamen secundariò, vt nos diximus quaest. 10. diffic. 2. art. 3. Sed contrà est, quòd potest separari quantitas à subiecto non existente in rerum natura generante; ergo tunc illa quantitas solum à subiecto conseruatur, quia, quòd non est in rerum natura, nec alterius existentiam conseruare valebit; conseruatur ergo à substantia, à qua promanat. Sed si hæc actio conseruatiua non est verus influxus, sicut

sicut actio nequit separari; sic nec quantitas, quod est manifestè absurdum; ergo per veram causalitatem fluit. Addo implicare adhuc diuinitus hanc emanationem non esse veram actionem, quandoquidem ex dictis habet formalem rationem constitutiua propriiissimæ, & rigorosæ actionis.

Obiectio.

Obiiciet actionem fundamentaliter esse formam in fieri vt tendentem in factum esse: sed hæc distinguitur realiter à suo principio; ergo sicut ob hanc præcisam rationem quantitas per veram actionem producit, sic & actio: sed ex communi consensu Philosophorum ad actionem non datur actio; aliàs esset processus in infinitum; ergo distinctio rei promanantis à suo principio, non arguit veram causalitatem efficientem. Respond. actionem non esse aliquid, quod est tale, sed quo aliud est tale: vnde licet forma in fieri, & in facto esse sint idem realiter, tamen quatenus fluens, & in statu actionis non est aliquid tale, nec quod generatur, etsi in facto esse verè dicatur genita & per veram causalitatem effecta. Cùm autem quantitas in facto esse habeat entitatem completam accidentalem non solùm vt quo, & in fieri, sed vt quod, & in facto esse: hinc fit vt hæc distinctio entitatis effectus ab entitate causæ sufficiat ad veram efficientiam: actio autem non est entitas, nec res; sed via, & fluxus ad entitatem, & esse perfectum.

55.

Secundò confirmari potest, si Deus separaret quantitatem à substantia, hancque sine quantitate conseruaret, quod esse possibile diximus in Logica quæst. 15. difficult. 1. art. 5. tunc Deus suspenderet concursum,

ne substantia sibi connaturalem quantitatem produceret. Supponamus Deum concurrere iterum cum substantia ad productionem qualitatis, in tali casu quantitas produceretur de nouo in rerum natura, non ab agenti, quod producit substantiam, quia forsitan iam non esset; ergo ista quantitas per veram actionem produceretur à substantia. Confirmatur vterius, quando de nouo produceretur quantitas à substantia, non posset fieri sine actuali influxu, & concursu Dei. nam sicut per subtractionem concursus quantitas non resultabat, sic vt de nouo pullulet, necessarius est actualis concursus, & influxus Dei; ergo talis resultantia est vera actio. Antecedens patet, quia alioquin esset actu in rerum natura aliquis effectus sine actuali concursu Dei, quod est absurdum. Consequentia verò ex se constat, quia vbi adest nouus & actualis influxus ex parte Dei, adest etiã noua, & vera actio, seu productio. Addo quòd si semel admittamus nouum influxum, & actionem ex parte Dei, necessariò tenemus confiteri veram actionem ex parte creaturæ, aut substantiæ; cùm illa quantitas non producat à solo Deo, identificenturque concursus causæ primæ, & secundæ. Respondetis, virtutem agentis manere in substantia, qua possit quantitas produci, dato quòd producat, etsi hæc productio, seu influxus non erit substantiæ, sed generantis. Sed contra est, quòd hæc virtus agentis, si remanere posset in substantia, esset imperfectior ea; cur ergo concedenda est virtus productiua agenti imperfectiori, quando perfectiori denegatur; ideo quæstione sequenti hanc virtu

virtutem esse fictam, & impossibilem, ex mente Doctoris ostendemus.

Obiectio.

Obiicies contra conclusionem, quod si quantitas per veram actionem, & influxum substantiæ producatur, sequetur manifestè quantitatem non esse secundarium terminum generationis, quod in nostra sententia est falsum. Probatur sequela. nam inquiri, an terminus ille, qui secundarius existimatur, emanet à primario, vel non: si hoc secundum dicitur; ergo iam terminus ille non erit secundarius, quoniam terminus secundarius debet sequi, & resultare post primarium. Nec primum dici potest. nam quod terminat veram actionem ad ipsam solùm terminatam, est terminus primarius, & non secundarius: sed quantitas terminat veram actionem substantiæ; ergo non est terminus secundarius generationis. Respondetur quantitatem esse terminum primarium augmentationis, sic enim dicitur actio productiva quantitatis; existimatur tamen secundarius terminus solùm quatenus actio generantis substantiam necessariò infert actionem productivam quantitatis. Rursus potest dici terminus secundarius adæquatæ & perfectæ generationis, non quia hæc attingat quantitatem, si enim attingeret, primarius terminus eius diceretur, quandoquidem actio terminaretur ad ipsam, sed quia genitum necessariò exposcit quantitatem, & ex vi suæ productionis, & primi esse recepti habet producere quantitatem sibi connaturalem. Instabis, posita visione beatifica, necessariò sequi amorem, & tamen iste amor non dicitur terminus secundarius visionis; ergo quamvis productio quantitatis sequatur necessariò ad generationem, non dicitur quantitas secundarius

Quantitas est primarius terminus augmentationis, non generationis.

Instabis.

terminus. Respondetur primò ex sententia Doctoris in tractatu de Beatitudine, & visione, amorem sequitur ad visionem beatificam non esse necessarium ex vi visionis, & propositionis obiecti, sed infallibilem, efficacia diuini concursus, & speciali Dei manutenentia. Secundò respondetur in communi sententia, ad effectum secundarium non sufficere, quod ex vi positionis termini primarij sequatur aliud productum per aliam causam à termino distinctam, vt accidit in casu posito, quod cognitio, quæ est terminus actualis cognitionis, seu actionis cognoscitiuæ, non producit amorem: sed voluntas in opinione Thomistarum realiter distincta ab intellectu, & intellectione; requiritur ergo quod terminus primariò productus per actionem, necessariò causet alium terminum tamquam sibi debitum, & connaturalem, qualiter accidit substantiæ per se, & primariò terminanti actionem generatiuam, necessariòque influenti in quantitatem tamquam in formam sibi connaturalem, & ad suam conseruationem requisitam. Addo, quod si secundarius terminus terminaret immediatè actionem generantis, non esset cur non diceretur primarius; dicitur ergo secundarius solùm quatenus primarius terminus virtute ab ipso causata influit in alium terminum primariò eius influxum terminantem.

Quid requiratur ad rationem termini secundarij.

Dico tertid etiam relationes resultant per actionem sui subiecti, seu fundamenti remoti, cui inhærent. quod non alio fundamento probat, nisi quia sunt entitates reales de nouo resultantes, realitèrque distinctæ à suo principio, quod sufficit ad veram causalitatem, vt de quantitate diximus dicto antecedenti.

56. Conclusio tertia.

Obiectio prima.

Obiicies primò quòd ex Philoſopho, & Peripathetica ſchola capite de *Ad aliquid*, ad relationem non datur per ſe motus; ideo in Logica q. 16. difficult. 4. art. 1. diximus cum Doctore pluribus in locis, in hoc relationes extrinſecus aduenientes ab intrinſecè aduenientibus differre, quòd ad iſtas non datur per ſe motus; illas verò, nempe extrinſecè aduenientes, motum terminare per ſe; ergo non producantur relationes intrinſecus aduenientes, & tertij prædicamenti, de quibus eſt ſermo, per veram actionem, ſeu influxum, aliàs motum terminarent. Reſpondetur ibi Philoſophum ſolùm intendere non terminare actionem alicuius extrinſeci generantis, ſicut ſubſtantia, quæ per ſe intenditur, & primariò in ipſam tendit generatio; non autem intendit quòd poſitis extremis ex vi poſitionis eorum ſubiectum receptiuum non influat vero influxu, & cauſalitate in relationes. Vnde Docteur vbi ſuprà non aſſerit ad relationes extrinſecus aduenientes dari per ſe motum, quia terminent actionem alicuius efficientis; ſed quia etiam per ſe intenduntur, vt patet de vbi formali, ad quòd per ſe & primariò motus localis terminatur.

Qualiter relationes prædicamentales dicantur verè eſſe.

57.
Obiectio ſecunda.

Obiicies ſecundò commune proloquium eſſe, poſito fundamento, & termino reſultare relationes; ergo non producantur per actionem. Reſpondetur dici reſultare, non quia non terminent actionem, ſed quia ſemper ſupponunt alterius productionem, nempe fundamenti, & termini, vt de nouo ponantur in re. Secundò cum ſint entitates ita imperfectæ, & quaſi modales, vt diximus q. 16. difficult. 5. art. 1. ex Doctore in 2. ſentent. diſt. 1. quæſt. 4. §. *quòd ſi adhuc proteruiatur*, ferè non dicuntur produci per actionem. nam cum actio

fundamentaliter ſit effectus in fieri, ſi terminus eſt imperfectus, & quaſi nihil, actio quoque eodem modo exiſtimanda erit.

Reſolutio totius quæſtionis.

HAbemus ex tota hac quæſtione, cauſam efficientem eſſe primum principium, à quo oritur motus, & quies. Hanc cauſam diuidimus in primam, & ſecundam; hanc ſecundam in moralem phyſicam, & artificialem. Cauſa moralis non influat realiter in effectum, ſed quaſi influens exiſtimatur; hæc eſt conſulens, præcipiens, & ſuadens. Cauſa phyſica alia eſt per ſe, à qua vt tali procedit effectus, alia per accidens non influat per ſe in effectum; coniungitur tamen per accidens cum cauſa. hæc etiam cauſa phyſica, alia eſt principalis, alia instrumentalis, alia partialis, alia totalis, alia vniuoca, alia æquiuoca, alia prima, quæ eſt Deus, alia ſecunda, quæ ſunt quæuis creaturæ: vnde omnes iſtæ cauſæ ſecundæ verè & proprie in ſuos effectus ſibi connaturales, & proportionatos influunt, vt vera Philoſophia, & fides adſtruit. Subſtantie materiales nequeunt producere ſubſtantiam completam; dubium tamen eſt, an præſuppoſito ſubiecto poſſint ſicut formam ſubſtantialem compoſitum generare. Omnem hanc actiuitatem de facto negamus ſubſtantiis ſpiritualibus creatis; hæc tamen poſſunt effectus accidentales producere. Cauſæ iſtæ efficientes per virtutem ſibi inditam realiter identificatam, formaliter verò diſtinctam ſuos effectus producant. Quòd ſi forma ſubſtantialis daretur à materia ſeparata, probabile eſt, quòd poſſet compoſitum non organicum producere, nequaquam verò organicum. Iſtæ cauſæ influunt fundamentaliter per fluxum ſeu fieri formæ;

ma; formaliter verò relatione quadam prædicamentali. quæ influentia, & vera causalitas non convenit essentia respectu suarum passionum, cum ipsi identificentur; benè tamen substantia respectu quantitatis, & cuilibet subiecto respectu prædicamentali, & intrinsicarum relationum.

QVÆSTIO V.

De dependentia causa secundæ à primâ, & de modo, quo primâ cum secundâ concurrat.

EXPLICATIVVS quæstionibus antecedentibus causarum influxum & virtutem operandi; nunc autem examinandum venit, an ultra hanc virtutem indigeant aliquo influxu primæ causæ, vt hanc virtutem exercere valeant. Circa quam quæstionem plura sese offerunt examinanda. Primum, vtùm Deus concurrat cum causis secundis, & an hoc lumine naturali, & Aristot. principiis pateat. Secundum, quo pacto concurrat causa primâ cum secundis, an immediatione suppositi, an virtutis, an solo influxu. Tertium, an causalitas causæ primæ sit prior causalitate causæ secundæ, & qualiter.

Notantur aliqua pro totius quæstionis intelligentia.

ANequam ad explicationem apositarum difficultatum accedamus, aliqua præmittere placuit, quæ si ignorentur, difficilè latis harum difficultatum resolutionem intelligere valebimus.

Nota primò, auxilium, & concurr-

sum Dei nõ idem omnino significare. est enim auxilium quid superius, quoniam licet omnis concursus auxilium sit, non tamen quoduis auxilium concursus est; patet manifestè ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 111. art. 2. vbi docet, quod homo per gratiam operantem adiuuatur à Deo, vt bonũ velit, & tamen gratia operas, seu habitualis non est concursus. Secundò lumen gloriæ collatum Paulo in via ad videndum Deum, & lumen prophetiçum, non sunt concursus Dei, & tamen sunt auxilia, scilicet qualitas aliqua supernaturalis confortans, & adiuuans potentiam, vt eliceat actus illos supernaturales, vel aliquod aliud donum; ergo. Tertio auxilia sufficientia dantur ad operationem, & cõsensum nostrum liberè eliciendum, propriusque pertinet, vt nomen ipsum *sufficientia* sonat, ad posse quàm ad operari: vnde in latitudine auxiliij sufficientis ea intrant, quibus redditur causa secundâ potès ad operandum; ergo communior est ratio auxiliij, quàm concursus. Quarto, teste D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 12. gratiæ gratis datæ distinguuntur ab operationibus: sed gratiæ gratis datæ auxilia sunt; ergo auxilium quid communius est operatione, & cõcursu. Maior constat ex sequentibus verbis Apostoli, *diuisiones gratiarum sunt, idem autè Spiritus, & diuisiones operationum sunt, idem autem Dominus, qui operatur omnia in omnibus*; ergo nomine *auxilij* quamcumque gratiam, siue operantem, siue excitantem, aut adiuuantem comprehendit; non ergo omne auxilium est concursus, licet omnis concursus sit auxilium. Ratione etiam sic suadet, quoniam auxilium dicitur quidquid indigenti conceditur, vt eius indigentia subleuetur; & quidquid debili communicatur potentia, vt confortetur: at id nequit dici concursus,

Auxilia & concursus diuines non idem significant.

I.
Notan-
dam pri-
mam.

cum concursus sit quasi cursus simultaneus, & operatio cum alio; ergo & illa receptio virtutis, qua debile confortatur agens ante operationem, & cursus, erit quidem auxilium, sed non concursus; unde habitus infunduntur à Deo per modum auxilij, seu ad augendas vires potentiae, vt patet ex Doctore in 1. dist. 17. quaest. 2. & 3. & alibi saepius, non quia habitus non concurrat cum potentia, quia oppositum docet ibidem, sed quia habitus datur per modum principij solum terminantis diuinam actionem; hæc enim est, quæ sola producit habitum in potentia sine huius concursu, ideo dicitur auxilium respectu potentiae, quatenus eo auxiliatur non solum in actu secundo, & per modum operationis, sed etiam in actu primo.

Secundò noto, concursum, seu influxum Dei duplicè esse, seu dupliciter intelligi posse, vel quatenus eliciens operationem, seu concurrens efficienter cum causa secunda; vel quatenus communicat aliquam efficiendi virtutem secundæ causæ sibi subordinatæ, vt ipsa media illa completam habeat virtutem agendi, possitque in genere suo operari, & efficere. Modus ille prior licet sit concursus cum causa secunda, non censetur esse in causam, sed in effectum, quia operatio, quæ elicitur, transiens est. nam actio quatenus actio, vniuersaliter loquendo, licet ab agente sit, est tamen ad effectum; ergo si solum eliciendo operationem Deus efficit cum causa secunda, operabitur quidem in effectum, nihil verò efficit in causam. Si verò influat etiam modo secundo, complens scilicet virtutem causæ dependentis ab illo, vt sic ipsa operetur, & efficiat, concurret quidem vt primum efficiens mouendo causam vt

operetur aliquid, etiam operando in ipsam.

Tertiò noto, concursum Dei duplicem esse, alium naturalem, alium supernaturalem. Concursus supernaturalis ille est, quo Deus cooperatur cum aliqua causa in ordine ad effectus supernaturales, & extra existentiam naturæ producendos. Naturalis est ille, quo Deus cooperatur cum creatura in ordine ad effectus naturales. Rursus, concursus supernaturalis communis vnus, quo Deus ad quoscumque actus supernaturales se habet; specialis alius, quo Deus specialiter se habet in ordine ad aliquem effectum, quod non exigitur in potentia vi alicuius habitus supernaturalis. Exemplum prioris est concursus, quo concurret Deus ad actus fidei, spei, & charitatis; quibus ratione habitus deberetur supernaturalis concursus. Exemplum secundi est, quo concurret Deus ad dispositionem iustificationis impij; quæ in opinione magis probabili non procedit ex habitu charitatis, cum supponat dispositionem eius infusio. Idem dicendum est de concursu naturali suo modo, quod alius est communis exhibitus iuxta existentiam habitus; alius non supponens talem existentiam habitualement in potentia. Exemplum prioris est, quo concurret Deus ad actum temperantiæ habitualis elicitem à potentia habituata; exemplum posterioris est, quo concurret ad producendum ignem cum naturali agente, seu alio igne.

Quartò noto, dupliciter posse Deum attingere effectus creaturarum, vel immediatione suppositi, vel immediatione virtutis; agere immediatione suppositi est operari per virtutem existentem in ipso agente non receptam in alio supposito tamquam medium

3.
Notandū
tertium.

Concur-
ser alius
naturalis,
aliter
supernaturalis.

Quid ob-
curus
vniuersalis &
specialis.

Notandū
quartum.
Quid sit
agere im-
mediatione
suppositi &
virtutis.

2.
Notandū
secundum.
Dei in-
fluxus
duplici-
ter intel-
ligi po-
test.

medium quo agat, vt quando ignis calefacit se solo aërem sibi contiguum: agere immediatione virtutis solum est agere per virtutem suam receptam in alio supposito tamquam medium talis actionis; sic ignis calefacit aërem remotum per calorem existentem, & receptum in aëre proximo.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Deus concurrat cum causis secundis, & qualiter.

ARTICVLVS I.

Ostenditur contra Durandum Deum concurrere cum causis secundis.

4. **D**urandus in 2. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. & alij, quos refert Henricus quodlib. 14. q. 1. existimant, causas secundas per se, & immediatè sine alterius prioris causæ consortio influere in suos effectus; nec aliter Deum concurrere cum eis, quam conservando in illis esse, & virtutem operatiuam, quam dedit eis in creationis initio. Fundamentum huius sententiæ est, primò quòd duæ causæ eiusdem generis tunc solum requiruntur ad vnum, & eundem effectum producendum, quando vna sola catet sufficienti virtute, & ita vel debet eleuari vt instrumentum; vel adiuari ab alio vt partialis causa: sed causæ secundæ sufficienti gaudent virtute ad effectus sibi connaturales, & proportionatos, aliàs dicerentur causæ partiales, seu instrumentales, non autem principales totales, vt dicuntur, & sunt; ergo non indigent actuali Dei concursu. Secundò bene potuit Deus facere creaturas ita perfectas vt solæ ipsæ in suos influant effectus; ergo de facto fecit. nam op-

positum cui reuelatum est? Tertio quando duæ causæ simul ad eundem effectum concurrunt, semper est in effectum assignabilis aliqua ratio ita respondens vni, quod non alteri (aliàs altera earum superflueret;) sed in effectibus causarum secundarum nulla ratio est assignabilis Deo correspondens, quæ ipsis etiam non respondeat; ergo illæ solæ sine actuali Dei influxu producant suos effectus.

Hanc tamen sententiam recentiores non tantum temerariam putant, quia contra communem Scholasticorum consensum cum Magistro in 2. dist. 1. & dist. 37. quibus ad stipulantur plures Patres apud Conimbricenses lib. 2. Physic. cap. 7. quæst. 12. art. 2. sed etiam erroneam, quia contra sacra testimonia. Ioan. enim primo dicitur, *Pater meus usque modo operatur*, vbi operationes à Deo dependere affirmat; & Isaïæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* & Ioan. 16. *sine me nihil potestis facere.* Ad Philipenses 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* & Actorum 16. constat quòd in ipso viuimus, mouemur, & sumus; per *ly viuimus*, denotatur dependentia creaturæ à Deo, quoad esse substantiæ; per *ly viuimus*, dependentia quoad potentias proximas, & vitales; per *ly mouemur*, dependentia quoad operationes ipsas: vnde Psalm. 146. habetur primam causam producere in montibus scænum, sed non immediatè, aliàs terra immeritò diceretur germinans herbam virentem; ergo simul cum causis secundis. Vnde contrariam sententiam, scilicet Deum concurrere cum causis secundis, vt notam lumine naturali tradiderunt Aristoteles 7. Physic. cap. 1. & lib. 8. cap. 5. & 2. Metaphysic. cap. 7. & eam ita certam putarunt Philosophus, & alij Peripathetici, vt ob eam causam

præcisè causas secundas instrumenta primæ appellauerint.

Ratione etiam probatur hæc veritas tam ex parte Dei, quàm creaturarum, quia operari in omnibus, & cum omnibus, attingendo immediatè omnes effectus, arguit infinitam virtutem in causa, & perfectissimum operandi modum; ergo non debet Deo denegari. Secundò probat Doctor in 2. dist. 37. quæst. 2. §. *si hæc via*, & §. *contra istam opinionem*, num. 8. sequeretur enim, quòd si Deus non concurreret cum voluntate nostra, nec influeret in volitionem, non esset naturaliter præsciens futurorum, nec omnipotens.

Deus nec esset omniscius nec omnipotens, si nõ produceret immediatè nostros actus vel nobiscum concurreret. Primam sequelam probat, quia non habet scientiam de futuris contingentibus, nisi quia certitudinaliter nouit determinationem voluntatis sua respectu eorum, ad qua voluntas sua est immutabilis, & impedibilis: sed si voluntas creata est totalis causa respectu sui velle, & ipsa contingenter se habet ad illud velle; ergo quantumcumque voluntas diuina ponatur determinata ad unam partem eorum, qua dependent à voluntate creata, poterit voluntas creata aliter velle, & ita non sequitur certitudo ex cognitione determinationis voluntatis diuina.

Secundam sequelam, nempe quòd Deus non esset omnipotens, tripliciter probat. Primò quia quidquid vult omnipotens, hoc fit: sed si velit volitionem meam fore, & ista est in potestate voluntatis meæ vt totalis causa contingenter se habentis ad illud; ergo ipsa potest determinari ex se ad unam partem, vel ad aliam indifferentem, & ita non potest fieri illud aliud, ad quod voluntas diuina eam determinauit. Secundò, quia voluntas diuina non potest impedire voluntatem meam, nisi violentando eam; si enim ex se determinetur ad unam partem, ex quo determinata est ad unum, non potest impediri nisi violentè, sed voluntatem

violentari includit contradictionem. igitur Deus non potest volitum à voluntate mea impedire. Tertio, quia voluntas omnipotentis producit volitum in esse pro tunc, pro quando vult illud esse; non enim est alius actus voluntatis diuina respectu Angeli, vel alicuius alterius creati, quo producitur in esse: sed si voluntas mea est totalis causa huius volitionis, illa voluntas nullo modo producit istam volitionem in esse; ergo Deus concurret cum causis secundis liberis actuali influxu. obiter tamen oportet notare, quàm expressè Doctor his verbis fateatur causam primam præmouere & prædeterminare secundam liberam suo concursu, & quàm falsò quidam recentiores Scotistæ hanc prædeterminationem tribuant cogitationi præuix ex mente Doctoris; cum hæc solum sit conditio essentialis, quoniam nil volitum quin præcognitum; de quibus satis diximus in tractatu de diuina voluntate.

Ex parte etiam creaturarum sic probat Doctor vbi suprâ, quia sicut creaturæ in esse essentiali dependent à Deo, ita in operari; sunt enim per participationem entia & agentia; ergo dum agunt, non solum pendent, quia in esse & virtute operandi conseruantur à Deo; sed etiam quia in operatione ipsa essentialiter requirunt concursum Dei. quod docuit Philosophus vbi suprâ, dicens, in causis per se ordinatis inferiorem non posse agere sine cõkursu superioris, vt optimè explicuit Doctor in 1. dist. 2. q. 2. art. 1. Secundò in sententia Durandi, non posset Deus impedire actiones creaturarum per subtractionem concursus sui; sed tantum obiciendo eis contraria, vel ipsas destruendo, vel annihilando: quod est absurdum, & in sententia Durandi vltimum est impossibile, quia cum ex Doctore in

in 4. dist. 1. quaest. 1. & dist. 11. quaest. 4. in fine, & communi sententia, annihilatio fit subtractio concursus, quo res conseruatur, si Deus non concurrat, nec poterit suspendere concursum, ac proinde nec annihilare; dicendum ergo est Deum concurrere cum causis secundis, non solum quoad esse, sed etiam quoad operari.

Ad fundamenta Durandi responderetur. Ad primam rationem distinguimus minorem, quoniam dupliciter virtus causae dicitur sufficiens ad effectum producendum. Primum quando non solum adaequatur illi, sed etiam in operando ab alio non dependet. Secundum quando illi adaequatur, siue pendeat, siue non. In primo sensu solus Deus habet virtutem operatiuam, ob suam infinitam eminentiam & perfectionem. In secundo causae secundae gaudent virtute sufficienti operatiua, & in hoc differunt ab instrumento & causa partiali. Ad secundam rationem dicimus, quod cum ex supra dictis essentialiter conueniat creaturae dependere in esse, & operatione a prima causa, implicat aliquam creaturam sine hac dependentia in operando produci. Tertium argumentum solum habet vim in causis partialibus, & non per se subordinatis; non vero in totalibus per se subordinatis, ut Deus & creatura. Ratio est conspicua, quoniam vnaquaque ex istis attingit integrum effectum totaliter, licet in diuerso genere, tota enim substantia ignis totaliter dependet ab igne efficiente tanquam a causa secunda, & etiam totaliter a Deo tanquam a causa prima, a qua omne creatum essentialiter pender.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus attingat effectus creaturarum immediatione virtutis, an suppositi.

HAbemus ex notatis in limine quaestionis quid sit attingere effectum immediatione virtutis, & quid immediatione suppositi. Ostendimus iam praecedenti articulo Deum concurrere cum creaturis, nunc venit explicandum vtrum istos creaturarum effectus ad quos concurrat, attingat immediatione virtutis, an suppositi.

Ferrara 3. contra gentes cap. 7. cum aliis antiquioribus Thomistis affirmat Deum agere cum causis secundis immediatione virtutis, non suppositi. Fundamentum huius sententiae est quod creaturae virtute diuina operantur, Deusque mediis istis causis secundis producit effectus: sed hoc est operari non immediatione suppositi, sed virtutis; ergo.

Nobis tamen dicendum est cum communi sententia, quam tenet Doctor in 2. distinctione 37. quaestione 2. §. Respondeo, & 2. Physicorum quaestione 8. Deum tam immediatione virtutis, quam suppositi cum creaturis concurrere, effectusque earum attingere. Fundamentum est primum, quod vel Deus concurrat cum causis secundis per virtutem creatam, vel increatam: non per virtutem creatam, alias Deus non ageret nisi quatenus ab initio dedit creaturis virtutem quam modò conseruat, quod est incidere in sententiam Durandi, quam articulo praecedenti reiecimus. Si concurrat per increatam virtutem; ergo

7. Sententia prima.

8. Verior sententia.

ergo per virtutem in ipso Deo existentem, quia virtus increata nullibi potest esse, nisi in increato, qualis est Deus; ergo agit immediatione suppositi. Declaratur magis, Deus concurrir ad operationes, & effectus causarum secundarum ubique præsens per immensitatem, concurrir etiam per virtutem increatam in ipso, quæ est eius omnipotentia; ergo concurrir immediatione suppositi. Secundò virtus Dei increata nequit esse in alio supposito, quod mediet inter Deum, & effectum; ergo immediatione suppositi concurrir. Agit etiam immediatione virtutis, quia virtus illa, per quam immediatè causa secunda attingit effectum, est communicata, & participata ab ipso Deo; quod quidem sufficeret etiam cessantibus aliis modis concurrendi, vt immediatione virtutis agere diceretur; ergo immediatione suppositi concurrir cum creaturis ad effectus externos producendos, & immediatione virtutis.

Ad fundamentum Ferraræ dicimus Philosophos affirmare Deum agere mediis causis secundis, non quia mediante alia forma, seu aliquo Physico recepto in eis agat; sed quatenus causæ secundæ dependent à motione diuina, & concursu illius concomitante in operando, de quibus difficultate sequenti, art. 3.

DIFFICULTAS II.

An Deus non solum simul concurrat cum causis secundis necessariis, sed etiam ad agendum promoueat.

DE causis naturalibus, & necessariò operantibus disputamus. nam de causis liberis disputant Theo-

logi, & nos in tractatu de diuina voluntate egimus.

ARTICVLVS I.

Quid senserit Philosophus de hac re.

Quidam recentiores affirmant, Philosophum nunquam concessisse primam causam præmouere, & prædeterminare secundam ad suas operationes. Fundamentum est, quòd 9. *Sententia prima.*
3. Physic. textu 18. loquens de prædictis causis docet, agens vt agens non mutari; ergo potest prædicta causa actu agere quin mutetur: sed si prædeterminaretur, à prima tali prædeterminatione mutaretur, quandoquidem motum prioris causæ reciperet; ergo dicendum est, primam causam ex mente Philosophi non præmouere secundam. Confirmatur, quoniam si ex mente Aristotelis, & omnium Peripatheticorum causæ necessariæ ex se sunt determinatæ ad operandum; ergo non expectant determinationem primæ causæ. Frustrà ergo in sententia Philosophi admitteretur. *Agens vt agens ex mente Philosophi non mutatur.*

Verior sententia affirmat, in sententia Philosophi causam primam non solum influere in secundam, & necessariam, vt diximus difficultate antecedenti art. 2. sed eam præmouere, & determinare ad operandum. colligitur manifestè ex eodem Philosopho 8. Physic. textu 33. vbi agens de causa prima, & secunda necessaria, earumque subordinatione inter eas, hoc opponit discrimen, quòd licet vtraque moueat, siue actiue producat effectum, attamen prima mouet secundam ad talem operationem, non tamen è contra; quod his verbis non obscure ostendit: *10. Verior sententia.*
Vtrumque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouet

moventium, sed magis primum; illud enim mouet ultimum, sed non hoc primum, & sine primo quidem ultimum non mouebit: illud autem sine hoc, ut baculus non mouebit non mouente homine. Idem docet 7. Phys. c. 1. & 8. Phys. c. 5.

Sed huic authoritati varias solutiones adhibet aduersarij. Primò Philosophum huius præmotionis nullibi meminisse, præsertim in libris Physicorum, vbi tantum tangit de motibus naturalibus sensibilibus, & de corporibus mouentibus, & mobilibus: sed contra est, quod Philosophus 8. Phys. ex motibus secundarum causarum primum motorem inuestigatur immobilem, æternum, & infinitum, vt patet ex vltimis capitibus, vltimisque verbis illius libri; ergo non solum de motione corporum inferiorum, sed de motione primæ causæ præmouente has inferiores in suas operationes pertractat.

Alij secundò respondent, Philosophum intelligendum esse de motione latissimè usurpata, quæ in eo consistit, quod causæ secundæ in esse, & conservari à prima dependent. Sed contra est, quod Philosophus ibidem expressè agit de dependentia causarum in causando, quod in exemplo de baculo ab eodem allato manifestè dignoscitur. nam sicut baculus non dependet à manu in essendo, sed in operando; ita secunda causa in operando dependet à prima, & non solum in essendo; aliàs exemplum nullum esset.

11. Alij tertio dicunt ex verbis Philosophi solum inferri còcursum simultaneum, quo Deus cum causis secundis operatur: sed nec hæc solutio satisfacit, quoniam còcursum Dei concomitans est idem cum concursu causæ secundæ; sed concursus causæ secundæ est fieri rei, seu ipsa fundamentalis actio, vt diximus q. 1. 1. diff. vlt. art. 2.

ergo nõ potest esse determinatio causæ ad operandum, quatenus influxus est, nisi addatur aliquid per modum actus primi, quod secundam causam determinet. Secundò si causa secunda agit vt mota; ergo motio supponitur actioni, aliàs non ageret quatenus mota, sed moueretur solum quatenus agit. Tertio hac solutione non posset saluari dignitas primi motoris in mouendo, quam præcipuè intendit Arist. locis citatis. nam si sit mutua dependentia influxu causæ secundæ, & primæ; ergo non est vnde colligamus, hæc esse causam secundam, & illam primam, cum mutuò dependeant, & non sit maior ratio quare vna potius moueat aliam, quàm è contra; & ita vel vtraque, vel neutra mouebitur ab alia, & consequenter nulla earum erit excellentior in modo concurrenti. Dicendum ergo est ex mente Philosophi causam primam præmouere, & determinare secundam; solum ergo potest dubitari, an hæc præmotio fiat aliqua entitate physica, an morali; de quibus art. 3.

Còclusio.

ARTICVLVS II.

Quid sentiendum sit de hac præmotione primæ causæ.

COMMUNIS sententia Scholasticorum affirmat, causam secundam agere quatenus motam à prima, licet non parum dissideant in explicanda hac determinatione, seu motione, de quo art. sequenti erit sermo. Solum ergo in præsentì ostendere conamur esse expressissimam sententiã Doctõris, causam secundam non agere nisi motam à prima, & quatenus ab ista applicatur ad operandũ. tenet expressè in 1. d. 2. q. 2. §. ostẽso, n. 20. vbi eo solum probat Deum agere per voluntatem;

12.
Communis sententiã.

*Causa prima
promouet
& deter-
minat se-
cundam.*

& propter finem, quia causæ secundæ naturales agunt propter finem, quatenus motæ à prima causa. Item eo probat, causam primam contingenter causare, quod aliqua causa secunda contingenter causat. Probat sic sequentiam, quia qualibet causa secunda causat in quantum mouetur à prima; ergo si prima necessario mouet, qualibet alia necessario mouetur, & qualibet necessario causat; ergo si aliqua secunda causa contingenter mouet, & prima contingenter mouebit, quia non causat secunda causa, nisi in virtute prima causa, in quantum mouetur ab ipsa; ergo ex mente Doctoris causa secunda non agit nisi quatenus mouetur à prima. Et d. 8. q. 5. §. *ad argumēta*, n. 26. vers. *Similiter*, hæc habet, *similiter nulla causa secunda causat, nisi prima causa causante causatum eius, & prius naturaliter, quam ipsa causa proxima causat*. Et in eodem 1. sententia d. 39. §. *quantum ad primum*, num. 13. & §. *contra ista*. & §. *viso de contingentia*, idem habet. Eadem veritas colligitur ex eodem Doctore in 3. d. 13. q. 4. n. 20. quatenus asserit, non esse in potestate causæ secundæ prima vti, seu determinare primam causam, vt docet in 2. d. 7. Imò si causa prima determinaretur à secunda, non esset prima, vt idem Doctor docet in 4. d. 2. q. 2. num. 6. & tractatu de primo principio c. 4. n. 9. Vnde cum istæ duæ causæ influant simul in effectum, & pro aliquo instanti operentur, cum in antecedenti non operarentur, necessarium est, quod altera determinet suam concausam; aliàs nulla esset ratio, quare nunc operarentur, & antea non: sed hoc ex mente Doctoris nequit præstare causa secunda; ergo præstat prima.

Obiicies, causas necessarias saltim completas, v. g. ignis, &c. ex se esse determinatas ad operandum, & nullo superaddito causare, vt docet Doctor

in 2. d. 1. q. 2. §. *quantum ad istum articulum*, num. 8. vers. *Dico*, & in 2. d. 16. q. 1. §. *ali j dicunt*, vers. *contra*, n. 13. ergo non requiritur determinatio primæ causæ ad operandum. idem docet Philosophus 8. Phys. text. 18. Resp. Doctorem & Philosophum, vt ex contextu liquet, solum intendere quod agens vt tale non mutetur per actionem suam fundamentalem, id est, à se ipso procedentem, non verò quod agens necessarium non agat vt prius motum à primo; ideo ibidem Doctor statuit illud receptissimum axioma in eius schola, *ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu*.

Obiicies secundò eundem Doct. in 2. d. 37. q. 2. §. *ad solutionem*, vers. *et si obicitur*, n. 15. docentem, causam primam non determinare secundam, nec prius natura causare; ergo sibi contradicit Doct. Respond. Doct. solum negare eam prioritatem quæ denotet causam primam & secundam posse esse sine se inuicem absque contradictione, quandoquidem simul causant; ideo ponit exemplum in causis diuersorum generum. *Sicut enim (inquit) loquendo de diuersis generibus causarum, non prius natura materia materiatur, quam efficiens efficiat, quia sine contradictione possit esse materiatur, & non effectum, vel è conuerso; sed tantum prius natura, hoc est, perfectius causat vna, quam alia; ita in eodem genere causa diuersa causa ordinata, licet habeant ordinem secundum perfectius, & imperfectius causare, non tamen habent prioritatem natura, qua dicat posse esse sine se inuicem respectu tertij; sed inter causas diuersorum generum concedimus aliquam prioritatem, vt hic insinuat Doctor, & nos dicemus q. 15. ergo hoc non excludit causam primam aliquo modo esse priorem in operando, seu præmouere secundam.*

Obiicies tertio eundem Doctorem 2. Phys.

*Responso.
Agens nõ
mutatur
formali-
ter & in-
uicem
actione
funda-
mentali.*

*Obiectio
secunda.*

Responso.

13.
*Obiectio
prima.*

*Obiectio
tertija.*

2. Phys. quaest. 8. §. *quantum ad primum*, docentem causam secundam determinare primam ad hunc, vel illum effectum producendum; ergo prima non determinat secundam. Respond. Doctorem ibi solum intendere causam secundam determinare primam ad hunc, vel illum effectum in specie; non verò ad operandum hinc & nunc in individuo, quod omnes admittere debent. nam postquam Deus produxit ignem, v. g. determinatus manet ad concurrendum cum igne solum ad productionem alterius ignis, vel caloris; ita ut non possit cum eo alios effectus extraneos, seu extra actiuitatem ignis efficere; quòd verò ignis hinc & nunc producat positus omnibus requisitis, pendet à determinatione primæ causæ, & promotione illius, modo inferius explicando.

Responsio.
Qualiter
causa se-
cunda
primam de-
terminat;

14.

Hanc eandem promotionem primæ causæ docet Angelicus Doctor prima parte quaest. 105. art. 5. expressè his verbis. *Considerandum est, quòd si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi. nam primum agens mouet secundum ad agendum, & secundum hoc omnia agent in virtute ipsius Dei.*

Hanc veritatem aliqui probant, quia non datur transitus de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione facta in subiecto, quòd mutatur: sed potentia, seu agens naturale transit de non operante in hoc instanti in operans in alio sequente instanti; ergo per aliquam mutationem factam in causa, seu operante, sed hæc nequit ab alio causari nisi à prima causa determinante, & præmouente; ergo causæ secundæ agunt quatenus motæ, & determinatæ à prima causa. Sed hæc ratio inefficax est. Primò quia eodem argumento

possemus probare primam causam ab alio determinari, siquidem in hoc instanti operatur ad extra, & in antecedenti non operabatur. Secundò causæ naturales semper sunt determinatæ ad operandum: vnde si non operantur perpetuò, est vel ex defectu materiæ, vel alicuius essentialis conditionis, nempe approximationis; ideo his non deficientibus virtute propria transit in actualem operationem, ut de quibuslibet causis tam naturalibus, quàm liberis diximus ex mente Doctoris quaest. 9. difficult. 3. art. 3. Tandem ut potentia dicatur modò operans, quæ antea non operabatur, non est necessaria diuina præmotio stando in hac ratione præcisè. nam sicut Deus fundamentaliter dicitur actualiter creans fluxu formæ, seu creaturæ, formaliter verò respectu quodam rationis; sic creatura dicitur fundamentaliter operans fluxu effectus; formaliter verò relatione quadam reali resultante in causa, quæ terminatur ad effectum, ut cum Doctore diximus quaest. 11. difficultate 4. art. 2. propterea alià efficaciori ratione hæc veritas comprobanda est.

15.

Fundamentum ergo potissimum, cur secundæ causæ præmouentur, & determinantur à prima, est quòd secunda causa non solum dependet à prima in essendo, sed in operando; ergo sicut à Deo habet quòd sit, ita quòd hinc & nunc operetur: sed concursus concomitans præcisè quatenus concomitans est, nequit causare operationem creatam; ergo secundum aliquam prioritatem debet ipsam præmouere, & prædeterminare. Maior est certa. Minorem sic probo, quoniam sicut quando duo portant lapidem, nullus ex operantibus portat lapidem per alium, sed

Depen-
dentia se-
cunda
causa à
prima in
operando
non sal-
uatur
sufficien-
ter con-
cursum cõ-
comitari
& simul-
ari.

ambo simul, quia nullus eorum præmouet, nec applicat alium ad effectum; sic si Deus solùm concomitantè concurreret cum causis creatis ad suas operationes, non diceretur causa operationum creatarum, neque istæ dependentes à Deo, quod est absurdum. Patet, quoniam sicut ratio entis increati, transcendit omnes rationes, quæ inueniuntur intrinsecè in Deo; sic ratio entis creati transcendit omnia, quæ sunt in creaturis; ergo cum agere sit quid creatum, necessariò debet dependere à Deo: sed hæc dependentia non saluatur sufficienter simultaneo concursu, vt nuper dicebamus, admittenda; ergo est aliqua præmotio, seu determinatio primæ causæ.

Confirmatur, quia si Deus non præmoueret causam secundam necessariam ad operandum; ergo causa prædicta se primò moueret, & determinaret, & consequenter non diceretur secunda causa, sed prima, quandoquidem esset primum principium actualis operationis. Respondent aliqui ad rationem primè mouentis, & se determinantis requiri, vt causa habeat esse à se, & operetur independentè ab alio; cum autem causa secunda habeat esse à Deo, indigeatque eiusdem concomitante concursu, nequit causa prima existimari. Sed contrà est, quòd licet hac solutione vitetur manifestè quòd ignis, v. g. non sit primum ens simpliciter, & causa vniuersalis respectu omnium operationum; non tamen quòd non sit primum operans respectu sui operationis, si non sit alia causa præmouens,

& determinans ad suam operationem, cum secunda causa in ordine ad aliam priorem dicatur secunda.

DIFFICULTAS III.

Vtrum iste concursus præmouens, & determinans secundam causam sit aliqua qualitas physica, vel solum influxus Dei.

HAbemus ex difficultate antecedenti, causam secundam nõ agere nisi quatenus motam, & determinatam à prima; venit ergo explicandum, vtrum ista præmotio, qua secunda causa præmouetur, producat aliquam qualitatem physicam, qua causa secunda determinetur, an sufficiat diuinus concursus quatenus tendens in effectum, seu concomitans secundam causam; an verò in isto influxu distinguere valeamus rationem concomitantis à ratione præmouentis.

ARTICVLVS I.

Proponuntur diuersa placita Philosophorum.

Ferrara 3. contra Gentes cap. 7. & 61. *Sententia prima.*
communiter Dominicani ex mente Sancti Thomæ affirmant, concursum Dei esse qualitatem, quam vocat intentionalem, quia non est permanens, sed vt actus intellectus citò trāsiens impressam à Deo creaturis in actu primo, non prioritate temporis, sed naturæ, antequam operari incipiant; à qua qualitate ita efficaciter, aiunt, causam secundam determinari, seu præmoueri ad operandum, vt ea posita implicet non operari, sicut posita intellectu in intellectu, quòd non intelligat. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quòd, vt patet ex difficultate præcedenti, causa prima præmouet,

&

& determinat secundam, sed hæc præmotio nequit esse, nisi aliquid recipiatur in ipsa causa secunda; hæc autem receptum debet esse aliqua qualitas, aliàs non reciperetur in causis, aut potentiis, cum hæc substantia completa, nec accidens possint substare substantiæ; debet ergo causa secunda aliqua physica qualitate prædeterminari. Confirmari potest hæc sententia, quoniam si per modum habitus determinat Deus potentias in ordine ad effectus in specie mediis qualitatibus habitualibus, v. g. fide, spe, & charitate; ergo per modum actus determinabit Deus potentiam ad hanc numero operationem media aliqua qualitate actuali citò transeunte, & tantum durante, quantum infallibilis determinatio potentia in eandem numero operationem.

17. *Communi-
or senten-
tia.* Communior sententia inter recentiores, & ab antiquis satis recepta sustinet concursum Dei præmouentem, & determinantem esse influxum ipsum, quo causæ secundæ operantur vt dependentes à Deo, quatenus causa secunda, v. g. homo non est potens causare sine consortio Dei. Itaque iste concursus in actu primo est voluntas diuina parata concurrere cum homine, à qua voluntate homo dicitur proximè potens in suas operationes; sicut homo non valet solus portare lapidem, si tamen illi adstet socius, iam potest, licet ei nihil intrinsecum addat socius.

ARTICVLVS II.

*Aliquibus dictis explicatur nostra
sententia.*

18. *Diuina
causa* Pro huius articuli clariori intelligentia præmitto, diuinum con-

cursum non requiri, vt causa secunda habeat virtutem operandi; hanc enim ipsi indidit Deus à principio suæ formationis, vt diximus quæst. 11. difficult. 3. artic. 2. sed vt actualiter operetur; in hoc ergo concursu duo distinguo, & rationem mouentis, & determinantis; & rationem influentis, seu concomitantis. Quatenus mouet, dicitur prædeterminare, & præmouere; quatenus cocomitar, identificatur cum causalitate fundamentali creaturæ, & dicitur influens, seu concomitans, quatenus mouens est prior, & habet pro termino causam præmotam, quatenus influens est simul cum causalitate & tendit in effectum productum ab ipso, & creatura. quod sequentibus dictis sic explico.

Dico primò concursus Dei quatenus influens, & concomitans non est qualitas assignata à Ferrara. docet expressè Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. §. ad argumenta, num. 34. versic. & ex hoc patet, & dist. 43. quæst. 3. num. 11. & distinct. 12. quæst. 3. §. quantum ad argumentum principale, num. 40. & tractatu de primo principio c. 2. §. Quod non est, num. 6. versic. *eisi queras*, & alibi sapius. Probat. nam vel per solam impressionem huius qualitatis dicitur Deus concurrere cum causis secundis, vel præter eam requiritur aliquis influxus, quo Deus immediate attingat effectum. Non primum, aliàs diceretur Deus concurrere cum creaturis, non quia immediate attingat effectum, sed quatenus eis tribuit virtutem in actu primo necessariam, vt ipsæ solæ immediate illum attingant. quæ est sententia Durandi difficultate prima refutata. quam rationem tetigit Doctor in 4. distinct. 43. quæst. 3. §. *tertia opinio*, versic. *præterea*, num. 11. his verbis. *Præterea influentia illa non est aliquid absolutum receptum in causa*

non communicat virtutem operandi quatenus cōmunit. & vniuersalis. in eodem diuino concursu distinguitur ratione præmouentis à ratione concomitantis.

19. *Cōclusio.*

causa secunda, quia tunc causa secunda per illud receptum posset agere sine causa prima, cuius influentiam recipit, quia iam habet in se totum illud, propter quod indiget actione causa prima. quod inconueniens est; ergo influentia causæ superioris, respectu inferioris non est aliquid receptum in causa inferiori.

Si autem dicatur secundum, scilicet præter hanc qualitatem requiri aliquem influxum, quo Deus immediate attingat effectum; ergo superfluit prædicta qualitas. Probo sequentem, quoniam ipsæ causæ secundæ habent in actu primo à sua forma, & virtute omnia requisita ad operandum, alioquin si quid eis deficeret, quia sunt causæ secundæ, & creatæ per prædictam qualitatem compleri non posset, cum etiam sit quid creatum, & ita deberet compleri per aliam qualitatem usque in infinitum; unde ut actualiter operentur, solum requirunt concursum Dei, quo simul cum ipsis attingat effectum, & sic illa qualitas physica superflueret.

20.

*Cōclusio
secunda.*

Dico secundo, concursus Dei quatenus concomitans est ipse influxus, seu causalitas causæ secundæ ut prouenit à Deo. tenet expressè Doct̃or ubi supra, & in 1. dist. 17. quæst. 3. per totam, sic probo, quoniam concursus Dei est influxus, quo immediate attingit effectum causæ secundæ ex supradictis: sed influxus, quo Deus immediate attingit effectum, est idem realiter cum influxu, vel causalitate, qua causâ secunda illum attingit; ergo concursus Dei est ipsa causalitas causæ secundæ, ut proueniens à Deo. Minor probatur, quoniam si non esset idem realiter cum influxu causæ secundæ, haberet diuersum terminum, & effectum. Rursus causalitas causæ secundæ, ens creatum cum sit, ab ipso Deo necessariò pender saltim ut quo

(quo pacto pender omnis causalitas à suo principio;) ergo per ipsam attingit Deus effectum, vel terminum illius immediate, non secus ac causa secunda; ac prouinde non est necessarius alius influxus, quo Deus influat in talem effectum. Item si influxus Dei non esset influxus creaturarum, sequeretur, quòd influxus Dei aliquem terminum haberet distinctum à termino creaturarum. Tandem influxus causæ, ut diximus quæstione 11. difficult. 4. artic. 2. nil aliud est fundamentaliter præter fieri effectus, ut prouenit à causâ; ergo cum tantum sit vnus effectus productus ad extra, manifestè sequitur tantum vnus esse influxum. Si dicas quòd influxus Dei terminatur ad influxum creaturæ, contra est, quòd cum influxus creaturæ sit entitas effectus in fieri, diceretur fieri effectus productus à solo Deo, ac per consequens entitas ipsius effectus. Unde patet concursum Dei præmouentem, & prædeterminantem potentiam non quatenus determinantem, sed quatenus influentem, & concomitantem non esse aliquam physicam qualitatem, sed solum influxum ipsum prout à Deo identificatum cum influxu causæ secundæ.

Obiicies primò quòd Deus & creaturæ sunt diuersæ causæ; ergo diuersis causalitatibus influunt in effectus. Resp. esse duas causas subordinatas, & ita vnum, & eundem influxum habent fundamentaliter, aliàs influxus obiecti potentia, & habitus quando tendunt in eundem effectum, essent diuersi. Fundamentaliter, inquam, quoniam formaliter loquendo, cum ex difficult. 4. quæst. 11. artic. 2. causalitas formaliter sit realis respectus in agente subiectus, vel intentionalis, cum agens est incapax inhaerentia, ut Deus, necessariò infertur causalitatem Dei,

*Obiectio
prima.**Responso.*

Dei,

Dei, & causalitatem creaturæ, formaliter loquendo, non esse eadem, sed diuersæ, cum sint duo agētia, & vnum accidens, nequeat diuersa subiecta informare; ergo cum loquimur de identitate causalitatis causæ primæ cum secunda, sermo est de causalitate fundamentali, seu fluxu, aut fieri effectus.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò, eandem numero actionem non posse esse transeuntem, & immanentem, vitalem, & non vitalem: sed intellectio, aut volitio nostra est vitalis, & immanens respectu causalitatis creaturæ, quando quidem manet in ipsa; transiens verò, & non vitalis respectu Dei, quia manet extra Deum; ergo causalitas Dei, & causalitas creaturæ respectu eiusdem effectus distinguuntur. Resp. argumentum concludere de actione comparata ad idem numero agens, non verò ad diuersa subordinata, causa enim prima licet determinet, & præmoueat secundam ad operandum, concurrat tamen cum ipsa iuxta naturam, & exigentiam ipsius causæ. Vnde bene dicimus Deum concurrere ad actionem immanentem, non tamen operari immanentem.

Responso.

21.

Obiectio
tertia.

Dico tertio. Diuinus concursus, quatenus præmouet, & determinat, non est aliqua qualitas intentionalis, aut inherens, qua determinetur potentia ad operandum. colligitur manifestè ex Doctore locis supra relatis, & videtur sententia Angelici Doctoris 1. 2. quæst. 110. artic. 2. vbi docet, quòd dupliciter gratuita Dei voluntate homo adiuuatur. Primo secundum quòd aliquod habituale donum à Deo anima infunditur. Alio modo, inquam, tum anima hominis mouetur à Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum, & hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam

anima. actus enim mouentis in moto est motus, vt inquit Philosophus 3. Physicorum. Ex quibus verbis plura contra oppositam sententiam ex mère sancti Thomæ possumus colligere. Primum quòd mouet ad agendum ipso motu, & actione animæ. Secundum quòd quando mouet ad agendum, nullam imprimit physicam qualitatem. Tertium quòd non tantum dicitur operari cum homine, sed etiam in homine, nihil in illo producendo, sed solum efficiendo motum ipsum, qui etiam ab anima est. Quartum Aristotelem esse pro nobis; applicat enim sanctus Thomas Aristotelis locum huic suæ assertioni. Secundò probatur esse sententiam sancti Thomæ. nam sapius S. Doctor docet, causas secundas instrumenta primæ esse appellandas; sic docet 3. contra gentes cap. 70. & expressissimè 2. 2. quæst. 17. artic. 4. vbi sic ait, *principalis causa agens est; secundaria verò efficiens instrumentale*, vbi respectu primi agentis, Dei scilicet, de quo ibi loquitur, nullum agnoscit secundum agens, quòd instrumentale non appeller; imò vbiicumque agit de motione, & applicatione respectu causæ secundæ, assimilatur eam motioni, & applicationi instrumenti respectu causæ principalis: vnde Caietanus 1. part. quæst. 45. artic. 5. §. ad Durandum, tamquam propositionem receptissimam in doctrina S. Thomæ defendit hanc, *Omnis causa secunda est instrumentum Dei*; sed causa instrumentalis secundum sententiam eiusdem Angelici Doctoris tantum mouetur, applicatur, & eleuatur à principali agente medio motu; non verò media aliqua impressa qualitate, vt aliqui opinantur quæstione 13. difficult. 1. artic. 1. ergo idem censendum est de subordinatione, & passiuæ applicatione causæ secundæ à causa prima. Minor probatur

probatum ex loco citato 3. contra gentes cap. 7. ubi hoc ipsum perspicuis verbis ostendit, *virtus enim inferioris agentis depēdet à virtute superioris agentis, in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti, per quam agit, & conseruat eam, aut etiam applicat ad agendum, sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat, per quam agit instrumentum, nec conseruat, sed dat ei solum motum.* Idem docet 3. parte quæst. 61. artic. 1. ergo ex mente S. Thomæ hæc qualitas physica superflua videtur ad motionem & determinationem secundæ causæ.

Probatio prima.

Ratione etiam probatur hanc qualitatem physicam præmouentem non esse necessariam. Primò, quia mouere nihil aliud est, quàm educere de potentia ad actum, & moueri quàm educi, vt docuit S. Thomas 1. 2. quæstione 9. art. 1. ergo tunc secundarium agens mouetur à superiori agente, quando educitur de potentia ad actum: sed tunc reducitur, cum subest cooperationi superioris agentis; ergo præcisè per cooperationem Dei, & per auxilium, vt sic dicam, societatis, mouet causam secundam; non ergo requiritur præuia aliqua motio imprimens qualitatem physicam, vt secunda causa à prima determinetur.

Probatio secunda.

Secundò non alia efficaciori ratione negat Angelicus Doctor speciem impressam obiecti beatifici, nisi quia Deus est præsens ab intrinseco omnibus rebus; & species datur ad suppleendam absentiam obiecti, quam Deus habere non potest, cum Deus vbique sit præsens, & potens; ergo cum motio ista possit fieri immediatè à Deo per modum superioris causæ intimè præsentis, ista physica qualitas superflueret.

22.

Probatio tertia.

Tertiò in sententia communiori

voluntas, & appetitus mouet potentias inferiores, v. g. manum ad motum sursum, &c. nullam eis imprimendo physicam qualitatem, sed solum per sympathiam, & subordinationem potentiarum: sed magis subest causa secunda primæ, quàm potentia inferior voluntati; ergo potest Deus præmouere, & prædeterminare nulla physica impressa qualitate. Item finis mouet voluntatem ad amorem sui, nulla impressa qualitate intentionali, vt dicemus quæst. 7. diffic. 2. artic. 2. ergo multo melius causa prima secundam.

Probatio quarta.

Quartò, quamuis ista physica qualitas imprimeretur à Deo, nihilominus inanis esset, & perinde patet in voluntate, quæ ob suam perfectionem, & eminentiam in operando à nullo creato determinatur physicè, sed seipsam determinat: vnde est quòd non determinetur habitibus, sed eis pro sua vtatur libertate; & inde colligit Doctor in 1. dist. 13. quæst. 2. quòd si Deus hanc qualitatem infunderet voluntati, ab ea non determinaretur, nec per vllam potentiam posset physicè determinari, cum sit potentia, quæ ab intrinseco habeat determinare se.

Obiicies, diuinum concursum esse simultaneum; ergo nequit dici prior, præmouens, & determinans. Sed huic obiectioni articulo sequenti satisfiet.

ARTICVLVS III.

Qualiter diuinus concursus dicatur præmouens, & prior causalitate causæ secundæ.

HAbemus iam ex articulo præcedenti, diuinum concursum qualitens concomitantem identificari cum

cum concursu causæ secundæ; & quatenus præmouentem non producere aliquam qualitatem physicam, qua secundæ causæ in actu primo præmouentur ad operandum. Est ergo difficultas qualiter iste concursus possit dici prior, & præmouens causam secundam, cum sit ipse fluxus, seu fieri effectus identificatus cum fluxu secundæ causæ.

23. *Conclusio.* Dico ergo, Concursum Dei in quocumque actu tam naturali, quam libero, aut supernaturali esse priorem prioritate perfectionis, seu à quo concursu causæ secundæ, tenet Doctor in 2. distinct. 37. quæst. 2. §. *ad solutionem istorum*, versic. *Et si obijciatur*, num. 15. Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 22. sect. 3. num. 9. & alij grauissimi iuniores. Quod autem ista prioritas non sit prioritas realis, seu existentia in esse physico, respondeatur, quia ista prioritas supponit distinctionem realem extremorum, sicut inter causam, & effectum; vel ad minus ex natura rei, sicut inter essentiam, & passiones. Sed sic est, quod in nullo priori potest intelligi causalitas primæ causæ in esse physico sine causalitate causæ secundæ; ergo nec natura realiter prior prioritate existentia. Secundò effectus ab utraque causa indiuisibiliter pendent; non enim est aliquid in forma fluente, quod à Deo, & creatura non dependat secundum esse absolutum; ergo non possumus in causalitatibus aliquas realitates distinguere, quibus vna sit prior alia. Tertio quod præsupponitur ad aliud, habet influxum in suum posterius: sed actio Dei non influit in actionem creaturæ, sed in effectum, aliàs ad actionem daretur actio. Rursus effectus productus per diuinum concursum esset immediatus: productus autem per causam se-

cundam, mediatus; ergo. Quartò, probatur conclusio, quoniam influxus Dei actualis nunquam est indifferens ad influxum creaturæ, sed semper in actu est; ergo nullam prioritatem habet respectu ipsius.

Obiicies primò quod animal est prius rationalitate, etiam si non influat in ipsam; ergo concursus Dei potest etiam dici natura prior concursu causæ secundæ. Respondetur nos non negare concursum causæ primæ esse natura priorem concursu causæ secundæ. hoc enim docet Doctor expressè in 1. distinct. 17. quæst. 3. & alibi sapius. Sed dicimus, hanc prioritatem non esse existentia, aut causalitatis; ita vt possimus intelligere in causalitate aliquod esse absolutum, vel influens in causalitatem causæ secundæ, vel dependens in fieri actuali à causa prima, & non à secunda. Dicimus ergo hanc esse prioritatem eminentia, vt docet Doctor ibidem §. *ad argumenta*, versic. *cum igitur*, num. 35. vel esse priorem, quatenus causa secunda semper sequitur motionem causæ primæ; vt etiam docet §. *sed tunc*, num. 24. versic. *tertio*. Ad instantiam de animalitate, & rationalitate respondemus, disparem esse rationem, quoniam causa prima nullum habet influxum physicum & realem præcisum ab influxu causæ secundæ, de quo essentialiter aliqua prædicata queant verificari tamquam de non includente formaliter alium concursum; animal autem respectu rationalitatis sua realia prædicata habet præcisa à prædicatis rationalitatis: concursus autem Dei nullis gaudet prædicatis, quatenus influens cum concursu creaturæ distinctis à prædicatis influxus causæ secundæ.

Obiicies secundò influxum Dei dici independentem; influxum verò creatu

creaturæ dependentem ; ergo cùm gaudeant diuersis prædicatis, realiter formaliter distinguuntur, concursusque causæ primæ prior realiter poterit existimari. Respondetur concedendo in hoc absoluto fluxu, v. g. ignis, seu fieri huius esse duos respectus, transcendentale vnum, seu identificatum cum entitate, quo dependet à Deo essentialiter, vt de quouis ente creato sapius diximus; alium vero prædicamentalem in fieri, quo quilibet effectus suam causam respicit, non essentialiter, cùm effectus productus ab vna causa, ex dicendis quaestione 16. difficultate 4. artic. 1. possit produci ab alia, vel à solo Deo, sed accidentaliter, & contingenter: vnde isti respectus, seu dependentiæ realiter distinguuntur, cùm separabiles sint; potest enim hæc numero relatio dependentiæ à creatura separari ab entitate absoluta rei, licet non respectus essentialis dependentiæ; solum autem negamus, quòd in causalitate fundamentali, seu in forma in fieri, villa sit formalitas absoluta correspondens causæ primæ, quæ non correspondeat secundæ, quod sufficit, vt causæ primæ causalitas non dicatur prior realiter causalitate causæ secundæ, aliàs sicut animalitas prioritate reali naturæ est indifferens ad rationalitatem, sic hic numero influxus Dei secundum aliquod esse absolutum indifferenter respiceret influxum creaturæ.

*Obiectio
tertia.*

Obiicies vltimò, hanc esse optimam consequentiam, causa secunda causat; ergo prima. istam verò falsam causa prima causat; ergo secunda: sed illud est prius natura, à quo non valet subsistendi consequentia; ergo prima causa prior est in operando secunda. Respondetur concessa maiori, & minori, negando consequentiam; non

enim infertur, causam primam esse priorem in operando physice, & actualiter cum hac causa secunda; bene tamen esse priorem quoad esse, & posse operari cum hac, & illa secunda causa; aliud quippe est, causam primam esse priorem in entitate, & operabilitate qualibet causa secunda; aliud autem quòd in ipso fluxu, & actuali causatione operationis creaturæ distinguere possimus aliquod esse absolutum prius proueniens à prima causa, quod non proueniat à secunda; est enim entitas indiuisibiliter ab utroque principio proueniens; & de hac integra entitate absoluta dicimus prius prouenire à Deo, quàm à creatura, non quia aliquid physicum producat Deus sine creatura, sed quatenus causalitas primæ causæ est in operando perfectior, & moraliter prædeterminando creaturam secum trahit ad operationem, modo inferius explicando.

Dico secundò, causa prima dicitur præmouere, & prædeterminare secundam, solum quatenus eam determinat moraliter, seu per sympathiam ad operandum, hac solum seruata differentia, quòd causam liberam præmouet supposita cognitione tamquam essentiali conditione, cùm nihil sit volitum quin præcognitum; cæteras verò naturales causas sola præmotione immediata. Hanc autem præmotionem sic explico, Deus ob suam infinitam perfectionem omnes creaturas formauit ita dependentes ab illo, & subditas suæ voluntatis imperio, vt ad nutum eius cunctæ operentur, nec sit aliqua, quæ voluntati eius possit resistere; ex hoc dimanat principio, quòd velle Deum efficaciter pro tali instanti operationem creatam, nil sit aliud, quàm ipsam secum trahere ad operandum; illa
ergo

26.
*Cōclusio
secunda.
Qualiter
Deus præ
moueat
causas
secundas.*

ergo eminentia & quasi superior impulsus dicitur præmotio quasi moralis, & non physica, quia nihil physicum penit in creatura, quo in actu primo ad operandum determinetur, sed quasi per quamdam sympathiam ad nutum diuinæ voluntatis præmouetur, & ad operandum hîc, & nunc determinatur. nam si voluntas, quia potentia superior, solum ob sympathiam, & subordinationem potentiarum, nihil physicum in eis producendo cunctas valet ad operandum determinare; quanto magis ipse Altissimus, cuius nutui subsunt vniuersa, hoc efficere valebit. sic intelligo Doctorem in 2. distinctione 37. quæstione 2. §. *contra istam opinionem*, num. 8. dum infallibilitatem diuinæ scientiæ solum tribuit efficacitati diuini decreti; noscit enim Deus, inquit idem Docteur in 1. distinctione 39. quæst. 5. à num. 25. *efficacitate sui decreti, cui nulla creatura resistere potest*; est enim infinite applicabile, & ita liberè præmouet, & secum trahit causam secundam liberam ad operandum; causam autem necessariam iuxta eius exigentiam necessariò. Sic etiam venit intelligendum quoddam statutum catechismi Romani ex decreto Sacrosancti Cõcilij Tridentini iussu Pij V. editum parte 1. de primo Symboli articul. numero 22. vbi hæc habentur. *Non solum autem Dominus vniuersa, quæ sunt, prouidentia sua tænetur, atque administrat; verum etiam, quæ mouentur, & agunt aliquid intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamuis secundarum causarum efficientiam non impediatur, præueniat tamen, simul eius occultissima vis ad singula pertineat; & quemadmodum Sapiens testatur, attingat à fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter.* Quid ergo per occul-

tissimam vim, qua cuncta præuenit, melius intelligere valemus, quàm suæ voluntatis efficaciam, qua cuncta ad nutum eius, ad operandum hîc, & nunc præmouentur. nam si idem naturæ Authot talem inclinationem indidit agentibus creatis ad defectus naturæ substituendos, vt aqua quasi oblita suæ grauitatis, & naturalis motus specialiter sibi debiti tamquam pars naturæ ad replendum vacuum tali inclinatione anxio conatu impellatur ad ascendendum sursum: cur non putabimus, singulas creaturas tamquam partes materiales diuinæ prouidentia, eique in singulis subditas, hac gaudere inclinatione, vt nulla violentia impellantur, nullo impulsu physico præmoueantur ad operandum iuxta determinationem diuinæ voluntatis, & vniuersalis dominij? Sic etiam veniunt intelligendi omnes Patres dum asserunt Deum operari in nobis, vt operemur; operatur enim, vt definit Arausicanum canone 9. *in nobis, atque nobiscum*; ergo in concursu Dei duo distingo. nam voluntas diuina, quæ est principium operandi cum voluntate creata, & habet simul concurrere influendo in effectum cum causa secunda: huic autem influxui, seu actui secundo supponitur determinatio quædam moralis, qua per sympathiam, & impulsu secum trahit ad operandum.

Obiicies, quòd etsi admittamus, Deum nulla qualitate physica, sed solo suo imperio posse determinare creaturam ad operandum hîc, & nunc, tamen connaturaliori modo hoc fieret media aliqua qualitate physica inhaerente; ergo hæc est admit-tenda. Et sic confirmo, in sententia probabiliori Deus potest supplere suo speciali concursu cuiusuis habitus

27.
Obiectio
prima.

causalitatem, & nihilominus fatentur omnes dari habitus in potentiis tam infusos, quàm acquisitos; ergo quamuis Deus possit præmouere potentiam suo concursu, connaturaliori modo hoc faciet qualitate physica in-hærente. Resp. Deum connaturaliori modo operari cum causis secundis se solo, & immediatè, quàm media aliqua physica qualitate, cum nulla qualitas ita possit intimari potentia sicut Deus. Rursus vel ista qualitas ponitur solùm ad determinandam potentiam, vel ad concurrendum etiam: si dicas primum, contrà est primò quòd connaturalitas non sumitur in ordine ad informationem, sed in ordine ad effecti- onem. Secundò magis connaturale est potentia inferiori subesse imperio superioris immediatè, & per sympathiam, quàm media alia entitate creata, vt patet in potentiis inferioribus respectu voluntatis: vnde maior perfectio, & magis consentanea naturæ entitatis creatæ est dependere à Deo immediatè, & ab ipso præmoueri, & determinari per sympathiã, quàm media alia qualitate physica. Si dicas secundum, nempe hanc qualitatem requiri ad influxum, & concausationem, hoc iam reiecitimus tamquam impossibile, articulo secundo.

Tandem hac qualitate physica posita in voluntate, v. g. nullus sortiretur effectus, vt ibidem diximus. Ad confirmationem de habitibus respondetur habitum infusum, v. g. in quo est maior difficultas, poni in actu primo ad denominandam potentiam formaliter; sunt enim habitus per se infusi quædam animæ pulchritudines, quibus denominamur fideles, grati, &c. hos enim infundit Deus ob hanc causam in potentiis, quod auxilium per modum physicae qualitatis non præstaret, cum citò transiret, &c.

Habet etiam habitus concurrere cum potentia, qui dicitur connaturaliter concurrere, non quatenus inhærens, cum hoc ei contingat non quia habitus, sed quia qualitas, vt patet de specie impressa, quam si Deus conseruaret sine subiecto, posset cum Angelo concurrere ad cognitionem obiecti, sed quatenus est principium creatum magis conforme, & iuxta naturam potentia, vt dicemus in Metaphysica quæstione de habitu in communi, & in particulari; cum autem hæc qualitas ex dictis supra concurrere non possit, sicut habitus, argumentum non vrget; efficacius enim eo probari posset, quòd si est possibilis species impressa obiecti beatifici, de facto datur, & quòd Angelus media specie se ipsum cognoscat; sed de his in propriis locis erit sermo.

DIFFICULTAS IV.

Qualiter Deus ad effectus cause materialis & formalis concurrat.

STatuimus superius Deum concurrere ad singulares effectus omnium, & singularum causarum concursu quodam identificato cum concursu causæ secundæ. Venit ergo dubitandum vtrum sicut Deus concurrat efficienter cum causa secunda efficienti, & in eodem genere causalitatis; ita cum causalitatibus materiae, & formæ concurrat in eodem genere causæ, materialis scilicet, & formalis; an in genere causæ efficiētis, an solùm conseruando materiam, & formam, vt possint suas causalitates exercere.

Resp. s. s.

Cornu-
turaliori
modo de-
terminat
Deus se-
cundas
causas
moraliter
quàm
physica
qualita-
te.

ARTICVLVS I.

Explicantur diuersa quorundam recentiorum placita.

29. *Sententia prima.* **F**onsecra 5. Metaphysicæ quaest. 12. contendit Deum ita esse primam causam in omni genere, vt immediatè concurrat cum secundis ad effectus, vel causalitates earum in eo genere causalitatis, quo secundæ operantur, ita quod Deus in genere causæ materialis concurrat cum materia, vt causa prima materialis, & vt causa prima formalis concurrat cum forma ad eius causalitatem. Vnde causalitate materiæ, & formæ, vt sunt à Deo, omnino à causalitate effectiua excludit. Loquitur autem hic author de causalitate materiæ, & formæ, non quatenus componunt compositum; sed de causalitatibus, quas materia, & forma inter se mutuo exercent, dum materia sustinet in esse formam à se dependentem, vel subiectum, accidentia, & è conuerso forma continet materiam in esse.

Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quod hoc genus causalitatis, nempe conseruatiuæ, nullam includit imperfectionem, ob quam Deo denegari debeat; ergo. Antecedens probatur quibusdam instantiis secundum principia fidei, & nostræ doctrinæ asserta, satis perspicuis. nam si Deus potest in Eucharistiæ Sacramento supplere causalitatem subiecti, qua conseruabat quantitatem propria sua virtute, & efficacia, & in nostra sententia, ex q. 3. difficult. 4. art. 3. num. 47. potest etiam diuinitus conseruare materiam sine forma, & de facto animam rationalem sine materia; cur etiam non valebit, idem concurrente cum secundis causis efficere. Sed iste concursus debet esse in

eodem genere causæ, ac concursus causæ secundæ; quoniam licet Deus eminenter contineat omnes causalitates, non tamen in vno genere causa potest alterius vicem substituere. hoc enim importat supplere vicem alterius, scilicet exercere officium, quod aliud exercebat. Rursus si Deus sustineret accidentia, v. g. sine materia, daretur in rerum natura effectus causæ materialis in actu sine causa in actu, quod est absurdum. Dicendum ergo est Deum incurrere cum causa materiali, & formali in eodem genere causæ, materialiter scilicet, & formaliter.

Hanc tamen sententiam acriter impugnat Suarez statim citandus, & Hurtado disp. 9. Physicæ sect. 2. §. 19. & Pereira lib. 8. capit. 8. asserens, hanc sententiam esse nouam, falsam, debilibusque nixam fundamentis. Et impugnatur primò à Suarez. quia nullus Theologorum, aut Philosophorum Deo tribuit vllum causalitatis genus secundum proprietatem ab efficienti, finali, aut exemplari distinctum, vt patet ex his, quæ docuit D. Thomas 1. parte quaest. 44. secundum proprietatem, inquam, quoniam secundum metaphoram aliquando tribuitur Deo, quod sit quasi forma omnium, & quod omnia viuificet, & quod omnia sustineat, & sit fundamentum omnium. qualiter interdum videtur loqui Dionysius de diuinis nominibus cap. 8. 9. & 10. qui frustra ad alium sensum detorquetur. Quod adeo verum existimant communiter Theologi, vt hac sola ratione existiment personalitatè Verbi nullam propriam causalitatem, terminando humanitatem Christi, exercere, quia personalitas Verbi nihil potest efficere ad extra, quod non sit omnibus personis commune, cæterarumque cau-

30.
Impugnatur prima sententia.
Impugnatio prima.

salitatum est omnino incapax; ergo fingere hanc causalitatem materialem, & formalem, erit contra commune Theologorum placitum. Ego tamen existimo, hoc argumentum non multum virgere. nam Theologi non præcisè affirmant Verbum diuinum nullam causalitatem propriam exercere, quia sit incapax materializationis, aut informationis, sed quia opera ad extra sunt indiuisa, & communia personis. Vnde si hanc causalitas Deo non repugnaret, nec posset conuenire soli personæ Verbi. nam cum esset influxus ad extra, esset omnium personarum; non ergo hac ratione conuincitur sententiam Fonl. esse contra commune omnium Theologorum assertum.

31.
Impugnatio secunda.

Secundò impugnat Suar. quòd præter bonitatem, qua Deus constituitur causa finalis, & ideas, quibus constituitur causa exemplaris, nullam aliam vim causandi in eo agnoscimus, nisi omnipotentiam: hæc autem siue sit potentia executiua distincta formaliter ab intellectu, & voluntate, siue altera illarum, siue omnes simul, solam est potentia effectiua; addere ergo reliquas causalitates dissonum rationi, & inauditum erit. Sed neque hoc argumentum multum virget, nam petit principium. facile enim Fonsca respondere posset omnipotentiam esse productiuam omnium effectuum ad extra. Vnde si materializatio, & informatio esset possibilis Deo, ab omnipotentia sua promanarent. Debet ergo assignari alia efficax ratio, cur isti concursus Deo repugnent, & consequenter à diuina omnipotentia nequeant causari.

32.
Impugnatio tertia.

Tertio impugnat, quoniam materia, & forma non aliter causant, nisi media vnione intrinseca ac formali, non tanquam per conditionem requisitam, sed tanquam per ipsam for-

malem causalitatem: sed nequit intelligi qualiter Deus per formalem vnionem ita valeat causare; ergo fingitur talis concursus materialis, & formalis. Sed neque hæc impugnatio satis impugnat, falsitatemque opinionis huius ostendit. Primò enim supponit materiam, & formam causare media aliqua vnione, seu modum aliquem vnionis esse causalitatem vtriusque. quod nos impugnauimus q. 6. diffic. 1. art. 3. num. 8. Secundò dicitur, quòd causalitas materiæ, & formæ esset, hæc vnio peteret principium. nam si non repugnaret materializare, & formalizare, neque media vnione: nam cum concursus Dei identificetur cum concursu causæ secundæ, si causalitas materiæ, & formæ esset vnio, etiam causalitas concomitans Dei.

Ego autem hanc sententiam sic impugno cum Doct. in 4. d. 12. q. 4. §. *sed quid*, num. 24. vers. *sed contra*. Primò quoniam ex q. 6. diffic. 1. a. 4. n. 17. lib. 1. materia, & forma non aliter causant compositum, quàm informando, & recipiendo. nil enim aliud est compositum physicum præter materiam, & formam actualiter causantes; ergo si Deus nequit concurrere ad causationem totius, nec valebit ad causalitates mutuas informationis, & receptionis. Secundò in hoc distinguitur causalitas materiæ, & formæ à causalitate efficientis, vt diximus vbi supra, quòd hæc est aliquid extra causam, illæ autem trahunt secum causas; itaque efficiens producit extra se, vnde ex interitu causæ non corrui effectus. Causa autem materialis, & formalis se ipsas exhibent causando. Sed Deus nequit exhibere se per modum recipientis, neque per modum informantis, aliàs esset subiectum capax accidentium realium, possetque supplere effectum primarium formæ deal.

*Quarta
& effici-
cior im-
pugnatio.*

dealbando sine albedine, cuius oppositum demonstrauimus q. 3. diffic. 2. art. 2. n. 11. ergo nec concurrere in genera causae materialis, & formalis. Tertio materia & forma in eius sententia praeter primam causalitatem influunt in compositum; ergo in eodem genere Deus etiam influeret, quod negat ipse.

Sententia
secunda.

Secunda sententia affirmat Deum in genere causae efficientis concurrere cum causa materiali, & formali, istarumque causalitatibus. Fundamentum huius sententiae est. Primo quod nequit concurrere ex supradictis in genere causae materialis, & formalis; ergo cum certum sit cum eisdem concurrere, iste concursus reducitur ad genus causae efficientis. Secundo hac causalitate effectiua sufficienter saluatur dependentia necessaria causae secundae a prima, reliquae vero inuoluunt imperfectionem repugnantem; ergo.

33.

Immaginatur
sententia
secunda.

Haec tamen sententia mihi non placet. Primo, quoniam concursus primae & secundae causae, ex dictis q. 5. d. 3. art. 2. n. 20. realiter identificantur; sed causalitas causae efficientis & materialis, v. c. opponuntur & maxime distat; ergo nequeunt identificari. Mihi probatur ex nuper dictis, quoniam efficiens habet effectum a se realiter distinctum, qui sit entitas excludens entitatem causae: causa materialis causat exhibendo se, nec alium effectum habet quam actualiter recipere; ergo concursus effectiuius nequit identificari cum concursu materiali. Secundo iste concursus Dei, vel terminatur ad causalitatem materiae, vel ad terminum istius causalitatis; non ad causalitatem, aliam esset entitas producta a Deo immediate, quandoquidem nulla alia esset effectiua causa; item causalitas esset terminus alicuius causationis, nec concomitanter causantur a Deo, sed totaliter, cum nulla creatura media

Immaginatur
sententia
secunda.

actione agat, aliam esset infinitus processus; ergo. Nec terminatur ad terminum istius causalitatis, quoniam materia, & forma nullum habent terminum praeter actualem causationem, factum esse illarum est actualiter influere, & ipse actualis influxus est ipsarum partium causalitas: unde corrumpi effectum nihil aliud est, quam ab actuali causatione cessare: sed ita causalitas nequit effectiue esse a Deo, ut diximus; ergo.

ARTICVLVS II.

Explicatur duobus dictis nostra sententia, aliarumque emendantur fundamenta.

Dico primo, apertissimum principium est causam materialem & formalem, sicut in essendo, ita & in causando, dependere a Deo. Ratio est conspicua, quoniam causalitas materiae, & formae sunt aliquid creatum realiter ab eisdem distinctum, cum ipsis cotingat, & ab eisdem separari possit, ut patet in anima rationali a corpore separata, & in materia prima, si secundum probabiliorem opinionem diuinitus separaretur a corpore; ergo sunt quid dependens a Deo, est enim ita annexum cuius entitati creatae dependere a prima causa, ut sibi hanc dependentiam inseparabiliter identificet, ex dictis in Logica q. 16. diffic. 2.

34.

Conclusio
prima.

Dico secundo Deus non aliter cum causis materialibus, & formalibus concurrat, quam conseruando earum entitates, ut possint actualiter causare. Fundamentum est, quod ex articulo praecedenti non concurrat in genere causae materialis, nec formalis, nec in genere causae efficientis; ergo solum potest concurrere conseruando entitatem causae.

35.

Conclusio
secunda.
Qualiter
Deus cum
causis
materialibus
& formalibus
concurrat.

Obiicies primo quod actualis informatio, & materializatio sunt quid creatum,

Obiectio
prima.

creatum, & à materia, atque forma realiter distinctum; ergo fit dependenter à Deo: sed nullo alio modo in suo fieri potest dependere, quàm concomitantia concursus; ergo necessariòarendum est, Deum non solum conseruando causas concurrere, sed etiam concomitanti concurrere; alias incidere in sententiam Durandi asserentem Deum non aliter concurrere cum causis secundis, quàm earum esse conseruando, quod reiecimus difficultate prima, art. 2. Resp. concedendo causalitates cuiusvis causæ realiter distingui à suis principiis: tamen cum causalitas materiæ, & formæ includant imperfectionem repugnantem Deo, nequit earum associare concursus: cum autem dicis, quod daretur aliqua entitas independens à Deo, negatur sequela. Ratio est conspicua, quoniam causalitas materiæ, (& idem est de causalitate formæ) trahit secum ipsam materiam: vnde vt dicamus Deum conseruare causationem, seu causalitatem, & hanc fieri dependenter ab eo, sufficit quod conseruet partem causantem sola exhibitione sui: in causis autem efficientibus esset maximum inconueniens in sententia Durandi necessariò admittendum, quia cum causalitas causæ efficientis fundamentaliter, cum qua identificatur diuinus concursus, sit idem effectus in fieri, si Deus non aliter concurreret, quàm conseruando causam, iste effectus esset independens à Deo, quandoquidem pereunte causa, ipse non perit, sicque daretur entitas creata absolute independens: cum autem materia, & forma totaliter causent, vt includantur in effectu, & causatione, earum conseruatio est conseruatio effectus, & concursus ad causandum; aequè hoc est incidere in sententiam

Durandi. nam ipse non solum loquitur de causa materiali, & formali, sed de efficienti, quod reputamus inconueniens. Rursus causalitas materiæ, & formæ, quamuis distinguantur realiter ab eisdem: tamen non sunt entitates aliquæ verè, & propriè extra rationem materiæ, & formæ: vnde non mirum si non identificent diuinum concursus.

Ad fundamenta primæ sententiæ respond. concedendo Deum concurrere cum causis materiali, & formali; itémque earum dependentiam aliquando substituere, vt exempla ipsius manifestè ostendunt, non in eodem genere causæ, vt ipse intendit, hoc enim repugnat eius infinitæ perfectioni; neque in genere causæ efficientis, vt intendit Suarez, sed eas conseruando sine illa actuali dependentia; non enim vt forma sit sine materia, & materia sine forma, Deus aliquid in ipsis efficit, aut aliquem nouum respectum & dependentiam infundit, sed solum conseruat priuatas tali actuali dependentia. nam sicut potest subiectum sine villo colore conseruare priuando ipsum omniaccidentaliter forma, ita & materiam priuatam actu formali, & formam actuali conseruatione in materia; ipse enim Altissimus, quia formam in materia conseruat, potest ipsam sine materia conseruare, nullo ipsi superaddito. Vnde quantitas separata à substantia in Eucharistiæ Sacramento non gaudet aliquo modo positiuo superaddito, sed solum priuatur actuali inhærentia, vt docuit Doctor in 4. d. 12. q. 1. §. ad argumenta, à n. 25. Obstat Verbi personalitatem non priuatiuè, sed positiuè suppluisse substantiam propriam humanitatis Christi; ergo & dependentiam actualem formæ & materiæ positiuè poterit supplere Deus.

37.
*Qualiter
Deus conseruat
materia sine
accidens sine
subiecto.*

*Qualiter
separata
à substantia
in Eucharistiæ
Sacramento
nulla gaudet
positiuo modo
quo eius
actualis
dependetia à
subiecto
substituatur.*

Deus. Responderetur de ratione personalitatis formaliter solum esse terminare dependentiam naturæ, cum tamen terminatio nullam importet imperfectionem, hanc potest præstare Verbi personalitas: informare autem & informari includit imperfectionem, vt de se patet. Vtrum autem per modum assumptionis, seu sustentificationis possit essentia diuina, aut indiuiduum Deitatis, siue aliqua diuinarum personarum terminare dependentiam accidentis à subiecto, seu formæ à materia non per modum informationis, problematicè affirmamus in materia de Incarnatione; tamen in tali casu Deus nec informaret, nec reciperet materialiter, aut formaliter, siue effectiuè; sed solum terminaret dependentiam extrinsecè.

Totius questionis resolutio.

HAbemus ergo ex tota hac questione diuinum auxilium à concursu differre; hunc autem alium esse naturalem, alium supernaturalem, alium sufficientem, alium efficacem, Deumque cum creaturis concurrere tam immediatione suppositi, quam virtutis, non solum concursu concomitante, sed etiam præuio, non mediâ aliqua physica qualitate prædeterminante; sed suo imperio moraliter præmouente, & determinante, causas eius nutui subditas, & subiectas.

QVÆSTIO VI.

De instrumentis in communi.

QUONIAM instrumenta ad genus causæ efficientis reducun-

tur, pro completa notitia eorum, quæ ad causam efficientem spectant, hanc questionem de instrumentis placuit discutere, vt in ea quid ex mente Doctoris de instrumentis in communi, & particulari sentiendum sit, explicemus. Pro cuius faciliori intelligentia præmitto cum Doctore in 4. dist. 1. quæst. 5. §. *primam ergo questionem*, versic. *ad intellectum*, num. 14. quod instrumentum multipliciter dicitur. Primò quandoque extenditur ad causam secundam; vt distinguitur contra primam, ex quæst. 12. art. 2. & 3. Secundò dicitur instrumentum causa disponens subiectum ad introductionem formæ principalis, qua ratione ignis disponit lignum medio calore ab eo producto, vt formam substantialem producat. Tertio pars, vel organum dicitur instrumentum, per quod totum agit; & sic loquitur Philosophus 2. de anim. à textu 6. vocans organa sensuum, & aliarum potentiarum instrumenta, siue partes, per quas operatur tales operationes. Quarto modo dicitur instrumentum, sicut instrumentum in arte, vt securis, & serra, à quo reliqua omnia nomen instrumenti acceperunt. quod proprie actiuum non est, & ad hoc reducuntur sacramenta, quæ solum sunt instrumenta moralia, & de his agitur in hac questione.

Multiplex instrumentorum acceptio.

Præmitto secundò relictis multis, quæ pro explicatione causæ instrumentalis, & principalis theologice magis, quam philosophice docent multi, & videri poterunt apud Suarez disput. 17. suæ Metaphysicæ sect. 2. & 1. tom. in 3. parte disput. 31. sect. 5. & 6. causam principalem, & instrumentalem eo differre, vt docuit Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *ad questionem*, num. 26. quod causa principalis agit per virtutem principalem,

2. In quo differant causa principis & instrumentalis.

id est, vel nobiliorem, vel æquè nobiliorem effectu suo, & non ut virtus alterius; instrumentalis verò virtute alterius effectum se nobiliorem attingit. hoc idem docet S. Thomas quotiescumque de instrumentis agit, ut videre est in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. & 1. parte quæst. 45. art. 5. & 3. parte q. 67. art. 1. ad 2. & 2. contra gentes, cap. 21. vnde fit, quòd instrumentum (si ponatur propriè agere ad effectum) ad producendum effectum, respecta cuius instrumentum est, semper operetur ut motum, & eleuatum à causa principali, ut docet Doctor in 4. dist. 12. q. 3. §. *Hæc est opinio, versicul. item*, num. 6. Patet, quia si instrumentum est, quod virtute alterius operatur, & effectum se nobiliorem attingit, semper erit in se quid improprietatum, & inferius, ac proinde à superiori agente eleuari oportebit. Quid autem sit eleuatio, & an solo motu principalis agentis fiat per hoc, quòd participet illum, & eius consortio adiuuetur; an verò requirat qualitatem aliquam inhærentem ei à principali agente impressam, controuerſa satis, & celebris est difficultas.

3. Præmitto tertio instrumentum ad genus causæ efficientis spectare, determinatæque instrumenta ad determinatas assumi actiones. In dubium ergo reuocatur, an secundum illud proximum, quod in se habet, & quo determinatè concurret, debeat illi respondere præuia aliqua actio ad actionem principalis agentis; ideo in hac quæstione tria examinanda veniunt. Primum, an sit de ratione instrumenti agere ut motum à causa principali. Secundum, an aliqua virtute præuia ad actionem. Tertium, an dentur aliqua physica instrumenta propriè, & rigerosè, vel diuinitus dari possint.

Instrumentum ad genus causæ efficientis spectat.

DIFFICULTAS I.

An sit de ratione instrumenti agere ut motum à causa principali, & qualiter.

Quoniam nulla res potest efficere sine virtute actiua proportionata effectui, ita ut si sit causa principalis, & integra, habeat virtutem actiuam adæquatam effectui in suo genere, si partialis partialem; si verò instrumentalis instrumentalem, ita ut actio eò modo, quo dicitur esse ab alio, supponat in illo vim agendi. quod principium videtur per se notum, tum quia actus primus, & secundus sunt per se ordinati, & ideo alter est secundus, quatenus supponit priorem: sed actio fundamentaliter, seu pro forma fluente comparatur ad causam agentem tamquam actus secundus; supponit ergo in illa actum primum, qui est virtus, seu potètia agendi: sed effectus verè procedit ab instrumento, aliàs non influeret in ipsū; supponit ergo virtutem agendi in illo. Tum secundo. nam ab actu ad potentiam necessaria est cōsecutio; ergo si aliquid agit, potest etiam agere: sed nequit nisi per vim agendi; ergo actio supponit semper in quacumque causa agendi potestatem. Grauis ideo circa instrumentorum naturam oritur difficultas: si enim instrumentum vera causa est, veram debet iuxta prædicta virtutem agendi habere; operabitur ergo propria virtute. Rursus operari propria virtute, proprium est causæ principalis, & alienum instrumentis; ergo explicare oportet, qualiter instrumentum non gaudens virtute propria aliquam virtutem à principali agente participet, an scilicet concomitanter, an aliqua præuia motione physica, an quasi morali.

4.
Omnis causa continet in virtute effectum.

ARTICVLVS I.

Explicantur diuersa Philosophorum placita.

5.
Sententia
prima.

PRIMA sententia affirmat instrumentum eleuari non media physica qualitate, non aliquo præuio ad actionem per modum actus primi; sed motu ipso, & actione principalis agentis. ita Suarez 1. tom. suæ Metaphys. disp. 17. sect. 2. idem docet de instrumentis diuinæ virtutis in ordine ad effectus supernaturales tomo 1. in 3. parte disp. 31. sect. 5. citatur pro hac sententia S. Thomas 3. parte q. 19. art. 1. ad 2. & q. 62. art. 1. ad 2. vbi sic habet, *Causa instrumentales non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo mouetur à principali agente*; non ergo ex mente S. Thomæ aliter eleuatur instrumentum, quam per motum, & actionem principalis agentis. citatur pro hac sententia Caietanus 3. parte q. 13. & q. 62. & Sotus in 4. dist. 1. q. 3. art. 4. & esse sententiam communem inter recentiores affirmat Suarius vbi supra in 3. parte. Potissimum fundamentum huius sententiæ est, quod instrumentum non eleuatur quoad esse, sed quoad operari; ergo eleuatio est per modum operationis; non ergo ipsi aliqua virtus in actu primo siue physica, siue moralis communicatur. Confirmatur primò, quoniam agere vt motum, non est proprium instrumentorum, cum hoc potius causis principalibus conueniat, vt diximus q. 12. difficult. 2. art. 2. & 3. num. 15. ergo non infertur ex natura instrumenti, quod ipsi ad operandum aliqua virtus physica, aut moralis communicari debeat. Confirmatur secundò. nam instrumentum hac eleuatione in actu primo vel constituitur proportionatum cum effectum, vel non: si constituitur; ergo non erit causa instru-

mentalis, cum sit æque perfectæ, ac effectus; sicut neque intellectus lumine gloriæ eleuatus potest hac ratione dici instrumentum visionis beatificæ. Si adhuc eleuatione ista non proportionatur totaliter; ergo indigebit ulteriori eleuatione, & virtute, vt attingat effectum, quia quod est improporionatum respectu effectus, nõ attingit illum; vsque dum ei proportionetur. Et tunc inquiram, an hæc eleuatio sit aliquid per modum actus primi, vel non? & sic vsque in infinitum eodem modo argumentabor.

Hæc tamen sententia nõ modicam patitur difficultatē. Primò quoniam omnis actus secundus penes ordinem ad primum dicitur talis; ergo si instrumentum in actu secundo operatur, debet in actu primo virtutē superaddita ad operandū eleuari. Secundò instrumentum attingit in hac sententia effectum principalis agentis; ergo aliquo modo influat: sed iste influxus supponit virtutem non propriam, & naturalem, aliàs esset causa principalis; ergo acquisitam; & in actu primo à principali agente communicatam.

Secunda sententia affirmat, de ratione instrumenti esse, quod agat vt motum ab alio, media aliqua physica qualitate. citatur pro hac sententia Angelicus Doctor 1. p. q. 118. in corpore, & ad primū, & de veritate q. 27. art. 4. vbi hæc habet. *Est ratio instrumenti, in quantum est instrumentum, vt moueat motum: unde sicut se habet forma completa ad per se agentem; ita se habet motus, quo mouetur à principali agente, ad instrumentum: sicut ferra operatur ad scamnum.* Idem docet 3. parte quæst. 62. artic. 1. & artic. 4. in corpore, vbi sic ait; *Instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente.* Sed ex his authoritatibus solum colligi potest, instrumentum agere

6.
Impugnatur
prima
sententia.

7.
Sententia
secunda.

vt motum à causa principali, non autem quòd hæc motio sit aliqua qualitas physica, aut solùm impulsus moralis, vt tertia sententia inferiùs referenda docet. Clariùs, & expressiùs huius sententiæ intentum docet Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *ad quæstionem*, num. 26. in fine, vbi hæc habet. *Ex hoc patet, quòd instrumentum, si ponatur propriè agere ad effectum, vel habet in se formam actiuam in esse quieto ante motionem; sicut causa secunda, vel saltem in motione actuali recipit formam actiuam, quæ agit in suo ordine agendi; & hoc vel ad terminum principalem, vel ad aliquam dispositionem præuiam, vt sic vniuersaliter sit ista propositio vera, Omne instrumentum, quòd est propriè actiuum, vel agit ad aliquam dispositionem præuiam termino principali; vel per aliquam formam intrinsecam attingit terminum principalem, licet in virtute principalis agentis; & hoc siue illa forma intrinseca præcedat motionem; siue tantum insit sibi, dum actualiter mouetur.* Hanc autem motionem esse media aliqua physica qualitate, docet expressè in 4. dist. 1. quæst. 2. §. *ad argumenta*, num. 34. versic. & *ex hoc patet*, his verbis: *Instrumentum autem, quando agit, recipit influentiam propriè ab eo, cuius est instrumentum: qui motionem actualem, & in motione formam, per quam agit in suo ordine, & dist. 6. quæst. 5. §. sed contra*, num. 6. versic. *vel si ponatur*, & theoremate 22. num. 2. in fine. vbi hæc habet, *instrumento datur forma qua est instrumentum, & ipsum habens eam cum principali agente, agit sine alia eius motione; ambo enim sunt una causa efficiens.* Sentit ergo expressè instrumentum propriè & rigorosè consideratum forma aliqua physica ad operandum determinari: in hoc enim ex eodem Doctore ibidem, & alibi sæpiùs causa principalis,

& instrumentalis differunt, quòd causa principalis in esse quieto habet formam, qua constituitur potens in actu primo operari; causa verò instrumentalis solùm quatenus operatur: ac si dicat esse qualitatem transeuntem durantem, quantum actuale operari instrumenti durat. In eadem videntur fuisse sententia Caietani 3. parte quæst. 62. art. 1. & art. 4. Capreol. in 4. distinct. 1. quæstione 1. Nazarius 1. parte quæst. 45. artic. 5. Medina 3. parte quæst. 13. artic. 2. est communis inter Thomistas. Ratio fundamentalis huius sententiæ est, quòd omnis causa influit in effectum, quem attingit per aliquam virtutem, quæ sit principium talis influxus: sed instrumentum non habet propriam virtutem, aliàs esset causa principalis; recipit ergo eam ab agente principali; ergo hoc communicat illi aliquam virtutem ire actu primo, qua possit in effectum influere, & prorumpere in actionem. quæ veritas articulo sequenti magis elucidabitur.

Tertia sententia potest esse, quòd 8.
instrumentum non eleuetur solo con- *Sententia*
comitanti concursu, vt tenet prima *tertia.*
sententia, nec aliqua præuia forma physica, sed præmotione quadam quasi morali, qua vniuersalior causa censetur inferiorem ob suam perfectionem, & eminentiam ad operandum præmouere. Fundamentum huius sententiæ desumi potest ex his, quæ diximus quæst. 12. difficultat. 3. art. 3. num. 28. loquentes de præmotione, & prædeterminatione causæ primæ respectu secundæ; ibi enim diximus, nil aliud requiri vt causa secunda censeatur præmota, & prædeterminata à prima, nisi vt creatura substans increatæ virtuti Dei, & diuino imperio, subsit eius determinati-
oni;

tionem; quoniam imperium Dei prae-
dicum, licet formaliter sit imma-
nens, tamen virtute est transiens in-
finitae suauitatis, & efficaciae; qua er-
go disponit suauiter, potest sese ac-
commodare suis creaturis in agendo;
qua vero fortiter, ita eas praemouere,
ut nullam ipsis inferendo violentiam
determinet ad operandum; ergo simili-
ter in casu nostro poterit eleuare
instrumenta sua praemotione, & de-
terminatione quasi morali ad attingendum
effectum principalis agentis; idemque
poterit quaelibet causa
principalis praestare instrumentis suae
actiuitati subditis, & subiectis.

9. A priori sic probatur haec concla-
sio. De ratione instrumenti est, ut
non operetur propria, sed principa-
lis agentis virtute; ergo virtus haec
propria in instrumento non requiri-
tur; vel etiam si habeatur, non con-
currit, sed virtus principalis agentis,
per quam utrumque agens operatur;
semel ergo intellecta coniunctione
instrumenti cum principali agente,
nulla alia virtus desiderabitur.

ARTICVLVS II.

*Quibusdam dictis nostram explico
sententiam.*

10. *Conclusio
prima.*
Dico primo in hac difficultate;
de ratione instrumenti est, quod
agat ut motum a principali causa;
seu quod agat virtute alterius. tenet
expressè Doctor ubi supra, & alibi
saepius. Fundamentum est, quoniam
in hoc differunt causa principalis,
& instrumentalis, quod haec agit
eleuata, & mota ab alia principaliori
causa; non enim gaudet in esse
quieto propria virtute, qua propor-
tionetur effectui: causa autem prin-
cipalis propria virtute, & intrinseca

sibi forma, vel totaliter, vel partiali-
ter attingit; ergo est communis om-
nium sententia.

Obiicies, de ratione cuiusuis cau-
sae influentis esse, quod in virtute
contineat effectum, quem attingit;
ergo causa instrumentalis non distin-
guetur a principali. Concedo antece-
dens, & nego consequentiam. quo-
niam causa instrumentalis continet
effectum, non in esse quieto, & per-
manenter, sicut principalis, sed dum
operatur, & per modum transeun-
tis.

Obiectio.

Responso.

Dico secundo. Eleuatio per mo-
dum concursus, & causalitatis non
sufficit ad causalitatem instrumenta-
lem: id statuo contra primam sen-
tentiam. Fundamentum est, quod
diuinus concursus non datur nisi
iuxta exigentiam causae secundae; ideo
enim causa prima vniuersalis nuncu-
patur, quia ad effectus secundarum
causarum vniuersaliter concurrat; er-
go si in instrumento nulla virtus sup-
ponitur, quae exigat talem concur-
sum, Deus, aut alia principalis causa
nullo modo praestabit. Secundo con-
cursum Dei, & concursus causae se-
cundae identificantur, ex quaest. 12.
difficult. 3. art. 2. num. 20. ergo est ne-
cessarium, quod a causa prima, & se-
cunda effectus promanet, ut dicatur
vtriusque causae concursus: sed ista
causa secunda instrumentalis nulla-
tenus intelligi potest influens, nisi
ex parte actus primi aliquid ei appo-
nat, quo influat in effectum; ergo
sola virtus causae principalis per mo-
dum concursus non sufficit.

11.

*Conclusio
secunda.*

Obiicies primo Deum posse ele-
uare nostram voluntatem ad effectus
supernaturales, nullam ipsi qualita-
tem infundendo, imò suo speciali
concursu supplere actiuitatem cui-
usuis habitus tam naturalis, quam

12.

*Obiectio
prima.*

Responſo.

supernaturalis, ex dicendis in Metaphysica; ergo & poterit eleuare instrumenta suo concursu. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: est enim maxima disparitas. nam ex mente Doctoris in 1. distinct. 17. quæst. 2. per rotam, & sæpius alibi, voluntas, & quæuis alia potentia intellectualis habet virtutem inchoatam efficientem ad quoscumque supernaturales effectus: vnde ipsi datur concursus licet non debitus, quia pertinens ad ordinem gratiæ, vel gloriæ, tamen connaturalis, & complens virtutem actiuam potentiæ; cum autem instrumenta nec inchoata gaudeant virtute, nequit eis virtus, & actiuitas, qua operentur, solo concursu communicari. Addo, quod nec in casu posito concursus sufficit, nisi per modum actus primi consideretur, quoniam ex dictis quæstione 5. difficultate 2. artic. 2. num. 15. causa secunda non agit nisi quatenus mota, & eò instrumentalis causa respectu primæ largo modo nancupatur: vnde nec in casu posito solus concursus sub formali ratione concursus sufficit. Ex quibus patet ad id, quod obiicitur de sacramentis respectu gratiæ, &c. dicimus enim ex tractatu de sacramentis in genere non esse instrumenta physica, vt obiter ostendemus difficultate 3. si tamen essent, aliqua virtute per modum actus primi indigerent: hæc autem cum repugnet ex dicendis ibidem, consequenter & quod sint instrumenta physica.

13.
*Obiectio
secunda.*

Obiicitur secundò, quod phantasma materialis eleuatur ab intellectu agenti ad producendum species impressas intellectuales: sed hæc eleuatio non est per modum actus primi, cum nihil ponat in phantasma

re; hæc enim materialis est, & incapax spiritualis forma; ergo solo concursu eleuatur. Respondetur quod si phantasia attingit productionem specierum intentionalium, de quibus in 3. de anima, hoc ideo erit, quia gaudet inchoata virtute effectiua: vnde non erit instrumentum nisi largo modo, quatenus subest perfectiori causæ, quæ est intellectus. Addo, quod si admittamus phantasma esse causam instrumentalem, non solum concursu intellectus agentis eleuabitur, sed aliqua qualitate intentionali in actu primo producta.

Responſo.

Dico terciò, motio causæ principalis in actu primo quasi moralis, seu per imperium determinans non sufficit ad eleuandum instrumentum, sed requiritur aliqua qualitas physica, qua physicam instrumentum constitutum possit instrumentaliter operari. est sententia Doctoris vbi suprâ. & probatur, quoniam omnis causa attingens effectum debet habere virtutem, qua possit influere. hanc nequit præstare diuinus concursus ex dictis; nec præmotio principalioris causæ, cum hæc non det virtutem, sed solum determinationem, & præmotionem; ergo debet poni aliqua qualitas, qua constituatur potens operari. Et sic explico: Causa superior dupliciter potest comparari cum inferiori, vel quatenus concurrat cum ipsa, vel quatenus ipsam mouet, & determinat: si hæc causa mota sit principalis per motionem, nihil virtutis, aut actiuitatis ipsi conferet Deus; sed solum applicat eius virtutem ad hęc, & nunc operandum: concursu tamen suo influit in effectum, præstando illi aliquam perfectionem, quam sola causa secunda præstare non valeret: vnde quando Deus suo speciali concursu supplet,

14.
*Conclusio
tertia.*

*Motio
quasi
moralis
principalis
causæ
non sufficit
ad determinandum
instrumentum.*

v. g.

v. g. actiuitatem charitatis, aliquid est in effectu correspondens Deo, nempe supernaturalitas, quod non correspondet voluntati: licet ex diuina voluntate, & creata idem indiuisibilis actus procedat. Cum autem causa secunda instrumentalis nulla gaudeat virtute propria in ordine ad effectum principalis agentis, aliàs esset principalis, & prædeterminatio non det virtutem, sed sit applicatio virtutis, nec concursus supponat actiuitatem, cui possit adiungi; necessarium est, quod per modum actus primi & transeuntis aliqua formalis virtus ipsi instrumento communicetur, qua possit in effectum influere.

15.
Obiectis
primis.

Obiicies primò diuinam concursum sufficere ad determinandum causam secundam per imperium; ergo & causam instrumentalem proprie, & rigorosè. Nego paritatem, quoniam causa prima supponit virtutem formalem in secunda; ideo sufficit diuinum imperium, quod non præstat virtutem, sed applicat ad operandum; cum tamen instrumentum hac careat virtute, necessariò indiget virtute formali, seu qualitate, qua possit operari: sic serra de se impotens ad scindendum lignum, medio impulsu in se recepto talem scissionem operatur. Ex quibus ad fundamenta tertie sententiæ satis respondetur.

Ad argu-
mentum
primum.

Ad fundamentum Suarez, seu prioris sententiæ dicimus, quod licet instrumentum non eleuetur quoad esse, sed quoad operari, tamen cum esse supponatur ad operari, & virtus effectiua ad effectiorem, implicat, quod intelligatur instrumentum eleuatum, si priùs ei non communicetur virtus, qua possit influere.

Ad id, quod dicitur, quod agere vt motum non est proprium instrumentorum. Respondetur assumptum esse falsum, quoniam hoc potius conuenit instrumentis, quæ non solam mouentur per applicationem, sed per communicationem virtutis, & in hoc à causis principalibus differunt.

16.
Ad secū-
dum.

Ad secundam confirmationem dico, per illam qualitatem reddi causam instrumentalem vltimatè potentem influere: inde tamen inferre non licet, causam instrumentalem, & principalem nullatenus differre, quoniam hæc influit virtute intrinseca, & permanenti; illa autem virtute à principali agente mendicata tantum durante, quantum operari.

Ad cōfir-
mationē.

Dubitabis, an concursus principalis causæ distinguatur ab illa qualitate physica, quæ ponitur ex parte instrumenti tamquam eius actiua virtus.

17.
Dubium.

Dico primò concursus instrumentalis principalis causæ vt abstrahit à concursu causæ creatæ, vel increatæ quatenus concursus instrumentalis est, non distinguitur ab illa qualitate præuia, quæ datur tamquam virtus operatiua instrumento: sic explico, instrumentum, quod virtute principalis agentis concurrat ad productionem effectus, non indiget alio concursu, quatenus causa instrumentalis est distincta ab illa qualitate physica, quæ datur per modum virtutis. tenet expressè Doctor relatus art. i. num. 7. Fundamentum est, quod concursus causæ principalis solum requiritur tamquam virtus, & actiuitas, qua instrumentum possit operari. hanc præstat qualitas assignata; ergo.

Conclusio
prima.

Dico secundò quando instrumen-
tum mouetur à prima causa increata,

18.
Conclusio
secunda.

seu

seu agit virtute ipsius immediate, non sufficit hæc qualitas, sed ultra eam alius concursus concomitans exigitur, non vt operetur vt instrumentum præcisè, sed quatenus instrumentum causa creata est; itaque si Deus, v. g. vteretur ferræ ad scissionem ligni, motus ferræ quatenus instrumentalis, indigeret in actu primo qualitate præuiæ; quatenus verò motus creatus, concursu vniuersalissimæ causæ, à qua quæuis causa creata in esse, & operari dependet. Sic probo, ille motus instrumenti est creatus, & causæ secundæ: sed omnis causa secunda, & eius operatio à Deo immediate dependet, ex dictis quæst. 12. difficult. 1. art. 1. num. 5, ergo & motus instrumenti: vnde diximus ibidem, num. 19. qualitatem physicam nihil prodesse ad rationem diuini concursus, quoniam posita tali qualitate adhuc operatio erat creata distincta à causa in actu primo, ac per consequens à prima, & vniuersalissima immediate, & essentialiter pendens.

19.
Obiectio.
Responso.

Obiicies, qualitatem hanc præuiam sufficere ad concursum principalis causæ creatæ; ergo ad concursum increata. Respondetur concedendo paritatem quantum ad rationem concursus instrumentalis, seu eleuationis instrumenti. Cæterùm, cum causa instrumentalis creata non solum dependeat à Deo quatenus à principali agente dante ei virtutem operatiuam, sed etiam quatenus ab vniuersali, & prima causa, non solum indiget hac præuiâ qualitate, sed etiam concomitante

concurfu.

* * *

DIFFICULTAS II.

An in instrumento sit aliqua virtus propria actiue influens distincta ab illa, quæ communicatur ab agente.

Non agimus de instrumentis in latiori significatione usurpatis, quoniam certum est supponere actiuam virtutem, vt patet in causa secunda principali, quæ instrumentum nuncupatur, quatenus præmouetur à prima; & nihilominus gaudet formali, & intrinseca actiuitate præuiâ ad actionem superioris causæ; de instrumentis ergo expressè consideratis est sermo.

ARTICVLVS I.

Explicatur sententia Angelici Doctoris, & impugnatur.

Communior sententia inter Thomistas est, de ratione instrumenti esse habere actionem aliquo modo præuiam ad actionem principalis agentis, seu instrumentum habere aliquam virtutem propriam, licet dependentem à principali agente, qua effectum principalioris causæ possit attingere. hanc sententiam tenet Caietanus 1. parte quæst. 45. art. 5. Bañez, & Nazarius ibidem. Ferrar. 2. contra gentes cap. 21. Medin. 3. parte quæst. 13. art. 2. Sotus in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. & 4. Alvarez 3. parte disput. 66. Masius in hoc lib. cap. 3. sect. 3. quæst. 9. & alij quamplures. citans Angelicum Doctorem 1. parte quæst. 45. art. 5. & 2. contra gentes cap. 21. art. 6. expressius 3. parte q. 62. art. 1. ad 2. & q. 8. art. 4. ad 2. & de veritate q. 27. art. 4. & in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstion

20.
Sententia
prima.

probatio
prima.

quæstiuncula 1. Fundamentum huius sententiæ est primò, quòd instrumentum non attingit effectum nisi quatenus eleuatum à principali causa: sed eleuatio denotat virtutem, quæ eleuetur, aliàs non posset dici eleuatum; ergo antecedenter ad eleuationem aliqua virtus supponi debet, quæ eleuetur. Confirmatur, quoniam causa instrumentalis secunda subordinatur primæ per modum causæ effectiuæ; sed nequit esse subordinatio effectiua, nisi in instrumento supponatur aliqua virtus actiua, qua in efficiendo subordinetur; ergo. Confirmatur secundò quoniam instrumentum non solùm passiuè, sed actiuè attingit effectum principalis causæ; ergo supponit aliquam virtutem, qua attingat effectum, aliàs solùm passiuè se haberet recipièdo influxum principalioris agentis.

21.

Impugnatio prima
via fundamenti.

Hoc autem fundamentum aliqui eò impugnant quòd sequeretur, causã principalem, & instrumentalem nullo modo differre, quandoquidem in vtraque est virtus actiua præuia ad actionem. Sed huic argumento respondent Thomistæ, maximè differre, quoniam actiuitas causæ instrumentalis est cum subordinatione, & dependentia principalioris causæ: causæ autem principalis efficientia est independens ab alia principali causa. Ego autem hanc solutionem sic impugno. nam vel illa virtus habet aliquam proportionem cum effectum, etsi indigentem concomitantia, seu concursu principalioris causæ, vel non. Si primum dicas; ergo non distinguetur instrumentum proprium à causa partiali actiua, quæ verè actiua est, & indiget alia com-
partiali causa. Si secundum dicas, nempe nullam habere efficientiam partialem proportionatam cum effe-

ctu; ergo fingitur talis actiuitas præuia, quandoquidem spectatur virtus non solùm com-
partialis, sed proportionata cum effectum. nam inintelligibile est, esse virtutem actiuè præuiam, & mendicare virtutem ad operandum ab agente.

Secundò hoc argumentum, seu fundamentum Thomistarum inefficax est, quia solùm probat instrumentum debere habere virtutem in actu primo, qua possit efficere; hanc autem ei communicat agens principale mediã illã qualitate præuia, quam concessimus diffic. 1. num. 14. Neque est de ratione eleuationis, quòd supponat virtutem actiuam eleuabilem, quoniam licet hoc verum sit in causis partialibus eleuatis, vt sunt intellectus per lumen gloriæ, & voluntas per charitatem, quæ ideo largo modo instrumenta nuncupantur, tamen in instrumentis rigorosè consideratis, & à ratione causæ partialis alienis, factum est, vt articulo sequenti patebit.

Impugnatio secunda.

22.

Fundamentum secundum.

Secundum fundamentum huius sententiæ est, quòd causa principalis, & instrumentalis pertinet ad genus causæ efficientis, vt de se patet, & sæpiùs docet Doctor: sed instrumentum nequit dici causa actiua distincta à principali quatenus cum eadem causa principali indiuisibiliter cõcurrit; ergo debet habere aliquam virtutem actiuam propriã, qua dicatur causa actiua instrumentalis à principali distincta. Confirmatur ab inconuenientia, quoniam si posset instrumentum, quantumuis carens omni virtute actiua, participare virtutem principalis agentis, fieret inde quòd etiam in causis naturalibus frustra adhiberentur instrumenta naturalia ad operandum, nec deberent destinari certa, & determinata instru-

menta ad determinatos effectus. Sequela patet, quoniam si virtus actiua non requiritur, quodlibet indifferenter posset assumi ad singulos effectus.

23.
Impugnatur secundum fundamentum.

Sed nec hæc ratio multum urget, primò quoniam vt causa principalis ab instrumentali distinguatur, non est necessarium vt instrumentum habeat actionem excludentem actiuitatem principalis causæ; potius de ratione instrumenti est illam includere; sed sufficit, quòd principalis causa vel immediate possit attingere effectum, vel vtendo aliquo instrumento, quod causæ instrumentali contingere nequit, cum operari non valeat nisi dependenter à virtute alterius; verum est quòd vtraque causa est effectiua, & diuerso modo, tamen diuersitas assignata hoc sufficienter demonstrat. Secunda, quamuis virtus instrumenti sit virtus agentis principalis, non sequitur causam instrumentalem & principalem non distingui, cum hæc propria influat virtute, illa aliena. Nec inconueniens positum in confirmatione multum habet efficaciam, quoniam licet instrumenta omni careant præuia actiuitate, tamen aliqua sunt magis capacia ad recipiendam virtutem qua possint efficere; terra enim magis apta est, & proportionata ad scissionem, quam lignum, &c. idèc determinata instrumenta ad determinatos destinantur effectus.

ARTICVLVS II.

Verior sententia explicatur.

24.
Verior sententia.

Verior sententia & nobis tenenda docet non esse necessarium ad rationem instrumenti quòd habeat propriam virtutem actiuam distinctam

ab ea quam à principali agente participat, præuiamque ad illam: sed instrumentum omni carere actiuitate propria distincta ab ea quam à principali participat agente, est expressa sententia Doct. in 4. d. 6. quæst. 5. §. *sed contra*, vers. *præter hæc*, num. 8. & d. 1. quæst. 1. §. *sed iste rationes*, vers. *quod etiam*, num. 9. & quæst. 5. §. *ad primum*, num. 14. vers. *de isto*, vbi hæc habet. *De isto autem dubium est (scil. de instrumento) an sit actiuum propriè, & videtur probabilius quòd non. Serra enim non habet in se nisi quantitatem figuram, & motum localem, de quibus omnibus patet quòd non sunt formæ actiue. Et probatur, quia aliter Mathematicus considerando quantum figuratum non abstraheret à motu; si autem ponatur quòd durities sit qualitas actiua, hoc nihil est, quia si Deus de potentia absoluta, aliquod quantum molle conseruaret in eadem quantitate, & figura, mouendo ipsum localiter, aquè diuideret aliquod corpus, sicut modo instrumentum durum diuidit; ergo durities que est qualitas, nõ est formale principium agendi, apparet tamen esse pro eo quod est quadam impassibilitas resistens corruptenti: manente autem quantitate corporis & figura, non mutato alio, nec corrupto, si localiter mouetur, oportet quòd expellat aliud proportionatum quantitati sue & figura, quod non oporteret si eius quantitas non maneret, sed cederet; sicut est de molli. Huic sententiæ adherent Molina 1. parte quæst. 45. Suarez tomo 1. in 3. p. disput. 31. sect. 8. Durandus in 2. d. 1. quæst. 4. & alij quamplures.*

Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quòd omnis actio instrumenti quatenus instrumenti, est in virtute principalis agentis; in hoc enim differt à principali causa (vt sapius diximus;) ergo nullam actiuitatem præuiam & antecedentem suppo

25.
Omnis actio instrumenti est in virtute principalis agentis.

supponit in ipso instrumento tanquã propriam & naturalem ipsius virtutem. Probo consequentiam. nam vel virtus principalis agentis applicatur virtuti instrumenti, augendo eam, vel eleuando ad producendum effectum extra limites suã virtutis & nature. Si primum dicatur, ergo causã principalis, & instrumentalis erunt duę causę partiales, vt voluntas & charitas, ex Doct. in 1. d. 17. quæst. 2. per totam; vel vt duo portantes lapidem, quorum neuter est principalis causa; sed ambo potentialiter concurrunt. Si dicas secundum, nempe agens principale eleuare virtutem instrumenti ad producendum effectum perfectiorem in entitate; ergo illa virtus, seu actiuitas instrumenti nequit comparari, neque ordinata ex natura sua censi ad effectum principalis agentis. Quod sic declaro. Supponamus quoddã accidens virtute substantiæ possit substantiam producere, vt communiter Thomistæ existimant, non negamus in accidenti, supponi aliquam virtutem actiuam productiuam alterius accidentis; sed inquirimus, an illa virtus actiua quam habet accidens præcisè quatenus instrumentum substantiæ, sit virtus proportionata cum effectu, vel non? si est proportionata; ergo non distinguetur à causa partiali, seu incompleta: si non est proportionata, sed quatenus virtus, & actiuitas, adhuc indiget eleuatione, vt proportionetur in entitate cum effectu; ergo nequit censi actiuitas, seu virtus productiua naturalis, & propria effectus principalis agentis. quod in instrumentis quæ attingunt, etiam in sententia Thomistarum, physicè effectus supernaturales, perspicuè declaratur. nam aqua, v.g. seu ablutio, quæ in virtute Dei, per Baptisma in non ponentibus

obicem gratiam producit, licet verum sit quoddã habeat virtutem naturalem abluendi, quæ virtus actiua naturalis in ipsa considerari potest, quæ gratiam respiciat; ergo fingitur in instrumentis hæc præuia actio distincta ab illa, quam à principali agente instrumentum participat.

Secundò cõfirmo: nam instrumenta artificialia (hæc enim solùm in nostra sententia, physica instrumenta nuncupantur, ex difficult. 3.) vt patet in terra, non habent principium, aut virtutem aliquam agendi; ergo nec propriam actionem. Antecedens probatur ex Doctore vbi supra. num. 24. Nam hæc virtus nec est quantitas terræ, hæc enim actiua non est, nec grauitas, cum hæc solùm sit principium motus deorsum: terra autem non scindit ex eo quoddã deorsum moueatur, alioquin si sursum moueretur, non scinderet; nec durities, quoniam durities, non est qualitas actiua, sed resistiua: vnde licet quoddã magis aliquod corpus fuerit durum, eo plus resistat, nihilominus non ob id maioris est actiuitatis. patet ex Doctore vbi supra: quoniam, si Deus de potentia absoluta aliquod quantum mole conseruaret in eadem quantitate, & figura, mouendo ipsum localiter, æquè diuideret aliquod corpus, sicut modò instrumentum durum diuidit; ergo durities, quæ est qualitas, non est formale principium agendi, nec figura esse potest, quia hæc non est forma actiua, vt de se patet; ergo dicendum est instrumenta nulla gaudere actiuitate propria, aut virtute actiua distincta à virtute principalis agentis.

His rationibus quidam recentiores respondent, in instrumento duplicem virtutem considerari posse, vel instrumentum ad duplicem effectum

26.
Confir-
matur.

27.
Respõdeo
quorum-
dam re-
centiorũ.

ctum posse comparari vel ad propriū, & præuim ad effectū agentis principalis, vel ad effectum eiusdem agentis præcipui. Dicunt ergo, quod si comparetur ad proprium, agit virtute propria; si verò ad effectum principalis agentis, huius virtute & actiuitate. Sed contrà est, quod nos non negamus instrumentis omnem actiuitatem; imò concedimus calorem, v. g. in opinione Thomistarum habere actiuitatem productiuam caloris. Item & ferram habere aliquam actiuitatem, v. g. motum deorsum, quibus disponunt præuie actionem principalis agentis; solum ergo negamus, quod hæc virtus præuia queat comparari ad effectum principalis agentis, seu ex se illum attingere. Vnde si ipsi admittunt instrumenta sola virtute principalis agentis, etsi modificatam ab instrumento, eius effectum attingere, nobiscum consentiunt.

28.
Obiectio prima.

Obiicies primò, omnem causam debere continere in virtute effectum: sed instrumentalis causa, quatenus à principali distincta, est productiua alicuius effectus; ergo eum in virtute cõtinet. Resp. cõcedèdo cõsequentiã, causa enim instrumentalis in actu primo habet virtutem qua effectum possit attingere, mendicatam ab agente principali, media illa qualitate physica, quam concessimus diffic. 1. art. 2. num. 14. Nec ob id intelligendum est, instrumentum agere virtute propria, cum hæc non insit illi à natura, & ab intrinseco, sed à principali agente participet in ordine ad actualem operationem. Vnde tota virtus, & actiuitas instrumenti, etsi inhærenter, & intrinsecè insit illi, est tamen ab agente principali, à quo in esse, & conseruari dependet.

DIFFICULTAS III.

An dentur physica instrumenta naturalia proprie & rigorose.

29.
NOtanter inquirimus in titulo definitionis de instrumentis naturalibus: nam certum est dari instrumenta artificialia, & priuatione non indiget, cum securis & ferra in virtute & actiuitate propria, seu motu principalis agentis scindere, & secare valeant. Secundò notanter ponimus *proprie & rigorose*, quoniam certum etiam est dari instrumenta naturalia impropria, cum omnis causa secunda largo modo supremæ causæ instrumenta nominentur, vt diximus lib. 1. q. 4. art. 2. & 3. de instrumentis; ergo naturalibus & presè consideratis dubitamus, an dentur in rerum natura.

ARTICVLVS I.

Expenditur opinio affirmans, & negans defenditur.

30.
COMMUNIS sententia in schola S. Thomæ affirmat dari in rerum natura instrumenta physica naturalia, quæ virtute principalis agentis modo superius explicato secundum diuersa placita, attingunt eius effectum: vnde consequenter sustinet accidentia attingere immediatè virtute ignis substantiæ productionem. tenet S. Thom. 1. parte quæst. 54. art. 3. & quæst. 77. art. 3. & in 4. dist. 12. quæstione 1. & sæpius alibi. ei subscribunt Cai. Banez & Zumel 1. part. quæst. 54. art. 3. Capreol in 4. d. 12. quæst. 1. Hisp. ibidem quæst. 3. Ferrar. 4. contra gentes cap. 66. Heru. quodl. 3. quæst. 12.
Sorus

Sotus in 4. distinct. 10. quaest. 2. art. 3. & 2. Physic. quaest. 2. Fonseca 5. Metaphysic. cap. 2. quaest. 6. sect. 3. Ruu. tract. de causa efficienti quaestione 6. Mafius 2. Physic. cap. 3. sect. 3. q. 4. & alij plures.

Primum fundamentum huius sententiae est quod substantia nequit immediate, sed mediis accidentibus operari; haec ergo virtute substantiae attingunt effectum, non tamquam causa principales, cum sint inaequalis & inferioris entitatis cum effectu; ergo ut instrumenta naturalia. hoc autem fundamentum reiecimus lib. 1. q. 3. difficult. 3. art. 2. num. 2 1.

Secundum fundamentum est quod viuentia medio femine foetus produunt: sed semen non attingit prolem, seu effectum principaliter, cum sit quid imperfectius; ergo instrumentaliter dantur; ergo instrumenta naturalia. Reliqua obiciemus artic. 2. contra nostram conclusionem.

Nostra ergo sententia tener, nulla dari instrumenta naturalia in rerum natura; seu nulla entia naturalia in virtute principalis agentis attingere effectum eius, & consequenter, nec accedentia productionem substantiae, si enim aliqua instrumenta naturalia essent possibilis, maxime accidentia, quae ex natura sua ordinantur ad effectus perfectiores, nempe ad disponendam materiam ut forma substantialis introduci valeat. est expressa sententia Doct. in 4. dist. 1. quaest. 1. §. ista ergo, num. 19. versic. contra hoc arguo. & distinct. 12. quaest. 3. §. Hic est opinio, à n. 4. & 2. Physic. quaest. 5. ibi Pitigianus, Rada 2. controuersiarum controuersia 3. articul. 2. Faber theor. 34. Durand. Gand. Valles, Hurt. disp. 9. Physicæ sect. 3. est communis inter Scotistas.

Probant aliqui 1. ex Doct. in 4.

distinct. 12. quaest. 3. §. secunda conclusio, num. 13. vbi haec habet. Omne agens totale, vel est uniuocum, & ita aequum perfectum productum, vel aequiuocum, & ita perfectius: accidens est omnino imperfectius substantia; ergo. Dicitur ad hoc quod aliquod agens aequiuocum potest esse ignobilius suo effectu, sicut albedo respectu intellectionis albedinis, & sicut commentator recitat comment. 3. de Galeno super illud 7. Metaphysica de illa virtute quam vocat diuinam, quae est formatiua fetus, & tamen non est simpliciter perfectior fetui formato si est accidens. Et similis difficultas potest esse de quocumque vino genito, per putrefactionem, quod est nobilius caelo, à quo generatur. Contra hoc licet ista propositio: Simpliciter imperfectius secundum speciem, vel genus non potest esse totale principium actuum respectu perfectioris; sit mihi aquae nota, sicut aliqua in Philosophia, quae negata nescirem probare aliquem ordinem entium, imò nec quod primum ens esset perfectissimum, imò posset proteruendo dici, quod totum uniuersum & quodlibet in eo factum est à musca; si enim arguas quod musca est ita imperfecta, & tu idem dicis quod imperfectius potest producere perfectius, habito hoc nulla est ratio, quare non sic imperfectius possit producere aliud sic perfectius: nec ista proteruina posita potest probari, quod prima causa sit perfectissima, excellens omnia alia in creatione: nec etiam hoc addito; quod sit causa aequiuoca, imò cum hoc potest stare secundum proteruina istam quod esset imperfectissima, vel imperfectior causatis. legatur Doctor vsque ad num. 16.

Istae autem rationes non impugnant causas instrumentales naturales, eis enim solum intendit Doctor ostendere accidens non posse esse principium effectuum generandi substantiam principaliter, ut patet ex primis & ultimis verbis; §. cit. quod latius

probauimus contra Peterium quæ-
stione 4. diffic. 3. artic. 1. num. 15.
frustrâ ergo his rationibus Scotistæ
intendant probare, accidens non pos-
se attingere productionem substan-
tiæ instrumentaliter.

32. *Probatio
secunda.* Secundò probant, quia substantia
est actiua & productiua; ergo non
vitur instrumentis vt suos attingat
effectus. Sed nequè ista ratio efficax
est, nisi probet substantiam esse imme-
diatè productiuam, quoniam, vt no-
tari quæst. 4. difficult. 3. art. 2. num. 21.
bene stat substantiam influere in sub-
stantiam, & vt accidentibus tam-
quam instrumentis talis productionis,
vt docet Suarez.

*Funda-
mêto ef-
ficaciori
probat
nostra
vclufio.* Efficaciùs hanc veritatem sic pro-
bo: de ratione instrumenti ex dictis
difficult. 1. num. 14. est quòd media
aliqua qualitate, aut forma in actu
primò eleuetur, vt in virtute possit
effectum continere: sed nullum ens
naturale vt differt ab artificiali sic po-
test eleuari; ergo. Maior est iam pro-
bata vbi suprâ. Minorem sic probo,
illa forma ab agente principali pro-
ducta, vel est substantia, vel accidens
(loquamur de accidenti in ordine ad
producendam substantiam.) si acci-
dens; ergo non poterit ita eleuare vir-
tutem accidentis, quòd adæquet no-
bilitatem & perfectionem effectus,
quoniam sicut accidens, v. g. calor,
quia inferior est igne, nequit pro-
pria virtute eius attingere productio-
nem; sic nec virtute substantiæ, cum
hæc virtus sit etiam accidens, & ita
inferior, & imperfectior substantia.
Si dicas esse substantiâ, contrâ primò,
quòd substantia nequit adhærere, ne-
que inhærere accidenti: secundò da-
to quòd esset possibile, cur si hæc sub-
stantia est immediatè productiua, etiâ
principalis non producet immediatè.
Terriò. vel hæc substantia est imper-

fectior effectu, vel non: si non est im-
perfectior; ergo non instrumentaliter,
sed principaliter attinget effe-
ctum: si est imperfectior, indigebit
eleuatione principalis agentis, & tunc
inquiram de illa forma qua eleuatur
præexistens, an sit substantia, vel ac-
cidens, an perfectior, vel imperfe-
ctior, & sic in infinitum.

Respondebis cum Suarior, ad ratio-
nem instrumenti sufficere eleuatio-
nem per modum concursus. Vnde
sicut Deus suo concursu eleuat volun-
tatem ad actus supernaturales, ita &
agens principale accidens ad produ-
ctionem substantiæ: sed hoc iam im-
pugnauimus difficultate 1. numero 2.
Respondebis secundò quòd quamuis
ista qualitas, qua accidens eleuatur,
sit æquè imperfecta quantum ad enti-
tatem cum instrumento, nihilominus
cum sit ipsa formalis eleuatio, non in-
diget alia ratione eleuante, sicut ca-
lor secundum se, & præcisè sumptus
ea indiget, quia non est eleuatio, nec
includit illam, sed solum est eleuabi-
lis. quod exemplo præmotionis, qua
Deus secundas præmouet causas, ad
operandum, explicari potest, cau-
sæ enim secundæ, quatenus secun-
dæ, præmouentur ad operandum
physica aliqua qualitate; & tamen
hæc qualitas, quia est formalis ele-
uatio, non indiget ulteriori eleua-
tione. Sed contrâ primò quòd hæc
solutio supponit falsum, nempe cau-
sas secundas media physica qualita-
te præmoueri, quod impugnauimus
quæstione 5. difficultate 3. artic. 3.
num. 26. Secundò data gratis hac
qualitate præmouente, est maxima
disparitas, quoniam motio causæ se-
cundæ non dat virtutem causis secun-
dis, ea enim gaudent in actu primo
& in esse quieto, sed solum determi-
nat ad operandum hîc, & nunc. Causa-
tamen

33.
*Respondeo
Suarij.*

*Respondeo
secunda.*

tamen principalis non solum determinat instrumentum ad operandum, sed ipsi etiam confert virtutem in actu primo, qua possit effectum in virtute continere; ergo cum hæc virtus non possit accidentis augere perfectionem, argumentum semper stabit in suo robore, nec eruat possibilia instrumenta naturalia.

ARTICVLVS II.

Obiiciuntur aliqua contra conclusionem.

34.
Obiectio prima. Explicatur qualiter ignis ex Philosopho agat ut calidus. Responsio.

Obiicies primò plures auctoritates Philosophi, quibus intendit substantiã non immediatè, sed mediis accidentibus operari, ideo lib. de sensu, & sensibili cap. de sapore, dicit ignem non agere vt ignem, sed vt calidum: at calor non est causa principalis ignis; ergo instrumentalis. Respond. concedendo substantiam agere mediis accidentibus dispositiue, quia cum non producat formam, nisi in subiecto disposito, prius mediis accidentibus disponit, & statim formam substantialem inducit, & in hoc sensu accidentia largo modo possunt dici instrumenta substantiæ, quatenus ei deseruiant disponendo materiam, vt optimè notat Doctor in 4. vbi supra quæst. 3. num. 7.

35.
Obiectio secunda. Responsio.

Obiicies secundò semen attingere productionem fœtus, & ex putrefactione terræ plura viuentia generari, semen tamen & putrefactio non sunt causæ principales; ergo instrumenta naturalia. Respondetur ex dicendis in lib. de generatione cum Doctore, semen, & putrefactionem solum attingere effectus dispositiue, cum non insit illis virtus sufficiens qua possint effectum continere, id enim supplet naturæ Author inducendo formas de-

bitas materiæ primæ vltimò dispositæ. Ratio est conspicua, quoniam semen à generante decifum non potest vlterius eius influxum participare: sed instrumentum ex dictis, agit quatenus actualiter motum; ergo. Respondebis quòd illa virtus, & actiuitas, est per modum habitus in semine. Sed contrà est primò, quòd iam non distingueretur à causa principali; ergo in esse quieto gaudet actiua virtute. Secundò cum hæc virtus permanens dato quòd esset possibilis sit imperfectior effectui, semper erit incapax attingendi illum.

Obiicies tertio, si semen non est instrumentum, medio quo animal alterum generat; ergo cum nec per alterum, nec per se attingat substantialem formam, falsum erit dicere animal generare animal, seu equum generare equum. Respond. sufficere vt dicatur generans, quòd attingat medio semine decifio vltimam dispositionem ad introductionem formæ necessariò præuiam; alias si hoc non sufficeret, nec diceretur hominem generare hominem, cum introductionem animæ rationalis adhuc in opinione Thomistarum, nec instrumentaliter, sed solum dispositiue semen attingat. Ex quibus constat quòd omnes formæ animalium producantur à Deo, animalque solum disponere materiam. nam generans abest, semen non sufficit; ergo solus Deus potest. Instabis, ergo magis prouida fuit natura in non viuentibus, quàm in viuentibus, cum non viuentia vt in plurimum attingant productionem suorum similibus effectiue, viuentia verò solum dispositiue, ita quòd semper recurrendum sit ad Authorem naturæ, qui solus potest tales inducere formas, vt in plurimum, inquam, quoniam non raro contingit causam vniuersalem produ-

36.
Obiectio tertia.

Vt animal dicatur generans sufficit quòd medio semine effectum dispositiue attingat. Solum Deus principaliter producit formas viuentium.

ducere formas non viuientium ex defectu agentis creati, vt quando ex collisione corporum generatur ignis, &c. Responderetur quòd sicut non existimatur improvida & defectuosa natura in generatione hominis, non tribuendo illi virtutem sufficientem ad introductionem animæ rationalis; ita nec debet iudicari defectuosa & improvida, eo quòd animalia careant sufficienti virtute producendi immediatè formas; imò valdè prouida in hoc. nam sic ostendit excellentiam formarum viuientium, quæ solùm à Deo valent produci. Addit tamen quidam neotericus Scotista quòd loquendo de aliis viuentibus ab homine si à patre & matre in sua productione pendeant, forsàn causa principalis productiua formæ est mater, cum præsens sit & ministret materiam, vltimòque disponat, & sic non semper erit recursus ad causam vniuersalem. Sed hoc mihi in sententia Doctoris videtur improbabile, quoniam licèt mater actiuè concurrat ad generationem fetus: at contra Anglicum Doctorem 1. 2. quæst. § 1. art. 5. & 3. part. summæ quæst. 32. artic. 4. docet subtilissimus Doctorum in 3. distinct. 4. quæst. vnica §. *opinio est*, num. 3. Hæc tamen medio semine producit, sicut cætera viuentia, & non immediatione virtutis, aut sapspositi: vnde cum semen ob suam imperfectionem non valet attingere formas viuientium, nec mater quæ medio illo operatur, sed solùm dispositiuè disponendo materiam, & forsàn producendo formam corporeitatis, quæ non est perfectior semine: non enim reputo inconueniens admittere solius primæ causæ esse producere formas substantiales viuentium, quæ medio semine generantur, imò aliud esse impossibile, conabimur ostendere in

*Mater
nequis
principa-
liter at-
tingere
produ-
tionem
formæ.*

libris de generatione, interim legatur Doct. in 2. dist. 18. in fine, & in 3. distinct. 4. §. *sed hic est*, num. 13. & Philippus Faber in sua Philosophia theorem. 68.

ARTICVLVS III.

Vtrum diuinitus dari possint instrumenta naturalia.

NOtante de instrumentis naturalibus, & non de supernaturalibus, seu pertinentibus ad ordinem gratiæ inquirimus; quoniam de his agunt Theologi tractatu de Sacramentis, & ibidem Thomistæ affirmant nostra Sacramenta virtute supernaturali physicè attingere gratiæ productionem. quod Scotistæ negant cum Doctore in 4. distinct. 1. quæst. 1. per totam; solùm ergo inquirimus vtrum possit diuina virtute elenari accidens, vt possit non solùm instrumentaliter disponere materias, sed attingere substantiæ productionem; nec de hoc possunt dubitare Thomistæ, quoniam si de facto admittunt accidentia physicè attingere substantiæ productionem, nullo melius supernaturali virtute id fieri non repugnabit; nos verò qui articulis præcedentibus negamus dari aliqua physica instrumenta naturalia, seu quæ naturaliter attingant effectus perfectiores, meritò dubitamus vtrum id supernaturaliter fieri non repugnet.

Conclusio est. Nulla virtute quantumuis supernaturali posse accidens attingere aliter quàm instrumentaliter dispositiuè substantiæ productionem. Hoc probat efficaciter argumenta, quibus suprà cum Doctore ostendimus, accidentia non attingere de facto substantiæ productionem, & iterùm sic breuiter declaro. De ratione physici

37.

Cælestis.

physici instrumenti est quod operetur vt motum, & eleuatū ab aliqua principali causa, ex difficult. 1. articul. 2. & hoc non solo concursu concomitante, sed media aliqua physica qualitate prædeterminante, & conferente virtutem in actu primo, qua possit operari, vt ex Doctore diximus ibidem num. 14. at nulla qualitas quantumuis supernaturalis talem virtutem in actu primo valet præstare; ergo nec reddere accidens in actu primo potens attingere substantiæ productionem. Maior patet ex dictis ibidem. Minorem, in qua est difficultas, sic probos; illa qualitas, aut aliud quidpiam quod superaddatur, non habet æqualem perfectionem cum effectu; ergo nequit illum in virtute continere: sed de ratione causæ est quod in virtute contineat effectum; ergo cum accidens tali supernaturali eleuatione adiutum semper remaneat intra gradum inferioritatis, & imperfectionis, numquā poterit substantiæ productionem attingere. Vnde ratione à priori impossibilitas ista ostenditur manifeste; de ratione intrinseca causæ productiue est quod in virtute contineat effectum, alias quouis creatura omnes effectus quantumcumque perfectos attingere posset: sed accidens nulla virtute potest continere substantiam; ergo nec ipsam effectiue attingere.

Obiectio.

Obiicies posse Deum ad positionem accidentis substantias producere; ergo tunc accidens saltem instrumentaliter attingeret eius productionem. Responderetur verum esse antecedens, hoc enim non solum supernaturaliter, sed intra naturæ meras tories contingit, quoties materia disponitur accidentibus, absente causa secunda principali creata, cuius defectum prima causa, seu naturæ author sup-

plet; tamen in tali casu solum instrumentaliter attingit disponendo, non autem influendo in effectum, quod contrarij existimant; sola ergo illa causa eleuari poterit quæ sit capax recipiendi aliquam virtutem, qua in actu primo reddatur proximè continens in virtute effectum, quem attingit, & cum hoc solum instrumentis artificialibus conuenire possit, ex dictis vbi supra, illa sola habent rationem instrumenti.

Totius quaestionis resolutio.

Habemus ergo ex tota hac quaestione, non esse sermonem de instrumentis in latiori significatione vsurpatis, sed pressè consideratis, & quatenus indigent eleuatione alicuius principalis causæ ad operandum; in hoc enim causa instrumentalis & principalis differunt, quod hæc agit virtute propria, quam in esse quieto conseruat: illa autem mendicat virtutem ab alia principali, agit enim vt eleuata ab ea non solo concomitante concursu, aut quasi morali prædeterminatione; sed media aliqua physica qualitate, qua in actu primo redditur potens, & in virtute continet effectum, non in esse quieto, sed in ordine ad operationem actualem; nec aliter cõcurrit principalis causa creata cum instrumentis, creata, inquam, quoniam diuina, & increata non solum eleuat instrumentum media hac physica qualitate, sed etiam vt vniuersalissima causa, à qua omnis creatura in esse & operari dependet, concursu influit, concomitante ad eius instrumentalem actionem. quæ causa instrumentalis ita à principali in sua pendet virtute; vt non sit necessarium quod aliqua actiuitas propria præcedat virtutē quam ipsi principale

agens communicat; unde nulla physica instrumenta rigorosa admittimus, præter artificialia, & consequenter affirmamus, accidens nulla virtute naturali, aut supernaturali, substantiæ productionem effectivè, & aliter, quam dispositivè attingere posse.

QVÆSTIO VII.

De causa finali.

CIRCA causam finalem quinque se se offerunt discutienda. Primum quid, & quotuplex sit finis. Secundum utrum finis sit vera causa physica. Tertiam moueatne secundum esse reale, an secundum esse cognitum, vel apprehensum. Quartum an finalizer actus circa media, & circa seipsum. Quintum qualiter agens naturale operetur propter finem.

DIFFICULTAS I.

Quid, & quotuplex sit finis.

SUPPONIT titulus difficultatis, datam causam finalem cum Philosopho, & omni peripathetica schola; solum ergo dubitatur, quid sit, vel quæ ratio formalis illius in actu primo, quia de actu secundo dicemus difficultate sequenti; item quotuplex sit.

ARTICVLVS I.

Quotuplex sit finis.

I. **P**rimò diuiditur finis ab Aristot. 2. de anima cap. 4. quem sequitur Doctor in 2. distinct. 6. quæstione 1. num. 7. in fine, & quæst. 2. cum communis sententia, in finem cui, & est subiectum, cui bonum volumus; &

in finem qui, vel cuius, & est bonum quod volumus fini cui, vt sanitas infirmo, quorum iste terminat amorem concupiscentiæ; ille verò amorem amicitia. Secundò finis cuius, diuiditur communiter in obiectiuum, vel qui, vt Deus, & pecuniæ; & in formalem, vel quo, qualis est obiectiuum possessio, quia est quo possidemus illud, quod obicitur appetendum. Huius meminit expressè Doctor in 2. lib. Metaph. in expositione textus summa secunda cap. 2. vers. *remouet*, n.

39. & tractatu de primo principio cap. 2. num. 21. & 2. Physic. quæst. 9. versicul. *quarto notandum*. Exemplum sit beatitudo, quæ est finis quo, seu formalis, quatenus est medium, quo tenemus Deum finis qui, seu obiectum nostræ dilectionis, seu beatitudinis formalis. Notare autem oportet, finem formalem, seu quo, semper esse quid creatum, quia est operatio, aut quasi operatio: finem autem qui, quandoque esse creatum, & operantis effectum, vt sanitas; quandoque non, sed præsupponit existens, vt Deus, pecunia, &c. Rursus finis factus ab agere quandoque manet transacta actione, vt sanitas, quandoque non, vt termini actionum imminentium, videlicet cognitio. Tandem diuiditur in vltimum, & non vltimum; de quibus legantur Vasquez & Lorca 1. 2. à disp. 1. Suar. in Metaph. disput. 10. 23. & 24. Agidius Augustinianus præ omnibus in principio primi tomi de beatitudine.

Sed est dubium, quis eorum habeat rationem causæ finalis; & quidem loquendo de formali, & obiectiuo, dicendum est cum recetioribus ex vtroque constari vnum integrum finem, cuius gratia aliquid fit. Reddit rationem Vasquez; quia, cum finis obiectiuus sit res à nobis supposito distincta.

Quid finis obiectiuus sit & quid formalis.

Finis vltimus & non vltimus.

2. Ex fine formali & obiectiuo vno vnus integer constatur.

fincta, vt Deus, & pecunia, nequit esse bonus, & conueniens nobis terminando amorem concupiscentia, nisi sit possessus; quare possessio non est mera conditio, sicut de apprehensione dicemus difficultate tertia; sed est pars obiecti. Adde, finem obiectiuum esse principaliorum, quia formalis in illum tendit, & ordinatur tamquam actus ad obiectum, sicut idem dicemus modo de cui, & cuius.

3.
Finis cui, & cuius sunt vere fines.
 Maior est difficultas de fine cui, & cuius; euacuatur tamen eodem modo. Dicimus ergo vtrumque gaudere vera ratione finis, vt omnes contra Ochamum, Gabrielem, & Henricum affirmant. Fundamentum est, quod in vtroque est bonitas propter se amabilis, quam esse rationem formalem causae finalis dicemus inferius. Fauet Aristot. diuidens finem, quem definiuit, esse cuius gratia cetera fiunt, in finem cui, & cuius; itaque, vt optime vidit Doctor in 2. vbi supra quaestione 1. num. 6. quem sequutus est Suarez sect. 2. num. 5. dicens ex vtroque fine vnum integrari; vtraque partem, scilicet quod, & cui, per se includit obiectum voluntatis; vbi finem quod, idem esse quod finis cuius, supra explicatus, dubitare non licet. Hanc eandem veritatem innuit Philosophus 5. Metaphysic. cap. 2. dicens, propter quid deambulatur? dicitur, vt sanetur; vbi comprehendit vtrumque. Intentio enim Medici adaequatè fertur in hominem sanum; inadaequatè tamen intendit sanitatem tamquam bonam infirmo, & infirmum, tamquam cui, sanitas est bonum, comparando vnum alteri, non vt medium fini, vt putauit Ochamus, sed vt finem minus principalem ad principaliorum, quorum vterque amatur propter se, & gratia ipsius cetera. nam non implicat amari vt bo-

num alteri, & propter se, sicut nec pugnat amari propter se, & propter aliud, vt dicemus de finibus intermediis diffic. 4. artic. 4.

Obiicies, finem cui non esse proprie finem, sed subiectum, alias quando Deum nobis appetimus, essemus finis Dei, quod est absurdum. quod argumentum difficile à quibusdam recentioribus existimatur. Nos autem breuiter dicimus cum Aegidio articulo 4. §. quatto, quod finis cuius, non amatur propter finem cui, (quod tamen requiritur, vt ordinaretur Deus in vltiorem finem, & vt sic talis amor esset inordinatus:). sed ita Deum amamus nobis, quod totum volumus propter gloriam ipsius, vt optime Ricardus in 3. distinctione 26. articulo 7. quaestione 2. itaque vltimus respectus amicitiae, qui semper praecipuus est, sistit in Deo; si enim Deum amamus nobis, est propter Deum, qui vult à nobis diligi tamquam vltima perfectio, & possessio nostra. Dices, finis cui, est semper perfectior sine cuius; ergo Deus tunc imperfectior erit nobis. Respondetur ad antecedens, finem cui in ratione entis non semper esse perfectiorem; sed aliquando imperfectiorem, quod ex entitate cuiusque iudicandum est. Concedimus tamen in ratione finalizandi semper esse perfectiorem: sed quoniam, vt diximus, quando Deum nobis volumus, nos non sumus vltimus finis cui, sed Deus ipse; ideo semper perfectiori gaudet finalizatione.

4.
 Si queras, an vterque finis ametur vnico actu, an duobus. Respondet Vasquez disput. 14. cap. 4. Aegidius quaestione 2. articulo 3. §. tertio, num. 8. & alij, vtrumque amari vnico actu cum duplici respectu amicitiae ad finem cui, & concupiscentiae ad finem cuius: vnde quod dicitur,

Finis cui sepe est perfectior sine cuius in ratione finalizandi, non autem in ratione entis.

citur, amorem concupiscentiæ oriri ex amore amicitia, intelligunt ex parte obiectorum, quod satis probabile est. Doctor verò vbi supra, & in 4. distinct. 49. quæst. 5. §. *ad quæstionem*, à num. 2. affirmat, duobus actibus amari, tener Suarez vbi supra num. 3. clariùs Hurtado disput. 13. de anima sect. 1. Rada 2. controuersiarum controuersia 11. artic. 4. Fab. in 2. disp. 32. Fundamentum Doctoris est, quòd amor amicitia terminatus ad finem cui, est veluti causa amoris concupiscentia terminati ad finem cuius, quia ille finis est præcipuus; ex eo enim quòd amo Petrum, volo illi fanitatem: sed causa, & effectus realiter distinguuntur; ergo. quod clariùs, & exactiùs in Metaphysica examinabimus. Deinde finis diuiditur in vltimum, & non vltimum; iste alteri subordinatur, ille verò nulli.

ARTICVLVS II.

Quæ sit ratio formalis constitutiva finis in actu primo.

Responderetur cum communi sententia, quòd ratio formalis constitutiva finis in actu primo est bonitas; hac ratione Arist. 7. Metaph. c. 20. docet, finem, & bonum esse idè, quòd euidentissima ratione patescit, quia voluntas non tendit affectu prosecutionis, nisi in bonum; sed finis est obiectum voluntatis; ergo necessariò debet esse bonus.

5. Quoniam verò bonum, secundùm Doctorem quodlibet. 18. §. *de primo*, dupliciter sumitur. Primò vt conuertitur cum ente, & est idem ac integrum, & perfectum essentialiter. Secundò relatè ad aliud, cui est conueniens; & diuiditur in honestum, dele-

ctabile, & vtile. Dico primò, bonitas constitutiva finis in actu primo est illa, quæ conuertitur cum ente, vt abstrahit à vero, vel apparenti bono: tener expressè Doctor in 2. distinct. 23. §. *ad quæstionem*, num. 4. & distinct. 43. quæst. 2. num. 1. & in 3. distinct. 33. §. *præterea*, versic. *ad rationem*, num. 6. & in 4. dist. 50. quæst. 1. num. 1. idem supponit. Dico secundò, si loquamur de hoc fine bono, vero, vel apparenti absolutè, & vt est in se, vt sic terminat amorem amicitia, & est finis cuius, seu quòd. hic enim amor solùm tendit in bonum vt est in se. Dico tertio, si loquamur de fine relatè ad aliud, cui est conueniens, debet esse bonum non solùm in se, sed alteri; vt sic tamen terminat non amorem amicitia, sed concupiscentia; vt optimè notauit Hurtado vbi supra §. secundo. quoniam amor concupiscentia formaliter respicit bonum non vt in se est, sed quatenus bonum mihi, vel alteri, de quibus alibi.

Obiicies sententiam Doctoris esse voluntatem posse appetere malum sub ratione mali; ergo non est de ratione obiecti voluntatis, quòd sit bonum; malè ergo probamus bonitatem formaliter constituere finem in actu primo, quia finis est obiectum voluntatis. Responderetur verum esse Doctorem problematicè locutum fuisse de hac re in 2. distinctione 43. quæstione 2. num. 1. & in 1. distinctione 1. quæstione 4. §. *ad argumenta*, tamen alibi, vt supra, oppositum determinat, cuius mentem explicabimus exactiùs libro 3.

de anima, agentes de voluntatis obiecto.

* * *

Cöclusio prima.

Cöclusio secunda.

Cöclusio tertia.

Obiectio.

DIFFICULTAS II.

Utrum finis sit vera causa physica.

ARTICVLVS I.

Premittuntur aliqua.

6.
Finis est
vera
causa.

Suppono cum Philosopho in hoc lib. finem esse verè causam. tenet Peripathetica schola cum suo Magistro c. 3. & 7. diuidente causam physicam in quatuor membra, quorum vnum est finis. Idem habet 2. Metaph. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 1. & ante eum Plato in Phædone, & Socrates ab eo relatus. tenet etiam expressè Doctor in 2. Phys. q. 9. vers. *quantum ad secundum*, & lib. 1. in Metaphys. summ. 1. cap. 2. num. 26. estque communis Theologorum consensus. Fundamentum est, vt expressit Doctor 2. Phys. vbi supra, *quia illud est causa propter quod alteram est, ergo, &c. Minor est nota, quia propter sanitatem est labor, & ita inducens in alijs, quia sanitas non est causa laboris in genere causa efficiens; quia efficiens precedit tempore suum effectum, & saltem simul est cum effectu, & tamen sanitas sequitur laborem, nec labor est propter sanitatem tanquam propter materiam, vel formam, vt notum est; igitur est propter ipsam, tanquam propter finem. Secundo quia illud est causa, per quam conuenienter respondetur ad questionem querentem, quid est hoc? sed hoc fit per finem, igitur, &c. Maior est nota, quia questio propter quid querit causam; & minor patet, quia si queratur, propter quid Socrates laborat. Respond. vt sanus efficiatur. Tertiò causa efficiens non producit effectum nisi propter aliquem finem, vt dicimus difficultatè vltima; ergo sicut effectus per se respicit causam effi-*

cientem & per se ab illa dependet, ita per se dependet à fine, propter quem producitur: atqui id, à quo per se dependet, realiter effectus est eius causa realis per se; ergo, &c. Quod clarius cernitur in agentibus liberis, quæ non eliciunt operationes, nisi prope finem; ergo illæ per se dependent à fine; finis ergo est vera causa, cuius gratia aliquid fit.

Suppono secundo receptissimum principium esse inter Peripatheticos causalitatem causæ finalis non esse Physicam, sicut est causalitas efficientis: sed ad hanc comparatam dici metaphoricam docet expressè Arist. 1. de generat. cap. 7. text. 55. vbi iuxta translationem antiquam hæc habet; *est enim factiuum causa, & vnde principium motus; cuius autem gratia non actiuum, nam sanitas non factiuum est, nisi iuxta metaphoram.* docuit expressè Doctor in 1. d. 1. quæst. 4. num. 22. & in 2. d. 25. q. 1. §. *Dico ergo*, vers. *ad primum principale*, num. 24. & alibi sapius. Solum ergo est difficultas, vtrum hæc motio metaphorica, seu finis, qui verè causa est, possit dici physica, & realis.

7.
Causalitas finis est metaphorica.

ARTICVLVS II.

Respondetur titulo difficultatis.

Quidam affirmant, finem esse verè causam physicam, & realem. ita Suarez disp. 23. suæ Metaph. sect. 2. Ruu. tractatu 6. de causa finali quæst. 1. & alij quamplures. Fundamentum huius sententiæ est, quod effectus realis sicut dependet ab efficienti, ita dependet à fine; ergo finis influit in effectum realiter; est ergo causa realis. Confirmatur, quia sicut efficiens est causa realis, quia est vnde motus, seu vnde fluit forma; sic etiam

8.
Sententiæ prima.

finis dicitur causa realis, & physica, quatenus eius gratia effectus realis penitur in re. Confirmari potest secundò ex Philosopho 2. *Phys.* cap. 3. & 7. diuidente causam physicam, & realem in quatuor membra, quorum vnum est finis.

9.
*Sententia
secunda.*

Alij negant, finem esse veram causam physicam. ita Hurtado disput. 13. de anima sect. 5. Plaza disp. 6. quæst. 1. Murc. disput. 5. de causa finali ante primam quæstionem. Fundamentum huius sententiæ est, quòd finis est causa metaphorica, vt supposuimus cum communi sententia articulo antecedenti; ergo non physica & realis causa. Secundò causa physica, & realis vt physicè, & realiter influat in effectum, debet existere à parte rei, vt patet: sed finis vt talis non petit existere à parte rei, sed sufficit, si apprehendatur, vt patet in sanitate desiderata; ergo non influat physicè, & realiter, vt talis, inquam, quoniam fini accidit quòd existat, vel non existat. Tertio causa physica, & realis debet habere veram, & realem virtutem causandi, & causalitatem realem, à qua tanquam à forma verè, & realiter causa denominetur: sed virtus causandi remota in fine multoties non est vera, sed apparenis, imò & impossibilis, cum saltem effectu inefficaci voluntas sæpius feratur in impossibile; & causalitas, quæ est relatio realis, in subiecto non reali nequaquam potest esse; ergo finis non est causa realis physica. Quarto quælibet causa realis debet influere actione reali in effectum: at finis, cum sit causa metaphorica, & solum per translationem, & similitudinem ad causam efficientem, non influat realiter; ergo non est verà causa physica, & realis.

10. Ego tamen existimo, hanc esse

quæstionem de nomine. nam vtraque sententia eadem admittit principia tanquam certa; in confesso enim est apud omnes, causam finalem esse metaphoricam, non existentem in re, sed solum in apprehensione posse finalizare; esse vnum ex membris diuidentibus causam physicam in communi; nec causare aliqua causalitate prædicamentali formaliter, aut relatione reali possibili in prædicamento, cum hæc necessariò requirat subiectum realiter existens. Dicamus ergo vtramque sententiam esse veram in diuerso sensu; & ita finem non posse dici causam physicam, & realem absolute, & sine addito, sicut dicitur efficiens, sed cum addito, seu metaphoricè, solum quatenus influat in effectum realem, & iste realiter à fine dependet, licet non influxu proprio & rigoroso, qualis est causæ efficientis; & hoc solum intendit Philosophus vbi supra, & Doctor noster, dum dicunt esse causam metaphoricam.

DIFFICULTAS III.

Quæ sit causalitas finis.

Suppono pro clariori huius difficultatis elucidatione, hinc non esse sermonem de causalitate in actu primo, seu de virtute causandi. nam certum est ex difficultate prima articulo 2. bonitatem finis esse rationem formalem, sub qua mouet, atque ita ea constitui causam finalem in actu primo potentem finaliter causare. Ratio est conspicua, quia causalitas finis, vt statim dicemus, consistit in metaphorica motione voluntatis, qua illam allicit ad operandum

erandum gratia sui: nihil autem alliecit voluntatem nisi sub ratione boni; ergo bonitas erit in fine virtus causandi finaliter, seu finalizandi. Est autem necessarium vt bonitas finis allicere voluntatem, & finem in actu primo valeat constituere, quod per intellectum apprehendatur, cuius ratio est, quod voluntas est potentia caeca, ideoque metaphoricè non mouebitur ab obiecto, nisi ei per intellectum ostendatur, iuxta illud axioma, *Nihil volitum quin praecognitum*. Tota ergo controuersia est, in quoniam consistat haec metaphorica motio, seu influxus, quo finis in actu primo simul cum voluntate influat in effectum, cum voluntate, inquam, quoniam huic soli agere propter finem proprie, & rigorose conuenit, vt dicemus difficult. 6. n. 42.

ARTICVLVS I.

Proponuntur diuersa Philosophorum placita.

12. *Sententia prima.* Caietanus 2.2. quaest. 17. artic. 3. Cessugiens huius dubij non modicam difficultatem, affirmavit nos ignorare hanc metaphoricam finis causationem, seu causalitatem in actu secundo, licet illam nominemus confusa quadam ratione, dicentes esse id cuius gratia aliquid fit.

13. *Sententia secunda.* Plures alij existimant hanc metaphoricam motionem consistere in aliquo praeiudicio, & antecedenti actionem voluntatis, qua eligit media gratia finis, executionique mandat. Quid autem sit hoc antecedens, duobus modis solet explicari. Quidam affirmant esse quandam qualitatem intentionalem à fine apprehenso & amato productam, impres-

samque voluntati in actu primo antequam eligeret, vel aliquid mandare executioni incipiat. Sed hic modus philosophandi merito ab scholis communi relegatur consensu, siquidem fingit quandam qualitatem intentionalem productam, & impressam voluntati in actu primo, cuius nulla causa efficiens assignari valebit. nam in primis non est finis apprehensus, & amatus, vt infra uare hi videntur, quoniam finis apprehensus, & amatus, licet possit exercere causalitatem finalem, non verò efficientem; haec enim necessario requirit actualem existentiam, cum influat non metaphoricè, sed propriissimè in effectum, ad quod non sufficit obiecti intellectui, & voluntati; nec est ipsa voluntas, cum nihil in se efficienter producat praeter actum, seu operationem, ad quam supponitur iam mota; ergo fingitur haec qualitas mouens metaphoricè voluntatem, vt optimè refutat Doctor tractatu de primo principio c. 2. §. quod non est causatum, vers. et si queras, num. 6.

Propterea alij respondent, causalitatem hanc metaphoricam nil aliud esse, quam bonitatem finis esse amatam, & apprehensam; reliqua verò, quae ad haec sequuntur, vt est actio, qua voluntas gratia finis eligit, & mandat executioni media; dicunt habere potius rationem effectus, & termini motionis metaphoricæ, quam causalitatis finis. ita Contrabricses 2. Phys. cap. 7. quaest. 21. Lorca tom. 1. super 1. 2. & alij. Fundamentum istius sententiae est, quod ante actum voluntatis, & electionem mediorum supponitur voluntas mota, & allecta ad operandum: sed hoc causatur à fine; ergo eius causa

Resellitur secunda sententia.

14. *Sententia tertia.*

Impugnatur
tertia sen-
tentia.

causalitas distinguitur ab operatione voluntatis. Sed hic etiam philosophandi modus nec verus, nec Philosophi doctrinis consentaneus videtur. Primò quia expressè docet Philosophus, vt inferiùs dicemus, causalitatem finis versari circa actionem operantis, cum dicit, finem esse, cuius gratia cætera fiunt: at hic modus philosophandi excludit à causalitate finis actionem operantis gratia finis; & in aliquo antecedenti actionem operantis gratia finis non solum prioritate naturæ, sed etiam temporis constituit, siquidem contingit, quòd apprehensa, & amata actu bonitate finis voluntas non eligit, sed executioni mandat media; ergo. Confirmatur ratione. Finis non dicitur actu causans, quousque gratia illius aliquid fit; ergo impossibile est, quòd eius causalitas consistat in aliquo præuio, cum ante actionem voluntatis nil gratia illius efficiatur.

15.
Sententia
quarta.

Quarta sententia docet, motionem hanc metaphoricam, quæ est causalitas finis, nihil esse aliud, quàm eandemmet actionem voluntatis prout à fine, est sententia D. Thomæ de veritate quæst. 22. & 1. contragentes. cap. 75. vbi hæc habet; *causalitas autem finis in hoc consistit, quòd propter ipsum alia desiderantur.* Eum sequitur Suarez 1. tom. Metaph. disputatione 23. sect. 4. num. 12. Ruvius in hoc lib. tract. 5. de causa finali quæst. 3. Sonzinas lib. 5. Metaph. quæstione 2. Iauellus quæst. 5. & alij quamplures. cuius sententiæ fundamenta inferiùs proponemus, nostram sententiam explicantes.

ARTICVLVS II.

Explicatur nostra sententia.

Dico primò causalitas finis, fundametaliter loquendo, est eadem cum actione, seu causalitate voluntatis, qua eligit media, vel imperat potentiis executiuis inferioribus, respiciendo finem. tenet expressè Doctor tract. de primo principio §. probatur sic. num. 3. vbi hæc habet; *nihil igitur causat finis, nisi quòd efficitur ab efficienti amante finem.* idem docet q. 4. prologi §. aliter dicitur, vers. si dicatur. num. 11. his verbis, *finis non est causa nisi in quantum amatus, & desideratus mouet efficiens ad efficiendum.* Vnde in 4. d. 49. quæst. 8. §. secundo videndum, vers. ad aliud, num. 7. docet, quòd *Deus est causa finalis omnium, & hoc non aliter, nisi sic propter quem amata sunt res;* ergo causalitas finis ex mente Doctoris non est electio voluntatis, sed effectio ipsius, quatenus à fine, seu eius gratia. Quod sic explico, quoniam sicut in concursu causæ primæ, & secundæ in vna, & eadem absoluta entitate formæ fluentis præscindimus causalitatem causæ primæ, & secundæ, solum quatenus ista forma absoluta concipitur vt à Deo, & à creatura, vt diximus quæstione 5. difficult. 3. art. 3. & 2. sic in hac entitate absoluta actus voluntatis in fieri eligentis media, seu eius causalitatis fundamentalis voluntaris, quæ est electio mediorum, possumus præscindere causalitatem finis à causalitate efficientis; quoniam eadem entitas absoluta actus voluntaris in fieri quatenus à volutate, est causalitas efficientis; quatenus autem respicit finem cuius gratia, dicitur causalitas finis. Quam sententiam sic explicatam probo

17.
Verior
sententia.
Conclusio
prima.

probo. Primò ex definitione finis quoniam finis est, cuius gratia aliquid fit: sed motio præcisa voluntatis non est aliquid effectum; ergo si voluntas nihil efficiat, finis non causabit in actu secundo. Secundò causalitates cæterarum causarum mutuò se respiciunt, nusquam enim inueniemus efficientiam sine materializatione, neque istam sine informatione; ergo etiam causa finalis cum eisdem debet concurrere. Sed si causalitas finis esset sola motio, seu allectio voluntatis, posset causa finalis causare cæteris non causantibus, cum voluntas allecta possit non prorumpere in actum; ergo.

17. Confirmatur, quoniam finis ex dictis difficultate antecedenti est causa realis; ergo debet habere effectum realem: sed ex articulo præcedenti nihil est reale in voluntate causatum à fine, si eius actionem, nempe voluntatis excludamus; ergo vtriusque causalitas fundamentalis est eadem. Tertio voluntas ex Doctore, ut latè ostendimus in tractatu de diuina voluntate, in hoc distinguitur ab intellectu, quòd iste determinatur ab obiecto; illa verò quocumque obiecto proposito semper se determinat, ut perspicuis verbis ostendit Doctor in 4. dist. 43. quæst. 4. §. *intelligendum ex hoc, & quodlib. 16. §. de primo*, litera Q. ergo si voluntas non operetur gratia finis, nihil erit causatum in voluntate, quod possit dici effectus finis, seu ab hoc causatus.

Obiicies, causam finalem priorem esse in causando cæteris causis, ut dicemus inferius quæst. 9. difficult. 1. art. 1. num. 4. ergo effectus eius etiam erit prior causalitate causæ efficientis; non ergo poterit esse eadem vtriusque causalitas. Respondetur ex Doctore tractatu de primo principio

vbi supra, versic. *et si quæras*, quòd finis non est causa prior, quia aliquid causet in efficienti, quòd iste causet; sed tantum dicitur prior, quatenus incipit alliciendo voluntatem, & hac ratione eminet in causando cæteras causas; quoniam sicut causa prima ex Doctore quæst. 12. difficult. 3. art. 1. dicitur in causando prior ob suam eminentiam, etiam si identificet suam concursum cum concursu causæ secundæ; sic finis potest dici prior in causando, et si simul causet in actu secundo cum efficienti; quod magis explicabitur vbi supra. legite Doctorem tractat. de primo principio vbi supra.

Dico secundò, causalitas formalis finis realiter distinguitur à causalitate causæ efficientis. Fundamentum est, quod ex dictis quæst. 2. difficult. 3. art. 2. cuiusvis causæ causalitas formalis, & in actu secundo est ratio terminata ad effectum, & subiectata in causa: sed causa finalis, & efficiens realiter distinguuntur; ergo & causalitates formales, quæ subiectantur in ipsis.

Obiicies finem aliquando non existere: sed ratio realis requirit extrema actu existentia; ergo non constituitur in actu secundo causans relatione reali. Respondetur concedendo maiorem, & minorem; dicimus tamen assertum nostrum esse intelligendum de fine actualiter existentis: quando autem finis non existit, tunc relationi intentionali constituitur causans, ut diximus de Deo respectu causationis ad extra quæst. 4. difficultate 4. art. 3. & idem debent dicere omnes, qui admittunt relationes prædicamentales distinctas realiter ab extremis de relationibus tertij generis, seu mensuræ, & mensurabilis. nam si obiiciamus, quòd ratio mensuræ, & mensurabilis est inter potentiam,

XXx & obie

18.

Conclusio
secunda.

19.

Obiectio
prima.

& obiectum, &c. sed obiectum potentia, & actus, potest aliquando non existere; ergo ratio mensurae, & mensurabilis non est prædicamentalis. Respondent, intelligendum esse Philosophum de his relationibus, quando utrumque extremum actualiter existit; cum verò obiectum tali caret existentia, tunc erit ratio intentionalis; nisi dicamus, ut ego probabiliter aliquando tenui, cap. de relatione, ad terminandum istas relationes tertij generis sufficere illud esse obiectiuum causatum per actum cognitionis, seu amoris, quod in Metaphysica latius expendemus.

DIFFICULTAS IV.

Utrum finis finalizet actus circa media, vel circa amorem sui.

HAnc difficultatem late explicant Theologi tract. de beatitudine, & bonitate, & malitia humanorum actuum; nos tamen, qua potuerimus breuitate, in præsentiarum aperiemus.

20. Præmitto plures inueniri in voluntate actus elicitos, (circa hos enim præcipuè finis suam causalitatē exercet, quidam enim circa finem vel obtinendum in intentione, ut desiderium, intentio, seu amor ipsius finis; vel obtentum in executione, ut complacentia, & in sententia Thomistarum fruitio, & gaudium; alij actus versantur circa media, ut electio; & in sententia Thomistarum simplex complacentia circa media, quatenus utilia ad finem, vsusque actiuus, quo voluntas mouet potentiam executiuam ad executionem. Difficultas ergo est, an circa omnes hos actus exercent

Plures actus specie diuersi ab eadē procedunt voluntate.

finis suam causalitatem. Certum autem est apud omnes, illam exercere circa actus vltimos, erga media, quia verè fiunt propter ipsum, & gratia finis. Controuersia ergo reducit ad solos actus circa finem, an scilicet finis finalizet respectu actuum circa finem, vel respectu actuum circa media.

ARTICVLVS I.

Proponitur quorundam sententia, & explicatur nostra.

Prima sententia affirmat, finem exercere suam causalitatem circa amorem sui, vel actus tendentes in amorem finis esse effectus eius; itaque ille actus amoris, quo, v.g. diligo Deū, non solum est amor finis, sed formaliter est gratia illius, & consequenter Deus exercet ibi causalitatem finalem. tenet S. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 5. Suarez disput. 23. Metaphys. sect. 3. Ruu. tractatu de causa finali, quæst. 6. & alij plures. Fundamentum est, quod ut aliquid dicatur agere propter finem, vel gratia illius, non requiritur, quod operetur amore finis: sed sufficit, quod operetur à bonitate finis apprehensi allectus, & attractus. hoc habent actus circa finem; ergo. Reliquas rationes obiciemus contra nostram conclusionem articulo secundo.

Verior sententia sustinet, causalitatem causæ finalis solum esse circa media, ut ordinanda ad ipsum finem. ita Vasquez 1. 2. quæst. 1. disput. 3. cap. 2. Lorca disput. 3. innuit Gabriel in 2. dist. 1. quæst. 5. art. 1. & Gregor. art. 2. colligitur manifestè ex Doctore quæst. 4. prologi §. aliter dicitur, versic. si dicatur, num. 11. vbi habet, quod finis non est causa, nisi in quantum amatus, & desideratus mouet efficiens ad efficiendum; ergo

21. Sententia prima.

22. Verior sententia.

ergo Deus non est causa finalis quatenus solum amatur, & desideratur: sed amor, & desiderium supponuntur ad motionem, & causalitatem finis, unde in 4. dist. 49. quaest. 8. §. *secundò videndum*, versic. *ad aliud*, num. 7. docet Deum non aliter esse causam finalem omnium, nisi quatenus propter ipsum amatae sunt res.

23.

Fundamentum huius sententiae est. Primum quod finis est, cuius gratia, seu amore cetera fiunt, vel amantur (amor enim & gratia synonyma sunt:) sed finis non fit propter finem, nec amatur ex amore finis, aut gratia finis; ergo amor finis non est effectus causae finalis. Unde communiter dicitur, finem solum esse causam in intentione, id est, amatum, vel intentum causare aliquid circa media in ordine ad consecutionem sui. Secundò aliàs brutum propriè ageret propter finem, cum appetat proprios fines ab illorum bonitate tractum, si bonitas ab imaginatione praesentetur ei: sed in tali casu nihil deficit, nisi electio mediolorum, ut fit causa finalis; ergo causalitas finis circa eligenda media est.

Obiectio prima.

Dices primò brutum ferri naturaliter, & non liberè in proprios fines, & ita non operari propter finem. nam cum voluntas sola sit, quae operatur propriè propter finem, istius causalitas solum erit circa actus liberos. Sed contra, quod & amor Dei in patria naturalis est per aduersarios, & à voluntate determinata, ab obiecto naturaliter procedit, & tamen fatentur esse propter finem; ergo.

Obiectio secunda.

Dices secundò brutum non ferri in finem formaliter, non tantum, quia non cognoscit proportionem illius cum mediis, sed etiam quia ignorat in eo conuenientiam cum propria natura, in qua consistit ra-

tio bonitatis finis: unde cum solum cognoscat rem, quatenus conuenientem, vel disconuenientem ut sic, non operatur propter finem. Quod sic confirmant, quia aliàs brutum componeret, & diuideret, si praedictam conuenientiam cum propria natura cognosceret. Sed contra est, quod nulla potentia operatur circa obiectum materiale, nisi sub ratione formali obiecti, ut inductione patet: sed bonitas conueniens est obiectum formale appetitus elicitum bruti; ergo brutum illam appetit, quatenus conuenientem sibi, ad quam cognoscendam sufficit simplex apprehensio, nec requiritur compositio, ut docuit Doctor quodlib. 18. §. *de primo*, litera E. Confirmatur, quia brutum aliquas res fugit, aliàs prosequitur: perficit ergo aliquam differentiam ex parte obiecti formalis, ut rationem boni prosequatur, & rationem disconuenientis fugiat; aliàs non esset maior ratio fugae, quam prosecutionis.

ARTICVLVS II.

Obiiciuntur aliqua contra nostram conclusionem, & erodantur.

Obiicies Doctorem in 1. dist. 1. quaest. 1. §. *de tertio articulo*, num. 5. docentem quod obiectum fruitionis in communi est finis ultimus, vel verus finis, qui scilicet est finis ultimus ex natura rei, vel apparens, qui scilicet ostenditur à ratione errante tamquam finis ultimus, vel finis praestitutus, quem scilicet voluntas ex libertate sua vult tamquam finem ultimum. Ergo finis exercet causalitatem circa actus, qui tendunt in ipsum. Respondetur ex eodem Doctore in 4. distinctione 49. quaestione 8. §. *ad argumenta*, numero 7.

24. Obiectio prima.

Finis quandoque accipitur pro causa finali, quandoque pro perfectione ultima, ad quem res ordinatur, quandoque pro optimo, quandoque pro ultimo; hi duo modi ultimi non faciunt ad propositum. Primo modo Deus est causa finalis omnium, & hoc non aliter nisi sic ut propter quem amatae sunt res, Deus enim omnia producit propter se ipsum, & sic est finis immediatus omnium ut propter se, & ad se, non ad se ut ad finem immediatum, &c. ubi in Deo distinguit duplicem rationem finis, unam, qua constituitur in esse causae finalis, & est quod eius gratia alia diligantur; aliam qua est ultimus terminus, seu perfectio ultima, ad quam omnia ordinantur: quando ergo ait Doctor Deum esse finem fruitionis beatæ, loquitur de fine in hac secunda acceptione, quia certum est, quod Deus est ultima perfectio, & complementum affectus, & fruitionis creatæ: vnde in eodem primo versic. de quarto articulo, docet, quod ratio finis non est propria ratio obiecti fruibilis, nec in fruitione ordinata, nec in fruitione communiter sumpta. Quod non in ordinata, patet, tum, quia tunc respectus includeretur in obiecto beatifico in quantum beatificum, tum quia iste respectus est ens rationis tantum; tum quia si per impossibile esset aliud obiectum summum bonum, ad quod non ordinaretur ista voluntas sicut ad finem, adhuc illud obiectum quietaret, in quo tamen per positum non esset ratio finis. Ex quibus manifestè habemus, Deum quatenus obiectum beatificum ex mente Doctoris non esse causam finalem, sed finem usurpatum pro ultima perfectione; item hanc ultimam rationem finis non constituere intrinsecè nostræ beatitudinis obiectum.

25.
Obiectio
secunda.

Obiicies secundò quod amor cha-

ritatis est propter Deum ultimum finem, & tamen voluntas non operatur allecta ab alio amore priori, sed solum à bonitate ipsius obiecti; ergo finis exercet suam causalitatem circa actus, qui tendunt in ipsum. Respondetur ex doctrina Doctoris supra allata, actum charitatis non respicere Deum tamquam causam finalem, sed tamquam perfectionem ultimam, ad quam res ordinatur: potest etiam largo modo dici actum charitatis esse propter finem, non quia vitaliter, & elicitive tendat in Deum tamquam in causam finalem, sed quia est agens creatum, & omne ens creatum dicitur operari propter finem ultimum sibi præfixum ab Authore naturæ; de quo lib. 1. difficul. 5. Dices, sequeretur, hunc actum esse inordinatum, siquidem non refertur in Deum tamquam in finem. Respondetur negando sequelam, non enim est necessarium omnem actum humanum ordinatum habere finem, cuius gratia præfixum ab operante; sufficit enim si finis ab ipso Authore naturæ præfigatur.

Responsio.

Obiicies tertio, obiectum voluntatis esse finem sub ratione finis; ergo omnis actio voluntatis circa illum pendet ab eo in genere causae finalis, neque enim apparet in quo alio genere dependere possit; ergo finis finalizans circa amorem sui. Respondetur negando antecedens; quia etiam medium est obiectum formale voluntatis, imò bonum abstrahens à fine, & medio: vnde licet finis sit obiectum voluntatis, non tamen esse obiectum voluntatis est finis. legatur Doctor in 1. dist. 1. quæst. 3. §. quantum ad primum, versic. præter, num. 2. in fine. ubi concedit actum, qui nec sit circa finem, nec circa medium, sed neuter: & in aliis locis videtur docere obiectum voluntatis

26.
Obiectio
tertia.

Responsio.

volunta

voluntatis esse ens in quantum ens, quod explicabimus in Metaphysica, ibidemque expendemus, vtrum ibi loquatur de obiecto quatenus abstrahit à fuga, & prosecutione; vtrum autem ex hoc principio inferatur, quòd affectu prosecutionis possit tēdere in quodcumque disconueniens quatenus continetur sub ente. Vnde actus circa finem non pendet à Deo, vt causa finali; sed vt obiecto, & in genere causæ efficientis, moraliter, inquam, quia nullo physico impresso in voluntate antecedente actum eius mouetur ab obiecto, trahiturque in eius directionem.

Obiectio
quarta.

Obiicies quartò finem non solum esse rationem volēdi media, sed etiam esse appetibilem propter se; ergo non tantum electio melioris, sed etiam amor sui erit illius effectus. Respondetur concedendo finem esse appetibilem propter se. hoc tamen non denotat eius causalitatem exerceri in desiderio sui; sed quòd à se, & non ab alio habeat appetibilitatem.

Responso.

Obiectio
quinta.

Obiicies quintò quòd proposito Deo tanquam fine consequendo potest eligi amor, tanquam medium aptius ad eius consecutionem; ergo finis tunc finalizabit circa amorem sui, quandoquidem gratia sui diligetur. Respondetur quòd in tali casu finis finalizaret circa media. nā actus circa finem potest bifariam considerari; vel quatenus est amor ipsius finis, vel quatenus tentio, & possessio ipsius. In prima consideratione finis non mouet vt finis, sed vt obiectum alliciens voluntatem ad prosecutionem sui. In secūda consideratione ipsa dilectio efficax est medium consecutionis obiecti, seu possessiuum illius, & ita gratia finis nō vt diligibilis precise, sed vt consequibilis per amorem, actus efficax dilectionis estigitur. Cer-

Responso.

tum enim est, quòd si mihi proponatur ab intellectu qualiter Deus melius possideatur per actum fidei, an per actum charitatis, & dilectionis super omnia, cognita superexcellētia charitatis, poterit voluntas eligere actum charitatis tanquam magis meritorium ad possidendum finem, nempe Deum; ergo in tali casu gratia finis eiusdem dilectio eligeretur. Vnde Doctor tract. de primo principio cap. 2. vers. *probatursic*, n. 3. docet quòd finis vt attingatur nequit causa finalis existimari, sed quatenus ipsius gratia aliquid fit.

Petes an in tali casu præcederet aliquis actus, qui esset amor finis actui, qui esset efficax illius dilectio gratia ipsius. Ratio dubitādi est, quòd finis mouet vt amatus; ergo vt causet finaliter dilectionem sui, necessariò supponet actum alium amoris. Respondetur quòd in tali casu supponeretur dilectio obiecti saltim habitualis. Hęc autem dilectio non esset necessarium, quod procederet ex affectu charitatis propter Deum summè dilectum, sed sufficeret quidā simplex affectus quo voluntas alliceretur à diuina bonitate, & traheretur in affectum sui. hic autem affectus, & posset esse commodi, vel actus neuter, qui nec esset propter ipsum Deum, nec propter alium, cum ex notatis suprā in schola Doctoris actus neutri admittantur. Sed de his alibi, Deo dante.

ARTICVLVS III.

Vtrum media sint obiecta per se, & formalia voluntatis.

Quoniam diximus articulis præcedentibus finem exercere suam causalitatem circa electionem medium, & hęc electio efficienter fit &

voluntate, cum cuius causalitate causalitas finis identificatur; meritò dubitandum venit, utrum hæc media, quæ eliguntur, sint per se, & formaliter obiecta voluntatis.

29.

Pro breviori, & clariori intelligentia præmitto hæc non esse sermonem remediis materialiter sumptis, & quatenus possunt præstitui tamquam finis ab aliqua potentia creata. nam deambulationem, quæ est medium ad inveniendum terminum, possum ego mihi præstituerè finem in alia consideratione; est ergo quæstio de ipsis mediis formaliter, & quatenus ordinantur ad determinatum finem, utrum gaudeant aliqua bonitate appetibili distincta ab illa bonitate, quam participant à fine.

30.
Sententia prima.

Quidam antiqui, & recentiores asserunt, media non esse formaliter appetibilia propter se, sed propter aliud, nempe propter finem. Fundamentum est, quòd ex Philosopho secundo *Physicorum* cap. 3. finis, & bonum idem sunt; & secundo *Ethicorum* illud est unicuique rei bonum, cuius gratia operatur. Constat autem bonum esse obiectum adæquatum prosecutionis voluntatis; ergo finis, qui conuertitur cum bono, erit etiam obiectum adæquatum; ac per consequens media non poterunt attingi per se à voluntate, sed quatenus finis bonitatem participant. Ratione probatur, quoniam media eliguntur propter finem; ergo omnem bonitatem formalem, quam in se continent, ut media sunt, ab ipso fine mendicant, & participant. Bonitatem, inquam, formalem medij, quoniam communiter isti auctores asserunt, quòd media materialiter gaudeant sua bonitate attingibili à voluntate.

31.
Verior sententia.

Nostri ergo sententia affirmat, media formaliter, seu quatenus media,

habere bonitatem attingibilem à voluntate. Probant primò quidam ex Doctore quodlibeto 16. litera E. ubi docet, quòd sicut se habent in intellectu conclusiones; sic in voluntate media. Sed affirmari non potest conclusiones esse obiecta materialia intellectus; ergo neque media respectu voluntatis. Sed ex verbis Doctoris potius oppositum colligi videtur. ita enim habet, *quòd sicut est ordo in veritate inter principium, & conclusionem, quæ habet veritatem participatam à principio; sic est ordo inter finem, & ens ad finem in bonitate, seu appetibilitate, quia ens ad finem habet bonitatem participatam respectu finis; & ex hoc sequitur secundum, scilicet quòd sicut intellectus, ordinatè tendens in illa verba propter principium assentit conclusioni; sic voluntas ordinatè tendens in illud, quòd est ad finem, tendit in ipsum propter finem; ergo ex mente Doctoris, sicut conclusio assentitur propter veritatem mendicatam à principiis; sic finis amatur propter bonitatem à fine participatam. Sed ipse Doctor se explicat statim, & huic occurrit obiectioni. Aut enim, ibi esse sermonem solum de volitione ordinata ad finem, quæ quatenus est ad finem, non potest non gratia ipsius ordinatè diligi; non verò de ipsis mediis, quatenus habent bonitatem diligibilem. Possumus ergo actum voluntatis circa media bifariam considerari, vel quatenus electionem, vel quatenus dilectionem: quatenus electio est, respicit bonitatem à fine mendicatam, seu quatenus bonam gratia finis. quatenus autem dilectio respicit ipsam bonitatem formalem respicientem finem, quam bonitatem cum in se habeant, dicuntur formaliter appetibile à voluntate.*

Probat ergo conclusio, nam media non possunt esse obiecta per accidens,

32.

dens, cum in ea expressè feratur voluntas, non enim in eis est tantum bonitas entitativa, sed aliqua etiam propria bonitas distincta à bonitate finis, quoniam finis habet bonitatem honestam, & delectabilem: media autem solum vtilem, vt statim explicabo. Nec sunt bona extrinsecè à bonitate finis; aliàs omnia media essent æqualiter bona, cum vnam, & eandem participant bonitatem finis. Nō ergo est dicendum omni carere propria bonitate, & solum formaliter, & quatenus media gaudere bonitate finis.

Obiicies, quod quia proximus diligitur propter Deum finem supernaturalē, in proximo nullam inuenimus propriam bonitatem propter se formaliter appetibilem, sed tantum mendicatam à fine; ergo idem dicendum est de quouis medio respectu finis. Respondetur disparē esse rationem, quia in actu dilectionis non volumus proximum, sed Deum in proximo, & ita tota bonitas formalis attingibilis in illo actu est bonitas Dei in ipso proximo; media autem non solum habent bonitatem honestam quam participant à fine; sed etiam habent bonitatem vtilem ex se, secundum quam possunt appeti formaliter. Adde etiam quod si proximus ex complacentia sui diligatur propter Deum, etiam si hic amor dicatur quodammodo esse propter Deum, quatenus ei placet, & secundum suam voluntatem est; nihilominus tamen proximus est obiectum formale huius amoris, quatenus est amicitia, de quo Theologi.

33.
In quouis obiecto triplex est bonitas.

Pro solutione argumentorum præmitto triplicem bonitatem in quocunque obiecto posse considerari, & bonitatem honestam delectabilem, & vtilem. Dux primæ nequeunt competere medio, quia honestas & de-

stabilitas appetuntur propter se, medium autem cum sit ad aliud, non propter se, sed per aliud appetitur, & ita tantum gaudet vtili bonitate; tamen hæc bonitas licet sit ad finem, differt formaliter à bonitate finis, est quippe bonitas ad finem, sed non finis.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur. Ad primum ex Aristot. ibi non loquutum fuisse de bono in communi quatenus abstrahit à bono vtili, delectabili & honesto, sed de bono quod gratia sui alicui bonum est, quod est idem ac bonum honestum, & delectabile, & in hoc sensu idem est bonum quod finis, non autem loquendo de bono solum vtili, qualia sunt media. Ad secundum respondetur probare bonitatem medij esse bonitatem relatam, quod est proprium vtilis bonitatis; hæc enim semper in ordine ad aliud appetitur. inde tamen non licet inferre, quod ipsa bonitas medij non sit in ipso medio formaliter & intrinsecè. nam sicut relatiuum, etsi sit aliud, nihilominus entitatem relationis qua ordinatur in se formaliter habet, ita & medium quamuis formaliter habeat solum bonitatem vtilem & relatam, hæc tamen ipsi formaliter inest.

Dices quod cessante fine cessat formaliter medium; ergo bonitas medij est sola bonitas finis. Respondetur de ratione cuiusvis relatiui esse quod nequeat sine suo termino formaliter conseruari: vnde non mirum quod cessante fine, qui terminus est mediorum, cessant ipsa media secundum esse formale; quia relatiua sunt, licet fundamentalis vtilitas perseueret.

Dices secundo, quod media quæ nunc sunt vtilia, nulla in ipsis facta mutatione, sed solum in ipso fine, redduntur inutilia; ergo omnem boni

Obiecto prima.

Obiecto secunda.

bonitatem habent à fine, vt medicina quæ nunc est bona infirmo, postea variatis solum aliquibus circumstantiis est mala; totam ergo bonitatem habent à fine. Responderetur quod sicut non licet colligere ex eo quod calor, qui nunc est delectabilis, ex indispositione subiecti postea sit nocuius, quod antea non esset delectabilis, & appetibilis; ita nec licet colligere de mediis, quæ nunc sunt utilia, postea verò non, quod suam utilitatem habeant à fine, sed solum quod sint utilia, seu relata ad ipsum, ideo deficientes à fine, consequenter corrumpit respectus, quia omnis relatio exigit fundamentum, & terminum. Notare tamen oportet, quod cum media alia sint utilia per se, seu ex natura sua, alia per accidens; sic quædam media præter relationem resultantem ex positione vtriusque extremi includunt, seu identificant relationem identificatam, qua sunt media per se, vt de relationibus potentiarum, & habituum ad objecta, aliarumque rerum diximus in Logica quæst. 16. difficul. 2. art. 1. quædam autem, nempe extrinseca, solum referuntur actuali relatione, & hac deficiente nulla alia intrinseca perseverat, quia quod alicui contingit, nequit ab intrinseco competere.

ARTICVLVS. IV.

Utrum dentur aliqui fines intermedij.

34. **S**I semel ex dictis articulo præcedenti admittamus in mediis aliquam formalem, & propriam bonitatem non mendicantem à fine, hæc difficultas potius erit de nomine, quam de re, vt patebit statim.

Dico ergo posse dari fines inter-

medios, & probò; quia vnum medium eligimus propter aliud in ordine ad vnum finem; ergo tale medium, cuius gratia eligitur aliud medium, finis intermedius erit; hac de causa deambulationem eligimus gratia attenuandi sanguinem, attenuacionem autem gratia salutis, quæ finis vltimus infirmi est. Confirmatur, quia quodcumque medium habet bonitatem utilem, vt probauimus articulo præcedenti; ergo quotiescumque vna bonitas istorum mediõrum sit causa, vel gratia eligendi aliud medium, causa finalis erit, non vltima, quoniam vt sic deberet habere bonitatem honestam, vel delectabilem; ergo erit causa finalis non vltima, seu finis intermedius.

Obiicies primò quod bonum utile est ad finem; ergo nequit respicere alia media tamquam ipsius gratia volita. Responderetur quod in quantum medium, respicit finem, & ad ipsum refertur; in quantum verò finis intermedius, seu non vltimus, respicit media, quæ ordinantur ad ipsum.

Secundò argues, ex hoc sequi posse Deum velle vnũ medium propter aliud tamquam per causam finalem, v. g. gratiam habitualem tamquam finem contritionis in ordine ad beatitudinem: sed hoc est falsum, cum Deus ob suam infinitam eminentiam solum possit se habere pro fine, omnia enim propter semetipsum operatur; ergo. Responderetur Deum propter suam summam perfectionem non posse tendere in aliquod obiectum creatum tamquam in finem sui; hoc tamen non impedit quin possit habere pro obiecto finem aliorum obiectõrum; potest quidem Deus velle gloriam hominibus non tamquam finem sui, sed tamquam illorum finem. Itaque gloria, seu beatitudo,

Obiectis prima.

Respositio.

Obiectis secunda.

Respositio.

tudo, quæ est finis naturæ rationalis, est obiectum respectu Dei, non causa finalis, cum Deus non gratia ipsius beatitudinis, sed suimet amore operetur; est tamen beatitudo finis respectu mediorum, quæ ordinantur ad ipsam. v. g. charitatis, misericordiæ, &c. Unde aliquod istorum mediorum potest esse volitum à Deo non tanquam finis Dei, sed tanquam finis intermedius aliorum mediorum; sic potest velle permittere peccatum, vt quis resurgat humilior. Ecce qualiter humilitas erit intermedius finis, finis quatenus eius gratia fit permissio peccati, intermedius verò quatenus ordinatur ad finem vltiorem, nempe ad beatitudinem consequendam.

Si autem velis admittere Deum operari propter finem, cum videamus, quòd in casu posito gratia vnus, nempe humilitatis eligat aliud tanquam medium, nempe permissionem peccati, non existimo esse inconueniens, quoniam ad rationem perfectissimæ causæ primæ sufficit, vt omnia propter semetipsum tanquam propter finem vltimum operetur, licet aliqua tanquam vtilia possit non vltimè velle gratia aliorum, refundendo tamen vltimatè in se ipsum; de quibus alibi.

DIFFICULTAS V.

Vtrum apprehensio finis sit ratio formalis mouendi voluntatem, vel solum conditio.

Cum finis moueat voluntatem, quæ non amat nisi obiecta cognita, ex illo vulgari axiomate, *Nil vult quod præcognitum*; ita necessariò requirit cognitionem, vt nec diuinitus suppleri queat; quòd enim aliis causis

præstat existentia realis, quam præsupponunt tempore, vel saltim natura ad causandum, id præstat fini existentia obiectiua. Est ergo difficultas, an in fine requiratur cognitio eius, vt conditio ad causandum; an vtrò vt ratio formalis.

ARTICVLVS I.

Proponitur quorundam sententia, & explicatur nostra.

A Vicena 6. Metaphysicæ c. 5. Capreolus in 2. d. 21. art. 3. q. 1. Sencinas 5. Metaphysicæ q. 3. Medina 1. 2. q. 1. art. 1. & alij plures, quos refert Ruuius tractatu 5. q. 5. affirmât, finem mouere voluntatem quatenus apprehensum, seu apprehensionem esse in fine rationem formalem finalizandi. Præcipuum fundamentum est, quòd finis ea formali ratione constituitur in actu primo causans, qua potest precedere effectum. Sed finis solum quatenus intentus præcedit effectum; quia secundum esse reale potius est quid posterius, cum hoc habeat in executione per media; ergo apprehensio est in fine ratio formalis mouendi, seu finalizandi.

Nobis tamen dicendum est, finem mouere voluntatem secundum esse proprium & reale, cognitionemque esse solum conditionem necessariam ad mouendum. docet expressè Doctor in 1. d. 1. q. 4. §. *contra*, vers. *item*, n. 14. & in 2. d. 25. q. 1. §. *ad primam rationem*, vers. *ad aliud*, n. 18. & in 3. d. 31. §. *Respondeo*, vers. *sed adhuc restat*, n. 3. & d. 15. §. *aliter potest dici*, loquendo de obiecto appetitus sensitui. & in 4. d. 49. q. 5. §. *secunda conclusio*, vers. *aliter potest dici*, n. 5. Sanctus Thomas 1. contra gentes c. 75. & 1. p. q. 80. art. 1. ad secundum. Caiet. 1. 2. q. 1. art. 1. Ferrara 1. contra gentes, c. 44. Iauellus 5. Metaph. q. 15.

Sententia prima.

37.
Nostra conclusio.

Lorca 1. 2. disp. 2. ibidem Vasq. cap. 2. & 3. Suarez disp. 23. Metaphysicę. lect. 8. est communis inter recentiores, & in nostra schola receptissima. Vnde directe respondentes quæstioni, dicimus. Primò finem mouere secundùm esse reale, non secundùm esse cognitum. Vbi nomen *res* latissimè sumitur, & conuenit rei, quæ est finis, quæcunque sit, siue vera, siue ficta, siue apprens, & vt sic illamet res, quæ tantùm habet esse cognitum; vt chimæra dicitur res solàm quatenus non est cognitio, quæ proponit, sed illud, quod proponitur amandum. Vnde, si proponeretur nobis aliqua cognitio appetenda, verbi causa, visio beatifica, quæ est actus intellectus, iste finis, seu cognitio diceretur res quatenus per aliam cognitionem quasi reflexam proponeretur appetendus. Itaque quodlibet mouens voluntatem siue sit cognitio, siue entitas vera, siue ficta, siue apprens, quatenus mouens dicitur res, vt distinguitur ab actu proponente obiectum motiuum.

38.

Probatum ergo primò conclusio, quoniam ex dictis diffic. 1. art. 2. bonitas per se amabilis constituit formaliter finem in actu primo; ergo cognitio huius bonitatis tantùm erit conditio. Secundò finis est, cuius gratia voluntas mouetur ad operandum: sed non mouetur gratia, vel amore cognitionis finis, sed amore bonitatis in illo cognitz; ergo bonitas, & nõ cognitio erit ratio finalizandi. Confirmatur, quoniam illa est ratio formalis finalizandi, quam appetimus, ad quam consequendam applicamus media, & qua cõsequuta appetitus quiescit, nec amplius requirit. Sed hæc omnia competunt bonitati reali finis cogniti, nõ cognitioni illius: infirmus enim non appetit cognitionem sanitatis, nec ad eam consequendam applicat medica-

menta, nec in ea comparata quietatur, sed solùm in reali sanitate, vt experiẽtia demõstrat; ergo cognitio solùm est conditio ad mouendum; bonitas autem, cui omnia competunt prædicata finis, erit ratio formalis finalizandi. Confirmatur; sapius agens non consequitur intentum finem, nunquam tamen ab apprehensione illius frustratur; ergo quod illud excitabat, non erat apprehensio, sed bonitas finis in esse rei.

Respondent aliqui his rationibus, in fine duplicem rationem esse distinguendam formaliter, aliam, quæ aliam *sub qua*; primam dicunt attingi à voluntate, esseque bonitatem rei, & hanc esse, qua satiatur, & quietatur voluntas: secundam verò, nempe rationem *sub qua*, esse formalem rationem constituentem bonitatem formaliter in esse obiecti motiui: vnde in sententia istorum etsi apprehensio nequeat formaliter mouere, & quietare voluntatem, est tamè ratio sub qua bonitas formalis mouet, & appetitur: itaque in sententia istorum cognitio non est quod appetitur, sed sub qua obiectum formaliter constituitur appetibile. Sed contrà est, quod ratio sub qua formalis est, quæ in obiectis causat distinctam attingibilitatem in specie, vt articulo sequenti explicabimus: sed ratio cognitionis, seu esse apprehensum non est, sub qua obiectum terminat actum, cum iste non tendat in obiectum quatenus apprehensum; ergo. Quod sic explico, bonitas est obiectum quod cuiusuis dilectionis; in hoc autem obiecto distinguimus duplicem rationem *sub qua*, nempe propter se, & propter aliud, quibus terminat actum amicitie, & concupiscentie. Vnde actus amicitie tendens in obiectum, non solùm tendit in ipsam bonitatem vt sic, sed quate

quatenus subest rationi formali sub qua, nempe propter se, vel ut in se bonum, tum sic actus voluntatis tendens in finem, non tendit in ipsum quatenus cognitum, neque illud esse apprehensum est quod diligitur, aut ratio quare diligitur; inquirenti enim infirmo, Quare diligis salutem, & appetis? non respondebit, quia cognita est, sed quia bona mihi; cum autem apprehensio non sit bona infirmo, sed salus; hinc fit, quod nec possit apprehensio ratio formalis sub qua existimari.

Conclusio Secunda. Dico secundò apprehensio finis est conditio necessaria ad mouendum. docet Doctor ubi supra. est communis sententia sanctorum Theologorum & Philosophorum, cum Arist. 3. de anima cap. 12. & August. lib. 12. de Trinit. cap. 1. & 2. Fundamentum est, quod voluntas est potentia cæca, & aliàs potens appetere bonum sibi conueniens; requiritur ergo propositio cognoscitiua obiecti. hanc præstat apprehensio; ergo est necessaria conditio. Secundò finis est causa realis, ex diffic. 2. sed ut possit causare, sapius caret omni actualitate; requiritur ergo cognitio ut saltem gaudeat esse intentionali. Vtrum autem diuinitus voluntas appetitu elicitò possit ferri in incognitum, dicemus 3. de anima, & latius in Metaphysica.

ARTICVLVS II.

Occurrimus quibusdam aduersariorum obiectionibus.

39. *Obiectio prima.* Prima obiectio, multoties obiectum nullam habet entitatem nisi cognitam, ut patet in bono apparenti; ergo tunc cognitio erit ratio formalis. Respond. negando consequentiam, ibi enim est distinguere bonum

apparens, & fictum, & cognitionem illud fingentem. Primum est ratio formalis, non vera, sed apparens. Secundum solum conditio, quia non appetimus fictionem, sed bonum fictum: itaque semper ratio cognitionis quatenus cognitio est, erit conditio essentialis propositiua finis, quia nihil volitum quin præcognitum; illa verò bonitas finis, siue vera, siue apparens, erit ratio formalis finalizandi.

Secunda obiectio, vnaquæque res specificatur à sua ratione formali, & constitutiua, sed diuersitas cognitionis causat diuersitatem specificam in obiecto, seu fine; ergo cognitione formaliter constituitur. Maior est certa. Probat minor. quoniam actus specificantur ab obiectis, sed ex diuersis cognitionibus, v.g. quibus proponitur Deus præsens, vel absens, distinguimus specie intentionem, & desiderium, seu charitatem viz à charitate patriæ; ergo cognitio non soluma est conditio, sed ratio formalis sub qua obiectum attingitur hoc actu, & non illo, quod intendunt aduersarij. Respond. in obiecto respectu actus, seu in fine duplex munus considerari posse, aliud effectiuum, aliud terminatiuum, quatenus motiuum in genere causæ efficientis saltem metaphoricè concurret cum potentia; quatenus verò terminat, specificat actum non quatenus influit in ipsam, sed quatenus ad ipsam est actus. Dico ergo ad argumentum, quod loquendo de fine quatenus mouet, & efficit (ut sic enim solum finis existimatur. nã quatenus terminat, potius obiectum existimari debet, ut optimè notauit Doctor tract. de r. principio, cap. 2. num. 3.) non specificat actus penes aliquam rationem formalem in ipso contentam, sed ob diuersitatem conditionum essentialium, quod perspi-

Obiectio Secunda.

Obiectum nõ specificat quatenus mouens, sed quatenus terminans.

cuis exemplis ostendit Doctor in 1. d. 1. quæst. 4. §. *conuertitur*, vers. *item*, num. 14. Quod sicut approximatō calefactibilis, quæ solū est conditio, causat diuersitatem in calefaciente, sic diuersitas cognitionum diuersitatem specificam causandi in fine; quod clariùs explicat in 2. d. 25. q. 1. §. *ad primam rationem*, vers. *Dico igitur*, n. 19. quia sicut sol non potest illuminare posteriorem partem mediij, nisi priùs natura illuminet partem propinquiorem, & tamen pars propinqua illuminata non habet aliquam rationem causæ respectu illuminationis partis magis distantis, quia & ipsa immediate illuminatur à sole immediatione causæ; ita quamuis ut finis causet tentionem & desiderium, necessariò supponantur apprehensiones diuersæ, qua absens, vel præsens voluntati ostendatur; istæ tamen apprehensiones nec constituunt finem formaliter in esse motiui, nec influunt efficienter in actus; quoniam si efficienter influerent, non dabito quin ab ipsis specificarentur actus, ut optimè aduertit Doctor in 4. d. 49. q. 6. §. *secunda conclusio*, vers. *aliter*, in. 5. tamen hæc specificatio reduceretur ad genus causæ efficientis: admittit enim talem specificationem Doctor in 4. d. 14. q. 2. n. 6. Vnde actus isti considerando naturam, & causalitatem finis solū distinguuntur intrinsecè à suismet entitatibus; extrinsecè verò efficienter ob diuersas conditiones essentielles; his enim non constituitur formaliter finis in actu primo productiuus talium actuum, sed ob diuersam approximationem, cum potentia causat virtute propria diuersitatem specificam actuum: est quidem obiectum, seu finis quatenus mouens causa æquiuoca potens influere in actus specie distinctos, si diuersæ conditiones

apponantur; loquendo verò de ratione terminatiua, dico quod licet diuersi actus terminentur ad eandem simplicem obiecti bonitatem, nihilominus in obiecto quatenus terminatiuo est aliqua formalitas, qua possit dare speciem actui, quo attingitur: nam obiectum cuiuscumque potentie vitalis non dicitur terminus formalis, secundum quod supponitur ut causans, quia ut sic causa efficiens, est ex nuper dictis; sed solū secundum quod habet esse partium, seu operatum per tales operationes, in esse amati, vel cogniti. Vnde ex diuersis attingentis specie distinctis circa aliquod obiectum causantur diuersæ rationes formales extrinsecæ specie diuersæ, secundum quas potest idem obiectum denominari terminus formalis actuum specie distinctorum, de quibus in Metaphysica. Vnde ad illud, quod dicitur de tentione, & desiderio, seu de amore viæ, & patriæ; respond. ut supra, hos actus intrinsecè, & essentialiter distingui se ipsis; extrinsecè venari hanc distinctionem ex diuersis conditionibus essentialibus, quarum positione diuersa diuersus influxus inuestigatur in fine.

Qualiter obiectum terminatiui specificet actus.

Finis quatenus efficiat specificationem extrinsecam.

DIFFICULTAS VI.

Utrum agens naturale operetur propter finem.

ARTICVLVS I.

Propositorum quorundam antiquorum error, & vera sententia explicatur.

Q Vidam antiqui, quorū meminit Philosophus 2. Phys. c. 8. autumabant

40.
Sententia prima.

trabant omnia casu euenire; & ita agens naturale non agere: propter finem. Primò, quia finis ex difficultate antecedenti non mouet nisi cognitus: at agentia merè naturalia sunt penitus incapacia cognitionis, vt patet de igne, &c. Ergo non agunt propter finem. Secundò monstrua aliquando contingunt in natura, quod fieri non valet propter finem ab operantibus, sed ex defectu alicuius principij concurrentis ad generationem; non ergo omne agens propter finem operatur.

Hanc tamen sententiam merito omnes Philosophi, & Theologi existimant erroneã, & vt talem reiciunt, Aristoteles ex professo hâc, & cap. 2. de generat. & alibi 2. lib. de ortu, & interitu, & de partibus animalium, cap. 11. Nec eget impugnatione, quia pulchritudo orbis, rerumque distantium conuenientia, brutorum in fecibus, & conseruatione amor, artificium, industria, sollicitudo cum tanto impetu, & alacritate denorant fieri hæc omnia alicuius commodi gratia; & proinde propter finem.

est finis propria cognitionis: in ea tamen non percipit rationem formalem finis, sed solum per cognitionem sensibilem bonum ibi latens, & potens eligere eius appetitum. hoc modo operatur brutum, sed non propter finem propriè, & formaliter (quia ignorat proportionem illius cum medijs: vnde nec valet eligere gratia ipsius aliqua proportionata media, quibus comparetur,) sed materialiter, & impropiè ex instinctu naturæ recepto à Deo vt tendat in bonum sensibile propriè naturæ conueniens. Tertius, & omnium imperfectissimus est, quando agens non cognoscit finem propria cognitione, sed aliena, quæ illi tribuitur, quatenus per illam ab Authore naturæ dirigitur in proprium finem (quod agens qualia sunt omnia insensibilia) impropriè dicitur agere propter finem; solum enim dicitur operari gratia illius, quatenus media inclinatione naturali ei à Deo tributa tendit in finem, non à se cognitum, sed ipsi ab Authore naturæ præfixum: sicut sagitta tendit in scopum medio impulsu sagittarij non cognitum à se, sed à sagittario ipso: qui modus licèt impropriissimus sufficit ad saluandum, quòd agens non operetur temerè & casu, cum re vera operetur ex deliberatione saltim aliena.

Ex quibus patet ad primum argumentum, quòd agens naturale non cognoscens agit propter finem tertio modo, id est, non cognitum à se, sed cognitum ab Authore naturæ. Ad secundum respondet Arist. optimè ex mōstris factis ab agētibus naturalibus potius sequi, quòd agant propter finem, sicut peccata artis mōstra illius dicta, ostendunt artem operari propter finem, quoniam sicut in arte peccatum, siue monstrum dicitur solum quod fit

Immutatur sententia prima.

41. Pro solutione autem argumentorum præmitto, quòd cum finis non finalizet nisi cognitus, ex diffic. 4. & 3. diuersis modis cognoscēdi, triplicem modum operandi propter illum veniamur. Primus est, quādo agens naturale non tantum cognoscit rem, quæ est finis propria cognitionis; sed in ea etiam percipit rationem finis, vel proportionem illius cum medijs, vel mediōrum cum ipso: quomodo solum agens rationale operatur propter finem propriè, perfectè, & formaliter, quia à fine à se cognito, & amato mouetur ad aliquid eligendum gratia illius, in quo consistit causalitas finis, ex difficult. 4. artic. 1. Secundus, quando agens licèt cognoscat rem, quæ

Finis nō finalizat nisi cognitus. Tripliciter potest operari propter finem.

42.

præter regulam eius deuians à fine illius ; ita solum dicitur monstrum naturale, quod ex defectu, vel abundantia materiæ, vel alio accidenti simili non sit consueto modo, sed aliqualiter deuians à fine agentium naturalium ; & ita si agentia naturalia nullum haberent finem in suis operationibus, non possent monstrum producere : vnde optimè infert Doctor lib. 5. *Metaphysic. quæst. 1. 6. Responsio, n. 2. quod si nullus finis esset intèrus, nullum*

Quid sit monstrum.

agens ageret frustra ; est enim monstrum effectus naturalis à recta, & solita secundum speciem dispositione deuians ex defectu, vel corruptione alicuius principij ad generationem concurrentis, vt ait Philosophus 2. *Physic. text. 82.* Principia autem eius quatuor assignauit Aristot. 4. de generatione animalium cap. 4. & Galenus cap. 13. de historia. Est autem monstrum de secunda intentione naturæ, quia primò intendit effectum producere, à quo impeditur ex occurso causarum fortiorum, quod author naturæ permittit ob finem superiorem, de quibus Medici latius, & nos in libris de generatione. Interim legatur Doctor 2. *Physic. quæstione 14.*

Quæstionis resolutio.

Habemus ergo ex hac quæstione finem in communi diuidi in finem cui, & finem qui, vel cuius gratia : hic autem in finem obiectiuum vel qui, & in formalem vel quo, finis cui & cuius, vera gaudet ratione finis, ex obiectiuo tamen & formali, seu ex fine quo & quod, vnus integer & completus coalescit, constituiturque formaliter in actu primo bonitate vera, vel apparenti, causaturque verè & propriè nõ physica causalitate si cum efficiente comparetur, sed metapho-

rica: eius autem causalitas fundamentaliter identificatur cum causalitate efficientis, formaliter verò considerata realiter differt ab ea, vel tamquam ens intentionale ab ente reali: finalizat autem actus non circa amorem sui, sed circa electionem mediorum ; hæc autem sunt per se & formaliter voluntatis obiecta quatenus vtilia ; gaudent quippe bonitate, quæ licet sit ad finem, non tamen à fine: vnde sapius rationem intermedij fines valent induere. Habemus tandem omne agens naturale, vt à libero & rationali distinctum operari propter finem, non à se cognitum, sed ab autore naturæ.

QVÆSTIO VIII.

De causa exemplari.

POST QUAM quæstionibus superioribus de quatuor generibus causarum egimus, nunc de exemplari causa oportet proponere quæstionem ; nec immeritò prius de aliis causis disputauimus, quoniam ex inferiùs dicendis, cum ex mente Philosophi tantum sint quatuor genera causarum, ex quæstione 2. difficult. 1. artic. 2. necessariò ad vnam earum reducenda erit, & ideo oportuit prius earum datam præmittere cognitionem, quàm examinemus, ad quam earum reducenda sit. Huius autem causæ licet Philosophus non meminerit, vel ad summum eam cum formali nominauerit ; eius tamen disputatio necessaria videtur ad huius materiæ complementum. Circa quam quæstionem tria veniunt discutienda. Primum, quid sit exemplar. Secundum an formaliter, seu subiectiue, an verò

obiectiue sit in intellectu. Tertium eius influxus, seu causalitas, & ad quod genus causæ reducatur.

DIFFICULTAS I.

An, & quid sit exemplar.

Exemplar idè apud philosophos significat, quod apud Theologos

Suppono, exemplar idem hoc loco significare, quod apud Theologos idea, quod nomen licet Græcum sit, à Latinis etiam usurpatur; huius nominis primum authorem fuisse Platonem testatur Cicero lib. 1. Tusculanarum quæstionum. Seneca epistol. 66. & August. lib. octoginta trium quæstionum in Quadragesima sexta, & Doct. in 1. distinct. 35. quæstione 1. §. potest dici, versicul. contra istud, num. 11. Agimus ergo solum in præsentia de causa exemplari quantum ad Physicum attinet, relicta disputatione de ideis, quæ instituti Theologorum est, cum Magistro in 1. distinct. 35. ibidem Doctor, & dist. 36. & cum S. Thoma 1. part. quæst. 15.

ARTICVLVS I.

An sit exemplar.

1. Communis Peripatheticorū consensus, vt optimè notauit Suarez 1. tom. s.æ Metaph. disput. 25. sect. 1. admittit dari causam exemplarem. eâ expressè confessus est Plato in Timæo, & Socrates, qui (teste Eusebio lib. 11. de præparat. cap. 11.) ante Platonem de ideis disputauit, & Cicero, ac Seneca vbi suprâ. Dionysius Iustinus, Nazianzenus. Item Augustinus pluribus in locis, præsertim dicta quæstione 46. vbi ait, antiquos tantam vim in ideis possuisse, vt nisi eis intellectus sapiens nemo esse possit. cui consonat quod Clemens Alexand. lib. 4.

stromatum sub fine ait, merito dixisse Platonem, eum qui ideas contemplatur, victurum esse Deum inter homines. Addit item Augustinus lib. 1. retractat. cap. 3. tam certum esse, esse ideas, seu rerum faciendarum rationes intelligibiles, ac certum est, Deum scienter, & rationabiliter operari ad extra, seu fecisse, quæ fecit.

Hæc autem exemplaris causa bifariam communiter accipitur. Aliud enim est exemplar externum, aliud internum, hoc est, imago in animo, seu mente formata, seu concepta: illud imago, vel scriptura oculis obiecta, vt imiretur, de quo intelligi potest illud Exodi 25. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Colligitur autem hæc diuisio ex Seneca epistol. 66. vbi hæc habet. *Nihil autem refert vtrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod tibi ipse concepit, & posuit.* Notat tamen Suarius vbi suprâ n. 11. quod licet exemplar externum fortè quoad vocis vsum propriè ex primæua sui impositione ita appellatum sit; tamen quoad munus causæ, quam nunc explicamus; rationem, seu causalitatem exemplaris in externo per accidens, & remotè reperiri; in interno verò propriè, & per se. De interno ergo exemplari est nostra disputatio, vt ex inferius dicendis clarius patebit.

2. Exemplar aliud internum, externis aliud.

ARTICVLVS II.

Quid sit exemplar.

3. Causam exemplarem diuerso modo definiunt Philosophi. Primò aliqui definiunt, *Exemplar est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem.* colligunt ex D. Thoma de veritate quæst. 3. art. 1. necnon ex August. lib. 12. de ciuitat. cap. 25.

cap. 25. Alij verò ex eodem Angelico Doctore quodlib. 4. artic. 1. sic definiunt. *Est forma intellecta ab agente, ad cuius similitudinem opus exterius intendit producere*; vel secundum alios, *Est forma obiecta intellectui, ad quam respiciens agens operatur*. inter quas definitiones ferè nulla, vt videbimus, differentia est. Nunc quod ad earum attinet explicationem aduerto, triplex distingui posse genus formarum: est enim alia forma ex qua, vt sic dicam, quæ etiã potest appellari qua, aut per quam: alia est forma à qua; alia tandem ad quam, seu ad cuius similitudinem. Prima, nempe ex qua, quæ qua, aut per quam, est illa, qua res constat; seu ex qua componitur, seu per quam constituitur in sua specie, & esse formali; & hæc propriè causa formalis intrinseca est, de qua diximus lib. 1. q. 4. & lib. 2. quæst. 4. diffic. 1. & 2. Secunda est à qua effectus vt ab agendi principio progreditur, & hæc est forma agentis, quæ illius est principium efficiens quo. Tertia tandem, nempe ad quam, est illa, ad cuius similitudinem aliquid fit, aut exprimitur, sicque agenti proponitur, vt in effectu à se producto exemplatur; ideoque nominatur exemplar. Igitur in præsentī definitione *ly forma* ponitur loco generis, quatenus abstrahens à tribus relatis generibus formarum. *ly quam effectus imitatur*, ponitur loco differentię, contrahitur enim per illam forma, vt significet hanc formam ad quam, seu ad cuius similitudinem; & licet quantum est ex hac parte indifferens sit ad exemplar internum, & externum, & fortasse quoad vocis impositionem exemplar externum propriè, & ex prima impositione ita appellatum sit, vt notauimus cum Suarez articulo præcedenti, tamen quoad munus causæ, quam nunc expli-

*Triples
formarū
genera.*

camus, ratio, seu causalitas exemplaris in interno per se, & propriè reperitur; hæc enim est mens omnium Philosophorum, & Patrum, vt exemplar, quod causam effectum appellant, & solum in agente intelligibile reperitur, etiam in illius mente ponatur: vnde Plato causam exemplarem mundi intelligibile Numen appellauit. Et Clemens Alexandrinus, mentem, dixit, esse locum idearum, & lib. 5. Stromatum non longè à principio, asseruit Platonem in Phædone ob hanc causam declarasse ideam esse Deitatem, & Doctor in r. distinct. 36. quæst. 1. §. *contra ista*, num. 5. versic. præterea sextò, docet, causam exemplarem efficere per intellectum, siue propositum. De interno ergo exemplari præfens definitio intelligenda est.

Ly ex intentione agentis determinantis sibi finem, ponitur vt his particulis remoueantur formæ, quas effectus casu expriment, vnde si aliquis non attendendo ad Petrum, v. g. nec ad illius ideam, depingeret imaginem aliquam valde illi similem, non ideo Petrus illius imaginis exemplar diceretur; & etiam ad denotandum formas agentium naturalium excludendas esse, veluti forma ignis, dum alium gignit ignem. nam cum medio intellectu, & voluntate nequeant suos effectus producere, nec sibi finem prædeterminare, fit vt illius forma, quam effectus similitudine quadam naturali & specifica imitatur, non possit exemplar existimari.

Est ergo exemplar *forma*, (vt sic dicam) *imitabilis in intellectu agentis residens, ad cuius similitudinem aliquod exterius operetur, seu ad illud operandum applicetur agens ex intentione operantis*. Ex quo fit, exemplaria rerum, ac formarum naturalium tantum esse in intellectu diuino, quod Augustinus intendit

4.
Definitio
exemplar.

intendit citatis locis tam de ciuitate Dei, quam quaestione illa 46. nam licet intellectuales, vel rationales creaturae possint concipere intellectuales formas verè, ac propriè representantes naturales effectus, quia tamen carent virtute effectrice taliter effectuum, vt sua intentione liberè possint actiones naturales sic dirigere, quòd suos effectus ad imitationem talium formarum efficiant; (natura enim semper ad vnum determinata est;) non valèr illas formas exemplare, nec applicare ad opus naturale: vnde illae formae intellectuales non habent rationem exemplarium in intellectu creato, bonè tamen in diuino, qui est propriè, & verè causa per se libera naturalium effectuum; relinquitur ergo vt respectu effectuum, seu formarum naturalium exemplar in solo diuino intellectu reperiat; in intellectu autem creato secundum quamdam participationem, & similitudinem respectu rerum artificialium, in quibus opus ad extra exemplar in mente artificis existens ex eius intentione sic, vel sic operantis imitatur.

DIFFICULTAS II.

An exemplar formaliter an obiectiue sit in intellectu.

5. **C**VM ex articulo praecedenti exemplar existat in intellectu exemplantis, dubitatur meritò, an exemplar istud, ad cuius similitudinem agens operatur ad extra, sit conceptus aliquis formalis, an obiectiuus: vel clariùs, an exemplar, seu interna domus, ad cuius similitudinem artifex fabricatur ad extra, sit conceptio domus, seu ipsa domus concepta. Pro cuius rei clariori intelligentia praemitto, non esse idem obiectum, &

conceptum obiectiuum, obiectum enim est res quatenus conceptibilis; conceptus verò obiectiuus est ipsamet res non prout à parte rei, aut sub illo effendi modo, sed quatenus concepta, seu representata per expressam cognitionem, & operata, seu parte per ipsamet operatiuam cognitionem, parit enim quicumque actus vitalis suum obiectum, datque illi aliquod esse cognitum, vel amatum, quod vocatur esse diminutum, ex dictis in Logica quaestione 2. difficult. 2. artic. 3. Et saepius alibi: vnde quamuis obiectum non supponatur existens ad cognitionem, imò nec possibilis, vt patet de chimera, & quolibet impossibili apprehenso, ea est intellectualis operationis efficacia, vt ei tribuat quoddam esse obiectiuum diminutum: ideo creaturae possibiles, cum tantum supponantur non repugnantes ad diuinam cognitionem, hac producuntur in esse quodam formali diminuto, quae dicitur formalis possibilitas, quod ex mente Doctoris explicuimus vbi supra. Cum ergo inquirimus de conceptu obiectiuo, non loquimur de obiecto, quatenus praecedit cognitionem, sed quatenus habet esse cognitum, & obiectum ipsi actuali cognitioni.

ARTICVLVS I.

Explicatur quorundam Philosophorum placitum.

PRIMA sententia asserit, exemplar, vel ideam in creaturis esse conceptum formalem, seu speciem expressam, quam agens intellectuale format in se secundum quod representat, & exprimit rem faciendam. Existimant authores huius sententiae hanc esse S. Thomae 1. part. quaest. 15. artic. 1.

6.
Sententia prima.

vbi docet, quòd vt artifex operetur per ideam, vel exemplar, oportet vt per notitiam reflexam ad illud conuertatur, in eoque respiciat rationem effectus, & partes eius, differreque exemplar ab specie expressa, quòd hæc principium cognitionis est, non tamquam id, quòd cognoscitur, sed vt ratio cognoscendi; exemplar verò vt quòd cognoscitur per notitiam reflexam: sed hæc non possunt conuenire conceptui obiectiuo, respectu enim eius non datur cognitio reflexa, sed propriè, & directè cognoscitur; ergo ex mente S. Thomæ exemplar non est conceptus obiectiuus, sed formalis. Docet etiam S. Doctor ideam esse formam, id est, similitudinem rei faciendæ, quam in se habet artifex secundum esse intelligibile: sed hæc verba, forma, similitudo, secundum esse intelligibile conceptui formali conueniunt, non verò obiectiuo; ergo. Eandem sententiã sequutus est Alerisus 1. parte quæst. 23. memb. 4. artic. 1. Capreolus in 1. distinct. 36. quæst. 1. art. 1. Seraphicus Doctor in 1. dist. 35. art. 1. q. 1. Suarez tom. 1. suæ Metaphys. disput. 25. sect. 1. num. 10. insinuat Hurtado disputatione 11. de anima sect. 5. §. 31. tenet Ruuius, & alij recentiores.

7. Fundamentum huius sententiæ est. Primò argumentum sumpsum à diuinis ideis, quoniam diuina idea iuxta sanctorum Patrum placita, & communem sententiã Theologorum, non est aliquid creatum, vel creabile, sed ipsamet diuina essentia increata, vt expressit D. Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus. August. 11. de ciuitate cap. 29. & tract. 1. in Ioannem explicans illa verba, *quod factum est in ipso, vita erat.* Ambrosius 2. lib. Exaem. cap. 1. & 2. & plures alij, quorum testimonia adducit Pater Suarez vbi su-

per, ergo. Exemplaria etiam creata in conceptu obiectiuo consistere nequeunt; sunt enim imitationes quædam diuinorum exemplarium: vnde suo modo eandem seruant proportionem; ergo sicut ideæ sunt ipsa essentia diuina, quatenus repræsentat creaturas, non verò ipsa creaturæ secundum esse obiectiuum; ita exemplar creatum non erit conceptus obiectiuus, sed formalis, quatenus repræsentat obiectum.

Hoc tamen fundamentum inefficax est, supponit enim esse communem sententiã, essentiam diuinam, & non esse obiectiuum creaturarem habere rationem ideæ, quòd negat Doctor, & eum sui sequuntur in 1. distinct. 35. quæst. 1. §. ad ista, num. 12. ibi enim optimè ostendit, ideam non esse aliquam relationem in essentia diuina, vt est obiectum ratio cognoscendi, vel intellectus, sed ipsum obiectum vt cognitum, seu esse cognitum creaturæ; ista enim cognitio est ratio æterna in mente Dei, secundum quam format aliquid ad extra, cuius fundamenta ibidem expendit Doctor, & ex professo Theologi in tractatu de diuina scientia.

Obiicies, quòd si idea in Deo esset conceptus obiectiuus creaturarum, sequeretur Deum aliquo modo pendere à creaturis in sua operatione, quia omnis artifex per intellectum, & voluntatem operans quodammodo dependet ab ideis; debet enim habere rationem sui operis, vt non ignorans, sed sciens, & prudens operetur, sed per nos creaturæ secundum illud esse obiectiuum, sunt ideæ & causæ exemplares; ergo cum Deus sit perfectissimum agens intellectuale, quòd sine ideis nõ agit, indigeret creaturis tamquam causis exemplaribus vt operaretur; ergo aliquo modo à creaturis depen-

8.

Refellitur sententia prima. Esse obiectiuum creaturæ habet rationem ideæ.

9.

Obiectio.

deperderet. Respondetur, arguere imperfectionem dependere à creaturis motiue, nō verò terminatiue: cum autem ex Doct. in 1. dist. 35. q. 1. §. *ad ista*, num. 12. Deus non egeat in efficiendo ideis tamquam obiectis motiuis, hoc enim præstat diuina essentia, quatenus sua infinita eminentia continet omnium creaturarum perfectionem; sed solum terminatiue, quatenus sunt similitudines formales rerum faciendarū ad extra, hinc fit, quòd Deus non dicatur à creaturis dependere. Quod perspicuis exemplis possumus elucidare. Primò si communiter Thomistæ non reputant inconueniens diuinam omnipotentiam includere respectum ad creaturas possibiles, sine quibus Deus non esset omnipotens, quòd absurdum existimat Doct. in 1. dist. 43. q. vnic. vers. *tertiò*, n. 5. aliàs Deus secundum aliquam intrinsecam perfectionem à creaturis deperderet, cur existimant impossibile, quòd Deus non in aliqua perfectione intrinseca, sed in operationibus ad extra à creaturis, secundum illud esse cognitum, quòd est ratio æterna in mente diuina, sicut cognitum in cognoscente terminatiue dependeat. Secundò scientia visionis necessariò supponit obiectū futurum, & nihilominus nō ob id dicitur Deus deperdens à creatura, quia ab ipsa non mouetur, sed à sua quidditate, & essentia; ergo neque in nostro casu. Tertio essentia diuina per vos quatenus representatio creaturarum possibiliū dicitur idea: hæc autem representatio necessariò respicit representatum; ergo dicitur Deus dependens à creaturis, vel si hæc dependentia non obstat, nec quam nos ponimus, cum sit non motiua, sed terminatiua.

constituitur in actu primo ad agendum per formam naturalem, ita artifex intellectualis per formam intellectualem, seu intentionalem, quæ est exemplar: sed res efficienda ut cognita, seu obiectiuus conceptus, non est forma intellectualis, cū nō informet intellectum ut naturalis; ergo erit conceptus formalis, qui valet intellectū informare.

Tertio exemplar est causa vera, & realis; ergo distinguitur à conceptu obiectiuo. Probo consequentiā, quoniam conceptus obiectiuus est eadē res quæ exterius operatur, quatenus obiecta intellectui; sed idem nequit esse causa sui ipsius; ergo exemplar, quòd causat externum effectum, aliud est ab obiectiuo conceptu.

ARTICVLVS II.

Explicatur verior sententia.

Verior sententia docet, ideam, seu exemplar non esse conceptū formalem, sed obiectiuum. tenet expressè Doctor de diuinis ideis in 1. dist. 35. quaest. 1. §. *ad ista*, n. 12. hanc, credo, esse sententiam Angelici Doctoris, quam perspicuis verbis expressit 1. p. q. 15. art. 2. ad 2. ubi hæc habet, *sicut artifex, dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum; sic dum intelligit formam domus ut à se speculatam, intelligit ideam, seu rationem domus*; appellat ergo domus exemplar, seu ideam, non quidem imaginem, aut similitudinem expressam domus, sed ipsam domum ibi representatam, seu speculatam, aliud enim est speculum, aliud speculatum; speculum quidem species expressa, aut conceptus formalis est; speculatum verò conceptus obiectiuus. Quòd secundò ex his verbis sancti Thomæ confirmo, & explico, quia exemplar externum, & internum pro-

Non implicat ex ternum Dei actū à creaturis terminatiue deperdere.

10. Secundò probat ratione desumpta ex D. Th. 1. p. ubi supra, & de veritate q. 3. art. 1. quoniam sicut agens naturale

II.

12. Verior sententia.

portionari debent, vt hic S. Doctor expressit; ergo sicut in exemplari eterno exemplar est forma domus in materia sensibili; sic in exemplari interno exemplar erit forma domus in materia, vt sic dicam, intelligibili; forma, inquam, domus in intelligibili specie representata: quod etiam expressit eadem quaestione articul. 1. in corpore, dicens, quod *similitudo domus praesistens in mente adificatoris potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare forma, quam mente concepit*; sed non intendit assimilare nisi conceptui obiectiuo, hunc enim imitatur effectus, non formalem; ergo ratio exemplaris ex mente S. Thomae non in conceptu formali, sed in obiectiuo consistit. Idem docet articul. 2. in corp. vbi docet, quod *idea operari est in mente operantis, sicut quod intelligitur, non autem sicut species, qua intelligitur, qua est forma faciens intellectum in actu*; sed id quod est in intellectu, sicut quod intelligitur, est obiectum; ergo. Deinde dicit non esse sicut speciem, qua intelligitur, & qua est forma faciens intellectum in actu: at species expressa est, qua intelligitur obiectum, & redditur intellectus actu intelligens; ergo ex mente S. Thomae ratio idearum, & exemplaris non in specie expressa, aut conceptu formali, sed in obiectiuo ponenda est. Idem sentit Aegidius in 1. dist. 36. q. 5. ad 2. Richardus ibidem. Ocham q. 5. ibidem Gabriel articul. 2. Durand. distinct. 36. quaest. 6. Aliacensis ibidem articul. 3. Basolis quaest. 2. art. 2. Maior dist. 35. q. 1. Plures etiam ex recentioribus eandem tuerentur sententiam, praecipue Conimbricenses lib. 2. Physic. cap. 7. quaest. 3. artic. 2. & videtur expressa Aristotelis 7. Metaph. cap. 7. text. 23. vbi ait, corporis sanitatem fieri a sanitate, qua est in mente,

haud dubie intellexit sanitatis exemplar, quod in Medici animo est: hoc autem non vocauit imaginem sanitatis, sed sanitatem ipsam menti obiectam.

Ratione etiam probatur. Primò argumento sumpto à diuinis ideis, quia diuina idea ex mente Doctoris vbi supra, non est essentia diuina vt essentia, quia vt sic non esset actualis representatio operis efficiendi, neque vt induit aliquam relationem ad creaturas, quoniam istae nequeunt Deo realiter, & ab intrinseco conuenire, vt ibidem probat Doctor; ergo sunt creaturae secundum esse obiectiuum. v. g. lapis intellectus potest dici idea, ipse enim gaudet omnibus conditionibus ad ideam requisitis, quia ipse est ratio factibilis extra propria sibi: sicut arca in mente potest dici ratio respectu arcae in materia, & est propria ratio, secundum quam arca in materia formatur; & ista ratio est aeterna in mente diuina vt cognitum in cognoscente per actum intellectus diuini; quidquid autem est in Deo secundum quodcumque esse, siue rei, siue rationis per actum intellectus diuini est aeternum, vt dicimus in tractatu de diuina scientia; ergo si idearum ex mente Doctoris conceptibus obiectibus constituuntur, sic exemplaria in creaturis.

Secundò probatur in creatis exemplaribus, de quibus praecipue loquimur, quia exemplaris ratio in quadam imitabilitate, seu passiuua imitatione ex communi consensu sita est: at artifex non intendit imitari conceptum formalem, sed rem conceptu representatam, nec res exterius operata assimilatur conceptui formali, sed obiectiuo; ergo. Qua ratione diximus in Logica quaestione 3. difficult. 4. artic. 2. Logicum non agere de

13.
Probatio prima.

14.
Probatio secunda.

de actibus actiuis, & formalibus intellectus, sed de obiectiuis & passiuis; quoniam Logicus non praedicat secundam intentionem animalis de secunda intentione hominis, haec enim non est animal, sed conceptum obiectiuum animalis de conceptu obiectiuo hominis.

15.
Probatio
tertia.

Tertio conceptus formalis, seu imago non est res representata, aut obiecta intellectui, vt imitabilis, & vt artificiosè exempletur, sed solum est id, in quo res ista representatur, & quasi speculum, in quo res elucet; non vero ipsa elucens res: at speculum, in quo res imitabilis apparet, non est illud, ad cuius similitudinem effectus producitur, neque est id, quod exemplatur; ergo speculum hoc non est exemplar, sed res illa, aut obiectam in eo elucens, & tanquam res imitabilis representata. Quod adhuc confirmat exemplum de speculo, in quo tota haec res speculari optimè potest; quia si pictor alicuius faciem non in se ipso, sed in speculo fulgentem videret, quam tamè conatur depingere, seu imitari; certum est; non imitari, nec depingere speculum; imò neque entitatem illam intentionalem speciei ibi receptae; sed vultum ipsius Petri, v. g. in illo speculo, & specie representatum; neque enim qualitatem intentionalem, sed hominem vultu depingere. Eodem ergo modo artifex exterius exprimere, imitari, & artificiosè operari volens, non imitatur, aut exprimit speciei qualitatem, speculi naturam, conceptus formalis rationem; sed rem ipsam ibi obiectam, specularitam, & relucentem, quae est conceptus obiectiuus.

Probatio
quarta.

Denique Platonici, qui ex omnibus antiquitatis Philosophis maxime ideas celebrarunt, appellabant eas res ipsas à materia commercio,

& singularium concretionem seiuu-
etas.

Ex quibus ad fundamentum oppositae sententiae desumptum ex Sancto Thoma respondemus, exemplar secundum esse, obiectiuum habere rationem causae formalis extrinsecae, non quia in genere causae formalis exemplat, aut exemplariter causet; sed quatenus ipso constituitur agens potens exemplariter operari, quod difficultate sequenti magis explicabitur. quando autem dicitur exemplar esse causam rei exemplatae, seu ad instar eius exterius productae; ergo cum conceptus obiectiuus sit ipsa res exterius producta quatenus intellectui obiecta, idem erit causa sui ipsius. Respòd. non esse inconueniens, quod idem, secundum diuersas considerationes, dicatur causa sui ipsius, seu idem fieri ad imitationem sui, si supponatur secundum se obiectiuum & imitabile tantum, vt constat de fine, qui causet, & operatur ad sui effectiorem praecipue, quod conceptus obiectiuus, seu exemplar obiectiuè existens non est ipsa res quae efficitur, sed eius similitudo, ad cuius instar externum opus operatur.

16.
Fundamento in
contrariis
respondetur.

DIFFICULTAS III.

*Qua sit causalitas exemplaris
causae, & ad quod genus
causae reducatur.*

Suppono ex communi consensu causam exemplarem in effectum influere, secundum illud esse obiectiuum, quo causa exemplaris constituitur. Dubitamus ergo primo quae sit haec causalitas, vel qualiter influat in effectum externum ad instar eius productum: item cum tantum sint

quatuor genera causarum, vt omnes Peripatherici cum Philosopho affirmant, examinare oportet ad quod genus causæ, an scilicet ad efficientem, an ad formalem reducat. de his solum est inter authores controuersia; supponunt enim omnes ex articulo 2. ad materialem, & finalem reduci non posse.

ARTICVLVS I.

Quæ sit causalitas causæ exemplaris.

17.
*Exemplar
causat
mouendo
efficiens
ad opus
externū
producent-
dum.*

Exemplaris causæ causalitatem obscure satis explicant Philosophi. Nos autem breuiter dicimus, exemplar non aliter causare quam mouendo efficiens creatum ad producendum opus externum ad instar, & similitudinem illius, (creatum, inquam, quia agens increatum nequit ab alia entitate non infinita moueri,) habent enim maximam conuenientiam finis, & exemplar, quoniam sicut finis quatenus cognitus, & intellectui obiectus influit in effectum, ita exemplar. Vnde Aristoteles de fine dixit, finem coincidere in eandem rem numero cum forma facta; sicut ergo eadem res in ratione finis mouere potest ad effectum sui, ita in ratione exemplaris dirigit ac concurrat suo modo ad sui effectum, maximè cum vtraque causalitas finis, & exemplaris tendat in effectum medio agente mouendo, vel dirigendo actionem eius. Vnde sicut causa finalis influere, & causare dicitur, ex quæst. 7. diffic. 3. art. 2. solum quatenus amatus, concurrat cum efficienti ad electionem mediorum, gratia ipsius; ita causalitas causæ exemplaris nihil aliud erit, quam effectio agentis operantis ad instar, & similitudinem exemplaris. hoc enim

exemplar obiectum agenti intellectuali ipsum mouet, vt ad eius similitudinem aliquid efficiat. Ista ergo effectio ab vtroque proueniet, exemplari scilicet, & efficienti. Ideo sicut causalitas finis, & efficientis eadem est fundamentaliter, et si formaliter per diuersos respectus distinguantur, ex dictis vbi supra; ita causalitas exemplaris, & agentis operantis ad extra, eadem erit fundamentaliter, et si formaliter distinguantur per diuersos respectus in causis distinctis fundatis. colligitur manifestè ex Doct. in 1. d. 36. quæst. 1. num. 5. quatenus asserit improbable esse alium effectum tribuere causæ exemplari, & alium efficienti; ergo simul concurrunt.

Peres primò vtrum causalitas ista exemplaris debeat dici metaphorica; an verò realis, & physica. Respond. existimandam esse metaphoricam, vt diximus de fine. Primò quia causa non habet veram entitatem physicam, & realem, sed solum intentionalem, & obiectiuam; ergo nequit verè influere physicè. Secundò influit mouendo, & excitando: sed omnia hæc magis habent vim actionis moralis, & metaphoricæ, quam physicæ, & realis; ergo.

Peres secundò qui sit terminus huius causalitatis. Respond. terminum esse effectum, seu exemplatum ad instar eius productum; in quo maximè distinguitur à causalitate finali, quòd hæc amata exercet suam causalitatem non in productionem sui, cum sæpius supponatur productus, sed intellectionem mediorum. Exemplar autem mouet ad producendum aliquid ad formalem similitudinem eius. de quibus articulo sequenti.

18.
*Causalitas
causæ
exemplaris
conferenda
est meta-
phorica.*

19.
*Terminus
causæ
finalis est
exemplatum.*

ARTICVLVS II.

*Ad quod genus causæ, exemplaris
reducatur.*

20.
*Exemplaris
causa nõ
reducitur
ad causam
materiale-
lem, nec
formalem.*

Supponunt omnes exemplar non pertinere ad causam materialem, nec finalem. Ad materialem quidem, quia eius propria ratio est esse puram potentiam subiectiuam, ex q. 2. diff. 2. art. 2. & propria causalitas formam recipere, sed exemplar ex dictis art. præcedenti influit in effectum, nec merè passiuè se habet; ergo nequit reduci ad causam materialem: nec ad finalem, licet maximam in modo cau- sandi cū illa habeat affinitatem, vt in quæst. præcedenti explicuimus. Tum quia finis præcedit motione sua metaphorica efficientem causam, quam mouet ad operandum, & operatur vt alliciens affectum, & sic præcedit formationem exemplaris, quod apud se constituit agens intellectuale gratia finis. Exemplar autem non concurrat vt alliciens affectum; sed vt determi- nans, & quasi specificans actionem, seu formam per eam indutam. Itaque licet exemplar moueat, mouet determinando ad actionem non alliciendo ad ele- ctionem. Loquendo ergo de propria exemplaris causalitate non poterit ad causam finale reduci. Difficultas ergo solum erit de formali, & efficienti.

21.
*Sententia
prima.*

Prima sententia affirmat, causam exemplarem ad formalem potius, quam efficientem pertinere, non ad formalem intrinsecam, sed extrinsecam. citatur pro hac sententia S. Thom. de verit. q. 3. art. 1. quatenus ibi distinguit triplex formæ genus, alterum formæ, à qua formatur res, sicut à forma agentis procedit effectus; alterum formæ, secundum quam aliquid formatur, sicut anima est forma ho- minis; tandem tertium formæ genus

illius, scilicet, ad cuius similitudinem aliquid constituitur, negat ideam pertinere ad genus formæ prioris, nec ad genus formæ secundæ, sed solum ad tertium genus, formæ scilicet, à qua procedit effectus; & si pertineret ad genus causæ formalis intrinsecæ, spectaret ad secundum formæ genus; ergo cum hæc duo neget, solum fatetur ad genus causæ formalis extrinsecæ pertinere; sic docet Alber. Magn. in 1. d. 20. art. 1. Duran. d. 45. quæst. 2. Argentina art. 2. Aegid. proposit. 35. de Eucharistia. Caietan. 1. p. q. 6. art. 3. & quæst. 44. art. item 3. Abulensis in caput 5. Matthæi q. 12. quam adeo veram existimauit Fonseca 5. Metaph. c. 2. q. 7. lect. 5. & Conimbricenses hic cap. 7. q. 4. art. 2. vt affirmant, non reductiuè, sed propriè, & per se sub formali causa extrinseca contineri, specièque distingui à causa formali intrinseca, & cum eadem rationem communem, & genericam formæ participare.

22.

Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quod exemplaris ratio consistit in quadam imitatione passiuæ, ad instar cuius agens operatur; sed imitatio passiuæ, & terminatio inspectus artificis nullam efficientiam importat, sed tantum rationem extrinsecæ formæ terminantis, & dirigentis: exemplar igitur non ad efficientem, sed ad formalem causam pertinebit, quod ex exemplari externo, ad quod respiciens operatur agens, conicitur; hoc enim, vt patet, nihil efficit rigorosa efficientia, & influxu, sed tantum passiuæ sui imitatione causat, vt talis, vel talis speciei sit arte factum; idem ergo dicendum erit de conceptu obiectiuo, & exemplari interno; in hoc enim modo causandi per passiuam imitationem, & determinationem arte facti

ad

ad hanc speciem eiusdem prorsus rationis sunt. Confirmatur secundò, quod est principium formale agendi subiectatur in agente, vt de se patet: sed ex dictis supra exemplar non est conceptus formalis informans, sed conceptus obiectiuus passiuè terminans; ergo nequit reduci ad genus causæ efficientis. Confirmatur tertio, cum agens operatur artificiatum principium, quo non est exemplar, sed anima; neque instrumenta, quæ ab agente mouentur, & ad agendum applicantur, & efficere dicantur; restat vt solum sit quædam forma extrinseca, ad quam respiciens agens operatur ad extra.

23.
*Sententia
secunda.*

Secunda sententia, & verior, nobisque tenenda affirmat, exemplar ad causam efficiètem pertinere, ita quod sicut agens naturale sua forma intrinseca constituitur in actu primo, potens operari efficienter naturaliter, ita agens intellectuale hoc exemplari, seu idea constituitur in actu primo, potens exemplariter causare non intrinsecè, cum exemplar sit conceptus obiectiuus, & non formalis, ex dictis diffic. 2. art. 2. sed extrinsecè; in hoc ergo distinguo causam exemplariter producentem à vera causa efficièti, quod hæc constituitur aliqua intrinseca forma inhærente; illa verò extrinseca, & non inhærente: sic intelligo Angelicum Doctorem pro contraria sententia citatum, dum ait, exemplar esse causam formalem extrinsecam, loquitur enim ibi de forma constitutiva causæ exemplantis. tenet expressè Doctor in 1. distinct. 2. quæst. 2. §. *ad primum*, num. 10. & distinct. 6. quæst. 1. §. *contra ista*, num. 5. verè præterea 6. vbi hæc habet, *non videtur probabile quod tribuatur alius effectus causa exemplari, & alius causa efficièti; quia causa exemplaris non est nisi*

quoddam efficiens, efficiens enim diuiditur in efficiens per intellectum, siue propositum; & efficiens per naturam; secundum Philosophum 1. Phys. text. 49. Sicut igitur naturaliter produciens non est alia causa ab efficièti, ita neque exemplaris, neque exemplariter produciens; & ita idem est effectum, & exemplariter productum alicuius intelligentis, in quantum est intelligens, & in quantum exemplans. Eandem sententiam tenet S. Thomas pluribus in locis, præcipuè in 1. d. 2. quæst. vnic. & 1. part. quæst. 15. art. 2. quatenus asserit, quod sicut agens naturale constituitur in actu per formam naturalem, ista agens intellectuale per exemplar. idem docuit Seraphicus Doctor in 3. d. 11. quæst. 2. Alensis 1. part. quæst. 23. memb. 4. art. 1. Hervæus in 1. d. 36. quæst. 1. Perei. lib. 4. cap. 1. Suar. tom. 2. Metaph. disp. 25. num. 8. Ruui. in hoc tractatu, & alij recentiores. est sententia Aristotelis lib. 7. Metaph. cap. 23. vbi hæc habet, *quodammodo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & vt domum ex domo, que sine materia, eam, qua habet materiam, ars enim medendi, & adificandi est forma, sanitas, & domus; deinde ait principium, vnde incipit motus artificialis, esse formam in anima, per quam operatur artifex; sic enim ait, fauens igitur, & vnde conualescendi motus incipit, si ab arte forma est in anima; ergo exemplar constituit agens formaliter potens exemplare: alia testimonia videri possunt apud Suarium, vbi supra.*

Ratione etiam probatur, sicut agens naturale constituitur agens sua forma naturali, ita agens exemplariter forma exemplari; ergo sicut agens naturale media illa forma effectiuè influuit in effectum, sic agens exemplariter medio exemplari. Quod sic declaro. Agens intellectuale non habet in se formalem virtutem producendi aliquod

quod externum opus, seu aliquod exemplarum, alias nullo exemplari proposito, seu obiecto exemplariter valeret producere; ergo hoc exemplari constituitur in actu primo potens exemplare proximè; ergo virtus effectiua completa communicatur ipsi ab ipso exemplari; concurrunt ergo exemplar cum ipso in eodem genere causæ, sicut forma naturalis cum agente naturali. Secundò nequit intelligi qualiter exemplar solùm formaliter extrinsecè possit causare, nam omnis forma extrinseca penes ordinem ad aliquam intrinsecam dicitur talis; habet enim se solùm terminatiuè, & quasi passiuè, sicut extrinsecus terminus; sed causa exemplaris habet effectum externum, nempe exemplarium; ergo non sufficit illa extrinseca obiectio, seu terminatio actus intellectus, vt dicatur exemplariter causare, nisi ei aliquis influxus tendens in effectum concedatur, iste est effectiuus, & identificatus cum causalitate agentis; ergo exemplaris causa ad genus causæ efficientis reducenda erit.

Vnde ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur causam exemplarem non consistere solùm in imitatione passiuâ, sed constituere agens in actu primo potens exemplare, cum eodémque efficienter concurrere: icèmq; dicimus de exemplari externo, hoc enim apprehensum, & obiectum intellectui artificis, seu pictoris ipsum reddit potens producere tale opus externum ad extra, ad imitar, & similitudinem eius.

25.

Obiicies, causam non reddi proximè potentem operari, nisi insit ei aliqua mutatio: sed exemplar solùm est conceptus obiectiuus; ergo nequit constituere agens intellectuale potens exemplare. Respondetur primò

non esse de ratione comprincipij quòd informet, vnde causa prima ex quaest. 5. difficult. 3. art. 2. concurrunt cum secunda, non inhærendo ipsi, nec aliquòd physicum infundendo: imò, vt dicemus; lib. de anima, omnibus formis effectiuis quatenus effectiuis accidit inhærentia, & informatio; non enim inhæret species impressa, v.g. quatenus species, & semen obiecti, quo facundatur intellectus, sed quatenus accidens genitum dependens à subiecto in esse, fieri, & conseruari: dato tamen quòd aliqua inhærentia exigeretur per se, istud exemplar informaret igitur intellectum quatenus representatum in specie impressa representante ipsum, & simul cum intellectu concurrente ad directionem operis externi, & effectiorem exemplati; sed de his in libris de anima.

Resolutio quaestionis.

HAbemus ergo ex tota hac quaestione, dari causam exemplarem, hancque esse formam non intrinsecam, sed extrinsecam, ad quam respiciens agens intellectuale operatur ad extra; ab ideâque distingui, quòd hæc rigorosè solùm reperitur in Deo, vt Theologi explicant in tractatu de diuina scientia; illa verò in creaturis; diciturque exemplariter causare non secundum conceptum formalem, & quatenus formaliter representatam, neque secundum esse obiectiuum materiale, aut antecedens cognitioni, sed secundum esse obiectiuum formale, & diminutum per actualem cognitionem operatum: huius causæ causalitas fundamentaliter est eadem cum causalitate agentis, seu operantis ad extra, distincta tamen formaliter per diuersos respec-

et us, quorum vnus fundatur in agente, & hic est realis; alius verò in exemplari, & hic est intentionalis: vnde causam exemplarem, ne genera causarum contra Philosophum multiplicemus, ad genus causæ efficientis reducimus.

QVÆSTIO IX.

De comparatione causarum tam inter se, quam cum effectibus.

ROSTQVAM de generibus causarum per se, & in particulari disputauimus, de eisdem in ordine ad suos effectus quatuor veniunt discutienda. Primum, an causæ inter se collatæ habeant aliquam prioritatem quoad perfectionem, & existentiam. Secundum, vtràm vna sit prior alia in causando. Tertium, vtràm idem effectus possit produci simul à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis. Quartum, vtràm ab eisdem diuisis; quibus explicatis natura intrinseca harum causarum clariùs, & distinctiùs intelligetur.

DIFFICVLITAS I.

An causæ inter se habeant aliquam prioritatem quoad perfectionem, & existentiam.

ARTICVLVS I.

Quibusdam dictis presens enodatur difficultas.

I.
Conclusio prima.

Dico primò, si causæ adinuicem, quoad existentiam comparen-

tur, causa efficiens est prior, deinde materialis, postea formalis, tandem finis totalis, nempe compositum. hanc conclusionem omnes Scotistæ debent admittère. Fundamentum est, quòd causa efficiens, seu generans, est primum principium, vnde motus, deinde materia supponitur tamquam subiectum generationis, in qua inducitur forma, quibus vnitis, & actualiter causantibus, resultat totum compositum; ergo quantum ad existentiam, prior est efficiens, & posterior finis. Obiicies, quòd ex inferiùs dicendis, & dictis suprà, finalis causa est prior cæteris; ergo nequit posterior existimari. Respondet Doctor 5. Metaphysicæ quæst. 1. §. *Respondeo*, numero 5. versicul. *ad principale dico*, quòd finis est principium, secundum esse, in mente agentis, & est vltimum, secundum quòd est in materia.

Dico secundò, si causæ comparentur in perfectione, facta collatione inter materiam, & formam, forma erit nobilior. Ratio est conspicua, quia forma actuat, materia verò recipit: at omnis potentia imperfectior est suo actu; ergo. Obiicies formam materialem dependere in suo esse, & fieri à materia, hanc tamen non dependere à forma, cum immediatè creetur à Deo; ergo est perfectior forma. Respondetur quòd licet forma dependeat à materia in suo esse, materia tamen magis dependet à forma, quoniam hæc dependentia est per modum actus formalis, quo ad determinatam speciem, reducitur, redditurque ex informi pulchra, vt docuit Aristoteles libro primo Physicorum.

Dico tertid, si causæ extrinsecæ comparentur cum intrinsecis, causæ extrinsecæ sunt perfectiores intrinsecis. Fundamentum est quòd intrinsecæ

2.
Conclusio secunda.

3.
Conclusio tertia.

secæ sunt partiales, & incompletæ; extrinsecæ verò totales & completæ: vnde modus extrinsecorum, nempe efficere, & finalizare, quia perfectus conuenit Deo, non verò modus cau- sandi intrinsecarum causarum, quia Deus nec informari valet, nec infor- mare, vt docuit Doctor in primo, di- stinctione 2. quæst. 2. art. 1. num. 16. versicul. *ulterius*, & distinctione 8. quæst. 1. §. *ad quaestionem*, quia hoc includit imperfectionem, vt ostendi- mus quæst. 10. difficult. 2. art. 2.

4.
Conclusio
quarta.

Dico quartò, si hæc comparatio quoad perfectionem, fiat inter causas extrinsecas, scilicet inter finalem & efficientem, finis est nobilior; docet Doctor expressè lib. 3. Metaphysicæ quæst. 1. §. *Respondeo*, versicul. *ultra*, num. 2. *quia si finis est intentus, tunc finis est causa vt agat; & principium motuum agentis, efficiens iam factus in actu cau- sat; vel motus à fine producit formam in materia, & hæc est causalitas forma in- formare, causalitas materia est substare forma; causalitas ergo omnium est à fine, ergo, &c.* Idem docet tractatu de pri- mo principio, cap. 2. §. *probat*, nu- mero 2. quia per ipsum aliæ fiunt, & non ipse propter aliud. Est sententia Aristotelis 2. Physicorum textu 3. & 5. Metaphysicæ cap. 2. & vbi cumque causas inter se comparat; quam etiã docet D. Augustinus 5. de ciuit. Dei cap. 21. vbi ait finali causa non dari causam meliorem, & D. Thom. opu- sculo 31. §. 2. vnde asserit quòd finis est causa causarum, quia est causa cau- salitatis in omnibus causis. est com- munitis sententia Philosophorum. Probat; quoniam omnis causa in- quantum causa est suo effectu perfe- ctior; sed, vt diximus ex Doctore vbi supra, finis in ratione causæ confide- ratus, est causa efficientis; ergo. Con- firmatur; tum quia excitat ad agen-

dum causam efficientem; tum etiã quia est vltimum, & excellentius quod intendit efficiens: vnde finis dici consuevit causa causarum; quia cæteræ causæ sunt quasi effectus il- lius, cuius gratia omnes in suo ge- nere causant.

Obiicies primò, influxum causæ efficientis esse verum influxum finis metaphoricum; ergo causa efficiens est perfectior, cum perfectio causæ ex perfectiori modo cau- sandi defu- matur. Confirmatur, quoniam opera- ri sequitur esse, seu modus operandi fundatur in modo essendi: at causa efficiens semper existit, vt causet, finis autem causet vt apprehensus; ergo causa efficiens est multo perfectior. Respondetur causam finalem non dici metaphoricam, quia non realiter influat, vt diximus q. 7. diffic. 2. art. 2. sed quia moueat alliciendo, & non actualiter existens, tamen perfectio causæ non attendenda est penes eius existentiam, sed ex modo cau- sandi magis independenter. Vnde cum finis independenter causet, efficiens verò dependenter à fine, hinc est quòd sit fine imperfectior.

5.
Obiectio.

Respon-
sio.

Dices quòd finis mouet quasi ro- gando; ergo imperfectè. Responde- tur motionem finis magis explicari debere per modum imperij, quàm per modum supplicantis, quoniam efficiens deseruire fini existimatur, quatenus eo medio causet. Ad illud quod dicitur quòd modus operandi sequitur modum essendi. Responde- tur non esse verum, aliàs accidentia essent perfectiora materia, cum per- fectiori modo causent; ex alio enim capite sumitur perfectio in esse entis, ex alio verò in esse causæ. Vnde cau- sa finalis potest esse perfectior in cau- sando, etiam in entitate sit imperfe- ctior.

7.

DIFFICULTAS II.

*Utrum cause se inuicem causent,
vnaque sit prior alia in
causando.*

Explicata prioritare causarum quoad perfectionem, & existentiam, earumdem prioritas in causando potissima, quæ in causis attendenda est, restat examinanda. Præmitto ergo ad clariorem intelligentiam causas adinuicem comparatas posse considerari secundum entitatem, & secundum causalitatem: vtroque modo procedit difficultas; ideo plura discutienda veniunt. Primum, vtrum cause sibi inuicem sint causæ quoad entitatem. Secundum, quoad causalitatem. Tertium, vtrum vna causa sit prior alia in causando, vel omnes in suo genere sint priores, quod sequentibus articulis examinabitur.

ARTICVLVS I.

*Utrum cause sibi inuicem sint cause
quantum ad entitatem.*

Non est sermo de causis eiusdem generis, v. g. de duobus efficientibus, seu duabus materialibus. nam certum est, vt docuit Aristot. 2. *Physic.* textu 35. hoc esse impossibile, alias si duæ efficientes, v. g. se mutuo causarent, idem respectu eiusdem esset causa, & effectus, & ita notius, & ignotius, prius, & posterius, quod implicat: sed de eisdem in diuerso genere, ita vt efficiens, v. g. comparatur ad materiale, formale, & finale; vel materialis ad formale, &c.

7. *Conclusio prima.* Dico primò comparando materiam cum forma non sunt sibi causæ quoad entitatem, quoniam licet for-

ma materialis in sua entitate pendeat à materia, de cuius potentia educitur; rationalis tamen non pendet à materia, neque hæc ab vlla forma, cum ad omnes præsupponatur existens. Patet, quia materia est terminus creationis, & primum subiectum generationis ingenerabile, & incorruptibile, ex lib. 1. q. 2. difficult. 3. ergo non potest causari à forma; ergo hæc causæ non se inuicem causant.

Obiicies primò, anima rationalis vnitur corpori in eodem instanti, in quo creatur; ergo pendet ab ipso. Respondetur ita esse; tamen non ideo pendet in sua entitate à corpore; nec corpus inquit in eius esse intrinsecum, vt diximus lib. 1. q. 2. difficult. 2. art. 1. & 2. *Obiectio prima. Responso.*

Obiicies secundò, quædam existentia materię primæ est ita imperfecta, vt ab ea nequeat naturaliter sustentari sine formæ iouamine. Rursus accipit à forma esse specificum; ergo in sua entitate pendet à forma. Respondetur negando vtrumque antecedens. quia licet existentia materię sit imperfecta, quia partialis; hæc tamen imperfectio non tollitur per coniunctionem cum forma, nec impedit materiam, vt sine illa possit existere, quoniam in existendo nullam dependentiam dicit à forma; quare verò naturaliter nequeat esse sine omni forma, diximus lib. 1. quest. 2. difficult. 4. art. 1. Deinde esse specificum, quod materia recipit à forma, est intrinsecum composito, non materię, vnde consequentia falsa est. *Obiectio secunda. Responso.*

Dico secundò comparando materiam cum efficienti causa, non sunt sibi inuicem causæ quoad entitatem. Fundamentum est, quod cum materia sit ingenerabilis, non pendet ab aliquo efficienti creato; imò nec pendere potest diuinitus, ex Doctore in 4. dist. *Conclusio secunda.*

4. dist. 1. quæst. 1. per totam; neque efficiens pendet à materia rei generandæ, quia præsupponitur ad illius causalitatem, & prius in suo esse, vt experientia demonstrat, nequit à posteriori dependere.

Conclusio
tertia.

Dico tertio comparando materiam cum fine in illa actione, qua primum Deus mundum creavit, esse sibi inuicem causas in entitate. Fundamentum est, quod licet finis Dei agentis fuerit ipse Deus, cum omnia propter semetipsum operatus fuerit; tamen finis illius actionis fuit totum compositum; ergo influxit in genere causæ finalis in creatione materiæ; & omnium necessariorum ad constitutionem eius. Rursum materia influxit in compositum; ergo quoad entitatem fuerunt inuicem causæ.

9.
Conclusio
quarta.

Dico quarto si comparemus formam cum efficienti, non sunt sibi inuicem causæ in entitate. Fundamentum est, quod licet forma in suo esse dependeat ab efficienti; hoc tamen ab ipsa non dependet, cum sit ipso posterior.

Conclusio
quinta.

Dico quinto comparando causam efficientem cum finali, quantum ad entitatem sunt inuicem causæ. Resp. ex Aristot. 2. Physic. cap. 3. exemplificante causam efficientem, & finalem in deambulatione, & sanitate, dicendo, sanitatem in intentione esse finem deambulationis, deambulationemque esse causam efficientem sanitatem in intentione; ergo sunt inuicem causæ in entitate.

ARTICVLVS II.

Utrum causa per se sibi inuicem sint causa quoad causalitatem.

Conclusio
prima.

Dico primo, materia, & forma sunt sibi inuicem causæ quoad

causalitatem. Fundamentum est, quod ex lib. 1. q. 6. difficult. 1. materia, & forma nequeunt influere in compositum, nisi hæc informando perficiat, illa autem recipiat; ergo suis causalitatibus mutuo se respiciunt.

10.
Conclusio
secunda.

Dico secundo, comparando materiam cum efficienti, sunt sibi inuicem causæ quantum ad causalitatem, seu mutuo dependent in causando. Fundamentum est, quod efficiens nequit causare nisi dependenter à causalitate materiæ; aliàs crearet, quod naturæ viribus ex communi consensu implicat, & adhuc diuinitus ex Doctore vbi supra. Item materia nequit materializare sine causalitate efficientis, quoniam materializare est formam recipere; eam tamen nequit recipere, nisi ab aliquo efficienti in ipsa producat, quia omne productum est per aliquam efficientis actionem; ergo se inuicem causant quantum ad causalitates.

Conclusio
tertia.

Dico tertio, si materia comparetur cum fine, sunt inuicem causæ in causatione. Fundamentum est, quod actio agentis est propter finem, & actio exigit causalitatem materiæ, cum ex eius potentia formam educat; ergo ad inuicem sunt causæ, neque vna potest causare sine alia.

Conclusio
quarta.

Dico quarto, si comparemus formam cum efficienti, sunt inuicem causæ. Respondetur, quia sine formalizatione formæ efficiens nequit producere compositum, neque forma sine efficienti informare materiam; ergo in ordine ad causandum compositum aliquo modo ad inuicem dependent.

Conclusio
vltima.

Dico vltimo comparando formam cum fine sunt inuicem causæ. Ratio est, quoniam forma non formalizante compositum finalizare reprægnat.

ARTICVLVS III.

*Vtrum omnes cause in suo genere
sint priores, vel una sit prior
alia in causando.*

11.
Conclusio
prima.

Dico primò, si causæ in suo genere considerentur, quælibet potest existimari prior. docet Doctor 5. Metaph. q. 1. §. respondeo, num. 5. verfi. ad aliud, his verbis, *quatuor cause sunt prima in suo genere, sicut omnia generalissima; tamen vnum predicamentum est prius alio.* sic hîc quælibet causa in suo genere est prior alia aliqua prioritate. Vnde vnus & idem effectus potest dici prior, & posterior in diuerso genere causarum; quod de gratia docent nonnulli recentiores, asserentes esse priorem contritione in genere causæ materialis; posteriorem verò in genere causæ formalis.

12.
Conclusio
secunda.

Dico secundò, comparando causas inter se finis est prima causa, quæ influir; deinde efficiens, statim verò materia, & tandem forma. docet expressè Doctor 5. Metaph. vbi supra, & tract. de primo principio, cap. 2. n. 2. imò inde colligit, in Deo priorem esse rationem finalizandi ratione efficiendi. tenet etiam D. Thom. 1. p. q. 5. art. 2. ad 1. & art. 4. in corpore; & 1. 2. q. 1. art. 2. in corpore. Fundamentum est, quod omnia causantur propter finem, finis autem à nullo causatur; ergo eius causalitas est prior: deinde materia, & forma nequeunt se vnire, aut mutuo causate sine alicuius agentis efficientia; neque forma possit induci in materia hac non præsupposita, manifestè inferitur, quod causa efficiens sequatur finalem, materialis efficientem, & formalis materialem, & consequenter quod causa finalis primum obtineat locum in causando; secundum efficiens; tertium materialis; quartum formalis.

DIFFICVLTA S III.

*Vtrum idem effectus possit simul
produci à pluribus causis totalibus
eiusdem ordinis.*

13.

Pro intelligentia quæstionis præmitto, notanter titulum quæstionis inquirere de pluribus causis totalibus; quoniam de partialibus non est dubium, cum certum sit de facto, vnum numero effectum produci à pluribus causis partialibus, vt filius à patrè, & matre, & notitia, seu Verbum creatum ab obiecto, & potentia. Posuimus item eiusdem ordinis, quia si sint diuersi, certum etiam est eundem numero effectum à pluribus causis totalibus, à causa nempe primæ & secunda, de facto pendere; item inter secundas ab efficienti, & finali. Difficultas ergo quæstionis est, an idem numero effectus possit à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis simul concurrentibus idem numero effectus produci.

Secundò præmitto, huius rei repugnantiam ex triplici capite posse provenire, vel quia causæ nequeunt naturaliter ita disponi, quod simultaneo concursu possint in eundem numero influere effectam; vel quia facta hac dispositione, seu intima penetratione diuinitus adhuc expectetur diuinus concursus, seu speciale iuuamen, vt possint talem effectum producere; vel quia posita tali vnione, & penetratione adhuc diuinitus talis influxus repugnet, vt nulla virtute effici valeat vtriusque causæ concursu: nec sermo est de duobus causis formalibus, quia id implicat, vt diximus lib. 1. q. 4. difficult. 3. artic. 1. solam ergo de duabus efficientibus dubitatur.

ARTICVLVS I.

Explicantur quorundam Philosophorum placita.

14.
Sententia prima.

Prima sententia affirmat eundem numero effectum à duabus causis efficientibus non solum supernaturaliter, sed naturali modo posse provenire: tribuitur hæc sententia Nominalibus in 3. dist. 1. quæst. 2. Fundamentum est, quod de facto duo gubernant eandem navim, quorum quilibet sufficit; duo sustentant eundem lapidem, ne deorsum tendat, altero sustentare potente. Item duo luminosa æqualis intensiois, & virtutis, v.g. vt quatuor applicata æqualiter passo producent lumen, v. g. vt duo; tunc sic vel quilibet eorum producit lumen vt duo; vel vterque simul vnum numero lumen. Primum dici nequit, aliàs duo accidentia solum numero differentiã idem subiectum naturaliter informare valerent. Dicendum ergo est vtrumque luminosum ad idem numero lumen producendum simul concurrere, quod de luminosis quantum ad aliquem gradum, secundum quem naturaliter possunt applicari, docet Lorca in 3. partem S. Thom. disputat. 25. art. 5. num. 16.

15.
Sententia secunda.

Secunda sententia affirmat, id non esse possibile naturaliter impossibilitate se tenente non ex parte actionis, sed ex parte dispositionis causarum, quatenus duæ causæ efficientes nequeunt eidem passo æqualiter applicari; si tamen supernaturaliter applicarentur, (vt fieri potest,) nullo iuuamine supernaturali, sola propria, & nativa virtute ambæ eundem numero effectum producerent: viderur sententia Caietani 1. parte quæst. 52. art. 3. quatenus docet, id non esse pos-

sibile naturaliter defectu naturalis penetrationis causarum. Fundamentum est, quod si duo agentia æqualis virtutis supposita penetratione supernaturali æqualiter applicarentur, dum gaudeant sufficienti virtute productiva, debitèque approximata, non est vnde possit impediri, neque ad hoc sufficit alterius causæ consortium; ergo ambæ simul influerent. Confirmatur, quoniam si quodlibet istorum agentium ab alio separatim ageret, cur alteri coniunctum non infuaret?

16.
Sententia tertia.

Tertia sententia sustinet, id naturaliter implicare, etiamsi causæ supernaturaliter applicentur; non tamen supernaturaliter, seu aliquo supernaturali iuuamine: requirit ergo hæc sententia, vt duo efficientia possint eundem numero effectum producere. Primò, quod causæ diuinitus penetrantur. Secundò quod supernaturaliter eleuentur, seu ordinentur in effectum. tenet expressè Suarez 1. tom. Metaphys. disput. 26. sect. 4. Fonseca 5. Metaphysic. cap. 2. quæst. 15. sect. 1. Lorca in 3. parte quæst. 3. art. 7. disp. 25. à num. 16. Ruu. tract. de comparatione causarum cum suis effectibus quæst. 1. & alij plures. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quod si duæ causæ simul applicarentur diuinitus, posset Deus supernaturaliter communicare vtrique eam solummodo quantitatem concursus, quam cuiuslibet earum sigillatim præbiturus erat, si separata ab alia produceret; ergo cum causalitas creaturæ non se extendat amplius, quàm influxus, seu concursus Dei, ambæ eundem numero effectum producerent. Confirmari potest ratione. nam si, teste D. Thoma 3. p. q. 67. art. 6. plures sacerdotes simul proferetes verba possunt & vnum numero hominem baptizare, idemque

idēque numero sacramentum conficere, & similiter omnes suscipientes presbyteratus ordinem vnam numero hostiam cum Episcopo consecrant, ex eodem Angelico Doctore q. 82. art. 2. cum sint totales causæ horum effectuum, quarum quælibet separata eundem effectum posset efficere, cur id supernaturaliter causis efficientibus naturalibus, si diuinitus ad id eleuentur, repugnabit?

17. *Sententia quarta.* Quarta sententia absolute negat id esse possibile, adhuc posita quauis penetratione causarum; ita vt positis duobus agentibus æqualis virtutis, & in æquali distantia implicet diuinitus eundem numero effectum ab eisdem simul, & adæquatè prouenire; est expressa sententia Doctoris in 1. dist. 1. quæst. 2. §. *quantum ad tertium*, num. 19. versic. *hoc patet*, & quæst. 3. §. *de tertia via*, num. 4. versic. *quantum ad quartum*, & in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *ad questionem igitur*, num. 5. & in 4. dist. 10. quæst. 2. §. *ad rationes*, versic. *cisi quartus*, num. 23. & tractatu de primo principio cap. 3. §. *& probatur sic*, num. 11. & theoremate 20. num. 4. & 12. & alibi sæpius; quem omnes sui sequuntur. Philip. Faber in 3. disput. 4. Rada controuers. 1. artis. 4. colligitur etiam aperte ex Angelico Doctore 1. parte quæst. 5. 2. art. 3. quod expressè docet in 1. distinct. 37. quæst. 3. art. 3. in corpore, & ad primum: ipsum sequuntur Ferrarient. 5. contra gentes cap. 68. Sonzin. 5. Metaphys. quæst. 6. lauel. quæst. 7. Caietan. 3. parte quæst. 67. art. 6. quamuis vbi supra oppositum tenere videatur, Vasquez 1. tom. in 3. parte disput. 29. cap. 4. num. 17.

cuius sententiæ fundamenta

articulo sequenti
explanabimus.

.

ARTICVLVS II.

Quibusdam dictis verior sententia explicatur, & refutantur opposita.

Dico primò contra primam sententiam, duæ causæ totales, & adæquatæ nequeunt ita naturaliter disponi, vt æqualiter comparentur ad materiam, itaque implicat quòd naturaliter duo agentia physica ita vniantur inter se, quòd non sit maior ratio, quare vnum agens potius influat in effectum, seu producat formam in materia, quam aliud. Fundamentum est, quòd vt agentia æqualiter comparentur ad materiam, debent penetrari; sed penetratio ex communi Philosophorum, & Theologorum consensu naturaliter est impossibilis ob quantitatiuam extensionem; ergo.

Obiicies primò, quòd licet hoc repugnet agentibus substantialibus, non tamen qualitibus: vnde duo luminosa, v.g. vt quatuor possunt vniri, & ita æqualiter proportionari cum effecta. Respondetur quòd si gradus qualitatis sint æqualis perfectionis, vt quidam asserunt, nulla erit implicantia, quòd quatuor, & quatuor quicumque sint, inter se naturaliter vniantur; si verò sint inæqualis perfectionis, vt nos probabimus primo de generatione, tum quatuor, & quatuor poterunt vniri naturaliter, si sint inæqualis perfectionis; tamen in tali casu non essent causæ totales, & adæquatæ, sed vnam integram causam completerent non indiuisibilem, sed diuisibilem productiuam alterius luminosi, vt octo, vel magis remissi, vt accidit singulis agentibus naturalibus.

18.
Conclusio prima.

Duo agentia nequeunt naturaliter penetrari.

Obiectio prima.

Obiicies

19.
Obiectio
secunda.

Obiectis secundò accidere posse, quòd duo agentia naturaliter applicentur, etiam si sint adæquata, non quantum ad omnem gradum, sed quantum ad aliquem: vt si vnum agēs naturale æqualis virtutis cum altero constitutum sit intra sphæram actiuitatis alterius, quamuis non sint omnibus partibus sphære æqualiter applicati, quoad aliquam tamen partem concurrant, in qua possunt eundem gradum caloris; & lucis producere; ergo duo agentia totalia æqualis virtutis possunt naturaliter disponi in ordine ad eundem numero effectum producendum. Respond. quòd licet vnum agens naturale possit secundum aliquem gradum esse intra sphæram alterius, implicat tamen, quòd omnino æqualiter comparentur ad passum. nam supponamus, quòd sit aliquod subiectum calidum in summo, v.g. vt octo, accedat aliud calidum eiusdem intensiois, vel penetrantur subiecta, quòd naturaliter implicat; vel intensio vnus communicatur alteri, & hoc etiam implicat, cum accidens non possit transire naturaliter de subiecto in subiectum, neque hoc sit susceptiuum plurium qualitatuum physicarum eiusdem speciei; ergo non æqualiter comparabuntur ad effectum, & materiam, cum diuersa occupent loca, & à fortiori non possunt eadē omnino distantia indiuisibiliter distare; implicat ergo quòd duo agētia physica totalia ita possint disponi naturaliter, quòd non sit maior ratio, quare effectus ab vno, quam ab alio, debeat procedere: vnde ad fundamenta primæ sententiæ respond. quòd duo trahentes nauim non adæquatè, & totaliter, sed partialiter proportionantur ad causandum effectum; idem dico de portantibus, aut sustentibus nauim. nā cum sint agentia spontanea, possunt

se applicare, qualiter eis placet. Ratio autem disparitatis inter agentia spontanea, & naturalia ad nostrum propositum hæc est, quòd agentia naturalia vi, & propensione naturæ, & quantum possunt, seu ad vltimum potentie influunt in effectus; ideo si duo agentia æqualis sint virtutis, si non indiuisibiliter vniantur, illa distantia maior, & minor, qua potest vna earum magis approximari materie, seu passo, sufficet vt alterius consortium non expectet. In agētibus verò spontaneis aliter accidit, quoniā cum non agent impetu naturæ, sed sponte, & possint spectare alterius causæ consortium, suamque actiuitatem temperare, vt effectus ab vna naturaliter producibilis, ab vtraque procedat; hinc fit, quòd facilius quis sustentat cum alterius consortio pondus, quam solus, quia vt adiuuetur ab alio, minorem adhibet vim.

Dico secundò penetratis agentibus totalibus adæquatis, & non subordinatis diuina virtute, nec possunt naturaliter in eundem numero effectum influere. hanc conclusionem statuo contra Caietanam, & etiam contra Nominales quantum ad secundam partem suæ conclusionis, qua asserunt, duas causas adæquatas naturaliter posse concurrere ad eundem numero effectum. Hanc conclusionem primò sic aliqui probant ex Philosopho 5. Metaph. cap. 2. vbi hæc habet. *Accidit multas quoque eiusdem non secundum accidens causas esse. & paulo inferiùs, non tamen eodem modo. ac si diceret, non totales; verum Arist. eo loco (vt optimè notat Vasq. vbi supra) non loquitur de causis eiusdem, sed diuersi generis, ideo ponit exemplum in statua & efficiente, dicens, artem esse causam efficientem, & æs materiam.*

20.
Conclusio
secunda.

Alij ratione sic probant, quia vt vnus numero effectus à duplici causa possit prouenire, deberet per eandem numero actionem produci: sed multiplicatis agentibus, multiplicarentur actiones; ergo. Hanc tamen rationem infirmam reputat Vasquez, quoniam possit quis dicere, eundem numero effectum posse à duabus causis totalibus per diuersas actiones produci, vt affirmat Masius. quoniam si idem effectus potest à duobus agentibus inaccessiue fieri & conseruari diuersis actionibus, cur non duabus simul produci.

21.

Hæc tamen doctrina non modicam continet difficultatem. nam communiter Thomistæ affirmant actionem & passionem esse idem in motu formaliter, etsi in nostra schola hoc philosophicū axioma de actione & passione fundamentali intelligatur, ex dictis q. 4. diffic. 4. art. 2. n. 42. & dicendis in fin. lib. 3. q. 2. diffi. 1. a. 2. n. 11. nec aliud est actio quàm forma quatenus ab agente proueniens; ergo si non multiplicentur formæ, seu motus, nec actiones poterunt multiplicari: sed si multiplicentur formæ, multiplicabuntur effectus, cum forma in fieri, & facto esse solum formaliter differant penes diuersos status; non ergo duabus actionibus poterit idem numero effectus produci. Respondebis quod si duo agentia simul influerent in eundem numero motum, essent duo respectus intrinsecè, seu secundum dici, ad diuersa agentia terminatè, vt patet de motu à causa prima & secunda prouenienti, qui vtramque diuersis respectibus necessariò respicit. Sed contrà est quod respectus secundum dici oriuntur ex intrinseca natura fundamenti, ipsique identificantur; ergo nequeunt ei contingere, seu separabiliter conuenire. Supponamus

Respectus secundum dici oriuntur ex intrinseca natura fundamenti.

ergo quod iste motus potens à solo Fracisco prouenire, simul etià ab Antonio proueniret, tunc sic vnã istarum causarum contingenter & accidentaliter respiceret, quandoquidem altera deficiente possit esse effectus; ergo nequit vtramque relatione secundum dici respicere. Probo consequentiam, quoniam in sententia communi relatio secundum dici identificatur cum fundamento; ergo ei nequit adesse & abesse: sed in Perro producto ab vna istarum causarum, non esset iste duplex respectus actionum, si tamen à duabus produceretur, essent duo respectus; ergo adesset & abesset. quod est manifestè falsum. Vnde diximus in Logica q. 16. diffic. 2. art. 2. relationem creaturæ ad creatorem eo identificari cum creatura, quod hanc esse sine creatore manifestè implicat; ideo motus non solum ab efficiente, sed à prima causa dependet. Rursus in sententia plurium Thomistarum vnus numero effectus determinat vnũ numero agens, vt dicemus difficultate sequenti; ergo nequit duo agentia non subordinata intrinsecè respicere. quod argumentum non solum probat de potentia ordinaria, sed etiam de absoluta; neque instantia de actione conseruatiua, & effectiua, seu productiua rei aliquid probat, quoniam vel conseruatio est in diuerso genere, vt patet de calore ab igne producto in ligno efficienter, & ab hoc materialiter conseruato: vel si conseruatio sit in genere causæ efficientis, tunc termini sunt diuersi, de quibus in libris de generatione, & aliqua inferiùs. In nostra sententia melius dici possit esse vnã actionem fundamentalem, duplicem tamen formalem, vt diximus de causalitate causæ primæ cum secunda quæst. 5. art. 2. num. 20.

22. Efficaciori tamen ratione hanc sententiam Vasquez sic probat, quoniam natura à superfluis semper abhorret: sed contenta est vnica causa ad vnicum effectum; ergo duplicem repellit. Respondet, quòd natura licet non patiatur superuacaneum, aliquando tamen admittit abundans: vnde licet vnus effectus non indigeat duabus causis, aliquando tamen ad eius pulchritudinem spectat, quòd à pluribus simul producat. Sed contra est, quòd natura non liberam, sed naturalem indidit rebus inclinationem: vnde quòd hanc causa ad hunc numero inclinatur effectum, & iste hanc numero exigit causam, non libera, sed insita, & naturali habet propensione; ergo si iste effectus vnicam causam naturaliter exigit, & hec complete adæquat entitatem effectus, contra ordinem naturæ erit, quòd duæ causæ naturales adhuc positæ in debita approximatione possint in eundem numero effectum influere.

23. *Obiectio prima.* Obiicies primò quòd licet verum sit, naturalem ordinem absolurè non admittere multiplicatam causarum, tamen non est inconueniens vt aliquando permittat ex suppositione alicuius miraculi, seu præternaturalis euentus; cum ergo causæ diuinitus disponantur ad vnum numero effectum, & hoc naturaliter non contingat, non mirum, quòd facta hac suppositione duæ causæ ad vnum effectum simul concurrant. *Responso.* nouum miraculum, seu nouam vnionem causarum nec addere, nec minuere virtutem causatiuam earundem: cum ergo ex insita, & naturali dispositione naturæ vnus effectus adæquatus vnicam tantum exigit causam adæquatam hinc fit, quòd alterius adæquatæ consortium in causando naturaliter acqueat admittere.

Obiicies secundò quòd duo possunt naturaliter portare simul lapidē, et si quilibet eorum seorsum sufficeret; ergo duæ causæ efficientes vnum effectum producere. Respond. disparē esse rationem, quoniam duo portantes lapidē inadæquatē concurrunt, neque adhibēt totam suam vim, cum spontaneè agāt. quòd causis naturaliter operatibus contingere nequit.

Obiicies tertio, ponantur duo luminosa æqualis virtutis penetrata, quis dicet, quòd si producant effectum proportionalis intentionis, ac sunt luminosa, quòd ab vtraque non procederet effectus totaliter; vel ponantur duo ignes æqualis intensiōis penetrati, non esset maior ratio, quare vnus quàm alter produceret, nec eorundem virtus esse limitata, aut impedita ad producendum. Item eum tantum esset vnica materia, vt casus, & suppositio petunt, quæ incapax est adhuc diuinitus recipiendū simul duas formas, ex lib. 1. quæst. 4. diffic. 3. art. 1. num. 33. vnum, & eundem effectum ambo simul producerent; ergo.

Respondent aliqui primò, quòd si duo agentia adæquata penetrarentur, cum non esset maior ratio vnus, quàm alterius, & alias implicaret vtriusque simultanea productio, neutrum ageret: vnde si materia supponeretur vltimò disposita ad recipiendam formam, vel Deus suppleret causam secundam illam immediate producendo, vt alias formas, quæ producit crebrò in materia disposita naturaliter quando deficiunt agentia vt formam anguis, & ranæ in materia disposita putrefactione; vel determinaret alterum agentium, suspendendo alterius concursum, vt effectum produceret.

24. *Obiectio secunda.*

Responso.

25. *Obiectio tertia.*

Responso aliquorū.

26.

Impug-
natio re-
sponso-
ris ter-
tia.

Hæc tamen solutio licet sua probabilitate non careat, tamen alio modo responderi Doctor in 4. d. 10. quaest. 2. §. ad rationes, num. 23. ubi cum inquireret, quid esset dicendum, si duo ignes per potentiam Dei essent simul, & approximati ligno, *nonne tunc*, (inquit vers. & si quaras,) *oporteret, quod lignum conuerteretur in ignem, vel in quem, & à quo, non enim magis ab uno quam ab alio, quia sunt æquales, non in unum, nempe ignem, quia duo sunt agentia, & totalia, non autem possunt esse due causa totales eiusdem effectus. Dico, quod vel eundem ignem generarent perfectiorem, & sic esset effectus diuisibilis secundum perfectionem, si forma substantialis potest habere partem, & partem, sicut diceretur de calore. Si verò generarent eundem effectum indiuisibilem omnino, generarent tamen eo modo efficiendū, quo neuter illorum posset esse causa totalis effectus; quia post ita breuem alterationem fieret, qua non sufficeret ad ignitionem ab altero istorum præcisè agente, & tunc ista propositio est vera, quod due causa totales totaliter causantes non possunt esse eiusdem effectus.* Unde ex mente Doctoris in tali casu illæ duæ causæ non adæquatè, sed inadæquatè ad eundem numero effectum influerent, non eodem modo, aut eadem actiuitate, qua altera earum sola, sed diuersa, & perfectiori: cum ergo negamus, duas causas totales non posse influere in eundem effectum, id dicimus de influxu adæquato, & totali, non verò de inadæquato, & partiali. Pro intelligentia tamen textus Doctoris aduerto, duplicem solutionem continere, prima in casu quod effectus diuisibilis sit, secundum perfectionem, ut patet in qualitatibus, quæ habent perfectionem gradualem, in eo enim effectus perfectior procederet, & intensior ab vtraque causa,

quam ab altera. nam licet vnum agens adæquatum habeat virtutem producendi calorem, ut cæto, v.g. non tamen semper, nec ita velociter istum effectum producit; debite tamen applicata alia concausa intensio maior, & velocior erit in effectu, ac si ab vna solum procederet, sicut lapis portabilis ab vno, si multum grauitet, velocius, & facilius à duobus portabitur. Idem dicit Doctor de duobus ignibus penetratis, si forma ignis sit diuisibilis secundum perfectionem, quod ibi non examinat, nos tamen id faciemus in libris de generatione. Dato tamen, quod effectus productus sit indiuisibilis perfectionis, secundò responderi illas causas esse partiales producentes vltra actiuitatem cuiusuis separatæ: si autem petas, quæ sit hæc perfectio ab vtraque causa proueniens non potens ab altera prouenire? Respondet Doctor, quod velocius, & facilius disponerent materiam, formamque inducerent, quam si altera illarum sola produceret, ut nuper explicabamus; effectus quidem perfectior in modo producendi, non autem in entitate effectus producti.

Dices contra primam solutionem, si daretur casus, quod Diaphanum solum esset capax tantæ intensiōis luminis, quanta à quolibet posset produci seorsim, tunc vtraque causa esset totalis; ergo. Resp. quidquid sit de veritate suppositi, quod tunc neuter agentium adhiberet totam suam virtutem, quia superflua esset, sed partem tantum necessariam, quoniam effectus non indigeret tota illa virtute, sed partiali, sicque agentia totam suam virtutem adhibere non valerent, sed eam tantum, quæ requireretur vel ad maiorem perfectionem effectus, vel ad maiorem velocitatem motus. Addit quidam neotericus

27.

Complutenſis, quod ſi lumen vt quatuor ſupponeretur ab aliquo lumineſo producto, accedente poſtea alio lumineſo, cum primòque penetrato, vt relinqueret locum de nouo accedenti lumineſo, retraheret partem virtutis, & concurſus, quo lumen iam productum conſeruabat, vt eius conſortio illud conſeruaret, quia cum ſit agens naturale, & ſufficienter approximatum, debet agere: hæc tamen doctrina aliquam patitur difficultatem alibi examinandam, quoniam intelligere non poſſum qualiter vnum agens efficienter poſſit conſeruare aliquem effectum non producendo ipſam, cum actio conſeruatiua, & productiua ſolum formaliter diſtinguantur, & de ratione efficientis ſit aliquid producere, niſi ſolum remouendo prohibens, aut contrarium, vt obiter dicemus inferius.

28.

Ex quibus ad fundamenta Caietani facilis patet ſolutio; dicimus enim cauſas iſtas penetratas poſſe producere, non tamen adæquatè, & completè, vt ipſe videtur intendere, ſed inadæquatè, & incompletè. Nec bene inferitur, quod ſi cauſæ ſeparatæ influunt adæquatè, quod vnità, & coniunctæ etiam adæquatè influant, quoniam de ratione effectus adæquati eſt, quod vnicam tantum cauſam adæquatam reſpiciat, qualem in caſu poſito illa duo agentia penetrata componerent.

29.
C. 1. 1. 3. 3.
ſerua.

Dico tertio contra Suarium, duo agentia ſupernaturaliter penetrata ad huc diuiniſus nõ poſſant vnum eundem numero effectum adæquatè producere.

Fundamentum huius ſententiæ deſumitur ex Doctore vbi ſuprà, eodem enim hanc veritatem vbique probat: ſed referam verba tractatus de primo principio cap. 3. num. 11. hæc probatur

ſic, vna cauſa totali cauſante aliquid in aliquo genere cauſa impoſſibile eſt aliam cauſare. Idem in eodem genere cauſa, quia tunc idem bis cauſaretur, vel neutra eſſet cauſa totalis: ſimiliter illud tunc cauſaret, quo non cauſante, nihilominus eſſet cauſatum. quod eſt abſurdum, & ita impoſſibile eſt, idem quacumque dependentia dependere à duobus, quorum alterum eius dependentiam terminaret totaliter; iam enim alterum non ſufficienter terminaret, ſi adhuc ad reliquum dependeret. Similiter tunc dependeret ad aliquid, quo non exiſtente, nihilominus eſſet ſecundum eundem ordinem eſſendi, quod eſt contra rationem dependentiæ, intelligendo quod nihilominus eſſet ſecundum eundem ordinem. Ex quibus Doctore verbiſ, & ex doctrina ſancti Thomæ ſuprà citati, ſic formo rationem: implicat effectum dependere ab aliqua cauſa, qua non exiſtente, nihilominus eſſet effectus; id enim eſſet dependere, & non dependere totaliter ab eadem cauſa; ſed ſi effectus à pluribus cauſis totalibus produceretur, à qualibet illarum dependeret totaliter, qua non exiſtente nihilominus eſſet; ergo implicat ab illis produci. Probatum minor, in primis dependeret per te, rursus quauis earum non exiſtente eſſet effectus, quoniam altera ſufficit, vt totaliter illum producat; ergo ſequerentur duo contradictoria ſimul vera, quod dependeret ſcilicet effectus, & non dependeret. Ego tamen ſemper dubito, qualiter iſta ſimul poſſint dici de eodem ſubiecto, quoniam, dum actualiter dependeret effectus à duabus cauſis, in dependentia non verificaretur; non ergo apparet hæc contradictio.

Implicat enim numero effectum ab eadem cauſa dependere, & nõ dependere.

Sed reſpondetur contradictionem manifeſtam imbibi in tali effectu, quoniam eo ipſo, quod ab vna cauſa adæquatè dependeret, exhauriretur

30.

dependentia ab altera causa; quoniam de ratione causæ adæquatæ, & totalis est, quodd ab ipsa totaliter pendeat effectus; ergo à cæteris non dependeret: supponamus ergo per impossibile, quodd iste effectus ab his duabus causis proueniret, tunc ab eisdem per se dependeret, quatenus ab eis productus; & non dependeret, quatenus qualibet illarum causarum, eo quodd adæquata exhauriret totam dependentiam effectus, & quarum altera deficiente, effectus nihilominus esset; ergo actualiter dependeret, & non dependeret: sed per nullam potentiam possunt dari duo contradictoria simul vera; ergo nec vnus effectus à duplici causa totali adæquatè dependens.

Secundò alij probant. Effectus ab vna causa totali productus nequit per aduersarios ab alia re produci ex difficultate sequenti, quoniam implicat quodd bis aliquod ens particulare producat: sed hoc sequitur in nostro casu; ergo. Probo. nam illæ duæ causæ non producerent effectum vnica actione, sicut causæ subordinatæ, sed duabus, vt admittunt Plaza & Murcia; ergo idem bis produceretur simul & in eodem tempore, quod est maius inconueniens.

3 I. *Argumentū Vsq.* Tertio sic arguit Vsq. contra istam tertiam sententiam Suarezij; id nequit contingere naturaliter per aduersarios; ergo nec supernaturaliter. Probat consequentiam, si Deus id faceret supernaturaliter quod naturaliter facere nequit, vel eleuaret virtutem causarum sicut eleuat instrumenta, vel auget indigentiam effectus. Non prium, quoniam quodd illæ duæ causæ diuinitus applicatæ non possunt vnum effectum adæquatè producere, non prouenit ex defectu virtutis: sed quia illarum altera superfluit; ergo illa eleuatio esset perinde.

Neque secundum, quia id non posset facere nisi mutando naturam effectus, in quo casu, vt diximus supra n. 26. iam ille causæ non essent totales, cum neutra sola posset adimplere totam effectus indigentiam, vel saltem in modo causandi, secundum diuersas solutiones supra traditas ibidem.

Dices, ait Vsq. absolutam Dei potentiam non requiri ibi vt eleuentur causæ, sed vt altera quæ eo ipso quodd naturaliter superfluit, deberet concursam subtrahere, illum non subtrahat, sed optime replicat, quia quodd causa superflua subtrahat suum influxum, & sinat effectum ab altera solum produci, non prouenit ex alicuius voluntate, sed ex necessitate naturæ: vnde ab intrinseco cessat influere non alia de causa, nisi quia cum effectus non indiget tali causa vt fiat, eo quodd superfluit nequit ab ea vllo modo procedere. Deus autem pro sola sua voluntate non valet efficere vt effectus pendeat sua natura ab eo, à quo ab intrinseco, & quatenus effectus adæquatus non dependet, nisi mutet naturam effectus.

Ex quibus ad fundamenta Suarez 32. respondetur, ad illud de concursu diuino dicimus supponere falsum, quoniam Deus concurrat cum causis secundis iuxta earum indigentiam, cum tamen duæ causæ adæquatæ, quatenus adæquatæ, nequeant vnica actione influere, nec adæquatè in vnum effectum tendere; nec Deus poterit illis præstare concursum, quod alteri tantum præstare solebat. Ad illud de pluribus sacerdotibus simul proferentibus verba respondet Vsq. assumptum esse verum de causis moralibus, non autem de physicis. Ratio est conspicua, quia causæ morales non operantur propria virtute, & ideo tota effectus indigentia ad efficacitatem propriam

Respondetur ad fundamentū Suarezij.

propriam Dei refertur, quam pro libito potest per vnum, vel plura instrumenta deriuare: causa autem physica propria & intrinseca virtute influunt, vnde Deus eas nequit applicare ad producendum contra earum naturam.

33.
Obiectio
prima.

Sed obiecties primò contra istam tertiam conclusionem quod ex Doct. in 4. distinct. 10. quaest. 2. §. dico ergo, num. 11. vnum corpus potest diuinitus adæquatè locari à duplici loco circumscriptiuè; ergo idem effectus à pluribus agentibus totalibus produci. Respondetur disparem esse rationem, quoniam sicut materia non est effectus formarum, ita nec corpus locorum. Quòd enim corpus sit naturaliter tantum in vno loco, non est ob indigentiam, quam habet ab eo in suo esse vt effectus à causa; ita vt in alio loco esse non possit: sed quia vno accidenti continentiae contentum est, quod non obstat quin aliud diuinitus admittat, sicut habens frigiditatem in summo, potest etiam per diuinam potentiam calorem etiam summum recipere, effectus quidem per se & intrinsecè dependet à causa, corpus autem extrinsecè à loco: vnde non mirum quòd vnum corpus possit à duplici loco pendere diuinitus, non autem vnus effectus à duplici totali & adæquata causa.

Petes quid dicendum sit de duabus causis finalibus adæquatis & in subordinatis. Respondetur idem prorsus quod de efficientibus, vt docet

Doctor in 1. distinctione 2.

quaestione 3. num. 4.

legatur ibidem.

* * *

DIFFICULTAS IV.

Vtrum idem numero effectus ab vno agente productus potuisset ab alio produci.

NON quaerimus, an idem numero effectus productus ab vna causa ab alia possit reproduci, cum manifestè implicet idem bis produci saltem naturaliter, nisi rarissimè, vt dicemus in libris de generatione, cum Doct. in 4. distinct. 43. quaestione 3. §. quantum ad istum, num. 12. sed an, v. g. calor, qui hìc, & nunc produci- tur ab hoc igne applicato in loco isto, tempore, aliisque circumstantiis ad agendum requisitis, idem numero ab alio igne produceretur; si eidem passo, sub eisdemque circumstantiis applicaretur.

ARTICVLVS I.

Explicatur sententia negans, & affirmatiua defenditur.

SANCTUS THOMAS locis difficultate antecedenti citatis, insinuare videtur implicare contradictionè, quòd idem numero effectus fiat diuinitus à duplici causa totali eiusdem ordinis, quod magis apertè docere videtur quodlibet. 5. artic. 8. vbi hæc habet, *Impossibile est eundem filium nasci, siue sit alius pater, siue alia mater, sicut etiam non est idem numero sigillum, siue sit alia cera, siue sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur.* Eandem sententiam sequitur Sotus in 4. dist. 34. quaest. 1. artic. 3. & Marsil. 1. de generatione, quaestione 8. qui referunt Auerroëm 7. Metaph. comment. 31. his subscribit Marsius cap. 3. sect. 5. quaest. 3.

34.

quæst. 3. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quòd effectus per se respicit causam: sed si effectus ab vna causa productus ab alia dependere potuisset, iam non per se, sed per accidens respiceret; ergo implicat, quòd idem effectus à pluribus causis diuisim esse possit. Reliqua fundamenta obiciemus inferiùs contra nostram conclusionem artic. 2.

35.
Verior
sententiæ.

Verior sententiæ docet, non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter eundem numero effectum posse produci à pluribus causis diuisim. docet expressè Doctor in 2. distinct. 20. quæst. 2. quem sui sequuntur, Faber theorem. 42. ei subscribunt Suarius tom. 1. suæ Metaph. disput. 26. sect. 3. Rnu. tract. 7. quæst. 2. & alij quamplures. Potissimum fundamentum & à priori huius sententiæ est, quòd hic numero effectus solum essentialiter exigit hanc numero materiam, & formam, ex quibus intrinsecè componitur ex quæst. 7. efficiensque ad id omnino extrinsecum est; ergo potest à quouis indefinitè produci, quòd perspicuè explicat Doctor versic. 3. his verbis, *Dices, quòd identitas numeralis in effectu non solum requirit identitatem numeralem materia, sed etiam efficientis, sicut tangit primum argumentum. Dico quòd non oportet, ignis enim A. quantitas, & virtutis tanta, si ex tali materia ignem talem generaret, ignis B. eiusdem virtutis, & qualitatis pro eodem instanti, si in istam materiam ageret, eundem ignem in numero produceret, non obstante quòd generans sit aliud, & aliud numero, quia generatum non sequitur præcisè unitatem, vel pluralitatem ex generante; unde corpus organicum ad hoc quòd sit idem numero, non requirit agens idem numero, licet requiratur ibi materia eadem numero; & tunc materia existente eadem induceretur à diuersis generantibus eadem*

forma numero; ita in proposito. Confirmari, & elucidari potest hæc ratio. Primò, quoniam si indiuiduum postulat hoc numero efficiens, & non aliud; ergo effectus productus ab vno, non poterit conseruari ab alio; quòd est contra aduersarios. Secundò quodlibet indiuiduum vnus speciei habet æqualem perfectionem cum alio; ergo æqualem virtutem; poterunt ergo indefinitè quemlibet effectum eiusdem speciei vniuocè producere.

Tertiò idem calor numero productus ab igne potuit à sole produci, vel à prima causa; ergo si in effectibus æquiuocis effectus vnâ numero causam non determinat, nec in vniuocis. Patet consequentia, quoniam ea solum ratione aduersarij affirmat, vnum numero effectum vnâ numero causam vniuocam determinare, quia aliàs per accidens effectus dependeret à causa efficienti: sed idem sequeretur in effectu ad diuersas causas æquiuocas comparato; ergo si in hoc casu non implicat, neque in alio. Huic argumento respondent quidam recentiores Complutenses disputat. 15. Physicæ quæst. 4. §. quarto, aliter effectus comparari cum prima causa; aliter verò cum aliis causis æquiuocis secundis, v. g. idem calor productus ab igne, & producibilis à Deo, & à sole totaliter, & immediatè aliter comparatur ad Deum, aliter verò ad solem: quoniam cum Dens, v. g. sub generalissima ratione contineat omnem perfectionem effectus, quam causa creata continere non valet; hinc fit, quòd taliter eum attingere possit sine alterius secundæ causæ confortio, quòd non dicatur effectus, v. g. calor à duplici causa per se dependens: reliquæ autem causæ creatæ, cum nõ sint ita vniuersales, nequeunt in eundem numero effectum adhuc diuisæ

diuisis influere. Vnde idem numero calor productus ab igne posset à solo Deo vt vniuersalissima causa produci, non autem à sole, quia non est causa ita eminens, & vniuersalis. Sed contrà est, quòd licet prima causa sit vniuersalior, tamen etiam attingit effectum secundum specialissimam, & indiuidualem rationem, sicut causae secundae; ergo si effectus determinat per se causam, qui produceretur à Deo immediatè, non esset producibilis ab alia causa secunda. Item per vos effectus identificat sibi respectum ad determinatam efficiens; ergo qui à solo Deo penderet, nõ respiceret transcendentali respectu causam secundam; ergo vel transcendentalis respectus separaretur, quod implicat, vel effectus non respicit determinatam causam. Rursus etiam sol est causa vniuersalis, etsi non vniuersalissima respectu plurium effectuum; ergo poterit immediatè eundem numero calorem ab igne producibilem producere. Respondebis, disparem esse rationem, quoniam causa prima continet omnem determinationem causae secundae; secus sol. Sed contrà primò quòd hæc omnimoda continentia non tollit quin causa prima immediatè influens differat à secunda; ergo. Secundò licet sol non contineat eminenter omnium causarum determinationem, continet tamen aliquam virtutem; ergo secundum illam poterit eodem numero effectus producere; sicut Deus omnes.

ARTICVLVS II.

Fundamento opposita sententia, & aliquibus obiectionibus fit satis.

37. PRO solutione opposita sententia fundamenti præmitto cum Suario

1. tom. Metaphysic. dist. 26. sect. 5. num. 7. quòd hæc particula per se, bifariam potest intelligi. Primò vt *per se* dependere denotet effectum ex intrinseca sua natura, & essentia postulari influxum talis causae, ita vt sine illo esse non possit. Secundò ita quòd effectus verè, ac propriè ab illa causa suam effectum recipiat, ita vt dependentia ab entitate intrinseca rei, quatenus ab alia proueniente resultet. Dico ergo effectum respicere causam per se, & essentialiter, non esse intelligendum de perfectitate in primo, sed in secundo modo, quatenus denotatur effectum non causari per accidens à sua causa, quoniam causa per accidens ea est, quæ non per se, sed cum alia influit in effectum, vt diximus quaest. 4. difficult. 1. artic. 2. num. 3. Causa verò per se influit virtute propria, ab ipsaque promanat effectus; vnde ad fundamentum opposita sententia responderetur concedendo, effectum non ita per se dependere à causa, vt eam determinet, alias identificaret sibi dependentiam, sicut creatura dependentiam ad creatorem: nego tamen non respicere per se, quatenus opponitur respicientia per accidens, seu dependentia à causa per aliud, & non per se influente.

Per se bifariam intelligitur.

Obiicies primò contra conclusionem, implicare eundem numero effectum à duabus causis totalibus simul dependere, ex diffic. 2. art. 2. lib. 1. quia idem effectus dependeret, & non dependeret à sua causa totali; sed si iste effectus posset produci à pluribus causis diuisim, à causa producente ita dependeret, quòd ea deficiente ab alia potuisset produci; ergo dependeret, & non dependeret. Responderetur negando consequentiam, quoniam vt verificetur contradictio, debet esse eiusdem de eodem, pro eodemque

38. *Obiectio prima.*

Responso.

tempore, sicut esset in casu, quo vnus effectus à duplici causa totali, & adæquata dependeret: tunc enim idem effectus à qualibet dependeret; & non dependeret actualiter, quoniam qualibet deficiente ab altera. verum esse posset accipere; in casu tamen nostro non verificatur dependentia, & independentia pro eodem tempore. nam effectus, qui ab vna causa de facto dependet, ab illa in suo esse potest non dependere, licet aliàs posset, si à alia causa diuersa produceretur: vnde nunquam verificatur quòd simul dependeat, & non dependeat ab eadem numero causa, & pro eodem numero tempore.

39. *Obiectio secunda.* Obiicies secundò, quia hic numero effectus vel petit necessariò hanc numero causam, vel non; si petit, ab alia non poterit naturaliter produci: si non petit; ergo qualibet causa omnes effectus suæ speciei valebit producere. *Responso.* Respondetur concedendo effectum non postulare hanc numero causam, & negando sequelam, tum quia contingere potest, quòd effectus individuali perfectione excedat individualem perfectionem causæ, v. g. calor vt quatuor non poterit produci à calore vt duo; tum etiam contingere poterit causam ex defectu approximationis non posse producere effectum, quem ex sua natura valeret attingere. Absolutè tamè loquendo positis omnibus circumstantiis æqualitatis, & debitæ approximationis qualibet causa singulos effectus illius speciei valebit producere.

40. *Obiectio tertia.* Obiicies tertio, si quilibet effectus potest à quavis causa suæ speciei produci; ergo non est maior ratio, quare hæc causa producat hunc individualè effectum, quàm alium: imò nullū producat, cum ex se non sit determinata, neque ab alio determinetur. *Responso.*

esse effectū ab alio distinctū numero, quia hac numero materia, & hac numero forma componitur, producique, & non alium ab hac causa numero ex libera determinatione diuinæ voluntatis, vt dicunt aliqui; vel quia, cum formæ distinguantur in perfectione individuali, perfectior forma perfectiorem exigit dispositionē in materia: vnde quòd hæc causa producat hunc effectum, & non alium, prouenit ex dispositione materiæ, quæ exigit perfectiorem, vel imperfectiorem formam; ex quo prouenit quòd individualium resultans sit aliud, & aliud perfectius, vel imperfectius. nam ratione materiæ æqualia sunt omnia, quæ solutio clarior est, & etiam in indiuiduis rationalibus locum habet, vt dicemus. 2. de anima.

Obiicies quarto, diuersa actio cum sit in fieri termini, diuersum effectum necessariò exigit: sed si effectus ab igne productus produceretur à sole, esset diuersa actio; ergo diuersus numero esset; non ergo idem numero effectus à pluribus causis diuisim valet produci. *Resp. Doctor in 4. dist. 43. quæst. 3. §. tertia opinio,* versic. *contra primam responsionem,* num. 10. quòd ad identitatem effectus non requiritur eadem, sed similis influentia, qualis esset in casu nostro. Notare tamen oportet pro huius solutionis intelligentia per influentiam non intelligi fundamentalem actionē, seu formam in fieri (hæc enim eadem numero esset cum identificetur cum effectu eodem numero.) sed formalem. hæc quidem est relatio, realisque, cum sapiat naturam fundamenti & termini, variato fundamento remoto, seu subiecto variatur etiam respectus, etsi terminus sit idem. Secundò per influentiam intelligere possumus fluxum formæ, qui est modus concomitans actionem

41. *Obiectio quarta.*

Responso.

actionem, & mensuratur tempore, vel instanti, vt explicabimus lib. 3. q. 2. difficult. 3. & hic diuersus esset ob diuersitatem agentium, est enim quid à fluenti forma realiter modaliter diuersum.

42.
Obiectio
quinta.

Obiicies quintò Philosophum 8. Metaphysic. text. 12. vbi habet quòd *si agens idem & materia eadem effectus erit idem*; ergo ad vnitatem effectus requiritur vnitas efficientis. Respondet Doctor in 4. vbi suprà versicul. *Respondetur, quòd Philosophus asserit quòd si agens aliud & materia alia quòd effectus est alius, sed non ex opposito antecedentis, si agens idem, & materia eadem infert quòd effectus sit idem*, ex vnitatem efficientis, aut diuersus ex eius diuersitate, sed ex materia quæ cum sit pars intrinseca compositi, hæc indiuiduam differentiam potest præstare: vnde experimur non multiplicatis agentibus secundum esse absolutum multiplicari genita, cum vnus pater plures habeat filios. Si ergo ad vnitatem effectus exigeretur vnitas efficientis, etiam ad pluralitatem pluralitas efficientium, cum non sit maior ratio vnus, quàm alterius.

34.

Petes vtrum vt ignis, v. g. nunc productus ab igne A. vt produceretur ab igne B. essent necessariæ omnes circumstantiæ loci, temporis, &c. Respondet Doctor negatiuè vbi suprà, versic. *contra*, num. 10. Fundamentum potissimum est quòd ex dictis suprà vnitas effectus sumitur solùm ex intrinsecis ipsius, nempe ex materia & forma: cum autem tempus accedat motui, seu fluenti formæ, sicut & locus; consequenter ad eius vnitatem eorundem vnitas non spectat; est tamen necessaria eadem dispositio, quoniam quanto hæc sit perfectior, perfectiorem indiuidualiter postulabit formam, & consequenter

Vnitas
effectus
non de-
pendet ab
vnitate
loci, &
temporis.

perfectius indiuiduam resultabit; requiritur ergo ad eundem numero effectum eadem, vel similis in perfectione dispositio, de quibus in libris de generatione, cum examinemus vtram idem numero corruptum possit redire per naturam.

Resolutio questionis.

HAbemus ergo ex hac questione causas inter se habere aliquam prioritatem quoad existentiam, in qua consideratione causa efficiens existimatur prior: deinde materialis, postea formalis; tandem finis. Si tamen comparentur in perfectione facta collatione inter materiam, & formam, formam esse perfectiorem, facta autem inter causas extrinsecas, & intrinsecas, extrinsecas esse perfectiores, & inter istas finalem. Item adiuicem esse causas, loquendo non de causis eiusdem, sed diuersi generis, sicut nec de materia comparata cum forma, aut cum efficienti quantum ad entitatem; comparando autem causam efficientem cum finali quantum ad entitatem inuicem sunt cause. Si verò loquamur de causis per se quantum ad causalitatem, materia comparata cum forma, cum efficienti, & cum fine inuicem sunt cause, mutuòque suas causalitates exercet, sicut forma comparata cum eisdem; taliter tamen istas causas inter se consideramus, vt in suo genere quælibet existimeretur prior quantum ad causalitatem; quatenus verò actualiter inuicem, seu ordinantur in effectum, finis sit prior, deinde efficiens, statim materia, & tandem forma. Vnus, & idem effectus numero nequit à duabus causis totalibus, & adæquatis eiusdem ordinis produci, etsi diuinitus penetrentur, nõ solùm naturaliter.

sed nec per diuinam potentiam; potuisset tamen effectus ab vno agente productus ab alio numero distincto produci, dummodo materia, & forma eadem numero esset.

QUESTIO X.

De casu, fortuna, & fato.

POST QUAM superioribus questionibus de causis per se, & necessario pertinentibus ad constitutionem compositi, egimus; de causis per accidens, quales sunt fortuna, & casus, sermonem instituemus, & obiter de fato quatenus opponitur fortunæ, & casui, nonnulla dicemus. Circa hanc questionem duo veniunt discutienda, an detur fortuna, & casus, & quid sint; item quid, & quotuplex sit fatum.

DIFFICULTAS I.

An, & quid sint fortuna, & casus.

ARTICVLVS I.

An sit fortuna, & casus.

I. **N**Egarunt Stoici, teste Aristot. 2. *Physic.* cap. 4. sed affirmat communis Philosophorum, & Theologorum consensus cum Aristotel. vbi supra, & lib. de interpret. cap. de futuris contingentibus, tenet expressè Doctor quodlibet. 21. §. *quantum ad primum*, littera A. & 2. *Physic.* questione 10. & 11. S. Thomas 2. *Physic.* cap. 4. Fundamentum huius sententiæ desumitur ex cõmuni modo loquendi, quo omnes concedunt plures esse

effectus fortuitos, & casuales: vnde effectus fortuitus dicitur ille, qui provenit à causa per accidens præter operantis intentionem, vt inuētio thesauri in eo, qui fodit terram: & ideo Doct. lib. 5. *Metaphysic.* quæst. 1. §. *respondeo*, num. 5. inde infert, dari casum, & fortunam, quia plura sunt præter intentionem operantis: quod tam in operantibus ex electione, quàm in operantibus sine illa crebrò contingit.

Obiicies primò omnem effectum per accidens debere reduci ad aliquam causam per se, sed effectus fortuiti sunt effectus per accidens; ergo pendent ab aliqua causa per se, ac per consequens non erunt fortuiti. Respondetur concedendo effectum per accidens reducendum esse ad aliquam causam per se, ex 2. *Physicorum* textu 66. & Doctore in 1. distinctione 2. questione 2. §. *ostenso*, num. 20. hoc tamen non ita est intelligendum quòd causa sit per se huius effectus, sed alterius, cum quo effectus per accidens coniungitur. nam effusio terræ per se causat aperturam eius; per accidens tamen inuentionem thesauri cum apertura terræ contingeret, & accidentaliter coniunctam: vnde vt effectus per accidens ad aliquam causam per se reducat, secundum illud Aristotelicum axioma, sufficit, vel quòd id, quod conuenit alicui per accidens, alteri conueniat per se, qualiter disgregare visum accidit corpori; & per se competit albedini, vel quòd quæuis causa, quæ est per accidens respectu vnus effectus, sit per se respectu alterius; vel saltim per se aliud intendat; non tamen quòd ipsemet effectus fuerit per se ab alia causa productus; per se, inquam, aliud intendat, quoniam causa per se sæpiùs frustratur, & impeditur effectus

effectu per se intento; & ita vt effectus sequutus dicatur per accidens, non est necessarium, quod supponat aliquem effectum per se productum, sed sufficit, quod non fuerit per se intentus ab operante, sed contingenter sequutus.

3.
Obiectio
secunda.

Obiicies secundò nullum effectum creatum diuinam fugere providentiam, iuxta illud Augustini, *Nihil fit in uniuerso nisi Deo volente, vel permitte*; quia cum causa prima, cui omnes alia subordinantur, cognoscat, & intendat omnem effectum, ad que concurrat producendo, dirigit causas secundas in actionibus earum, ex 12. Metaph. text. 37. & ideo dicit Commentator ibidem comm. 44. quod natura nõ agit nisi rememorata intelligentiis; & Plato in Timæo, *Nihil est cuius ortum non præcessit legitima causa.* ergo nullus erit effectus per accidens, sed omnia quatenus per se præuisa,

Responsio.

& intenta erunt effectus per se. Respond. inde solùm inferri duò. Primum nullos esse effectus fortuitos, & casuales respectu primæ causæ, non autem respectu secundarum. Secundò infert Doctor quodl. 2 i. §. *quantum ad primum*, & 2. Phys. quaest. 10. vers. *istis suppositis, quod nihil est simpliciter casuale, vel fortuitum.* refero eius verba, *imò de necessitate si sit casuale, vel fortuitum respectu vnius causæ, est intentum per aliam causam, & per consequens non est casuale, vel fortuitum respectu ipsius.* Probat, quia ad omnem effectum casualem, vel fortuitum confluunt diuersa causæ, & illa sunt sibi inuicem subordinata; tunc sic causa secunda subordinatur primæ, & hæc intendit omnem effectum, ad quem concurrat; igitur nullus effectus est casualis, vel fortuitus respectu causæ primæ, cum nullus eneniat præter intentionem ipsius. Ex quo sequitur, quod nullus effectus est simpliciter casualis,

vel fortuitus respectu cuiuslibet causæ concurrentis ad eius productionem, quod perspicuo exemplo ostendit Angelicus Doctor 1. p. quaest. 116. art. 1. eodémque vtitur Doctor ibidem 2. Phys. vt probet, qualiter idem effectus sit fortuitus respectu secundæ causæ, non autem respectu primæ, his verbis: *Secundò declaratur per exemplum, vt si paterfamilias mittat Socratem, & Platonem per diuersas vias ad eundem locum, vbi iacet bos in puteo, & nec Socrates, nec Plato sciat aliquid de boue, nec vnus de alio, aut è contra; tunc obuiatis istorum duorum ad puteum, & extractio bouis de puteo, sunt a fortuna respectu Socratis, & Platonis, quia neuter illorum effectuum intendebatur ab aliquo illorum; & tamen illi effectus non sunt fortuiti respectu patrisfamilias, qui intendebat illos effectus; ergo quamuis sit impossibile aliquid esse casuale, vel fortuitum respectu causæ primæ, non tamen, quod fiat à casu, vel fortuna respectu causæ secundæ.*

4.
Obiectio
tertia.

Obiicies tertio cum Doctore ibidem, quod natura semper agit propter finem: sed casuale, vel fortuitum non fit propter finem; igitur nullum casuale, vel fortuitum fuit à natura. Maior patet ex quaest. 7. difficult. 6. art. 1. Et minor est nota, quia casuale, vel fortuitum nõ intenditur ab agente, & tamen finis intenditur ab agente. Respond. quod vt natura dicatur semper agere propter finem, sufficit vt effectus eius siue per se, siue per accidens sequutus ab aliqua superiori causa intendatur; sicut vt natura dicatur ordinatè operans, sufficit vt operetur iuxta intentionem primæ causæ, etsi influat in effectum nec præuisum, nec intentum, nec ordinatum à se.

Responsio.

Obiicies quartò Augustinum 1. retracta. cap. 1. vbi reprehendit se

5.
Obiectio
quarta.

Responſio
Scotti.

ipſum, quòd uſus fuerit his uocibus, caſus, & fortuna. Reſpondet Doctòr quod 2. 1. ubi ſuprà, Auguſtinum ſolum reiicere nomen, *fortuna*, ſi ſub illo Numen aliquod intelligatur, ut plures Gentilium falſò autumabant, dicebant enim, fortunam eſſe quamdam Deam, cui tanquam cauſæ per ſe attribuebant effectus, quos uidemus fortuito euenire: nos autem Catholici in ſano ſenſu, & ſuprà explicato his uocibus utimur.

6.

Reſpectu
Angelo-
rum dan-
tur effe-
ctus for-
tuiti.

Petes primò, an reſpectu Angelo- rum dentur aliqui effectus fortuiti? Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt conſpicua, quoniã poteſt Deus designare Angelum in aliquem effectum, ut inde alius ignotus Angelo ſequatur, v.g. ad euertendam ciuitatem, ut habitantes in ea conuertantur ad Dominum; tunc euerſio eſſet Angela effectus per ſe, conuerſio tamen effectus fortuitus, & caſualis; quia nec intentus ab eo, nec præuiſus.

7.

Reſpectu
orbium
coeleſtium
dantur
effectus
fortuiti.

Petes ſecundò, an reſpectu orbium coeleſtium dentur effectus aliqui caſuales, & fortuiti. Reſpondeo etiam affirmatiuè cum Angelico Doctore 3. contra gentes cap. 86. in fine. Probat- tur primò, quia ex Ariſt. 2. de ſomno, & uigilia, uerſus finem, & Ptole- mæo Astrologorum Principe plura in his inferioribus contingunt præter naturalem orbium coeleſtium incli- nationem, & ab eis non intentus, vel ex alicuius contrarij oppoſitione, vel ex indiſpoſitione materiæ: unde plures effectus ab orbibus coeleſtibus

naturaliter intenti, & quos anxie-
propendunt, agentia libera
crebrò impediunt; de
quibus in libris
de celo erit
ſermo.

ARTICVLVS II.

Quid ſint fortuna, & caſus.

Naturam caſus, & fortunæ nullo alio faciliore modo explicare ualebimus, quàm eius definitionem perhibendo. Fortunam autem ſic definit Doctòr 2. Phyl. quaſt. 11. *Fortuna eſt cauſa per accidens extra ſemper, & frequenter eorum, qua propter hoc ſunt ſecundum propoſitum*; conſonat enim cum ea, quam communiter recentiores in hoc 2. libro colligunt ex Ariſt. eap. 5. *eſt cauſa efficiens per accidens ex electione in his, qua raro contingunt*. Suam autem definitionem affirmat Doctòr eſſe optimam, *quia in ea explicite, & conuenienter quidquid per definitum ſignificatur, oſtenditur. nam ibi ponitur nomen cauſa loco generis, quo etiam obiter denotatur hic fortunam non uſurpari pro effectum per accidens ſequato, ut uulguſ communiter uſurpat, eo enim homines malè, vel benè fortunati dicuntur; ſed pro cauſa ipſa, quæ eſt per accidens reſpectu talium effectuum. Secundo ponitur ibi hoc nomen per accidens ad denotandum, quòd effectus, reſpectu cuius agens dicitur fortuna, non ſit intentus. Tertio ponitur extra ſemper, & frequenter ad denotandum, quòd effectus fortuitus raro eueniat cum effectum intento. Dicitur autem cauſa per accidens non ratione alicuius accidentis ipſi cauſæ inhaerentis; ſicut eſſe album in artifice eſt cauſa per accidens ſtatuz; ſed ratione accidentis, quòd contingit effectui per ſe intento ab efficienti. Quarto ponitur eorum qua propter hoc ſunt, ad denotandum quòd effectus fortuitus ſit notabilis bonitatis, uel malitiæ. Quinto ponitur, ſecundum propoſitum ad denotandum, quòd agens agat liberè, & ex intentione per deliberationem effectum non fortuitum ſcilicet:*

8.

Fortuna-
quid.

scilicet illam, cum quo evenit effectus fortuitus inopinatus. Et notandum, quod si ista particula, secundum propostum, remouetur à definitione, tunc manet definitio falsas, nam per illam particulam differt fortuna à casu. In hoc ergo casus, & fortuna distinguuntur, quòd casus est causa per accidens in his, quæ raro contingunt sine electione, & non secundum propostum; fortuna vero in eandem propostum; fortuna vero in his, quæ raro contingunt, sed ex electione.

9. Obicitur primò effectum fortuitum à nulla alia causa posse provenire, quàm à fortuna, neque hæc viliam aliam habere effectum, quàm fortuitum: sed hæc mutua dependentia nequit esse nisi inter causam, & effectum per se; ergo. Respond. aliud esse, effectum per accidens necessariò supponere causam per accidens, & è contrà; aliud verò hanc connexionem importare influxum per se. Primum est verum, secundum falsum, nam sicut liberum necessariò habet esse liberum; ita per accidens necessariò, & per se habet esse per accidens; ergo sicut liberum ex illa necessitate non operatur necessariò, sed liberè; quia illa necessitas cadit supra rationem essendi, non supra rationem operandi; sic quavis causa per accidens per se sit per accidens, non debet inferri quòd insinat per se in effectum, quoniam hæc perfitas solum denotat entitatem causæ, non autem modum influendi in effectum; idem enim est ac si diceremus, quòd ex natura propria convenit causæ per accidens effectus fortuitos, & casuales producere.

20. Obicitur secundò quòd coelum est fortuna, quoniam Astrologi per aspectus corporum celestium iudicant de fortunis, & infortunis horum infere-

riorum, quod non esset, nisi coelum esset causa istorum fortuitorum: sed coelum, ut de se patet, non est causa per accidens; ergo fortuna non est causa per accidens. Pro huius difficultatis intelligentia notat Doctor, quod fortuna multas species dicitur, uno modo multas de causa principali remota, ut puta de celo, quod pro tanto dicitur fortuna, quia est causa fortuitorum, & infortuniorum.

Et sic accipiendo fortunam sicut fortuna designari per modum voie volubilis; Et sic non accipit Aristoteles in propostio, quæ coelum intendit effectus, quorum est causa in his inferioribus. Secundo modo dicitur fortuna de influenza celi, & sic dicitur Albertus ipsam super 7. Ethic. dicens, quod fortuna est qualitas causata à celo secundum periodam naturalitatis, à qua aliquis redditur aptus, vel ineptus ad felices successus. Tertio modo dicitur fortuna de causa principali immediata, cuiusmodi est voluntas, vel intellectus, qui dicitur fortuna respectu effectus non intenti; Et forma gravis dicitur casus; Et sic capit Aristoteles fortunam; Et casum in isto secundo; Et ideo dicit, quod casus, & fortuna sunt intellectus, Et natura. Quarto modo dicitur fortuna de dispositione, mediante qua agens principale immediatum agit effectum intentum, mediante quo evenit effectus fortuitus inopinatus; Et sic volitio, cognitio, desiderium, aut ali-quid huiusmodi potest dici fortuna; sic etiam gravis potest dici casus, quia gravis est dispositio, mediante qua fortuna gravis movet deorsum. Quinto modo fortuna dicitur de effecta intento, cum quo immediatè evenit effectus non intentus; Et sic patet, quòd de quolibet agente cōcurrente ad effectum fortunam potest dici fortuna, licet diversimode: tunc in propostio designatur fortuna, ut dicitur de agente principali immediatè, sicut est intellectus, aut forma substantiam.

substantialis, quatenus ad effectus per accidens concurrunt. Vnde ad rationem dubitandi respond. quòd cœlum potest dici quemadmodum fortuna, ex eo quòd concurrat ad effectum fortuitum, tamen non dicitur propriè fortuna, eo quòd fortuna, vel infortunia, quæ eueniunt in his inferioribus, intenduntur à cœlo.

11.
Obiectio
tertia.

Responsio
Doct.

Obiicies tertio illud non esse definibile, de quo non potest esse scientia, sed de fortuna, cum sit causa per accidens, nequit dari sententia, ex 6. Metaph. text. 6. ergo nec definitio. Respondet Doctor ly, *de ente per accidens, debere intelligi vel de propositione per accidens vera, de qua non est propriè scientia tanquam de conclusione demonstrata; licet bene tanquam de re significata per conclusionem.* Vnde licet de fortuna non sit scientia in quantum est causa effectus, quia est causa per accidens, & demonstratio non fit nisi per causam per se; est tamen scientia de illa, quatenus potest probari de ea, quòd est, & qualis est.

12.
Obiectio
quarta.

Responsio.

Obiicies quarto contra illam particulam per accidens, quòd definitio debet predicari per se de definito, ut patet ex 1. Poster. text. 9. & per consequens non per accidens. Secundo æquè per se fortuna est causa effectus fortuiti, sicut natura est causa effectus naturalis; hæc per se influit, ergo & illa. Respond. ly *per accidens* non denotare determinationem propositionis, seu definitionem per accidens continere definitio: sed effectum fortuitum non esse intentum ab agente, respectu cuius dicitur fortuitus, tamen ita per se conuenit fortunæ producere effectum non intentum, sicuti agenti intellectuali, & naturæ producere effectum intentum, ut diximus num. 11.

Ex quibus patet, quàm falsò Py-

thagoras, & Stoici casum, & fortunam de medio tollebant, existimantes omnia ineuitabili necessitate euenire; & Tullius lib. de natu. Deorum, asserens esse nomen sine re, sicut & Pagani autumantes esse Numen, aut Deitatem quamdam.

ARTICVLVS III.

Ad quod genus causa fortuna, & casus reducuntur.

Respondet Doctor 2. Phys. q. 11. ^{13.} *quibusdam conclusionibus. Prima est, quòd fortuna non est causa in genere cause finalis. Probat, quia semper finis intenditur ab agente, & tamen fortuna non intenditur ab effectu fortuito, neque contra: imò ex hoc effectus dicitur fortuitus, quòd eueniat præter intentionem.* ^{Conclusio prima.}

Contra hoc obijctur, quia Deus est causa finalis omnium; igitur effectus fortuitus est propter Deum tanquam propter finem. Secundo, quia inuentio thesauri est à fortuna, & tamen est propter finem, quia ordinatur ad sustentationem vite. Respondetur ad primum, concedendo quòd effectus fortuitus finaliter ordinatur propter Deum, & ideo respectu Dei nullus effectus est fortuitus, imò quilibet est præordinatus, & euenit ex intentione. patet quinto de consolatione. De secundo dico quòd effectus fortuitus dum est in fieri, non est propter aliquam finem, quia nullus illorum agentium, respectu quorum effectus dicitur fortuitus, intendit illum effectum, sed postquam ille effectus fuerit, bene ordinatur ad finem. ^{Obiectio.} ^{Responsio.}

Secunda propositio est, quòd fortuna non est materia. Probat, quia causa dicitur fortuna propter aliquam innaturalitatem, vel extraneitatem, scilicet, quia effectus non intenditur ab illa causa: modo materia nihil est innaturale, vel contrarium; ^{14.} ^{Conclusio secundæ.}

riam; imò utriusque contrariorum receptio est materia naturalis, ut dicit Commentator. Similiter nihil recipitur in materia prater eius intentionem; imò ad cuiuslibet rei receptionem materia inclinatur saltem passivè; ergo.

15. Conclusio 3^a. Tertia propositio, quòd fortuna non est forma, probatur, quia totus effectus dicitur à fortuna, & per consequens forma eius dicitur à fortuna, modò idem non est à se ipso.

Conclusio 4^a. Quarta propositio est, que sequitur ex predictis, quòd fortuna est causa efficiens, cuius signum est, quòd habitudo forma ad effectum fortuitum exprimitur per hanc propositionem A, que denotat habitudinem causa efficiens.

Ex quibus patet primò, ut optime notat Doctor quodlibet. 21. litt. B. quòd fortuna non est aliqua causa per se distincta à natura, & intellecta, sicut propositio; imò eadem voluntas, que respectu effectus intenti est per se causa, respectu effectus non intenti dicitur esse fortuna; inventum quidem evenit à proposito, & omnino causatur fortuitè. Casus autem nil erit distinctum à natura efficienti non intellectu.

16. Fortuna non est causa totalis effectus. Secundò infero, quòd fortuna non est causa totalis cum eodem Doctore lit. C. hoc est, quòd nihil sic evenit à fortuna, quin etiam eveniat ab aliqua causa per se intendente, iuxta illud Platonis in Timaeo lib. 2. Nihil est, cuius ortum non processit legitima causa. & 5. de civitate Dei cap. 9. dicit Augustinus, Cetero concedit, nihil fieri, si causa efficiens non precedat, & hoc rationabiliter concessit, quia quòd non est à se, non potest habere esse, nisi à causa efficienti, & ibi requiritur aliqua causa per se, siue intendens, quia sub intentione causa univ ersalis cadunt plures effectus, & ita sub intentione causa prima cadunt omnes. sed quando alicuius effectus non apparet

causa proxima per se, siue intendens; tunc ille dicitur effectus fortuitus, vel casualis, & sic est intelligendum illud Augustini de Academicis quaestionibus, & in principio retractat. cap. 1. ubi dicit, fortasse nihil aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio secreta est, & hanc opinionem tangit Philosophus in isto libello cap. 2. Si autem, inquit, à fortuna nihil disendum est fieri, sicut nos alia existente causa propter non videre, hoc est, quia non videmus eam, fortunam aimus esse causam.

Tertiò infero, esse bene, aut malè fortunatum, nihil aliud esse quàm quòd alicui plures fortuiti, seu casuales proventus eveniant, vel plura incommoda prater intentionem contingant; quæ autem debeant esse hæc incommoda, vel commoda, optime explicat Doctor, legatur in quodlib. vbi suprà lit. D.

Petes, vnde ortum habeat, quòd aliquis sit bene, vel malè fortunatus; loquendo de bona fortuna, quæ non est in potestate nostra, respondet Doctor §. sed qua, lit. H. quòd non invenit aliquid intrinsecum in homine, propter quod debeat dici bene fortunatus isto modo: sed hoc accidit sibi ex concursu causarum extrinsecarum, quæ potest esse ex Deo disponente secundum Theologos, licet non secundum Aristotelem; sicut si aurum sit ibi, & aliquis intendens fodere, ipsum inveniatur, hoc est, ex concursu causarum extrinsecarum, & non est alia causa, nisi quia ipse est magis dispositus, ut causa univ ersalis moueat ipsum ad hunc locum, magis, quàm ad alium. quid autem tenendam sit ex mente Philosophi, docet Doctor ibidem.

17. Nihil est intrinsecum in homine propter quòd possit dici bene, vel malè fortunatus.

DIFFICULTAS II.

Quid, & quotuplex sit fatum.

PRO clariori huius difficultatis intelligentia præmitto, etymologiam, seu propriam significationem huius nominis, *fatum*, à fando, seu loquendo originem trahere: unde, si rigorosam nominis sequamur acceptionem, ea fato fieri existimamus, quæ ab aliquo antea fuerunt præloquuta; sic explicat Augustinus lib. 5. de ciuitate cap. 9. & 2. lib. contra Faustum Manichæum cap. 5. & D. Thom. in opusculo de fato, & 1. parte q. 116. art. 1. in corpore.

ARTICVLVS I.

Refelluntur quorundam Philosophorum errores.

18. **C**IRCA naturam fati penè innumerati fuerunt Philosophorum errores, quidam enim effectus omnes fato tribuebant; unde effectus ex electione, vt distinguuntur contra effectus à natura, nequaquam distinguebant. Constituebant quidem fatum in quadam connexionem, & ordine causarum vniuersi, à quibus aiebant omnia ex necessitate provenire. Hunc errorem Stoicis tribuit Cicero lib. 1. de diuinatione, & Diogenes Laërtius lib. 7. in vita Zenonis. Alij dicebant sydera esse fata, statuentes certas cæli, & astrorum imagines, ac figuras, sub quibus quisque natus est, quarum ea est vis, vt nulla potestate valeat mutari, & inde

necessariam causarum connexionem prouenire affirmabant. ita Ptolemaeus, Firmicus, Apuleius, vt refert Albert. Magnus 2. Physic. tractat. 2. cap. 19. quam etiam inter hæreticos tenuerunt Berdesanes, & Priscilianistæ, vt affirmat Castro lib. 7. aduersus hæreses verbo *fatum*. Hi autem ita corporis membra in duodecim partes iuxta totidem Zodiaci signa dissecabant, & quodlibet Zodiaci signum alicuius membri dominum ita arbitrabantur, vt singulæ corporis humani actiones, & motus ab astris, & syderibus præordinarentur necessario. Hi tamen errores, vt optimè notat Suarius primo tom. suæ Metaphysic. section. 11. num. 5. manifestam continent implicentiam; etiam si hæc necessitas, quam ponunt hi Philosophi, sit pendens à diuina voluntate, & per illam mutabilis. Primò, quia huiusmodi fatalis necessitas proueniens ab astris media rerum naturalium connexionem destruit arbitrij libertatem, quo titulo damnatur hæc sententia in Concilio Bracarense I. cap. 9. & à Leone I. epistol. 91. cap. 11. & 13. & contra illam multa congerit Eusebius lib. 6. de præparat. Euangel. cap. 5. legatur Chrysostomus orationibus de prouidentia; & Augustinus lib. 5. de ciuitate ferè per totum, & Boëtius lib. 6. de consolatione. Idem etiam genus *fati* nonnulli oppugnarunt Philosophi, vt videre est apud Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 1. & lib. 1. de interpret. cap. ultimo, & Ammonium, aliisque interpretibus ibi, & lib. 2. Physic. cap. 6. quem omnes eius interpretes sequuntur. Secundò dicere, cælorum influxum directè, & per se cadere in humanas voluntates, est etiam error manifestus, quoniam

niam obuerfatur animæ immortalitati; hæc enim, cum ex principiis fidei per veram creationem producat, nequit ab vlla fecunda causa neque in fieri, neque in conseruari dependere, eiusque influxum recipere; solus enim Deus est, qui creare eam, & conseruare valet, ex dicendis alibi.

19.

Alij quamuis admitterent ordinem, & dispositionem caularum à diuina voluntate processisse, affirmabant nihilominus omnia etiam respectu Dei euenire necessariò; & hunc necessarium euentum fatum esse dicebant, quia credebant fortè, vt notat Suarius num. 2. Deum agere ex necessitate naturæ, quod plures Philosophi existimarunt. Huius erroris fuit Petrus Abailardus, vt refert Castro aduersus hæreses, verbo *libertas*, & verbo *futurum contingens*, & idem refert de VViclepho; sed iste etiam error rationi naturali omnino repugnat. nam primò vel tollit diuinam omnipotentiam, qua possit rerum naturas immutare; vel libertatem, qua possit immutare, & impedire; quod falsum esse ostendimus tractatu de diuina voluntate quæst. 1. nisi hos Philosophos intelligamus de necessitate non inuitabilitatis, ita vt Deus aliter non potuerit ordinare: sed de necessitate immutabilitatis, quæ sequitur diuinam dispositionem, & decretum, quod ob suam rectissimam perfectionem mutari non valet. Seneca verò libro 2. naturalium quæstionum cap. 35. hanc fati necessitatem non in astris, sed in diuina constituit voluntate: vnde cap. 36. Fatum ait esse necessitatem rerum omnium actionisque, quam nulla vis rumpat; dixerat enim antè, hanc vim à prima causa prouenire, quom-

admodum, inquit, rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superueniens præcipitat; sic ordinem fati æterna series regit, cuius hæc prima lex, sicut decreto; in eademque fuisse sententia videtur Plato Dialogo ultimo de Republica, & hæretici nostri temporis cum Caluino: dicunt enim quaslibet operationes tam humanæ voluntatis, quam cuiusuis creaturæ ita disponi, vt licet subiciantur diuinæ voluntati, qua potuit ipsas non ita disponere, præmissio tamen diuino decreto, & immutabili consilio ab humana voluntate necessariò, & non liberè prouenire. Hunc tamen errorem tamquam lædentem liberum nostrum consensum, hancque necessitatem fatalem, quamuis non sub nomine fati, damnat Tridentinum sess. 6. cuius implicantiæ ratione philosophica sic declarat Suarius num. 8. nam vel omnes causæ indigent diuino concursu, vel non: si hoc secundum dicatur; ergo aliqua causa secunda est independens in operari à prima, vel extrahitur à sua naturæ, quando Deus concurrat, cum solum præster concursum iuxta secundarum caularum exigentiam: si primum dicatur; ergo nullus datur effectus liber, & contingens; quod experientiæ manifestè contradicit.

Fati necessitas lædit libertatem.

ARTICVLVS II.

Explicatur natura fati.

Naturam fati nullo meliori modo valemus explicare, quam eius definitionem perhibendo. sic enim definitur potest, vt colligitur ex Boëtio de consolatione. Fatum est

21.

Definitur fatum.

20.

ordo causarum naturalium, divinam providentiam exequentium; vbi notandum est, quod ordo iste causarum dupliciter considerari potest. Primò quatenus est in diuina mente omnia ordinante, & disponente, & sic est diuina providentia. Secundò vt est in ipsis rebus ordinatis, & dispositis, & sic dicitur fatum. Vnde ita certum est, dari fatum, ac dari diuinam providentiam. nam ista est ordinatio rerum in suos fines per media conuenientia in mente diuina; hæc enim ordinatio, quatenus actiua, dicitur providentia; vt autem passiuæ, & in his inferioribus, dicitur fatum.

22. Ex dictis colligo primò dari fatum in rerum natura; nec obstat Gregorius in homil. de Epiphan. cum asserit, quod *absit à fidelium cordibus, vt fatum esse aliquid dicant*. nam ipse solùm reicit fatum in sententia asserentium tollere nostram libertatem.

Secundò infero, fatum formaliter dici relationem; materialiter verò causas, quæ ordinantur, seu disponuntur. colligitur manifestè ex D. Thoma 1. parte quæstione 116. artic. 2. ad 3. vbi hæc habet. *Fatum dicitur dispositio, non quæ est in genere qualitatis, sed secundum quod dispositio designat ordinem, qui non est substantia, sed relatio, & ratione sic probari potest, quoniam ex dictis supra nulla causa ab aliis præcisa, & separata fatum potest existimari; ergo præcisa ratio fati in illo ordine, & dispositione à diuina mendicata providentia consistit.*

Tertiò infero, quod omnia, quæ sub cælo sunt, fato subduntur, quoniam sunt passiuæ providentiæ, seu

diuini decreti executione; excipe quæ sunt immediatè à Deo, seu per creationem, vt sunt gratia, iustificatio, &c. quæ cum non fiant causarum secundarum dispositione, sed immediatè à Deo, non possunt subesse fato: vnde quando Augustinus 3. de Trinitate, refert fatum ad diuinam voluntatem, non est, quia ab ipsa immediatè possit provenire, sed mediante dispositione causarum secundarum.

Quartò infero, fatum differre à casu, & fortuna, quoniam fatum per se intendit suum effectum fatalem; fortuna verò, & casus sunt causæ per accidens non intendentes suos effectus. Neque ita intelligendum est, quod fatum sit vera causa efficiens per se, cum neque verè influat in effectum, sed solùm sit causarum dispositio explicata per modum relationis, quæ potest cadere super quodcumque genus causarum, neque semper fatum sit effectus per se alicuius causæ; dicitur verò solùm causa per se, quatenus effectus sequenti ex fato sunt intenti per se, licet media aliqua causa per accidens aliquando ponantur in esse. Vnde casus, & fortuna respectu vnius causæ possunt dici fatum respectu alterius.

Quintò infero, fatum posse dici vnum, & multiplex: vnum, si consideretur in ordine ad suum principium, quod est diuina providentia, quæ est realiter vna; multiplex verò, si ad effectus compareretur, vel ad ipsas causas secundas, iuxta illud Poëtæ,

Te tuæ fata trahunt.

Est ergo vnum, & multiplex.

*Fatum
& fortuna
quæ
liter
differant.*

*Fatum
formaliter
dicit
relationem.*

Resolutio quaestionis.

Habemus ex hac quaestione secundum sanum, & rectum sensum, dati in rerum natura casum, & fortunam, esseque causas efficientes per accidens; item & fatum, quod nec tollit liberum arbitrium, nec actus nostrae voluntatis necessitat, sed materialiter est pluralitas causa-

rum cuiusvis generis; formaliter vero earundem dispositio per modum relationis intellecta. huic subduntur quaecumque sunt mediis causis secundis; non tamen quae à Deo immediate, & sine nobis producuntur; est diuina prouidentia passiva à casu, & fortuna distinctum, vnum, & multiplex respectu diuersorum.

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

IN hoc tertio libro Physicorum, qui octo continet capita, postquam in primo egit de principiis entis naturalis, & in secundo de causis per se ipsius, agit iam Philosophus per tria prima capita de motu, cuius rationem reddit in primo, quia natura ex libro præcedenti est principium motus: vnde istius notitia ad exactam naturæ notitiam spectat; & addere nos possumus, quod motus est notior passio obiecti adæquati horum librorum, seu corporis naturalis, ex q. 1. procem. diffic. 1. art. 3. Agit etiam post motum de infinito per quinque subsequentia capita; quia motus est de genere continuorum; & cum continuuum sit diuisibile in infinitum, necessum fuit infiniti naturam ad melius percipiendum motum cognoscere. Hunc librum in tres diuidemus quæstiones. Prima erit de motu. Secunda de actione, & passione. Tertia tandem de infinito.

QVÆSTIO I.

De quidditate motus in communis.

AR I motum in rerum natura ita manifestum est, sensibūque perspicuum, ut probatione non indigeat: vnde sententia Zenonis ante Aristotelis tempora, negantis existen-

tiam motus, nulla alia efficaciori ratione impugnari potest, quàm deambulando; sic enim experientia ostendit, quod sine fundamento contradicitur; ideo non de existentia, sed de natura motus disputamus; circa quam quatuor veniunt discutienda. Primum, utrū Philosophus rectè definiat motum. Secundum, utrū hæc conueniat omni motui. Tertium, utrū motus distinguatur realiter à termino, & in quo prædicamento collocetur. Quartum, utrū omnis motus subieceretur in mobili; à quibus breuiter me expediam, quia parum habent difficultatis.

DIFFICULTAS I.

*Utrū definitio motus tradita
ab Aristotele sit exacta.*

EX definitionibus, quas de motu tradidit Philosophus, præcipua secundum omnes est illa, qua in hoc tertio libro cap. 2. motum definiuit, quod sit *actus entis in potentia, secundum quod in potentia*; & de hac modo inquirimus, an sit exacta, id est, an nobis optimè explicet naturam, & essentiam motus.

ARTICVLVS I.

Respondetur titulo difficultatis.

Dicendum est cum communi omnium Philosophorum consensu, hanc motus definitionem à Philosopho traditā exactam esse, optimèque naturam

naturam motus definiti explicare. docet expressè Doctor 3. Physic. in expositione textus, & lib. 11. in Metaphys. summa 4. cap. 1. S. Thomas 1. parte quæst. 9. art. 1. in corpore, & ad primum, & 1. dist. 8. quæst. 3. art. 1. & 2. contra gentes cap. 17. necnon & vtriusque scholæ Doctores.

*Mobile
ante motum
duas habet
potentias
passivas
subordi-
natas.*

Pro vera autem huius definitionis intelligentia præmitto primò quòd mobile ante motum duas habet potentias passivas subordinatas, vnam ad moueri, aliam ad terminum motus, seu ad esse motum. Prior potentia actuatur per motum, seu fieri termini. Secunda per receptionem ipsius termini facti. Vnde licèt per receptionem motus reducatur ad actum, seu moueri dicatur; hoc tamen est secundum priorem potentiam, non tamen iuxta secundam: sed adhuc mobile existimatur in potentia ad terminum motus recipiendum.

2.

*Actus
mobilis
aliter per-
fectus,
aliter im-
perfectus.*

Secundò præmitto, actum mobilis duplicem esse, perfectum scilicet, & imperfectum. Actus perfectus est, qui totaliter actuatur potentiam passivam subiecti, in quo recipitur, tales sunt formæ substantiales, & ex accidentalibus intensæ in summo gradu, vt calor vt octo; his enim formis quasi exhauritur tota capacitas, & potentia naturalis mobilis, quoniam cum forma, & subiectum, seu actus, & potentia referantur, non est magis potentia in mobili, quàm actus in forma mouente, seu actuante. Actus imperfectus est ille, qui non actuatur totaliter potentiam passivam subiecti, sed partim actuatur, & partim in potentia relinquit; quæ imperfectio ex duplici capite potest provenire, vel quia forma est remissa, & hæc dicitur imperfectio accidentaliter, quoniam formæ accidit esse remissam, vel in summo gradu intensam; vel quia non tam

actus est forma, quàm via, & tendentia ad formam: hæc autem imperfectio est essentialis, quoniam ratione eius ab intrinseco nequit forma totaliter actuare subiectum, sed illud solum non quoad factum esse, sed quoad fieri mutat: mouetur enim ea, non tamen est motus.

3.

Quibus præmissis non aliter melius huius conclusionis veritatem valemus ostendere, quàm per singulas definitionis particulas discurrendo: in ea enim *ly est actus in potentia*, loco generis ponitur, in quo conuenit motus cum omnibus formis tam substantialibus, quàm accidentalibus; actuatur enim ens, seu potentiam passivam ad illas recipiendas, sicut & motus. *ly secundum quod in potentia*, ponitur loco differentia, ad denotandum motum ita actuare potentiam passivam ipsius receptivam, vt simul relinquat illam capacem ad vltiorem actum recipiendum: relinquit quidem subiectum in potentia non solum negatiua, quæ consistit in negatione perfectæ actualitatis; sed etiam positua, quæ præter negationem perfectæ actualitatis dicit ordinationem illius, quod dicitur esse in potentia, ad actum perfectiorem, vt est terminus ipsius motus, & sic per istam particulam differt motus non solum à formis perfectis substantialibus, & accidentalibus summè intensis; sed etiam à formis accidentaliter imperfectis, vt sunt qualitates remissæ, licèt ita sint actus entis in potentia, vt simul relinquant illud non in potentia positua, sed negatiua ad recipiendos plures alios gradus eiusdem formæ: dicitur autem potentia negatiua, quam habet subiectum, v. g. calidum vt quatuor, respectu vltioris caloris, non quia in subiecto deficiat virtus passiva illius.

illius vterioris gradus receptiua, cum certum sit, omnem actum positiuum potentiam receptiuam passiuam supponere; sed dicitur potentia negatiua comparata cum motu, quatenus nullum esse motum habet subiectum, sed totum est in potentia respectu illius formæ: vnde subiectum in nullo gradu calidum dicitur in potentia passiuæ positiuæ respectu totius formæ; calidum verò vt quatuor solùm in potentia negatiua, quatenus non caret omni actu, sed vterius perfici potest non essentialiter, sed accidentaliter.

4. *Obiectio prima.* Calor remissus re-
linquit subiectum in potentia negatiua, non verò positiuæ.

Obiicies primò calorem remissum non esse motum, sed qualitatem, & terminum eius, & tamen conuenit illi definitio motus, quoniam actuat lignum, illudque relinquit in potentia ad vteriolem, seu intensiorem calorem; ergo. Respondetur cum Ruuius tractat. 1. de motu quæst. 1. calorem remissum relinquere subiectum in potentia negatiua, non verò positiuæ;

Obiectio secunda.

Obiicies secundò definitio motus non explicat viam à termino à quo, ad terminum ad quem, seu transitum à priuatione ad habitum, qui propriè conuenit motui; ergo non est exacta. Respondetur hanc viam, seu transitum optimè explicari per illam particulam, secundum quod in potentia, vt explicuimus supra.

Obiectio tertia.

Obiicies tertio, Aristoteles vocat motum *Andelechiam*, vt notat Doctor vbi supra, id est, *perfectionem*; sed esse in potentia positum in definitione denotat imperfectionem; ergo. Resp. quòd *Andelechia* non solùm denotat perfectionem, sed sæpius viam ad ipsam, & in hoc sensu Aristoteles vocat motum *Andelechiam*.

DIFFICULTAS IX.

An hæc definitio conueniat omni mutationi.

5. *Mutatio trifariâ usurpatur.*

Mutatio trifariam usurpari potest. Primò latissime, prout extenditur ad quamcumque spiritualem actionem, seu independentem à materia, vt sunt intellectiones, & volitiones Angelicæ. Secundò magis strictè pro mutationibus etiam instantaneis, à materia tamen dependentibus, vt sunt generatio, & corruptio substantialis. Tertio strictius pro motu successiuo, qui quatenus talis habet partes priores, & posteriores, in quo sensu Philosophus loquitur de motu 5. Physic. dum ait, ad quantitatem solùm, qualitatem, & vbi dari per se motum. In præsentem ergo non inquirimus de mutationibus, vel motibus omnino à materia independentibus, cum motus isti non ad naturalem Philosophum, sed ad Metaphysicum, vel Theologum spectent. Solùm ergo quærimus, an definitio motus, quam quæstione præcedenti explicuimus, conueniat omni motui à materia dependenti, (sic enim Philosophus de rebus agit) successiuo scilicet, & instantaneo; an motui, seu mutationi, prout abstrahit ab omni motu tam instantaneo, quàm successiuo.

ARTICVLVS R

Proponitur quorundam placitum, & explicatur nostrum.

6. *6.*

Sotus in præsentem quæst. 1. Masius cap. 2. q. 2. dubitat. 5. Perer. lib. 13. cap. 5. Conimbricens. cap. 1. q. 1. art. 2. quos refert Ruuius in hoc lib. tract. 1. affirmant, huius definitionis definitum solùm esse motum successiuum.

Funda.

Fundamentum huius sententiae est, quod motus, quatenus ab Aristotele definitus, non solum est actus entis in potentia, sed secundum quod in potentia; ita illud actuans ut relinquat partim in actu, partim in potentia ad partes, vel gradus perfectiores recipiendos. itaque ex parte dicit terminum acquisitum, & ex parte acquirendum: sed mutationibus instantaneis, ut sunt generatio, illuminatio, &c. simul acquiritur totus terminus, & non pars post partem; ergo definitio motus explicata solum naturam successivi motus, & consumentis tempus explanat.

7. Dicendum nobis est, huius definitionis definitum esse motum latissime usurparum, quatenus comprehendit sub se omnem motum tam successivum, quam instantaneum. est sententia S. Thomae 3. Phys. lection. 1. & lib. 5. lectione 2. tenent communiter recentiores. Fundamentum est, primo quod Aristoteles postquam tradidit definitionem motus, statim exemplificat non solum in mutationibus successivis, ut sunt augmentatio, alteratio, &c. sed etiam in instantaneis, ut sunt generatio, illuminatio; dicens, *alterabile quidem quatenus alterabile, generabile, & corruptibile, generatio, & corruptio.* ergo omnem motum definiuit quatenus contentum sub motu in communi.

8. Respondent adversarij Arist. intelligendum esse de generatione largo modo sumpta, prout est idem quod alteratio, & dispositivè solum dicitur generatio; sed contra est quod prius posuerat exemplum in alteratione; ergo committeret negationem iterum exemplificando in ea. Secundò respondet Soto conclusionem tertiam, Arist. non posuisse exemplum in generatione tanquam in motu, sed

tanquam in termino motus, quia generatio est terminus alterationis praecedentis. Sed contra est quod vel hac terminatione aufertur à generatione quod sit motus, vel non; si hoc dicas, habemus intentum; si primum, ergo commisit Philosophus explicando nobis naturam motus per aliquid quod non clauditur sub definito. Secundò idem Phil. cap. 1. huius libri inquit, se velle inuestigare naturam motus, eo quod positus in definitione naturae; sed motus positus in definitione naturae, utrumque motum, successivum scilicet & instantaneum, comprehendit; ergo & hic à Philosopho definitus.

Ratione etiam sic probatur, quoniam mutatio instantanea, de qua potest dubitari (quoniam de successiva nullus dubitat) v. g. generatio est actus entis in potentia, secundum quod in potentia, actuat enim materiam primam, illamque relinquit in potentia ad formam, ad hancque recipiendam positivè ordinat, quoniam est via, tendentia, seu fieri ipsius formae. Sed haec est definitio motus tradita ab Aristotele; ergo convenit non solum motui successivo, sed etiam instantaneo. Declaratur exemplo; quoniam lignum, v. g. ante generationem ignis in ipso supponitur in potentia, non solum ad recipiendum formam ignis; sed etiam ad recipiendum motum, seu transitum ad ipsam, quoniam ex potentia subiecti, seu materiae non solum educitur factum esse formae, sed etiam ipsa effectio, seu fieri; ergo considerando formam in fieri, & quatenus motus, v. g. ignem, non solum actuat lignum, sed relinquit ipsum in potentia positivè ad recipiendum factum esse; ergo est actus entis in potentia secundum quod in potentia.

Mutatio est actus entis in potentia secundum quod in potentia.

2.

Ad fundamentum oppositæ sententia respond. particulam illam definitionis, secundum quod in potentia, non denotare successione in ipso motu, seu latitudinem graduatam in forma, quæ per ipsam acquiritur, sed motum esse actum intrinsecè imperfectum, & formaliter in via, & tendentia ad terminum, seu actum perfectiorem; ex his enim, (quæ communia sunt omni motui tam successivo, quàm instantaneo) provenit, quod motus sit actus entis in potentia, nõ quomodolibet, sed secundum quod in potentia, id est, ita actuans subiectum, ut simul illud ordinet ad ulteriorem actum, & relinquat in potentia positiva difficultate præcedenti explicata.

Obiectio prima.

Obiicies primò Aristotelem in hoc 3. libro textu 1. afferentem motum esse de genere continuorum, non permanentium; ergo successivorum; motus ergo successivus solum definitur. Respond. Philosophum intelligendum esse non de motu in communi ab ipso definito, & quatenus continente sub se tam successivum, quàm instantaneum, sed de motu speciali, nempe successivo.

Obiectio secunda.

Obiicies secundò mutationem instantaneam eo quod instantanea, simul actuare totam potentiam subiecti; ergo non relinquit illud in potentia. Respond. concedendo antecedens, si loquamur de simultate temporis; negando tamen de simultate naturæ, quoniam cum illa mutatio instantanea sit via ad formam, in illo priori quod est naturæ, in quo est via, subiectum adhuc est in potentia ad terminum, seu factum esse formæ; & sic materia actuata fieri formæ adhuc est in potentia ad receptionem formæ per mutationem acquirendæ: quando autem Philoso-

phus ait mobile per motum partim esse in termino à quo, partim in termino ad quem, intelligendus est vel de motu successivo, quatenus partim est in passo, partim in virtute activa agentis: vel, si maais, intellige de instantaneo, quatenus in illo priori, quo est via, & respicit efficiens tanquam à quo, & effectum tanquam ad quem, qui subiectatur in passo, de quo alibi.

Petes primò, utrum mutationes instantaneæ, quæ sunt actus rei perfectæ, ut sunt intellectiones, & volitiones, seu sensationes sublunarium, seu dependentium à materia, comprehendantur sub hac definitione. Negant quidam recentiores disput. 16. Phys. q. 2. §. secundo, & putant id esse tenendum ex mente Philosophi 3. de ani. text. 22. vbi volens distinguere motus sensationum internarum ab aliis motibus, & mutationibus imperfectis, hæc habet: quapropter alia quædam est hæc, (id est, sensatio) species motus. nam motus est actus imperfecti, at actus simpliciter, qui quidem est rei perfectæ, alius omnino diversus ab illo. Quem locum explicans D. Thomas lect. 12. idem colligit, & fatetur iterum 1. p. quæst. 18. art. 1. & q. 9. art. 1. ad 1. quem sequitur Caietanus, & Masius in hoc libro. Conimb. cap. 1. huius operis q. 1. a. 2. & alij plures.

Dico primò si motus intelligatur de actu completo, & perfecto rei in esse substantiali, certum est volitiones, & intellectiones non esse motus, qui comprehendantur sub hac definitione. Patet, quoniam sunt actus entis perfecti, & in esse substantiali completi.

Dico secundò, si motus iste physicè consideretur, seu quatenus ad Physicum spectat, non comprehendit in-

10.

Mutatio- nes que sūt actus rei perfectæ a nar comprehenduntur sub definitione motus.

Conclusio prima.

11.

Conclusio secunda.

relle

relectiones, & volitiones Angelorū, imò neque animæ separata. Paret, quoniam de his agit Physicus, quæ continentur per se sub corpore: sed Angeli non continentur sub ipso, imò nec anima rationalis, nisi quatenus ordinatur ad corpus, vt notauimus in proœmio, q. 1. diffic. 1. art. 4. n. 9. ergo. Obiicies, animam rationalem per se ordinari ad corpus; ergo per se est subiectum physici motus. Respond. quòd ipsis conuenit solùm ratio motus physici, quibus conuenit ratio physice naturæ; eundem enim motum definit Philosophus hîc, quem dixit 2. lib. esse principium motus; & quietis, vt diximus diffic. 1. art. 2. sed anima rationalis non est natura quatenus actus physici corporis, sed quatenus receptaculum aliquarum intentionalium qualitatū, ex lib. 1. q. 7. d. 2. art. 7. num. 30. ergo quamuis sit pars viuientis, & per se ordinatur ad corpus, non poterit dici definitum huius definitionis, si sub ipsa solùm motus corporei contineantur.

12. *Conclusio tertia.* Dico tertio, omnia, quæ significantur per definitionem, competunt motibus instantaneis, qui sunt actus rei perfectæ, vt sunt intellectio, & volitio. Probatur, quoniam volitio, v. g. seu cognitio sumpta pro specie expressa, qua intellectus cognoscit, quatenus fieri, & rudentia ipsius cognitionis, seu formæ cognoscitiuæ, est actus intellectus existentis in potentia ad ipsam, ipsūque relinquit in potetia ad factum esse, seu ad ipsam actualem intellectionem; ergo verè motus sub hac definitione comprehensus. Neque obstat, quòd Philosophus dicat esse aliam speciem motus, nam etiam motus instantaneus, & successiuus distinguuntur specie, & eadem definitione definiuntur. Nec secundo obstat, quòd sint actus entis

perfecti, nam etiam calor est actus entis perfecti, nempe aquæ, & nihilominus est motus; ergo non est, cur negemus, quòd si sub motu in communi comprehenduntur, non desinantur hac definitione, præcipue cum sint affectiones entis corporei, scilicet hominis.

DIFFICULTAS III.

Utrum motus distinguatur realiter à termino.

MOTUM dupliciter considerare possumus. Primò pro forma fluenti. Secundò pro fluxu formæ. Motus pro forma fluenti nihil est aliud, quàm ipsa forma, quatenus est in fieri, & tendit in factum esse, eadem enim entitas formæ secundum diuersos status fieri, & factum esse nominatur sicut creatura futura, & existens: vnde sicut in creatura per existentiam, vel futuritionem non variatur entitas rei, sed solùm status; ita in forma per fieri, & factum esse non variatur entitas, sed status entitatis. Motus pro fluxu formæ est quidam modus adiacens, seu concomitans fieri ipsius formæ, vt colligitur clare ex Doctore in 4. d. 13. quæst. 1. §. *ex dictis*, num. 12. hic modus est, qui mensuratur tempore, vel instanti, vel ratione cuius fieri rei instantaneum, vel temporale dicitur; & de quo inquiremus, an motus distinguatur realiter à tempore. Quoniam cum entitates permanentes non mensurentur tempore, sed æuo, ex dicendis infra, si entitas formæ in fieri, & entitas formæ in facto esse est eadē, hæcque repugnat tempore mensurari, repugnabit etiam & fieri ipsius; ideo quod mensuratur nõ est entitas fluēs,

sed ipsius formæ fluxus, ratione cuius motus dicitur successivus, vel instantaneus.

ARTICVLVS I.

Proponuntur quorundam placita, & verior sententia explicatur.

14.
Sententia prima.

Prima sententia sustinet, motum realiter à termino ad quem distinguui, non sicut rem à re; sed sicut rem à modo, quia motus est modus rei, quæ sit per talem terminum. sic Caiet. Paulus Venerus, & alij, quos citat, & sequitur Ruuius hinc quæst. 4. Tartar. quæst. 3. dub. 2. Horum autem fundamenta expendemus nostram sententiam explicantes.

15.
Sententia secunda.

Secunda sententia affirmat, motum non distinguui realiter à termino. ita Sonzinas 5. Metaph. q. 4. Sorus, Tolerus, & alij. videtur sententia Doctoris in 1. d. 13. quæst. 1. §. *contra*, num. 2. vbi illam auctoritatem Philosophi 5. Phys. quæ asserit motus distinguui per terminos, explicat de motu pro forma fluente, quando forma fluens, secundum quam est motus, est eiusdem rationis cum forma terminante, & motus est eiusdem rationis cum forma fluenti: sentit ergo quoddam in creatis (nã de productionibus diuinis aliter sentiendum est,) motus, & terminus sunt idem realiter. quod idem docet d. 2. quæst. 7. ad 3.

Conclusio prima.

Dico primò in hac difficultate, si motus consideretur pro forma in fieri secundum entitatem, seu materialiter, nec formaliter distinguuntur à termino, est enim eadem entitas secundum omnia intrinseca indiuisibilis, & hoc solum probat secunda sententia.

Dico secundò, si motus consideretur pro forma in fieri, quatenus in fieri formaliter, realiter distinguitur à termino, non vera distinctione reali, sed modali; quod intendit prima sententia. Fundamentum est, quia ea realiter distinguuntur, quæ possunt adinuicem separari, ex 4. Metaph. text. 3. sed fieri formæ quatenus formaliter est fieri, separatur à termino, quandoquidem transacto fieri durat factum esse, seu terminus huius motus; ergo distinguuntur: vnde in Metaphysica dicimus, creaturam existentem à se ipsa formaliter possibili realiter distinguui negativè, seu tanquam non ens ab ente penes diuersos status actualitatis, & possibilitatis. Declaratur magis, quoniam substantia genita transacta generatione existit, & quantitas transacta augmentatione: sed via separationis distinctio realis manifestè ostenditur; ergo.

Conclusio tertia.

Dico, ergo motus pro fluxu formæ realiter, etiam modaliter à forma distinguitur. Fundamentum est, primò quod possunt separari ex dicto precedenti; ergo realiter distinguuntur. Secundò idem terminus potest terminare diuersos realiter motus, quoniam idem ignis ab homine generato potest à Deo reproducì; & in opinione Thomistarum idem calor ab vno agente productus ab alio per diuersum motum conseruari valet; ergo motus, & terminus illius realiter distinguuntur.

Ex quibus patet primò in hac parte nullam esse de re inter authores controuersiam, si rectè explicetur natura motus & termini: & etiam quidam recentior Scotista infert actionem predicamentalem realiter à suo termino distinguui. nam ex quæstione sequenti actio subiectatur in agente; termi

terminus verò in passio: sed passum, & agens separari possunt; ergo & actio, & terminus eius, ac per consequens realiter distinguuntur. Sed hic Scotista improprissime loquitur, quoniam actio prædicamentalis non habet terminum productum, sed est quædam relatio extrinsecus adueniens subiectata in agente, & terminata ad passum; vt dicemus quæst. 2. difficult. 2. artic. 2. num. 26. Potest tamen dici à suo termino realiter distingui, quoniam potest materia, quæ transmutatur, & terminat prædicamentalem actionem, sine tali terminatione existere.

Obiectio prima.

Obiicies contra dicta, quòd si motus realiter distinguitur à termino; ergo habet distinctam entitatem ab illo, ac per consequens poterit diuinitus dari motus sine termino, quod omnes Philosophi contradicunt. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, quoniam est via, & tendentia ad terminum, & ideo motus naturaliter connectitur cum ipso: sufficit tamen ad distinctionem realem separabilitas non mutua, qua terminus potest existere sine motu, vt patet in relationibus prædicamentalis, quæ realiter distinguuntur à fundamento, & termino, ex dictis lib. 2. q. 9. diffic. 3. artic. 3. non quia ipsa sine fundamento, & termino possit existere, sed quia isti possunt esse simul, vel saltem altero eorum solum existente sine relatione.

Obiectio secunda.

Obiicies secundò quòd si motus realiter distinguitur à termino, dupliciter mutabitur mobile, per motum scilicet, & eius terminum. Concedo consequentiam, quoniam motus est quid imperfectum tendens in terminum, qui est vltima perfectio mobilis.

Obiectio tertia.

Obiicies tertio Philosophum hæc

cap. 1. afferentem, motum non esse præter res, ad quas est motus; ergo nec distinctum à termino. Respondetur Aristotelem intelligendum esse de motu pro forma fluenti, vt explicuimus num. 15. hæc enim eadem omnino est in fieri, & in facto esse.

ARTICVLVS II.

Aliqua incidentia dubia explicantur.

Dubitabis primò, vtrum motus distinguatur realiter à mobili. Respondetur affirmatiuè. tenet Ruuius vbi supra, Arcetius in annotat. super 3. Physic. Doctoris quæst. 7. contra Valles, & Conimbricenses. Fundamentum est, quòd mobile potest separari à motu, vt patet de materia, quæ potest esse sine hoc, vel illo motu; ergo.

17. Dubium primum. Motus distinguitur realiter à mobili.

Obiicies Doctorem vbi supra dicentem, motum localem esse mobile. Respondet Pithigianus, quòd hæc verba non sunt ad mentem Scoti, sed quorundam dicentium, sex vltima prædicamenta esse relationes secundum dici, quæ à fundamentis non distinguuntur realiter, cuius oppositum docet Scotus quodlibeto 11. artic. 4. & ex mente ipsius nos ostendimus lib. 2. quæst. 9. diffic. 4. art. 1.

Obiectio prima.

Dubitabis secundò, vtrum omnis motus subiectetur in mobili.

18. Dubium secundum. Conclusio prima.

Dico primò, loquendo de motu augmentationis, & alterationis certum est, subiectari in mobili, quoniam & subiectum, seu mobile augetur, & alteratur. Idem dico de motu generationis, eo enim mutatur materia receptione formæ, & motus ad ipsam.

Dico secundò loquendo de motu locali, de quo est maior difficultas. Quidam dicunt non subiectari in mobili,

Conclusio secunda.

mobili, sed in loco. ita Sonzinas 5. Metaphysic. quæst. 40. ad 1. Gregor. in 2. distinct. 1. quæst. 4. artic. 1. Heruæus quodlibeto 1. quæst. 9. Fonseca 5. Metaphysic. cap. 15. quæst. 10. sect. 5. ad 3. & sect. 3. Fundamentum est, quod ex Aristot. 8. Physic. text. 59. per motum localem nullam formam acquirit mobile: & ideo minus in potentia censetur, quam in ordine ad cæteros motus; sentit ergo Philosophus per motum localem non mutari mobile. Idem sentire videtur D. Thomas 3. contra gentes cap. 82. ratione 6. & in 4. distinct. 44. quæst. 2. artic. 3. quæstioncula 2. ad 1. & 4. & 1. part. quæst. 110. artic. 3. in corpore, ubi docet, quod motus localis perfectior est cæteris moribus, ex 8. Physic. quia nulli intrinsecæ mutationi subest. Secundò terminus motus localis est locus, quoniam motus localis est motus ad locum: sed locus nihil intrinsecum ponit in locato; ergo per motum localem non mutatur intrinsecè mobile. Tertio motus localis ex Doctore ubi supra, est fluxus mobilis: sed ille fluxus nihil est aliud præter partialem acquisitionem loci: iste non subiectatur in mobili; ergo neque motus.

Alij dicunt, motum localem in mobili subiectari. citatur D. Thomas in præsentī lectione 4. & in 2. dist. 12. art. 1. ad 5. sed non loquitur expressè de motu locali, sed de motu in communi, tenent Conimbr. 4. cap. huius libri quæst. 2. art. 2. qui plures alios referunt. Probari potest primò ex Philosopho cap. 2. huius 3. libri, ubi loquendo de omni motu docet, esse actum mobile propter mobile est; & inferius in eodem capite, eundem motum esse actum moti, & mobilis: moti quidem, ut à quo; mobilis verò ut in quo. Sed motus localis sub motu in communi con-

tinetur; ergo. Secundò si motus non est in mobili, sed in loco, ut affirmant authores primæ sententiæ; ergo mobile non est quod mouetur, sed locus; sed hoc est impossibile. nam locus est immobilis, ex eius definitione explicanda lib. 4. quæst. 1. difficultate 1. artic. 2. ergo subiectatur in mobili. Tertio omnis forma denominat subiectum, in quo est, non verò extraneum: sed mobile dicitur locatum, & moueri localiter; non verò locus, cum immobilis sit. ergo motus localis subiectatur in mobili.

Ego verò utramque sententiam in diuerso sensu vsurpatam, seu sub distinctione intellectam libèrissimè admitto; imò, meo videri, id omnes Scotistæ dicere tenentur: in cuius rei explicationem præmitto, ex dicendis lib. 4. q. 2. difficult. 2. artic. 2. locum alium esse passiuum, alium actiuum: iste materialiter est superficies ambiens, seu continens locatum; formaliter verò relatio extrinsecus adueniens ad corpus contentum, seu locatum terminata: locus passiuus materialiter est corpus contentum; formaliter verò relatio continentis passiuæ, seu corporis contenti ad superficiem ambientem, & continentem terminata. Præmitto secundò quòd sicut in motu alterationis, v. g. consideramus fieri prioris gradus, (quando alteratio est successiua) & factum esse ipsius. Item fieri secundi gradus, seu intensionis, & factum esse eiusdem; sic in motu locali consideramus fieri prioris relationis continentis actiæ, & passiuæ, & factum esse ipsius: vnde tot fieri, & factum esse consideramus in motu locali, quos partes præsentis localis ab alijs separabiles inueniuntur in motu. Vnde si forum, v. g. dicitur terminus motus localis Patritij, non ideo est, quia alijs termini

19.
Cōclusio
tertia.

Locus
alius acti-
uus, alio-
passiuus.

termini inadæquati non supponantur, sed quia ille est terminus intentus à mobili, ideo

Conclusio prima.

Dico primò, si motus localis consideretur quatenus via ad locum actuum, motus subiectatur in loco. hoc probant argumenta prioris sententiæ. Et rursus confirmo, quoniam ex dicendis ubi supra, locus actiuus formaliter subiectatur in superficie locante; ergo & fieri ipsius.

Conclusio secunda.

Dico secundò, si motus localis passiuè consideretur, seu quatenus fieri ubi passiuè, iste subiectatur in mobili. Id probant fundamenta secundæ sententiæ. Et confirmo, quoniam mobile est, in quo subiectatur terminus, v. g. relatio continentiæ passiuæ, & qua denominatur in loco; ergo & motus ad istam relationem, ad quam quia extrinsecus aduenientem datur per se motus, subiectabitur in mobili: neque Philosophus, cum ait 8. Physic. quòd in motu locali mobile nulla forma mutatur, aliquid obest. nam solùm negat mutari forma aliqua absoluta: vnde statim subdit, *ut cum quid alteratur, qualitas: dum quid augetur, & deorescit, quantitas*; ac si diceret, ubi passiuum per motum localem acquisitum non mutare mobile absolute, vt quantitas, & qualitas; sed relatiuè, & in ordine ad aliud. Ad id autem quod dicitur, locum esse immobilem, respondetur intelligendum esse de loco materiali, non verò de formali, pròducitur enim per motum: vnde locus materialis actiuus, videlicet superficies, licet quatenus locus immobilis sit localiter; mutatur tamen formaliter per receptionem diuersarum relationum continentiæ, quoniam eidem superficièi ambienti possunt diuersa locata, diuersæque continentiæ actiuæ formales succedere.

ARTICVLVS III.

Ad quod prædicamentum reducatur motus.

PRO intelligentia huius articuli præmitto, motum tam profluxum formæ, quam pro forma fluenti consideratum ad nullum prædicamentum per se posse spectare, quoniam vtroque modo est quid imperfectum: sed in prædicamento solùm ponuntur entitates completæ, & perfectæ; ergo cum motus sit quid imperfectum tendens ad perfectionem, in nullo prædicamento collocabitur. Ideo solùm inquitimus ad quod prædicamentum reducatur.

20.
Motus ad nullum prædicamentum per se spectat.

Dico primò, motus pro forma fluenti ponitur in prædicamento sui termini, docet Doctor lib. 1. de anim. quaest. 7. & in 4. sentent. dist. 13. quaest. 1. art. 1. Antonius Andreas tract. de sex principiis quaest. 8. ita vt motus ad quantitatem sit quantitas, motus ad qualitatem qualitas, & sic de reliquis. Ratio est manifesta, quoniam ens imperfectum non ponitur in prædicamento, ex quaest. 13. Logicæ diffic. 2. artic. 5. sed motus pro forma fluenti est quid imperfectum tendens ad esse perfectum; ergo ad prædicamentum sui termini debet reduci. Confirmatur, forma fluens & terminus fluxus sunt omnino idem ex num. 15. sed quæ sunt eadem, in eodem prædicamento collocantur; ergo & motus in prædicamento sui termini. quod perspicuè etiam docet Doctor lib. 3. in Metaphysic. summa vnica, cap. 16. num. 130.

Obclusio prima.

Dico secundò, si motus, & tempus sint idem realiter, vt dicemus ex Doctore lib. 4. q. 3. difficult. 2. artic. 2. motus pro fluxu formæ pertinet ad prædicamentum quæritatis. Probat, quoniam

21.
Conclusio secunda.

quoniam fluxus formæ est qui mensuratur tempore, ex dictis supra n. 13. ergo si tempus est idem motui, erit idem fluxui: sed quæ sunt idem realiter, ponuntur in eodem prædicamento, ex dicendis in *Metaphysica*; ergo cum tempus ponatur in prædicamento quantitatis, ex dictis in *Logica* quæstione 15. difficult. 2. articul. 2. & latius dicendis in *Metaphysica*, motus pro fluxu formæ in prædicamento quantitatis collocabitur.

Ex quibus infero, quàm falsò noster Hugo Cauellus in expositione Doctoris in libro de anima quæst. 7. conclus. 2. num. 5. affirmat, motum pro fluxu formæ esse relationem intrinsecus aduenientem, putat esse sententiam Doctoris in 4. distinct. 13. quæst. 1. *§. ex dictis*, num. 16. in quantum asserit, quòd respectus fundatus super motum est intrinsecus adueniens, quia motus est ipsa forma inducta, vel educta; sed ex his verbis nescio, qualiter colligi possit, quòd motus pro fluxu formæ sit relatio intrinsecus adueniens; quoniam ibi expressè loquitur Doctor de motu passiuo, ut ita dicam, seu de productione passiuæ, quæ quatenus ab agente ipsum respicit relatione intrinsecus aduenienti: hæc autem non est fluxus formæ, nec quæ mensuratur tempore; sed fluxus est quidam modus, cui subiacet forma fluens, & quo dicitur taliter, vel taliter fluens: & hic etiam est, qui tempore mensuratur; ergo.

Resolutio quæstionis.

HAbemus ergo ex tota hac quæstione motus definitionem traditam à Philosopho exactam esse, omni que motui convenire tam successiuo, quàm instantaneo; vel defi-

nitum eius esse motum in communi, quatenus comprehendens quoslibet inferiores motus sine successiuos, siue instantaneos, siue immanentes, siue transeuntes: item motum pro forma fluenti fundamentaliter esse idem realiter cum termino; formaliter verò, seu quatenus fieri rei distingui realiter à termino, sicut & pro fluxu formæ: unde motus pro forma fluenti in prædicamento sui termini collocatur; pro fluxu verò formæ ad prædicamentum quantitatis reducitur: item motum tam alterationis, quàm augmentationis, & generationis in mobile subiectari: quod idem dicimus de motu locali passiuo, nam actiuus in superficie subiectatur.

QVÆSTIO II.

De actione & passione comparatis cum motu.

ACTIO, & passio multifariam usurpantur, ex dictis lib. 2. q. 4. difficult. 4. artic. 2. num. 41. cum Doctore in 4. distinct. 13. quæstione 1. *§. ex dictis*, num. 11. Quoniam autem actio, passio, & motus ita inter sese connectantur, ut simul coincidere dicantur, imò esse idem in motu, ad eius exactam cognitionem, nonnulla examinanda veniunt. Primum, qualiter actio, passio, & motus connectantur inter se. Secundum, utrùm actiones prædicamentales in agente subiectentur. Tertium, utrùm creatio sit vera actio, & utrùm Deus possit verè agere.

I.

DIFFICULTAS I.

*Qualiter actio, passio, & motus
necitantur inter se.*

Quoniam Aristoteles lib. 3. Physic. cap. 3. text. 21. docet, quod actio, & passio sunt idem in motu, sicut via ab Athenis ad Thebas, & è conuerso; metirò dubitatur, qualiter intelligenda sit hæc identitas, an scilicet comparentur tamquam superior, & inferior; an identificentur modaliter in motu; an verò subiectum, v. g. motus se habeat vt quo respectu actionis, & passionis; an verò realiter distinguantur.

ARTICVLVS I.

Explicantur quorundam placita.

2. *Sententia prima.* **P**rima sententia affirmat actionem, & passionem esse idem realiter in motu, solaque ratione ratiocinata differre. ita Ruuius 3. Physicorum tractatu 1. quæst. 7. Masius cap. 3. sect. 2. quæst. 1. Fundamentum est, quod ex Philosopho in hoc lib. cap. 3. *motus est actus actiui, vt ab hoc, & passio, vt in hoc.* et idem numero actus, quatenus à principio à quo, est actio, & quatenus recipitur in subiecto, est passio; ergo actio, passio, & motus realiter identificantur in motu, ac per consequens inter sese, quoniam in creaturis, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

3. *Sententia secunda.* Secunda sententia tenet actionem & passionem non in re, sed ratione ratiocinata solùm differre; negat quidem passionem à motu vllò modo distinguui, existimat enim sola nominis appellatione inter se obuersiari. ita Suarius 2. tomo Metaphysic. disp. 49.

sect. 2. num. 13. quæ sententia duo continet. Primum actionem & passionem ratione solùm differre quod prioris sententiæ suadetur fundamento secundùm motum & passionem sola nominis appellatione distinguui, idque sequenti firmatur fundamento. Quoniam ex Philosopho hic text. 16. *motus est actus mobilis, vt mobile est,* & ex eodem text. 22. & 23. *passio est actus patientis vt patiens est,* sed esse mobile, seu mutabile, & esse receptiuum, seu passibile (si hæc duo proportionatè accipiuntur in ordine ad positiuam receptionem, seu mutationem) non sunt duæ potentia, vel capacitates passiuæ, etiam ratione diuersæ, vt de se patet; ergo neque actus ipsi inter se sunt distincti. Quod perspicuo declarat exemplo calefactionis, quoniam calefactio quatenus passio & quatenus motus eandem indiuisibilem actuat capacitatem aquæ receptiuam caloris & eo carentem; sed vti est vnica potentia, est vnicus & indiuisibilis actus; ergo motus & passio quatenus respiciunt mobile & passibile, sola differunt nominis appellatione.

4. *Sententia tertia.* Tertia sententia asserit actionem, passionem & motum distinguui inter se formaliter, & seclusa intellectus operatione, nõ vera distinctione reali, seu inter rem & rem; sed modali, ita quod actio & passio sint modi concomitantes naturam & entitatè motus. ita Nazarius 1. part. quæst. 25. art. 1. Arauxo 5. Metaphysic. quæst. 1. artic. 4. Caiet. Bañes, Ferrara, Sor.^s & alij quamplures, quos refert & sequitur Physica Carmelitarum disp. 17. quæst. 2. §. 2. num. 13. estque communior inter Thomistas. Fundamentum primum est quod Philosophus hic cap. 3. loquens de actione & passione, dicit. *Hæc enim vnum quidem sunt, ratio*
FFFF tamen

tamen non una est, similiter & in mouente & motu, & text. 22. subdit, *Omnino verò dicere est quod nec dictio cum disciplina, nec actio cum passione idem proprie est; sed cui insunt hæc. nam huius in hoc actu esse, & huius ab hoc, ratione diuersum est;* ergo actio & passio, seu esse ab hoc & in hoc diuersas dicunt rationes, seu seclusa quauis intellectus operatione differunt, vt docet D. Thom. sect. 4. loquens de actione & passione. Secundum fundamentum est quod ex D. Thom. quæst. 8. de potentia articul. 2. ad 1. quæ in diuersis prædicamentis constituuntur, cum diuersis gaudeant definitionibus adæquatis; nec vnum in suo esse ab alio pendeat, imò habeat propriam essentiam, & veritatem: formaliter & secluso intellectus ministerio differunt; sed actio & passio ad diuersa pertinent prædicamenta, imò & motus, cum ex dictis quæst. 1. difficult. 3. artic. 3. num. 20. ad prædicamentum sui termini reducatur; ergo non solum ratione ratiocinata, sed in re differunt. Quod autem hæc distinctio sit modalis, sic probatur. Idem numero motus prout ab agente est actio, & prout in passio passio, ex Aristot. hic c. 3. & D. Th. sect. 4. ergo actio & passio non sunt entitates veræ & perfectæ, sed modi concomitantes & adhærentes naturæ & entitati motus.

Quarta sententia nec modalem vnionem inter actionem, passionem & motum admittit, sed vera & reali distinctione differre affirmat. Probant aliqui primò, quoniam actio & passio non subiectantur in motu, sed actio in agente, & passio in passio, vt probabimus diffic. 2. sed quæ diuersa respiciunt subiecta realiter differunt; ergo actio, passio & motus. Secundò alij probant, actio siue in agente, siue in passio subiectetur, seclusa quauis in-

tellectus operatione, est actualis egressio effectus ab agente, sicut & passio actualis illius receptio in passio: egredi autem & recipi non sunt idem, sed in re differunt; ergo. Confirmatur, transacto motu durat passio, vt patet in singulis generationibus & productionibus, cum subiectum transacto motu, seu productione patiatur informationem formæ; ergo in re differunt non solum modaliter, sed realiter.

Quinta sententia asserit actionem & passionem prædicamentalem realiter inter se & à motu differre: pertinent quidem ad diuersa prædicamenta, & transacto motu durant: at verò pro forma fluenti esse idem realiter cum motu; dicit enim cum Suario formam fluentem duabus relationibus secundum dici respicere terminum à quo, & subiectum eiusdem quæ sic sibi identificatis dici, *actionem & passionem esse idem in motu*, ita quidam neoterici Scotistæ contra Doctorem & veritatem, vt articulo sequenti ostendemus.

6.
Sententia quinta.

ARTICVLVS II.

Quibusdam dictis verior enucleatur sententia.

Dico primò in hac difficultate actio & passio prædicamentalis realiter inter se & à motu differunt. Sic probo, actio & passio prædicamentalis ex difficultate 2. subiectantur in agente & passio, transacto motu: sed quæ constant diuersa subiecta & separari possunt, realiter differunt; ergo. Secundò quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, realiter distinguuntur ex dictis in Logica quæstione 13. difficult. 1. artic. 5. & dicendis in Metaphysic. sed actio & passio prædi

7.
Cōclusio prima.

5.
Sententia quarta.

prædicamentalis diuersa constituunt prædicamenta; ergo.

8.
Cōclusio
secunda.

Dico secundò, actio, & passio, prout considerantur à Physico, siue pro forma fluenti, sic enim agit Physicus de actione, & passione, vt optimè notat Doctor lib. 9. Metaphysicæ quæst. 4. num. 9. si formaliter considerentur, seu quatenus dicunt respectus à quo, & ad subiectum transmutabile, realiter distinguantur ab entitate formæ, quæ fluit; hanc conclusionem directè propono contra 5. sententiam. Pro cuius explicatione præmitto cum Doctore lib. 5. in Metaphysicam summa vnica cap. 16. num. 129. quòd actio, & passio sunt idem motus, vt dicitur 3. Physicorū, accipiendò actionem pro re acta, sed differunt in hoc quòd actio dicitur vt est ab agente, & passio vt recipitur in passio: vtroque autem modo est medium inter agens, & passum, siue significetur vt actus, vel actiue, & ex parte agentis, siue vt motus, vel passiuè, & ex parte patientis. Dicunt ergo illi recentiores Scotistæ, hos respectus à quo, & ad quem esse transcendentales, siue secundum dici, identificarique cum entitate fluentis formæ. Ego verò affirmo realiter distingui ab entitate fluenti, ac per consequens actionem, & passionem, vt hinc considerantur: & sic ostendo primò ex quæstione 9. difficult. 4. artic. 1. nam. 33. cum Doctore in 2. distinct. 20. quæst. 2. effectus ab vno individuo agente productus à quolibet illius speciei poterat vniuocè produci; ergo non respicit terminum à quo intrinseco, aut identificato respectu: sed forma, seu effectus in fieri & in facto esse est eadem; ergo si effectus in facto esse non respicit terminum à quo identificato respectu, neque forma in fieri, aut motus pro forma fluenti. Primam

consequentiam probo, ea quæ separari possunt realiter differunt: sed si filius à Francisco productus produceretur ab Antonio, diuersa respicientia, seu dependentia respiceret. nam ad variationem termini, respectus necessariò variantur; ergo relatio qua forma fluens respicit terminum à quo, ab ea realiter distinguitur. Secundò motus, seu forma fluens dicitur passio quatenus respicit passum, seu materiam, quam transmutat; sed eadè numero forma quæ in hac inducitur materia, poterat in quavis numero distincta produci; ergo dependentia, seu respectus ad eam realiter à motu differt. Nota ramen quòd si diuersa esset materia, licet non diuersificaretur forma, diuersum esset indiuiduum, ex Doct. ibidem, quia ad vnitatem essentialem indiuidui requiritur vnitatis materiæ, & formæ, quæ sunt partes essentielles.

Respondetis, quòd sicut agens, habitus, & potentia in communi relatione secundum dici respiciunt effectum, & obiectum in communi; sic motus, seu forma fluens respiciunt terminum à quo, & in quo. Sed contra est, quòd licet suppositum sit verum, & id quod inferitur, nihilominus solutio non euacuat argumenti efficacitatem, quoniam hic non agimus de motu quatenus respicit agens in communi; sed quatenus est ab hoc numero agentis, quod actualiter respicit: at hæc respicientia actualis realiter differt à motu; ergo. Vnde licet habitus relatione transcendentali respiciat obiectum in communi; nihilominus hoc obiectum actualiter existens prædicamentali relatione respicit, sic in nostro casu. Proinde Doctor in 4. distinct. 13. quæst. 1. §. ex dictis, num. 16. versicul. & si obijcias, affirmat quòd respectus fundatus super motum ad agens est intrinsecus adueniens,

cum motus sit forma ipsa inducta, vel educta, cui insunt hæc, alterum terminatiue, scilicet actio, & alterum quasi subiectiue, quia concomitanter in eodem subiecto ut passio; ergo si ex mente Doctoris, actio quæ fundatur in motu, est intrinsecus adueniens, realiter distinguetur à motu, cum relatio prædicamentalis à suo subiecto realiter differat, ex dictis in Logica quæstione 16. difficultate 5. artic. 2.

IO. Dico tertio, actio & passio prædicamentalis dici possunt esse idè in motu solum, quatenus ex positione motus necessariò resultant in agète, & passio, sunt enim relationes extrinsecus aduenientes, quæ posita mutatione resultant: vnde sicut dicimus, unitatem esse fundamentum relationis identitatis, quatenus ad positionem illius resultant relationes mutuz in utroque extremo; ita motum dicimus fundamentum relationis actionis, & passionis, quia ad eius positionem resultant: vnde dicuntur idem in motu non formaliter, sed materialiter, aut fundamentaliter, de his tamen non loquitur Philosophus.

Obiectio. Obiicies ad relationes extrinsecus aduenientes dari per se motum: sed quod per se terminat motum, non resultat, sed est terminus actionis; ergo falsè dicimus, ad positionem motus actionem, & passionem resultare. Respondetur quòd licet omnis relatio, ad quam datur per se motus, sit extrinsecus adueniens, non tamen ad omnem relationem extrinsecus aduenientem datur motus: sed ut sit extrinsecus adueniens, sufficit quòd non necessariò resultet posito fundamento, & termino; sed aliqua conditio essentialis expectetur: vnde posito igne, & ligno, non resultat relatio, si aliquid non superaddatur, nempè motus;

Non omnis relatio extrinsecus adueniens per se terminat motum.

aliàs ad actionem daretur actio, contra Philosophum.

Instabis quòd ex Doctore theoremate 22. num. 12. actio est terminus actionis; ergo hæc potest produci per motum. Respondetur ex eodem Doctore ibidem, quòd *actio est terminus actionis intrinsecus, ut mutatio terminus motus, & sic passio passionis: sed non terminus productus per ipsam; sic intelligatur illud, actionis non est actio, nec mutationis mutatio, 5. Physicorum text. 20.*

Instatio.

Dico quarto, actio, & passio, prout considerantur à Physico, dupliciter possunt dici idem in motu, ut optimè notat Doctor in 4. vbi suprà, n. 4. versic. *ex hoc patet, vbi cum obiiceretur ei, quòd actio & passio sunt idem in motu; ergo actio non in agente, sed in passio, sicut & motus subiectatur. Et si obiicias quòd hoc repugnat Aristoteli in 3. Physicorum, text. 19. 21. & 22. qui vult quòd formale in actione, secundum quòd distinguitur à passione, sit esse ab alio; ergo illud non dicit respectum de genere passionis. Respondeo, Arist. non loquitur ibi de actione, secundum quòd est genus distinctum contra passionem, sed de actione secundum aliam significationem nominis, istam scilicet, actum, & non ut productum, neque ut inductum, cum enim premisset de actu actiui, & de actu passiuo, hæc enim actio est, scilicet actus actiui, illud autem passio actus passiuo, probando primam subdit: Opus autem, & finis actus huiusmodi est actio, illius autem passio; accipit ergo ibi actionem pro opere, & sine agentis: illud autem est forma acta in passio, que ut fluens est motus.*

II. *Còclusio quarta.*

Ex hoc patet solutio ad quamdam obiectionem prius factam ex littera illa; concedens enim Aristoteles, ibi actionem esse in passio, & non in agente, quia tunc agens moueretur, loquitur de actione secundum hanc quintam significationem, seu pro re acta, non autem secundum quòd actio est genus

Genus distinctum contra passionem, illo enim modo accipiendo actionem, actione formaliter aliquid est agens, sicut relatione relatum. & sic necesse est illud quo, esse intrinsecum illi, quod dicitur esse tale per ipsum, sicut similitudinem esse in simili.

Aliter potest dici quod ab hoc potest accipi equivoce. Vno modo ut est relatio, opposita ei quod est à quo aliud, & tunc debet intelligi aliquid precedens, quod specificatur per ab hoc, ut potè quia ab hoc, vel quod ab hoc, & hoc modo ab hoc non pertinet ad genus actionis, sed magis respectus oppositus, scilicet à quo aliud. Alio modo ab hoc accipitur nō ut determinat aliquid precedens, & tunc idē est cum isto respectu à quo, & hoc modo concedi potest pertinere ad genus actionis: sed isto modo non est motus qui est in passo, nisi tantummodo terminatiue, & hoc sufficit ad saluandum verba Aristot. ibidem, text. 2. Vult enim quod actio & passio sunt idem, sicut via ab Athenis ad Thebas, & è conuerso. Non intelligo quod intelligatur ibi una via pro ipsa magnitudine, super quam fit motus, sed pro ipso motu hinc illuc, & è conuerso, ut patet per aliud exemplum, quod posuit de distantia hinc illuc, & illinc huc, super idem spatium, ubi vult quod illa sint eadem materialiter propter identitatem spatij, sed alia formaliter; ita hic motus est illud, per quod dicitur agens per respectum ab hoc, intelligendo per hoc respectum à quo, in mobili etiam fundatur è conuerso respectus ad agens, & isti duo respectus habent aliquid idem materialiter, ut motum, sed formaliter sunt alij, & in alijs subiectis.

12.

Ex qua doctrina duo habemus. Primum actionem, & passionem pradicamentalem solam esse idem in motu materialiter, seu fundamentaliter, ut explicuimus dicto 3. Secundum actionem pro forma fluenti, & passionem dici idem in motu quatenus eadem numero forma, & est ab agen-

te, & recipitur in passo, quod optimè innuit Doctor lib. 11. in Metaphysicam, summa 4. cap. 2. num. 78. in fine, vbi hæc habet, similiter etiam intelligendum est in proposito, quod licet idem motus realiter sit mouentis, & mobilis, differt tamen ratione, quia ut est mouentis, habet rationem ut ab hoc. Ut autem est mobilis, habet rationem ut in hoc, & potest dici actio, vel passio. Quod non debet intelligi loquendo de actione, & passione, qua sunt respectus formaliter, & constituunt predicamenta formaliter, & realiter distincta, sed loquendo de actione pro re acta, & producta, ut ostensum est nono huius, in quadam quaestione; sic enim eadem forma, qua ut fluens est, ipse motus realiter est actus, & producta à mouente, & est recepta in ipso mobili, & passo.

Obiicies primò, quod ex verbis I 3. nuper relatis actio & passio sola ratione distinguuntur à motu, & ex illis Obiectio prima. quarti sent. formaliter distinguuntur; ergo falsè diximus dicto 2. realiter à motu distingui. Respond. ibi Respons. per rationem non intelligere Doctorem distinctionem intellectualem, sed essentialem, crebrò enim per rationem quidditatem rerum intelligimus; solam ergo intendit essentialiter differre. Sic etiam venit intelligendus cum asserit esse alia formaliter. nam ly formaliter idem denotat quod essentialiter, propterea paulò inferiùs subdit quod respectus actionis, & passionis sunt formaliter alij, & in alijs subiectis; sed quæ distinguuntur formaliter distinctione media, seu ex natura rei non possunt esse in diuersis subiectis; ergo ly formaliter idem denotat quod essentialiter.

Obiicies secundò, si actio, & passio pro forma fluenti realiter distinguuntur ab entitate formæ; ergo possunt constituere actionem, & passionem pradicamentalem, nihil enim eis ad

Responso. hoc deficit ; frustra ergo addimus alias relationes, quibus constituantur prædicamenta. Nego sequelam, quoniam actio, & passio prædicamentalis ea est, quæ constituit intrinsecè, & formaliter agens, & passum. cum tamen actio & passio, quæ subiectantur in motu, solum sint terminatiuè in agente, & passio, nec valent formaliter intrinsecè denominare, nec diuersa constituere prædicamenta.

ARTICVLVS III.

Fit satis fundamentis aliarum sententiarum.

14. *Respondeatur primæ sententiæ.*

AD fundamentum prioris sententiæ respond. Philosophum intelligendum esse vel de actione, & passione fundamentaliter, si loquamur de prædicamentali, cum dicit actionem, & passionem esse idem in motu: vel subiectiuè, si loquamur de actione pro re acta, vt explicuimus num. 11. & 12. quatenus etsi realiter distincta, in eodem subiectantur motu.

Obiicies, si motus, actio, & passio pro re acta re ipsa distinguuntur; ergo quoties mobile mouetur, tribus modis mutatur, respectu eiusdem termini, nempe forma absoluta actione, & passione. Respond. primò, concedendo gratis mobile mutari absolute per formam receptam, relatiuèque aliis duabus relationibus; quod contingit quotiescunque subiectum accidentaliter mutatur. nam receptione albedinis, v.g. non solum paries mutatur, & informatur albedine absolute, sed etiam relatiuè similitudine & diuersitate, &c. Secundò respondeo his relationibus non mutari verè subiectum, quia non subiectantur in ipso immediate, sed media forma cui inhaerent. Ad fundamentum Suarij

Respondeatur secunde sententiæ.

negando passionem, & motum sola nominis appellatione differre, quoniam licet per eandem formam absolutam mutetur, & patiatur subiectum fundamentaliter, non tamen formaliter. Patet, quia potest dari mutatio actualis sine actuali passione formali: vt si, v.g. ignis conseruetur in ligno pereunte generante, durabit subiectum mutatum, & motum actuali informatione, non tamen dicitur passum, quia cum passio formaliter terminetur ad agens pereunte agente, seu termino relationis, statim perit relatio, seu formalis passio.

Respondeatur tertiæ sententiæ.

Ad tertiam sententiam dicimus nihil probare contra nos qui fatemur actionem, & passionem physicam distingui quidditatiuè à motu; quod autem dicantur modi, vel non, nihil interest. Primò, quia ex dictis in Logica q. 16. d. 3. art. 3. cum Doctore, questio est de nomine an relationes debeant dici modi. Secundò, quia sunt entitates ita imperfectæ, vt potius modi, quàm veræ entitates debeant nuncupari. Solum ergo ab hac sententia discedo, quatenus supponit his modis, prædicamenta actionis, & passionis constitui.

Ad quartam sententiam dicimus probare etiam assumptum nostrum, fatemur enim actionem, & passionem realiter à motu distingui; negamus tamen id esse, quia habeant diuersa subiecta, cum actio, & passio physica subiectentur in motu; ex dictis n. 11.

Respondeatur quartæ sententiæ.

Ad quintam sententiam patet ex dictis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actio, passio & motus se habeant tanquam superius, & inferius.

Quoniam actio, passio, & motus physicè loquedo, ita neceruntur inter

15. *Sententiæ primæ.*

inter se, quod actio, & passio naturam motus semper comitentur, seu fluentem formam; dubitatur merito, qualiter coordinentur inter se: Sotus in presenti quaest. 2. concl. 3. §. queritur, & alij affirmant motum esse essentialiter superiorem. Fundamentum est quod actione, & passione, mutat subiectum, & redditur de potetia ad actum, eis enim dicitur formaliter agens, & patiens; ergo est quid superius ad actionem & passionem.

Sententia secunda.

Alij affirmant actionem esse essentialiter superiorem ad passionem, & motum. Quod sit superior ad passionem, sic probant, quoniam ex Diuo Thoma opusc. 48. cap. 1. de actione, & cap. de passione, passio semper infertur ex actione; ergo passio essentialiter connotat habitudinem ad agens, ut id a quo; ergo & rationem actionis, quae in hac habitudine consistit. Quod autem actio sit superior motu, sic probant, nam mouere essentialiter, & in sensu formali est agere; ergo & moueri essentialiter: sed moueri est inferius ad agere, cum supponat actionem; ergo & motus, quia sicut se habet moueri ad agi, ita motio ad actionem.

16. *Conclusio prima.*

Dico primo, motus in latiori significatione usurpatus, seu quatenus transcendit per omnes formas informantes tam relatiuas, quam absolutas, est quid superius ad actionem, & passionem. hoc probant fundamenta prioris sententiae.

17. *Conclusio secunda.*

Dico secundo, motus Physicus non est essentialiter superior ad actionem & passionem. est sententia Arist. & D. Thomae in presenti cap. 3. text. 2. communisque sententia, & probant aliqui primo nam ex Arist. hic cap. 3. actio & passio sunt vnus numero motus; ergo iste non est superior, alias multiplicarentur motus, quoniam

multiplicatis inferioribus, gradus etiam superiores multiplicantur. Sed haec ratio inefficax est, quia ex dictis n. 8. actio & passio realiter a motu differunt; ergo non sunt vnus motus, nisi loquamur de motu secundum esse absolutum & fundamentale. Ego vero ex supradictis sic proba. Actio & passio subiectantur in motu, ut diximus num. 11. suntque relationes ab eo realiter differentes: sed praedicata superiora, & inferiora solum ex natura rei differunt, ex dictis in Logica q. 6. diffic. 1. art. 1. ergo motus non est essentialiter superior ad actionem, & passionem. Secundo motus, seu forma fluens est quid absolutum, ex dictis art. 2. num. 9. actio & passio relationes ad terminum a quo, & subiectum ex n. 8. sed nullum absolutum est essentialiter contrahibile per relationem; sunt enim diuersorum praedicamentorum, & subordinari nequeunt; ergo motus physicus non est essentialiter superior ad actionem, & passionem; sed earum subiectum.

Praedicata superiora & inferiora ex natura rei solum differunt.

Dico tertio, actio nequit esse essentialiter superior ad motum & passionem. Probo primo. Actio est ratio, motus quid absolutum; ergo actio nequit contrahi per motum. Secundo actio & passio sunt oppositi respectus, cum haec respiciat subiectum, illa terminum a quo; ergo vnus nequit contineri in alio: sed ratio essentialis superior determinatur per inferiorem; ergo passio non subest actioni. Tertio praedicatum essentialis superius, seu ratio superior essentialis formaliter praedicatur de inferioribus, ex dictis in Logica q. 9. diffic. 8. art. 3. sed haec est falsa praedicatio formaliter: Motus est actio, passio est actio; ergo haec non est essentialiter superior ad passionem, & motum.

18. *Conclusio tertia.*

Ad fundamentum prioris sententiae patet

patet ex dicto 1. num. 16. Ad fundamentum secundæ dico probare solum actionem & passionem fundari & subiectari in motu, ad huiusque positionem sequi necessariò respicientiam ad terminum à quo, & ad subiectum, non tamen quòd motus sit essentialiter superior, licet natura possit dici prior quatenus est subiectum ex quo resultant, & in quo tales respectus subiectantur.

DIFFICULTAS II.

Utrum actio predicamentalis subiectetur in agente, vel in passo.

20.

NOtante in titulo difficultatis de actione predicamentali solum inquirimus; quoniam certum est actionem physicam (de qua difficultate præcedenti) subiectari saltem mediata in passo. Quod ratione conspicua sic ostendo: Actio & passio physica subiectatur in motu, ex sæpius dictis; sed motus, ut de se patet, subiectatur immobili; ergo & actio, saltem mediata.

Præmitto secundò non dubitari in præsentibus de actionibus immanentibus, cum ex terminis ipsis perspicuum sit, actionem immanentem in agente subiectari, seu manere. Dubitamus ergo solum in præsentibus, an actio transiens predicamentalis in agente, an in passo subiectetur.

ARTICVLVS I.

Explicantur opposita Philosophorum placita.

21.
Sententia
prima.

PRIMA sententia affirmat actionem transiensem formaliter in agente subiectari, ita Caietanus 1. p. quæst. 25.

art. 1. Nazarius ibidem controuersia vnica, Zumel supra art. 1. quæst. 21. disp. vnic. Ripa in præsentibus, Torres 1. p. q. 27. dubio 4. p. 2. & alij plures, affirmantes hanc esse sententiam expressissimam Philosophi, & Angelici Doctoris. Esse autem sententiam Philosophi sic suadent primò. nam ipse 8. lib. Phys. text. 9. eo probat mundum fuisse ab æterno, quia si Deus produxisset illam in tempore, mutaretur; sentit ergo Philosophus actionem in agente subiectari; quoniam cum actio productiua sit transiens & ad extra, si in agente non subiectaretur, nec mutaretur agens, nec argumentum Philosophi vilius esset ponderis, & efficaciam. Secundò nam 2. de anima text. 26. docet actum in eo esse, cuius est actus. Sed 3. Physic. text. 18. & 20. affirmat actionem esse actum agentis; ergo in eo subiectatur, ex Philosophi mente.

22.

Hanc autem esse sententiam Angelici Doctoris sic probant. nam in 2. d. 40. q. 1. art. 4. ad 1. docet, quòd cum actio sit in agente, & passio in patiente, non potest esse idem numero accidens quòd est actio, & quòd est passio, cum vnum accidens non possit esse in diuersis subiectis. Item q. 7. de potentia art. 12. ad primam asserit actionem esse perfectionem propriam agentis. & 2. contra gentes cap. 9. hæc habet, *Actio qua non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto, & ideo inter nouem genera computatur.* Tandem quæst. citata de potentia art. 9. ad 7. ut ostenderet actionem non secundum modum essendi, sed secundum modum considerandi esse ab agente. nam secundum modum essendi est in agente, ut in subiecto illius. hæc habet: *Actio ex hoc quòd est actio, consideratur ut ab agente; in quantum verò est accidens, consideratur in subiecto agenti. & subdit quæst. sequenti 8. art. 2. Nihil prohibet aliquid esse inherens quòd d.*

quod tamen non significetur ut inherens, sicut etiam actio non significatur ut in agente, sed ut ab agente, & tamen constat actionem esse in agente; sentit ergo Angelicus Doctor omnem actionem prædicamentalem in agente subiectari.

23.

Ratione etiam sic probant. Primò, forma in eo est, cui tribuit suam denominationem: sed actio non denominat passum, sed agens; in hoc ergo formaliter subiectatur. Reliqua fundamenta & huius rationis efficaciam art. sequenti pro nostra sententia expendemus.

Sententia
secunda.

Secunda sententia huic omnino opponitur, tenetque actionem prædicamentalem in passio subiectari secundum Aristot. S. Thom. & rationem, ita Ferrara 3. Physic. quæst. 4. Capreolus in 2. distinct. 1. quæst. 2. art. 3. Heruæus quodlib. 4. quæst. 4. Suarez 2. tomo Metaphys. disput. 48. sect. 4. Ruu. hinc quæst. 6. & alij plures: hancque esse Philosophi sententiam, primò probant ex 3. Physic. cap. 3. vbi eundem motum ait esse actionem, & passionem, actumque agentis ut à quo, & patientis ut in quo. sed motus subiectatur in passio; ergo & actio. Secundò ex 9. Metaphysicæ cap. 9. vbi ait actionem esse in re facta, ut ædificationem in re ædificata. Tertio ex 2. de anima cap. 2. textu 24. & 26. vbi habet quod actus agentium in eo quod patitur, atque disponit, inesse videtur. & lib. 3. cap. 2. text. 139. expressè ait, actionem & passionem in eo esse quod patitur, & inde infert necessarium non esse, ut quod mouet moueatur. & textu 140. Actio (inquit) & passio non in agente est, sed in eo quod patitur; apertum ergo est, ex mente Philosophi, actionem in passio subiectari.

24.

Idem sensisse Angelicum Doctorem probat Physica Carmelitarum disput. 17. quæst. 4. §. 3. ex pluribus

locis eiusdem, nempe ex 9. Metaphysicæ lectione 9. & ex 1. 2. quæst. 3. art. 2. & quæst. 3. 1. art. 5. & 1. contra gentes, cap. 100. & de veritate quæst. 14. & 1. parte quæst. 54. art. 1. præcipue ex quadam autoritate primæ partis quæst. 18. art. 3. ad primum. vbi sic inquit, quod sicut dicitur in 9. Metaphysicæ duplex est actio, una qua transit in exteriorem materiam, ut calefacere & secare; alia qua manet in agente, ut intelligere, sentire, & velle. Quarum hac est differentia, quia prima actio non est perfectio agentis quod mouet, sed ipsius motio. Secunda autem actio est perfectio agentis. idem docet sapius cum explicat verba Philosophi relata nuper; sentit ergo Angelicus Doctor actionem transeuntem in passio subiectari.

Ratione autem hanc sententiam sic probant. Primò ex D. Thomæ ratione 1. parte quæst. 18. art. 3. ad primum. nam actio transiens & immanens sunt oppositæ differentie diuidentes actionem in communi; ergo diuerso modo constituunt: sed actio immanens subiectatur in agente; ergo transiens huic opposita subiectatur in passio. Secundò actio, & passio sunt idem in motu, ex sapius dictis: iste subiectatur in passio; ergo & actio. Tertio non solam effectus, sed etiam actio transiens ab agente fluit: sed effectus actionis transeuntis non est in agente; ergo nec actio.

ARTICVLVS II.

Quibusdam dictis fertur utriusque sententia iudicium.

Dico primò, sententia Doctoris est actionem prædicamentalem in agente subiectari; docet expressè in 4. dist. 13. q. 1. §. ex dictis, versic. ex hoc patet, n. 14. & dist. 43. q. 5. §. de tertio, & lib. 26. Conclusio prima.

lib. 11. in *Metaphysicam* summa 4. cap. 2. num. 78. & alibi sæpius: distinguit enim Doctor, vt notauimus num. 11. actionem physicam à prædicamentali, quòd actio physica est forma fluens, seu res acta, quatenus ab agente: actio autem prædicamentalis est quidam respectus extrinsecus adueniens, subiectatus in agente, & terminatus ad passum, supposita prioritate naturæ, absoluta transmutatione per inductam formam: ita intelligo Angelicum Doctorem in priori & secunda sententia citatum. nam in locis prioris sententiæ, vt ex contextu patet, solum intendere videtur quòd actio quatenus accidens prædicamentale in agente subiectetur; in aliis verò pro secunda sententia allegatis loquitur physicè, seu de motu physico, iuxta modum loquendi Philosophi, & ita affirmat, actionem pro re acta in passu subiectari.

27.

*Conclusio
secunda.*

Dico secundò, ex mente Aristot. nequit expressè inferri actionem transeuntem prædicamentalem in agente subiectari. Patet, quoniam vbique loquitur de actione, inuoluit ipsam cum motu, vt sic autem subiectatur in passu; ergo. Vnde Ruinus & Suarius vbi supra affirmant dubitari non posse ex mente Philosophi actionem in passu subiectari, loquitur autem de actione pro re acta; de prædicamentali tamen aliter sentiendum est, licèt eius expressè Philosophus non meminerit.

28.

*Conclusio
tertia.*

Dico terriò, efficacissima ratione suaderi potest actionem prædicamentalem in agente subiectari. probat Doctor in 4. vbi supra. nam actione prædicamentali agens formaliter denominatur agens: sed omnis forma denominat subiectum, in quo est; ergo actio subiectatur in agente. Di-

ces actionem non denominare intrinsecè agens, sed extrinsecè. Vnde sicut paries dicitur visus à visione existente in oculo, & Deus dicitur creator sola terminatione dependentiæ, ex Doctore in 1. dist. 30. questione vnica, per totam; sic agens poterit extrinsecè denominari actione existente in passu. Sed contra. Primò quòd omnis forma denominans aliquod extrinsecè, aliud intrinsecè denominare debet; sic visio intrinsecè denominat oculum, & dexteritas hominem, licèt extrinsecè columnam: sed actio prædicamentalis non denominat passum intrinsecè, nec aliud quodpiam; ergo nec extrinsecè agens. Secundò actio & passio sunt oppositi respectus, quibus agens, & passum mutuo se respiciunt; ergo non in altero, sed in vtroque subiectantur extremo. Patet consequentia, nihil refertur ad aliud per id quod ad ipsam terminatur, sed per id quod fundatur in ipso, vnde filius non refertur ad patrem quatenus terminat relationem paternitatis, sed quatenus subiacet relationi filiationis: sed agens, & passum se formaliter respiciunt; ergo agens non respicit passum terminatione motus, sed relatione aliqua inhærente, quæ actio prædicamentalis dicitur, & sic confirmo, agens vt terminus à quo, non est ad aliud, sed à quo aliud, nempe motus; ergo vt respiciat passum tanquam transmutatum, & ad illud sit, debet fundare relationem nouam, quæ dicitur prædicamentalis actio.

Obiicies primò, si actio & passio sufficienter intelliguntur in motu; ad quid ergo multiplicamus aliam actionem prædicamentalem in agente subiectatam. Respondetur ex dictis num. 13. actionem prædicamentalem esse qua agens respicit passum, non

termi

29

*Obiectio
prima.*

terminum productum. nam iste respicitur relatione intrinsecus adueniente; unde ut saluemus veram praedicatorum distinctionem, veramque rationem actionis praedicatorum intelligamus, oportet hanc relationem formaliter & intrinsece denominantem ponere in agente distinctam à relationibus quanti praedicatorum.

*Obiectio
secunda.*

Responsio.

Obiicies secundò, si actio transiens in agente subiectatur; ergo ab immanente non differt. Nego consequentiam, quoniam licet non differant ratione formae, aut actionis praedicatorum, differunt tamen fundamentaliter. nam actio transiens supponit motum, seu formam ad externam materiam transeuntem; immanens verò formam, seu entitatem fluentem ipsi agenti inhaerentem; distinguuntur ergo fundamentaliter, non formaliter.

*Obiectio
tertia.*

Responsio.

Obiicies tertio, actionem denotare dependentiam ab alio tanquam à termino à quo; ergo non est respectus in agente, sed ad agens à quo est motus. Responderetur concedendo antecedens de actione physica passiva, hæc enim ex sæpius dictis agens tanquam terminum à quo respicit, passiva, inquam. nam actio activa physica quæ dicitur productio, est relatio intrinsecus adueniens subiectata in agente producente & terminata ad motum, aut rem actam; sicut actio passiva alia etiam intrinsecus adueniente respicit agens, ex num. 1. negamus tamen actionem praedicatorum denotare dependentiam à quo; potius enim dicit ordinem ad aliud, nempe passum, quod respicit tanquam transmutatum, quod sequenti patescit exemplo. Ignis generat ignem in ligno, forma ignis geniti fluit ab entitate ignis generantis, huncque respicit tanquam

terminum à quo motus, & hæc dicitur productio passiva correspondens actiuae generantis, quæ formaliter sunt respectus intrinsecus aduenientes, ut de causalitate efficientis causæ diximus lib. 2. quaest. 4. difficultate 4. artic. 2. num. 44. Item hæc forma quæ fluit alia etiam relatione, respicit subiectum quod transmutat, ex qua transmutatione tandem fit quoddam resultent in agente & passio duæ relationes extrinsecus aduenientes, quibus mutuo se respiciant, & dicuntur agens & passum intrinsece formaliter & praedicatorum.

Obiicies quartò, Doctorem 3. *Obiectio
quarta.* Physic. quaestione 8. per totam, ex professo docentem actionem in passio subiectari, nec necessarium esse ut agens dicatur agens actionem in ipse intrinsece ponere. Respondetur Doctorem intelligendum esse de actione physica, loquitur enim ibi cum Philosopho, cuius mentem explicat: unde cum hac actione extrinsece denominetur agens, non oportet actionem in eo subiectari, sed in motu respiciente terminum à quo, quod optimè ibidem explicat Arctinus in annotationibus ad hanc quaestionem. *Responsio.*

ARTICVLVS III.

Utrum Deo conueniat agere.

Dico primò, si sermo sit de *30.*
actione physica, seu pro re *Conclusio
prima.*
acta, Deo propriè & rigorosè conuenit agere: Ratio est manifesta, quoniam plures sunt effectus immediatè emanantes à Deo, pluresque formas ex defectu principalis agentis producit in materia ultimè disposita: sed hæc est actio physica, seu pro re acta; ergo.

31. *Conclusio secunda.* Dico secundò, repugnat Deo agere prædicamentaliter, seu esse agens prædicamentale. Pater. nam ex n. 26. actio prædicamentalis est relatio realis extrinsecus adueniens: sed Deo ob suam perfectionem & immutabilitatem repugnat subiici alicui accidenti reali tam relatiuo, quàm absoluto; ergo. Vnde sicut Deus non distinguitur à creatura formaliter; sed solum fundamentaliter, quia est incapax relationis realis distinctionis, nec formaliter efficit relatione reali, ob eandem rationem, ex dictis lib. 2. q. 4. diffi. 4. art. 3. num. 46. sic nec dicitur formaliter agens prædicamentale; sed solum fundamentaliter.

Obiectio. Obiicies, quòd ex dictis vbi supra Deus dicitur formaliter efficiens & creans respectu quodam intentionali; ergo alio simili poterit dici formaliter agens. Concedo consequentiam; tamen iste respectus etsi sit similis prædicamentali, non tamen erit propriè prædicamentalis, quia in prædicamento solum naturæ reales consistuntur, quarum Deus est incapax, ex quæst. 13. Logicæ difficultate 2. art. 2.

ARTICVLVS IV.

*Vtrum in creatione sit vera actio,
& passio.*

Quoniam actio prædicamentalis, ex dictis num. 26. terminatur ad passum quatenus transmutatum, & creatio cum sit ex nullo præsupposito subiecto, ex Doctore in 1. dist. 2. quæst. 2. num. 3. & communi sententia careat subiecto transmutabili; dubitatur merito, an creatio sit vera actio; item cum passio formalis supponat subiectum transmutabile, quod in creatione non reperitur, oportet etiam

examinare an in creatione vera passio possit inueniri.

Dico primò, si creatio sit alicuius simplicis, aut carentis materiæ & formæ physicæ compositione; creatio est actio physica; non autem actio prædicamentalis, nec ei passio correspondere potest. Primum, nempe esse actionem physicam, seu pro re acta, probo. Actio pro re acta est forma, seu effectus fluens quatenus ab agente: sed fieri rei creatæ est à Deo producente; ergo. Secundum, videlicet non esse actionem prædicamentalem, probo. Primò quia creatio soli Deo potest competere, ex Doctore in 4. dist. 1. quæst. 1. sed Deus est incapax relationis prædicamentalis, ex art. 3. num. 31. ergo. Secundò actio prædicamentalis, ex sæpiùs dictis in hac quæstione, terminatur ad passum, sed in creatione rei simplicis physicè nullum est passum quod possit actionem creare, cum sit ex nullo subiecto; ergo. Vnde tertium pater, nempe creationi nullam passionem correspondere, cum nullum subiectum sit quod pati possit.

Dico secundò, si creatio sit alicuius physicè compositi, v.g. ignis, est actio physica, quia productio & fieri rei, non tamen prædicamentalis. Probant quidam recentiores Scotistæ, quoniam actio de prædicamento actionis consistit formaliter in relatione extrinsecus adueniente transmutantis ad transmutatum, quam dicit efficiens ad subiectum motus. Constat autem in creatione cum sit productio rei ex nullo præsupposito subiecto non esse talem relationem; ergo. hæc tamen ratio inefficax est, supponit enim contra Doctorem in 4. dist. 43. quæst. 5. § de tertio, vers. si arguas, n. 9. actionem & passionem prædicamentalem non abstrahere à motu & mutatione,

32.
Conclusio prima.

33.
Conclusio secunda.

tionem, sed id semper supponere: dico ergo ea solum ratione creationem non esse actionem prædicamentalem, quia ex dictis num. 31. & 32. Deus incapax est realis & prædicamentalis relationis: unde si aliqua creatura capax relationis prædicamentalis vllō modo attingere posset creationem, quod impossibile iudicat Doctor, adhuc diuinitus in 4. vbi supra prædicamentali actione crearet. quoniam licet actio generatiua supponat subiectum transmutabile, non tamen creatiua quatenus creatiua, imò nec generatiua semper, non enim est de ratione actionis prædicamentalis, vt sic supponere obiectum transmutabile aliqua prioritate; propterea admittit Doctor creationi correspondere veram passionem de prædicamento passionis, quia materia compositi creati capax prædicamentalis relationis est; concludit ergo Doctor in illa dist. 434. vbi supra. *Ex hoc sequitur corollarium quòd dicendo actionem, & passionem abstrahi à motu, & mutatione, non oportet dicere, quòd remaneat in eis sola ratio relationis, imò verè remanet ratio actionis & passionis; absque quacumque ratione motus, vel mutationis.*

34.
Obiectio
prima.

Obiicies passionem respicere agens inducens formam: sed in creatione physici compositi totum compositum vnica indiuisibili & instantanea actione producitur; ergo nequit inueniri prædicamentalis passio. Respondetur ex Doctore ibidem, *quòd in tali creatione forma simul duratione concipitur in materia, sed posterius natura inducitur, vel imprimitur in materiam passione de genere passionis; sed sine omni mutatione, quia nunquam materia à priuatione forma illius transit ad formam; nec breuiter aliter se habet secundum eam, quia aliter & aliter presupponit entitatem.*

Obiicies secundò creationem nec esse actionem physicam, quoniam actio physica formaliter est respectus ad terminum à quo realiter à forma fluente diuersum, ex dictis n. 8. sed creari respicit primum efficiens relatione identificata, sicut creatura; ergo. Respondetur verum esse, actionem physicam generatiuam connotare respectum realiter diuersum; inde tamen non licet inferre id cuius actioni debere competere. nam distinctio respectus à forma fluenti non ei conuenit, quia actio est, sed quia determinat efficiens, vel non. Vnde cum ex Doctore in 3. dist. 11. quæst. 1. num. 7. creari necessariò respiciat primum efficiens, tamen causam totalem relatione identificata respicit: diximus enim in Logica quæst. 16. difficult. 2. art. 1. relationem creaturæ ad creatorem eadem esse creaturæ, ex Doctore, quia hæc sine creatore esse non valet: genitum autem cum non determinet efficiens indiuiduum, licet efficiens in communi relatione respiciat transcendentali, efficiens tamen particulare relatione prædicamentali & realiter diuersa. Dices quòd ignis, v.g. creatus à Deo, poterat ab alio igne generari; ergo non determinat efficiens. Distinguo, secundum entitatem concedo, quatenus creatum nego, à Deo quæ necessariò exigunt creari, vt Angeli, anima rationalis, &c. determinant primum efficiens, non solum quoad esse, sed quoad modum essendi. Vnde quæ per accidens creantur relatione realiter diuersa respiciunt Deum vt causam principalem, quia id quod potest adesse, & abesse, realiter differt ab entitate rei.

Dubitari etiam posset vtrum actio immanens sit vera actio prædicamentalis? Sed breuiter dico esse veram

Obiectio
secunda.

Dubium.

actionem physicam, quandoquidem agens verè influit in effectum in ipso agente receptum; non autem prædicamentalem, quoniam cum hæc sit relatio realis, requirit extrema realiter opposita: at in actionibus immanentibus, vt de se patet, agens & recipiens, etsi sub diuersis rationibus sunt idem tamen nequeunt, fundare relationes reales prædicamentales. Vnde quando Doctor sæpius affirmat idem posse agere in se ipsum, loquitur de actione physica; non verò de prædicamentali, vt optimè innuit lib. 9. Metaphys. quæst. 1. 4. §. *ad illa*, num. 19. versic. *ad confirmationem*. de quibus in Metaphysica, Deo dante.

Actio immanens est vera actio physica, non prædicamentalis.

Resolutio quæstionis.

Habemus ex tota hac quæstione actionem, & passionem siue physicam, siue prædicamentalem, formaliter loquendo, tam inter se, quàm à motu realiter differre, diuersaque ratione idem in motu existimari. nam actio, & passio prædicamentalis, eo idem in motu nuncupantur, quòd ad positionem motus necessariò in agente, & passio resultat: actio tamen, & passio physica, quatenus in eodem subiecto, nempe motu, aut fluenti forma subieciuntur, quibus forma respicit terminum à quo, seu agens, & terminum ad quem, seu subiectum, aut materiam. Habemus item, Deum verè agere tam actione creatiua, quàm generatiua, physica actione, non prædicamentali, quia hæc est relatio realis accidentalis, cuius Deus est incapax; etsi non relationis notionalis, vt dixi in tractatu de diuina voluntate q. 2. difficult. 4. Vnde si Deus subiaceret posset accidentibus realibus, creatio esset vera actio prædicamentalis, sicut de facto ei vera

passio correspondet, quando creatum est physicum compositum. Ex quo etiam infertur principio, immanentem actionem non posse prædicamentalem existimari, quoniam relatio realis exigit extrema in re opposita & diuersa.

QVÆSTIO III.

De infinito.

VT clarius naturam infiniti explicare valeamus, præmitto primò cum Doctore in 4. dist. 13. q. 1. §. *de secundo*, n. 31. infinitum in prima sui diuisione diuidi in infinitum secundum essentiam, & in infinitum per participationem. Infinitum secundum essentiam illud est, cuius essentialis entitas, sicut incausabilis est ab intrinseco, & causa prima omnium rerum, ita principio caret, & fine: hac infinitate gaudet Deus Opt. Max. vt modo sibi intrinseco, & propter eam omnem possibilem sibi identificat perfectionem. Infinitum per participationem principio caret, & fine, non ab intrinseco, & essentialiter; sed ab extrinseco, & participatiue. Illud autem infinitum, aliud secundum intensionem, vt qualitas infinitorum graduum, si producibilis esset: aliud secundum extensionem, cuius non est pars prima, nec vltima, siue extensio sit discreta, vt numerus numerabilis; siue continua, & permanens, vt linea; vel successiua, vt tempus. Non ergo agitur in hac quæstione de infinito secundum essentiam, quoniam de hoc disputabimus in Metaphysica, sed supponitur dari in rerum natura tam certò ac Deum esse: procedit ergo præsens quæstio de infinito per participationem.

I.
Norandū
primum.
Infinitum
aliud secundum
essentiā,
aliud per
participationē.

Infinitum
secundum
intensionem
&
extensionem.

*Infini-
tum in po-
tentia & in-
finitum
in actu.*

nem tã secundum intensionem, quàm secundum extensionem. Hoc autem diuiditur in infinitum in potentia, & infinitum in actu, ex Doctore lib. 2. in Metaphys. summ. vnica cap. 2. n. 20. cum Aristot. hic cap. 6. *Infini- tum in actu est quod secundum id, quod actu habet, caret sine.* Vnde si fuerit infinitum in genere, v.g. qualitatis, quantumuis magis ac magis accipiamus ex gradibus qualitatis, semper erit vltior gradus accipiendus: quod solet dici infinitum *categorematicum* penes similitudinem, & proportionem ad terminum *categorematicum*, quoniam sicut iste, ex dictis in Summulis quæst. 1. difficult. 2. art. 7. per se ipsum est terminus, ita infinitum in actu secundum ea, quæ actu includit, est infinitum. *Infini- tum in potentia termino caret, & sine, cum semper crescere possit: tamen secundum ea, quæ actu includit, finitum est; & ideo merito infinitum in po- tentia, syncategorematicumque nuncupatur, quia sicut terminus syncategorematicus ex se, nisi alteri adiungatur, non est terminus; ita in- finitum in potentia per id, quod actu habet, nequit infinitum existimari.* Vtrumque infinitum explicatur illa definitione tradita à Philosopho 3. *Physic. textu 63. vt optimè notat Doctor quodlibet. 5. §. de primo. litt. A* cum dicitur, *infini- tum est, cuius quan- titatem accipientibus, vel quantumcum- que accipientibus, semper aliquid restat accipere.* Conuenit quidem infinito syncategorematico, seu in potentia, quia *infini- tum in quantitate:* (sicut lo- quitur Philosophus,) *non potest ha- bere esse nisi in potentia, accipiendò sem- per alterum post alterum, & ideo quan- tumcumque accipitur, illud non est nisi finitum, & quadam pars totius infiniti potentialis, & ideo restat aliquid alte- rum ipsius infiniti accipiendum. Ex hoc*

concludit, quod sicut infinitum habet esse in fieri, & in potentia, in quanti- tate; ita non habet rationem totius, quia totum est, cuius nihil est extra: sed extra illud infinitum, hoc est, extra illud, quod habet esse de ipso, semper est aliquid ex- tra; neque est perfectum, quia perfectum est, cui nihil perfectionis deest, sed isti semper aliquid deest. Partes ergo accipiendæ non sunt actu & in ipso, sed ad extra & in potentia. *Cate- gorematico etiam infinito, subdit Doctor ibidem, eadem definitio ac- commodari potest, si ita intelliga- tur, infinitum est, cuius quantita- tem accipientibus, vel quantum- cumque accipientibus, semper ali- quid restat accipere ex his, quæ actu in ipso, & non ad extra, & in po- tentia sunt: in hoc quippe speciali- ter infinitum participatum ab in- finito per essentiam differt, quod quodcumque consideratur in infinito per essentiam, infinitum est identi- ficans sibi omne possibile: infinitum autem participatum, si per partes ac- cipiatur, infinitum non est; sed sem- per restat vltior pars ad infinitatis complementum, hac obseruata dif- ferentia, quod infinitum in poten- tia accipit partes externas, & in ipso non existentes; infinitum autem in actu partes complentes & integran- tes ipsum infinitum interna actuali- tate.*

3. Noto secundò ad faciliorem vsum huius nominis *infini- tum*, cum Do- ctore lib. 17. in Metaphysic. summa 4. cap. 2. num. 79. & lib. 2. Meta- physic. quæstione 6. §. hic est noran- dum, num. 2. quod infinitum tam in potentia, quàm in actu ex modo lo- quendi Philosophi multifariam vsur- patur. Infinitum enim in actu quadri- fariam nominatur, primo modo ne- gatiuè, qua ratione omnia ea infinita existiman

*3. Norandū
secundū.*

2. *Definitur
infini-
tum
ex Philo-
sopho &
Doctore.*

existimantur, quæ pertransiri repugnant, sicut punctum, & vnitas, quæ pertransiri, & mensurari nequeunt. Secundo modo actu infinitum dicitur, quod etsi inceptum sit pertransiri; nondum tamen pertransitum est, utpote si aliqua via, qua incepta est perambulari, dicatur infinita, vel non finita, vel non terminata, pro eo quod nondum est pertransita perfecte. Aut dicitur infinitum tertio modo, quod vix pertransitur. Puta si altitudo cali, aut profunditas maris, vel aliqua via longa dicatur impertransibilis, & infinita pro eo, quod transcendit facultatem transeuntis, vel mensurantis, licet sit transibilis quantum est de se. Aut dicitur infinitum quarto modo, quod natum est habere pertransitionem quantum est ex suo genere, & talem non habet, & tale est infinitum priuatiue, quia licet aptum sit determinari, & fini, actu tamen tali sine priuatur. Infinitum in potentia tripliciter accipitur, vno modo appositione, vt numerus nam quolibet numero dato contingit appenere vnitatem, & hoc modo numerus potest crescere in infinitum, & hoc est tantum secundam potentiam. Aut dicitur infinitum secundo modo ablatione, vel diuisione, eo quod sit aliquod continuum, quod de se est in potentia, vt possit diuidi in infinitum. Aut dicitur infinitum tertio modo, & iste vtrumque præcedens comprehendit, sicut tempus, quod est infinitum appositione, quatenus habet rationem numeri, quia tempus est numerus motus, & est infinitum diuisione, quatenus habet rationem continui, cum sit idem realiter quod motus. Quibus suppositis in hac quæstione duo examinanda veniunt. Primum, vtrum per vires naturæ dabile sit infinitum in actu. Secundum, vtrum supernaturali potentia.

Infinitum in actu quadrifariam accipitur.

Infinitum in potentia triplex.

DIFFICULTAS I.

Vtrum per vires natura possit dari infinitum in actu.

NON dubitamus in præsentia an detur actu infinitum in potentia, quoniam hoc ita est certum, ac dari quantitatem diuisibilem in semper diuisibilia, & tempus præsentialiter, & sine termino successiuum: quapropter de facto admittenda sunt omnia illa infinita in potentia enumerata cum Doctore in limine huius quæstionis num. 3. Solum ergo est difficultas, vtrum detur infinitum in actu, non solum negatiue, priuatiue, aut interminatiue, quoniam hæc etiam infinita admittuntur ab omnibus; sed etiam positiue, quod est idem ac inquirere, an detur de facto aliqua magnitudo, aut entitas creata, cui nihil restet accipiendum ab externo, sed in se gaudeat interminabilitate, & infinitate, ita vt absolutè infinita denominati valeat.

ARTICVLVS VNICVS.

Explicatur sententia communis.

Communis Peripatheticorum consensus docet contra Xenophontem, & Anaxagoram, aliisque antiquos Philosophos, non posse dari per vires naturæ entitatem actu infinitam: ita Doctor 3. *Physic.* quæst. 10. & lib. 11. in *Metaphys.* summa 4. cap. 2. §. *probat infiniti*, num. 80. & lib. 2. *Metaphysic.* quæst. 6. §. *hic est*, num. 2. & alibi læpius. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quod de ratione corporis naturalis est, vt sit terminatum superficiebus, habeatque aliquam figuram: sed figura clauditur terminis, qui repugnant infinito; ergo.

ergo. Secundò hoc infinitum vel est animatum, vel inanimatum: animatum esse nequit, cum ex dicendis i. de generatione, animata, & viuentia habeant terminum magnitudinis, & paruitatis; neque inanimatum. nam hoc vel est sub cœlo, vel supra cœlum: non supra cœlum, nam huius non est assignabilis aliqua naturalis causa, quod intendimus; neque sub cœlo, nam iam terminis elauderetur, quod est contra rationem infiniti; ergo. Quæ veritas præcipuè experientia confirmatur, quia nullam quantitatem non augmentabilem tangimus, vel terminis non inclusam, nullamque substantiam, aut qualitatem, cui proprietates infiniti valeant conuenire: figmentum ergo antiquorum Philosophorum est admittere infinitum, viribus naturæ productum.

Obiectio prima.

Obiicies primò, his rationibus non probari sufficienter repugnare infinitum per naturam. nam, vt optimè notat Doctor lib. 1. r. in Metaphysic. vbi supra num. 84. versic. *notandum*, qui poneret multitudinem infinitam, non concederet eam esse numerum, quia numerus est multitudo mensurata per vnã, & qui poneret corpus infinitum, non diceret ipsum terminari superficie, quia hoc pertineret ad corpus finitum; non ergo concluditur repugnare infinitum per naturam. Responderetur his rationibus probabilibus solam probari in præsentì, de facto non cognosci tale infinitum, quod est leuè argumentum ad probandam eius repugnantiam. nam ea, quæ natura nunquam produxit, probabiliter saltem existimare possumus improducibilia esse præterquã quòd ex dicendis difficultate sequenti satis constabit, nullam potentiam creatam sufficientem esse ad ponendũ tale infinitum in actu, etsi in re possibile esset.

Obiicies secundò, in quolibet continuo conceditur à Philosophis infinitæ partes proportionales, infinita puncta, infinitæ quæ relationes, quibus partes & puncta opponuntur inter se; datur ergo infinitum in actu. Responderetur omnes istas partes proportionales finitas esse in actu, etsi in potentia infinitas, sunt quidem in continuo vnitæ, componantque finitam quantitatem: vnde nec numerari valent, cum ad rationem numeri entitates discretæ præxigantur. Ad illud autem quòd dicitur de relationibus, respondent quidam non esse inconueniens admittere infinitas relationes propter earum imperfectionem: ego tamen existimo, probabile esse tales relationes non dari, vt dicam in Metaphysica quæstione de relatione, quoniam relatio requirit fundamentum, & terminum in actu: tales autem partes, etsi infinitæ proportionaliter censeantur, quatenus diuisibilitatem respiciunt, in re tamen oppositæ non sunt, nec determinatæ, potius vnã integrant, & continuant quantitatem finitã & limitatam, vt intendunt plures recentiores, de quo lib. 4. quæst. 6. num. 30.

5.
Obiectio
secunda.
In quolibet
continuo sunt
infinita
partes &
infinita
puncta.
Respondeo.

Obiicies tertio finitum & infinitum esse passiones quantitatis; ergo sicut datur quantitas finita, ita similiter infinita. Responderetur infinitum quòd est passio quantitatis, non esse in actu, sed in potentia, denotatur quidem his passionibus quantitatem, quantumuis actu finitam, & limitatam, semper esse in infinitum diuisibilem, & augmentabilem.

Obiectio
tertia.
Respondeo.

Obiicies quartò Deum vt auctorem naturæ esse infinite potentem; valet ergo istam infinitam virtutem reducere ad actum, aliàs frustra ei competeret: sed si repugnaret infinitum in natura, talis infinita virtus

6.
Obiectio
quarta.

DIFFICULTAS II.

Vtrum per supernaturalem potentiam possit dari infinitum in actu.

Responso.

non exerceretur; ergo concedendum est actu infinitum, vel saltem per naturam possibile. Responderetur de ratione infinite potentis solum esse, posse producere omne possibile: unde si Deus non liberè, sed naturaliter ageret, omne producibile summa necessitudine produceret; non ergo bene probatur ex infinita potentia Dei possibilitas naturalis infiniti, sed prius oportet probare eius possibilitatem, ut probemus Deum posse illud producere. Rursus quamvis spectaret ad infinitatem primæ causæ posse producere infinitum in natura, non sequeretur id esse possibile in hac natura, quæ de facto est. nam eius structura dispositioque causarum, & elementorum, talis est quod petat finita principia, finitumque ordinem rerum; quapropter quodcumque infinitum Deus produceret, præternaturale esset, & extra ordinem istarum causarum naturalium: vtrum autem in alio ordine naturali id sit possibile, dicemus in difficultate sequenti. Nec dato quod infinitum esset impossibile, frustranea esset Deo potentia infinita cum minori virtute, quam infinita, nec valeret concurrere cum omnibus & singulis causis ad omnes effectus producendos, nec alia quamplurima producere, quæ infinitam potentiam necessarid exposcunt, ut de actione creativa principali docet subtilissimas Doctorum in 4. distinctione 1. quæstione 1. §. *ideo dici potest*, num. 28. cum communi Theologorum consensu.

Infinita potentia solum respicit possibile.

IN explicacione huius difficultatis magna est inter Doctores controversia, nec de mente Doctoris satis constat quid in hac parte tenendum sit. Gregorius in 1. distinct. 48. quæst. 4. Ochamus quodlibeto 2. quæst. 5. Argentina disputatione 1. quæstione 2. artic. 4. Maior & Almaynus in 3. distinct. 3. quæstione vnica, Gabriel in 2. dist. 1. quibus subscribunt Vasq. disput. 26. 1. partis. Hurtado in sua Physica disput. 13. sect. 2. & 3. & alij quamplures recentiores affirmant id esse possibile; negant tamen D. Th. 1. part. quæst. 7. artic. 3. & quodlib. 9. artic. 1. nec non quodlib. 12. artic. 2. Seraphicus Doctor in 1. distinct. 43. quæst. 3. Richardus ibid. quæst. 5. & 6. Durandus quæst. 2. Marsilius in 1. distinct. 42. Caietanus 1. parte quæst. 7. artic. 3. & 4. Ferrara 1. contra Gentes cap. 8. Sotus, Toletus & alij quamplures, quos referunt Conimbricenses 3. Physicorum cap. 8. quæstione 2. articulo 1. quibus ipsi adstipulantur artic. 3. & Valentia tomo 1. disputatione 1. quæstione 7. punct. 3. huius tamen difficultatis nodus non satis enodabitur si de omnibus entitatibus quæ possunt infinitati subiaccere, seu de quibus potest esse controversia, loquamur indistinctè; quapropter per sequentes articulos, de indiuiduis, de qualitatibus intensione, de quantitate discreta & continua, disputabimus, & ad horum intelligentiam explicabimus prius an possit dari infinitum aliquid per essentiam præter Deum, & vnum infinitum.

7. *Dari posse diminutum infinitum in actu, docent aliqui Doctores.*

Negant alij.

* * *

infinitum creatam possit esse maius alio.

ARTICVLVS I.

Virum supernaturali Dei potentia possit creari aliquid ens secundum essentiam infinitum.

3. Omnes Philosophi negant possibile esse infinitum secundum essentiam.

NEGAT vnanimis Theologorum & Philosophorum consensus; tamen in reddenda huius veritatis ratione non satis conueniunt Doctores: ego autem breuitatis causa (nam de hoc iterum redibit sermo in Metaphysica, quæstione de ente infinito) relictis quampluribus aliis rationibus, his duabus sequentibus hanc veritatem sic ostendo. Prima est, omne ens creatum est ponibile sub genere, vt docet schola peripathetica: sed quod ponitur sub genere, nequit esse infinitum; ergo. Minorem probat Doctor in 1. distinctione 8. quæstione 3. §. alij probant, versicul. respondes, numer. 21. quoniam quæ ponuntur sub genere, constant actu & potetia, scil. materia & forma metaphysica, quæ sunt genus & differentia: infinitæ autem entitati repugnat, quod non sit summus actus imperfectibilis; ergo & repugnabit creatura per essentiam infinita. Secundò repugnat infinitum esse componibile, vt docet Doctor in 1. dist. 8. quæst. 1. n. 3. & alibi sæpiùs, quia cum totum sit perfectius suis partibus, iam aliquid infiniti careret perfectione, & consequenter non esset infinitum, sed ea quæ ponuntur in genere, componibilia sunt metaphysicè, non solum per intellectum, sed ex natura rei, vt innuimus cum Doctore in Logica quæst. 6. difficultate 1. art. 1. ergo. Secunda ratio est, ens infinitum

Ens infinitum per essentiam non ponitur in prædicatione.

Infinitum per essentiam non est componibile.

identificat sibi omnem perfectionem, & hoc esse de ratione eius, docet omnes Theologi; ergo identificaret sibi deitatem, & omnes diuinas perfectiones: sed impossibile est quod aliqua creatura identificetur cum Deo, aliàs tam necessaria esset, sicut ipse Deus, quod est manifestè absurdum; vel essent concedendi duo Dij, quorum quilibet gauderet omnimoda perfectione & infinitate, quod quàm absurdum sit, de se patet; negandum ergo est, posse creari aliquam creaturam per essentiam infinitam.

Obiicies primò, si Deus ageret non liberè, sed naturaliter, ageret ad vltimum potentia; ergo cum Deus sit infinite potens per essentiam, effectum essentialiter infinitum produceret. Concedo antecedens, & nego consequentiam; quoniam infinita potentia Dei, non est potens in impossibile, sed in possibile; cum ergo ex dictis superius constet, id implicare, quantumuis diuina virtus secundum vltimum suæ potentia ageret, non produceret tale infinitum, sed omne possibile, & non includens contradictionem.

Obiectio prima. Si Deus esset causa naturalis, ageret ad vltimum potentia. Responso. Si Deus ageret, naturaliter, non produceret infinitum per essentiam.

Obiicies secundò, Deus cognoscit omnes species possibles sine termino; ergo aliquam infinitam, quæ excedat omnes alias, sitque metrum & mensura earum.

9. Obiectio secunda.

Responderetur talem speciem esse impossibilem, quapropter ex mente Doctoris statuimus articul. 5. impossibilem esse infinitum actu specierum, aliàs daretur species actu infinita.

Responso.

ARTICVLVS II.

*Vnum vnum infinitum sit
maius alio.*

NON solum dubitamus de infinitis in potentia obiectiua, sed etiam de infinitis actualibus, si per potentiam absolutam darentur, quia quantum ad hoc eadem & vtrorumque cum proportione ratio. nam sicut infinitum actuale continet partes actuales, ita potentiale, vel obiectiuum continet potentiales. negant Conimbricenses hic cap. 8. quaest. 2. art. 4. & alij quamplures. Fundamentum est quod maius & minus sunt passiones solius quantitatis finitae, cum infinitum omnia possibilis contineat; ergo implicat quod infinito aliquid possit addi, ac per consequens quod vnum infinitum sit altero maius.

Affirmant Gregorius in 2. dist. 42. quaestione 4. Gabriel d. 1. quaest. 3. & alij à Ruuio relati quaest. 4. Fundamentum est quod totum est maius sua parte, vt de se patet: sed numerus infinitus (si daretur) continet etiam binarios infinitos tanquam partes suas, aliàs totus numerus infinitus non esset; ergo totus numerus est maior binariis. Deinde numerus infinitus hominum esset æqualis numero infinito equorum, & vterque simul maior alterutro seorsum; ergo poterit dari vnum infinitum altero maius.

Pro clariori & breuiori huius articuli intelligentia, permitto cum quibusdā recentioribus infinitū considerari posse materialiter, & formaliter. Infinitum formaliter solum dicit, terminis formaliter carere; materialiter verò pluralitates entitatum, seu magnitudinem, aut latitudinem, quæ infinitari subsunt formali. Ex his

Dico primò infinitum pro formali

nec excedit aliud infinitum, neque ab alio exceditur. sic intelligo Doctorem in 2. d. 1. quaest. 3. §. tenentes. versicul. ad vltimum, num. 20. cum dicit, quod æquale, maius & minus non conueniunt quantitati molis, nisi finita, quia prius diuiditur quantum, per finitum & infinitum, quam sibi conuenias æquale, vel inæquale, de ratione enim quantitatis maioris est excedere, & minoris excedi, & æqualis commensurari, quæ omnia videntur concludere finitatem, & ideo negaretur infinitum esse æquale infinito, quia æquale, & inæquale, & maius & minus sunt differentie quantitatis finitæ, & non infinitæ. quibus verbis perspicue ostenditur infinitum, formaliter loquendo, nec esse mensurabile, nec æquabile, aut inæquabile cum altero infinito, quod satis ostendit ipsius natura & quidditas consistens formaliter in negatione terminorum, quod omnino reiicit æqualitatem, vel inæqualitatem, cum carere terminis formaliter consistat in indiuisibili.

Dico secundò infinitum materialiter tam in quantitate discreta, quam continua potest esse maius, vel minus altero infinito. docet sanctus Thomas 3. part. quaest. 10. artic. 3. ad 3. Caietanus ibid. Ferrara 2. contra Gentes cap. 38. §. vltimo ad primum. Gregorius in 2. distinct. 42. quaest. 4. Gabriel ibid. d. 2. quaestione 3. ad 1. Hurrado disput. 13. sect. 2. §. 2.1. est communis sententia inter recentiores. cuius sententiæ veritas perspicuis exemplis ostenditur. Primò, quoniam infinitus numerus continet omnes binarios, & vterius omnes ternarios, quaternarios, &c. ergo totus numerus continet plus materiæ, quam soli binarij, ac proinde materialiter, saltem, vnum infinitum, & maius alio. Secundò si daretur actu infinitus hominum numerus, tunc quis dubitat, quod

II.

*Cōclusio
secundā.*

10.

*Infinitū
materialiter
&
formaliter.*

*Cōclusio
primā.*

quod forent plures digiti, quam homines, longéque plures ambobus essent capilli quos haberent, & nihilominus numerus tam hominum, quam digitorum esset infinitus; ergo. Respondet Conimbricenses totum hoc concludere in entitatibus finitis, non autem in infinitis. Sed contra est quod siue entitates sint finitæ, siue infinitæ, hoc certissimum & per se euidens est, omne includens quid aliud includit, & insuper aliquid aliud debere esse maius illo: sed in casu posito infinitas digitorum includit infinitatem hominum, & insuper pro quocunque homine plures digitos; ergo materialiter maius infinitum est. Idem dicendum est de quantitate continua, v.g. linea. nam licet duæ lineæ versùs Orientem & Occidentem in infinitum protenderentur, posset etiam adhuc vna earum progredi versùs Meridiem, si versùs illam plures partes ei adderentur: atque ad eò illa quæ versùs Meridiem protenderetur, plus materiæ haberet, quàm alia; ergo infinitum materialiter potest excedere & excedi.

Obiectio prima.
Responso.

Obiicies primò, maius & minus esse passiones quantitatis finitæ; ergo. Respond. maius & minus non posse competere infinito formaliter, improprie tamè posse competere infinito materiali, quod debent admittere, quotquot in quouis continuo farentur cum Philosopho infinitas partes proportionales, & infinita puncta, cum Doctore in 2.d. 1. quæst. 3. vers. ad aliud, num. 20. quoniam in digito, v.g. non continentur tot puncta, quot in tota manu, quum tamen utrobique infinita sint.

Obiectio secunda.

Obiicies secundò, infinitum de se petit ut à nullo excedatur. hoc denotat non habere finem; ergo implicat quod vnum infinitum sit altero ma-

ius. Respond. concedendo de ratione infiniti esse carere terminis. Sed hoc non importat, quod vnum infinitum aò possit excedere aliud. nam iste excessus non est terminus intrinsecus infiniti, sed extrinsecus, quatenus tale infinitum maius, excedit materiam infiniti minoris. Vnde licet vtrumque infinitum ab intrinseco, termino & mensura careat, & secundum suas partes semper aliquid habeat accipiendum ab intrinseco, tamen extrinsecè vnum dicitur altero maius, non quia in eis sit prima & vltima pars, sed quatenus vnum infinitorum, maiorem, aut minorem habet materiam, quàm aliud. Quod perspicuo exemplo declarari potest: nam si per impossibile crearet Deus aliquam entitatem infinite perfectam, intra latitudinem entis creati, talis creatura, etsi ob suam infinitatem termino suæ perfectionis careret, diceretur nihilominus inæqualis Deo, non ab intrinseco, sed extrinsecè, quatenus talis creata perfectio diuinam perfectionem perungere non valeret.

Responso.

Vnum infinitum materialiter extrinsecè potest excedi ab alio.

Obiicies teritiò, iste excessus vel est finitus, vel infinitus, non enim est dare medium: si finitus; ergo non magnificat infinitam: si infinitus; ergo antequam fieret additio, per quam fit excessus, non erat infinitum. Respond. additionem istam posse esse finitam & infinitam. nam quum non sit ex parte formæ quæ consistit in indiuisibili, sed ex parte materiæ habentis extensionem diuisibilem, talis excessus & potest esse per partes infinitas, ut infiniti homines secundum digitos excedunt infinite infinitos Angelos; finitè tamen excederent, si adderentur de nouo aliqui homines finiti, quoniam ex Aristotele cap. 7. infinitum non est, extra quod non est aliud, sed quod non habet terminum;

Obiectio tercia.

Responso.
Infinitum est indiuisibile formaliter, non autè materialiter.

ergo quàm possit Deus creare ultra infinitos homines alium hominem, iste nõuus excessus materialis, fietet per additionem finitam.

ARTICVLVS III.

Utrum possint dari infinita actu indiuidua.

HUrtado disput. 13. sect. 1. §. 7. imponit subtilissimo Doctorum, quòd neget posse dari infinita actu indiuidua, seu possibilem esse infinitam rerum multitudinem etiam possibilem, eo quòd in 3. d. 13. quæst. 4. §. ad primam quæstionem, affirmet de gratia actuali Christi & cæteris qualitatibus habere terminum, & maximum suæ intentionis, idem imponit Caietano in tertiam partem S. Thomæ quæst. 7. art. 12. §. sesto in hoc loco lector. & ex parte Durando in 1. d. 39. quæst. 2. num. 8. & quod magis est, hanc sententiam quam autumat esse Doctoris, damnatam censet in Concilio Constantiensi contra VViclefium, secundum VValdensum tom. 1. lib. 1. cap. 14. & Ioannem Hus, cuius errorem refert prædictum Concilium his verbis: *Deus nihil potest annihilare, nec mundum maiore, aut minore, sed animas usque ad certum numerum creare, & non ultra.*

Iste tamen author in multis deficit. Primò leuiter & sine fundamento existimat Doctorem tenuisse, numerum indiuiduorum habere terminum suæ producibilitatis. Nam quæ obsecro illatio est ista: Qualitas habet terminum suæ intentionis; ergo indiuidua nequeunt multiplicari in infinitum, quàm qualibet qualitas quantumuis summa vnicum sit indiuiduū, vnde producta vna summa qualitate, aliam summam non diuersam pro-

duci non repugnat, potest quippe Deus in quolibet Angelorum summam gratiam producere, sicut produxit in Christo, & sic in omnibus Angelis quos continuo valet creare; leuiter ergo colligit ex eo quòd Doctor affirmet qualitates habere terminum suæ intentionis, idem dicendum esse de numerali multiplicatione indiuiduorum. Secundò Doctor sepiùs supponit indiuidua de facto esse in infinitum synchegorematice producibilia, vt expressè docet in 2. Metaph. quæst. 6. §. ad rationes, n. 4. & in 2. d. 3. quæst. 6. §. & per hos patet, vers. & quum probatur, num. 18. vbi hæc habet, *non est enim ex parte indiuiduorum vnde fit eorum numerus certus, sed possunt esse infinita nõ repugnante ratione eorum.* Cur autem repugnet intentio qualitatum sine termino, non autem numeralis multiplicitas, dicam artic. sequenti. Tertio non reputo expressè damnatum asserere, indiuidua cuiusvis speciei non esse in infinitum producibilia, quoniam VViclefus, & Ioannes Hus omnipotentiam denegabant Deo, nec posse annihilare, aut mundum minorare affirmabant. hunc errorem damnauit Concilium Constantiense. Qui autem diceret numerum indiuiduorum habere præfixum terminum, non destrueret diuinam omnipotentiam, quàm posset Deus annihilare indiuidua, & eadem reproducere, mundumque hoc modo maiorare, aut minorare. Rursus quamuis Doctor negaret multipliciter indiuiduarum qualitatum, id non negarunt hæretici relati, nec damnatum fuit in Concilio Constantiensi; cur ergo censura digna talis opinio notaretur? falsò ergo imponitur Doctori eiusque doctrinæ propositio aliqua damnata à Concilio, seu sine errore non sustinenda. Accedamus ergo ad
expli

explicandum diuersa authorum placita circa quæsitum huius articuli.

13.
Sententia prima. Implicare infinitam multitudinẽ sentit aliqui.

Prima sententia affirmat implicare contradictionem quod derur infinitum in actu secundum multitudinẽ, est expressa sententia D. Thomæ, 1. part. quæst. 7. artic. 4. cui subscribunt Caietanus, Banes, Nazarius, Nauarrete ibid. & omnes auctores, qui absolute negant posse dari infinitum in actu, quos proposuimus in limine huius difficultatis. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est quod hæc multitudo esset numerus: sed de ratione numeri est quod sit finitus; ergo implicat multitudo actu infinita. Respondent Conimbricenses, hoc argumentum conuincere de numero finito, non tamen de numero infinito: nam quamuis certum sit non posse dari aliquam quantitatem non possibilem in prædicamento, & ad aliquam speciem nõ pertinentẽ: nihilominus quẽm numerus abstrahat à finito, & infinito, talis infinitas entitatum pertineret ad numerum infinitum, non autem ad finitum. Sed contra obijciunt, quod numerus ab intrinseco exposcit quod tales unitates numerabiles inter se aliquem habeant ordinem: sed inter entitates infinitas nullus est ordo, sicut nec mensurabilitas, aut numerabilitas; ergo implicat numerum, seu multitudinem infinitam esse. Huic sententiæ subscribunt quidam recentiores Scotistæ, diuerso tamen fundamento, sed insufficienti, dicunt quidem impossibilem esse infinitam multitudinem, quia ex mente Doctoris in 3. d. 13. quæst. 4. §. ad primam quæstionem, vers. ex hoc ergo, nam. 3. de ratione infiniti est quod sit factibile vnica factione, & quod eius partes sint vnus potentia demonstrata, vel determinata: sed quantitas discreta non est factibilis vnica fa-

Expenditur fundamentum Sancti Thomæ.

Placitum quorundam Scotistarum.

ctione, nec eius partes sunt vnus potentia demonstrata & determinata; ergo nequeunt esse actu infinita.

Secunda sententia affirmat posse dari infinitam multitudinem entium, tam in genere quantitatis, quàm qualitatis, aut substantia. Fundamentum huius sententiæ præcipuum est, quod nulla apparet implicantia, vt Deus infinitam multitudinem Angelorum, quam cognoscit; infinitasque partes proportionales, quas comprehendit in continuo, ponat in re; ergo quẽm nulla apparet implicantia, vt ex argumentorum solutione patescit, talis multitudo infinita deneganda non est. Secundò infiniti homines & infinita partes quantitatis sunt entia realia possibilis, quæ cognoscuntur à Deo; ergo nulla erit implicantia quod ponantur in re, quẽm omne possibile dicat potentiam ad existendum; non est ergo vnde negetur talis possibilitas. Dices repugnare existentiam omnium horum simul, non tamen diuisim, seu successu temporis. Sed contra est, quod nullus homo dicit impossibilitatem cum altero; ergo nec omnes simul. Patet consequentia, nam si mille homines non sunt inter se impossibiles, nec mille partes quantitatis discretæ & separatæ. Vnde poterit colligi repugnantia istius multitudinis infinitæ in actu, si quælibet harum partium infinitarum in re possibilis est. Si dicas quia repugnat entitas actu infinita, petes principium; ergo.

Pro clariori autẽ huius difficultatis resolutione, præmitto; ergo eandem esse difficultatem de multitudine substantiarum, ac de multitudine quantitatum & qualitatum. Nam, vt notauimus in Logica quæst. 15. diffic. 2. art. 1. & latius examinabo in Metaph. quæst. de quantitate, numerus non pertinet ad prædi-

14.
Sententia secunda. Concedit possibile esse infinitam multitudinem in actu.

Numerosa materiam non pertinet ad prædicamentum quantitatum, quando emittentes qua numerantur non sunt quantitates.

prædicamentum quantitatis secundum formam, sed secundum materiã. quando partes quæ numerantur, quantitates sunt: unde multitudo Angelorum, aut hominum quæ numerabilis est, ad prædicamentum quantitatis non spectat, nisi concedamus formam numeri esse quantitatem abstractentem à spiritali & materiali, qua poterit numerari & mensurari quodcumque ens, siue spirituale, siue corporale, quod probabile esse diximus ubi supra. Præmitto secundò numerum & posse considerari formaliter & materialiter. Numerus materialiter sũt entitates quæ numerantur, siue sint substantiã, siue quantitates & qualitates, siue entitates sint spirituales, siue materiales. Numerus formaliter est illa forma, qua constituitur in esse ternarij, aut quaternarij, siue sit rationis, vt quidam dicunt, siue realis, vt dicunt alij, & mihi probabilis videretur, & colligitur ex Doct. in 3. d. 22. quæst. 1. §. modo ad propositum, num. 18. et sit oppositum asserat in reportatis in 1. d. 24. q. 1. §. dices, lit. H.

Probabile formam numeri constituisse speciem quantitatis.

¶ 5. Conclusio prima.

Obiectio ex Doctore.

Responsio.

Dico primò, non implicat dari multitudinem actu infinitam. hoc probat efficaciter rationes pro secunda sententia adductæ.

Obiectis Doctorem in 3. d. 13. ubi supra asserentem de ratione infiniti esse quòd sit factibile vnica factione: sed infinita multitudo quantitatum, ex eodem Doctore ibid. non est factibilis vnica factione; ergo implicat infinita multitudo saltem quantitatum. Respond. infinitum esse factibile vnica factione, dupliciter potest intelligi, vel de infinito secundum entitatem, vel de infinito secundum multitudinem. Doctore enim ibi non probat de infinito secundum multitudinem, nam certum est. ei accidere

quòd vna, vel pluribus actionibus discontinuis producat; loquitur ergo de infinito secundum entitatem, nam ibi conatur reddere rationem eius qualitas non sit in infinitum intensibilis, quantitas autem sit diuisibilis in semper diuisibilia, probauerat quidem paulò superius qualitatem habere terminum sue intentionis, aliàs, quàm Deus comprehendat omnes gradus qualitatis, posset vnum perfectissimum producere, qui quia sit supremus, contineret perfectiones omnium, ac per consequens foret infinitus. Cõtra quam doctrinam sibi obiicit; Quãtitas infinita non est producibilis, etiamsi sit diuisibilis sine termino; ergo neque qualitas, quantumuis in infinitum augmentabilis foret. Respond. negando paritatem, nam vnus gradus qualitatis continet perfectionem alterius, & sic supremus perfectiones omnium possibilium; hæc tamen perfectio infinita esset, quia cõtineret perfectiones omnium graduum possibilium infinitorum, quum tamen vna pars quantitatis (vt magis explicabimus articulo sequenti) non contineat perfectionem alterius; hinc fit quòd nunquã sit producibilis pars actu infinita, tantum enim valet dicere, factibile vnica factione, & esse partes vnus potentie demonstrata, sicut dicere quòd in quibuscũque actibus ordinatis, quilibet actus secundum quemcunque gradum est per se factibilis, ibi siue supremum in potentia potest simul esse in actu, quia vnica potentia potest reduci in actum, in quibus autem natis esse tantum in fieri, sunt multa potentia ordinata, non potest aliquid vnum summum possibile dari in actu, quantum contingit esse in potentia, sed vltra quodlibet factibile in fieri potest fieri aliquid maius, licet non vnica factione. quibus verbis perspicuè ostenditur Doctorem solum negare infini-

Quid denotet infinitum esse factibile vnica factione.

Grades superior qualitatis continet eminenter perfectiones aliorum, partes autem quãtitate non se continet.

infinitam quantitatem secundum perfectionem entitativam, non vero secundum numerum. legatur ibi Doctor.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundo, si multitudo quantitatum infinita est possibilis; ergo & quantitas continua infinita.

Responsio.

Respond. consequentiam esse vnicam materialiter, illatione tamen falsam, non enim sequitur, partes continui sunt infinitae; ergo vnicae constituunt infinitam quantitatem. nam sicut de facto admittimus infinitas partes proportionales in continuo, quantumvis minimo, nihilominus quantitas illa finita est secundum magnitudinem; sic si infinita ista multitudo partium quae daretur, vniretur, non est vnde colligamus, quod ex vi talis vnionis redderetur istis partibus infinitis quantitas continua, infinita, quum possint esse minima & insufficientes ad infinitam magnitudinem.

Obiectio
tertia.

Obiicies tertio, Doctorem negare in 2. d. 1. quaestione 1. §. tenentes. versicul. *ad aliud*, num. 20. possibiles esse infinitas animas simul. Respondetur Doctorem problematicè loquutum fuisse, vt plures Scotistae existimant, & patet ex contextu; solum ergo intendit probare non rectè inferri ex temporanea aeternitate, vel ex eo quod tempus, aut mundus foret aeternus, quod indiuidua producta forent infinita.

¶ 6.
Obiectio
secunda.

Dico secundo implicat dari numerum formaliter infinitum, docet Doctor expressè in 3. distinct. 13. quaest. 4. §. *ad primam quaestionem*, versicul. *sed contra*, n. 2. Fundamentum est quod, sicut ex dicendis articulo sequenti, ideo damus terminum in gradibus qualitatis, & in speciebus, quia gradus superior continet perfectiones inferiorum, sicut & species, & ita posset produci entitas infinite perfecta, quod implicat ex articulo 1. huius dif-

ficultatis; sic quum species numeri crescant in perfectione, & superior, v.g. quaternarius contineat perfectionem ternarij, deueniendum est ad aliquem numerum determinatum, & finitum, ne dabilis sit aliqua forma creata infinite perfecta.

Obiectio
prima.

Obiicies primo, de ratione multitudinis esse numerabilitatem, sed ex conclus. 1. multitudo entium est infinita; ergo & formae, quibus posset numerari, infinitae debent esse.

Responsio
prima.

Respondetur primo de ratione multitudinis finitae esse numerabilitatem, non autem de ratione multitudinis infinitae.

Responsio
secunda.

Secundo respondent alij dari numerum infinitum, sicut & multitudinem infinitam; hunc tamen numerum infinitum non reiciunt à praedicatione, sicut neque lineam, aut magnitudinem infinitam, ex dicendis art. 5. num. 21. quomodo autem posset intelligi numerus infinitus formaliter, si formae numeri habent terminum, ex dicto 2. Respondetur formas numeri infinitas specie distinctas concedi non posse, vt ex Doctore ostendi, id tamen non requiritur, vt concedamus numerum formaliter infinitum, seu sine fine & principio numerabilem: sed ad hoc sufficit quod per replicationem specierum determinatarum semper numeretur aliquid, vel possit numerari sine termino, ponamus numerum denarium esse perfectissimam speciem numeri, hac forma replicata semper poterit numerari materia, & ita numerus iste, non per formam infinitam, sed erit infinitorum per infinitam replicatione vnus formae.

Instans
prima.

Instabis primo infinitum carere principio & fine: sed numerus incipit ab vno; ergo habet principium.

Responsio.

Respondeo hoc argumento euidenter ostendi formam numeri finitam esse

& sic procedendo per gradus; tum sic arguit: si qualitas non habet terminum suae intensiōnis, nec datur summus gradus producibilis; ergo est in infinitum intensibilis & perfectibilis. Deus cognoscit omne ens possibile; ergo penetrat perfectissimum gradum producibilem; ergo quum iste contineat perfectiones infinitorum, iam daretur aliqua creatura infinite perfecta secundum entitatem, quod implicat ex artic. 1. & hinc patet cur quantitas in infinitum diuisibilis sit, qualitas autem non possit in infinitum augeti. nam quum gradus qualitatis sint inaequalis perfectionis, deueniretur ad gradum infinite perfectum secundum entitatem: partes autem quantitatis quum non sint inaequalis perfectionis, facta quantumuis magna diuisione, non augetur eius perfectio; nec pars de nouo adueniens continet perfectiones aliarum partium, quae Doctoris ratio multum habet roboris, si semel statuamus gradus qualitatis esse inaequalis perfectionis, siue specificè, siue numericè, de quibus agendum est ex professo in 1. de generatione.

Cur qualitas non possit in infinitum augeti secundum intensiōnem, quantitas uero sit in infinitum diuisibilis.

18. *Cōclusio.*

Ex suppositis euidenter deducitur impossibilem esse infinitam qualitatem secundum intensiōnem. nam si gradus illius ab intrinseco finiti & limitati sunt; ergo non poterit produci aliqua intensio termino carens; quod requiritur ad rationem infiniti, id tamen non negabunt omnes authores, qui admittunt infinitos gradus possibiles qualitatis ex vna parte, & ex alia fatentur infinitum in actu secundum multitudinem non implicare.

Reprobat in finita multitudinem specierum.

Ex eodem principio etiam manifestè inferitur non posse dari actu infinitas species, neque esse possibiles. nam quum species sint inaequalis perfectionis, sicut numeri, perfectio cre-

sceret in infinitum, ac per consequens daretur species infinite perfecta secundum entitatem.

Obiicies, indiuidua secundum commune Scotistarum placitum esse inaequalis perfectionis, & tamen articulo praecedenti concessimus posse creari infinitam multitudinem indiuiduorum; ergo in praesenti etiam concedere debemus posse dari infinitos gradus intentionis, infinitasque species. Respondetur quod hoc argumentum concluderet, si concederemus omnia indiuidua esse inaequalis perfectionis; id tamen non admittimus, sed solum dicimus non omnia eadem indiuisibili gaudere perfectione indiuiduali, ut dicam in Metaphysica: gradus autem qualitatis necessarij sunt inaequalis perfectionis, sicut & species.

Obiectio.

Responsio.

ARTICVLVS V.

Utrum possit dari infinitum in actu secundum magnitudinem.


Omnes authores relati in principio huius difficultatis, qui affirmabant non posse dari infinitum in actu, id consequenter affirmant de infinito secundum magnitudinem. Fundamentum huius sententiae sunt plures instantiae, & inconuenientia, quae suadere videntur praedictam impossibilitatem, & inferius obiiciemus contra nostram conclusionem. citatur pro hac sententia Doctor in 2. d. 1. quaest. 3. tamen, ut monet marginista, §. tenentes, num. 8. ibi Doctor solum problematicè procedit: adduci etiam solet Philosophus 3. Physicorum, eius tamen authoritas non est magni momenti in hac parte, quum ipse omnipotentiam Dei absolutam (de qua nos loquimur) ignorauerit.

Scotus problematicè loquutus fuit de infinito in actu.

*Cōclusio
tenenda.*

Verior sententia, & nobis sustinenda adstruit posse dari infinitū in actu secundū magnitudinem. hanc conclusionem tenent omnes auctores, qui in principio huius difficultatis fatentur posse dari infinitum in actu. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est quod nulla apparet repugnãtia, ut id fateamur, sicut ex solutione argumentorum in contrarium manifestè patebit; ergo concedendum est posse tale infinitum secundū magnitudinem in actu produci, id enim solam negare possumus diuinæ omnipotentia, quod in re manifestam infert contradictionem.

19. *Obiectio prima.* Obiicies primò, ratione desumpta ex doctrina Euclidis lib. 3. proposi. 26. quæ recepta est apud Geometras, scilicet omnes lineas rectas ductas à centro eiusdem circuli versùs circumferentiam, quo ab eo longiori tractu desident, eo à se ipsis longius distare, ut videre est in hac figura.



Ex hac enim doctrina hoc conficitur argumētum, si daretur corpus habens infinitam extensionem, sequeretur dari infinitum, non infinitum, hoc implicat; ergo & dari infinitum in actu secundū magnitudinem, & extensionem. Probo sequelam. nam si à centro illius corporis extraherentur duæ lineæ rectæ versùs circumferentiam, quàm haberet illud corpus infi-

nitam extensionem, absque dubio pertraherentur illæ lineæ in infinitum; ergo ex doctrina Euclidis tradita etiã distarent inter se in infinitum, & consequenter daretur distantia infinita clausa duabus lineis sine extremis, quod est dari infinitum non infinitum, & manifesta repugnãtia.

Respondetur huic argumento. Primò, suppositione esse falsam. nam corpus infinitum, nec habet terminum, neque centum, neque medium, neque primum: nam omnia ista sunt affectiones corporis finiti, ut colligitur ex Doctore 3. Physicorum quæst. 7.

Secundò respondetur, & meo videri, melius, non esse inconueniens, quod infinitū sit inter lineas, dummodo istæ infinitæ distent. nã in tali casu lineæ nõ terminarent infinitū, sed potius infinitū occuparet illud spatium infinitum interiectum. Rursus non est inconueniens quod in eadē circumferentia infinita sint plures distantia infinitæ. nam quum ex dictis artic. 2. vnum infinitum possit esse maius altero, imò & vnum infinitum ex pluribus infinitis componi, ut in multitudine infinita hominum & digitorum eorundem manifestè patet, hinc est quod in eadem circumferentia infinita siue inconuenienti possint concedi diuersæ distantia infinitæ.

Instabis, contra rationem infiniti esse quod dimensio infinita eius possit excedi, ut docet Doctor in 1. d. 2. quæst. 2. §. ex prædictis, vers. ad secundum, num. 35. sed si in tali circumferentia forent diuersæ distantia infinitæ, iam mensura infinita totius circumferentiæ excederet mensuram alterius partis; ergo infinitum excederetur. Respond. verum esse infinitam mensuram non posse excedi formaliter; materialiter tamen non inconuenit, ut dixi artic. 2. & innuit

Responsio prima.

Responsio secunda.

Non est inconueniens quod in eadem circumferentia infinita, sint plures distantia infinita.

Instãtia prima ex Doctore.

Doctor

In finita mensura potest excedi materialiter.
 Doctor nuper relatus, quum dicit, quod corpus infinitum si esset cum alio, fieret totum maius utroque, ratione dimensionum, quia dimensiones alterius corporis essent alia a dimensionibus corporis infiniti, & eiusdem rationis cum eis, & ideo totum maius esset tota diuersitate dimensionum, (intellige, materialiter) & totum non maius, quia dimensio infinita non potest excedi formaliter.

20.
Obiectio secunda.
 Obiicias secundo, corpus naturale necessario est mobile, sed quantum infinitum esset naturale & immobile, ex Aristotele 1. de celo cap. 5. & 6. ergo. Respond. corpus infinitum de per accidens esse immobile ob impedimentum infinitatis, quæ totum locum videtur occupare: esset tamen de se infinitum naturale & mobile, nec est frustra potentia, quæ in aliquo indiuiduo non reducitur ad actum.

Responsio prima.
 Secundo respond. quod tale corpus infinitum posset in aliquo spatio moueri. nam posset dari infinitum non replens totum spatium possibile, sicut & vnum infinitum secundum magnitudinem maius altero, hinc in tali casu posset dari motus & recessus a termino a quo, & accessus ad terminum ad quem: vnde quando Aristoteles dicit quod infinitum corpus non moueretur, intelligendus est, si totum spatium possibile replet, quod non est de intrinseca ratione infiniti secundum magnitudinem.

Obiectio tertia.
 Obiicias tertio, implicat quantitatem carere figura: sed infinita quantitas si daretur, non haberet figuram; ergo repugnat fieri infinitam. Resp. primo non esse inconueniens quantitatem carere figura. nam quum hæc pertineat ad prædicamentum qualitatis, ex dictis in Logica quæst. 17. diffic. 1. art. 1. posset separari a quantitate quum distinguatur realiter ab ea. Vel secundo & probabiliter re-

Responsio secunda.
 spond. non esse inconueniens affirmare quod quantitas infinita haberet figuram. Si tamen obiicias primo de ratione infiniti esse quod careat terminis: sed figura est terminus quantitatis; ergo quantitas infinita careret figura. Respond. de ratione infiniti esse vt sit interminabile per aliquam rationem finitam, vel intra genus suum: vnde implicaret quod in quantitate infinita possemus assignare proprium terminum, non tamen implicat quod extra genus aliquem terminum designemus, nempe figuram, quæ ad prædicamentum qualitatis spectat. nec hæc proprie dicitur terminus, sed quasi quædam absoluta, & intrinseca partium dispositio, non in ordine ad locum actualiter, vt diximus vbi supra. Vnde in Christo Domino existente indiuisibiliter, & inextensè sub sacramentalibus speciebus figuram esse concessimus, quia hæc consistit in absoluta quadam dispositione partium.

Probabile est quod quantitas infinita haberet figuram. Instantia prima.
Responsio.
 Instabis secundo quod ex Doctore, vt probauimus articulo præcedenti, nequit dari qualitas infinita; ergo, neque figura quantitatis infinitæ, quia infinita deberet esse. Respond. Doctorem solum negare infinitam qualitatem secundum intensionem, non verò secundum extensionem. Vnde hæc figura secundum intensionem gradualement finita esset, secundum extensionem verò infinita, quia quantitatem infinitam informaret. Idem dico de quibuscunque aliis qualitatibus, quibus hæc infinita magnitudo subiaceret.

Instantia secunda.
 Instabis tertio quod ex Doctore in 4. d. 12. q. 4. §. ad questionem, num. 19. figura consistit in relatione partium ad se inuicem; ergo falsò supponimus esse qualitatem. Respond. ibi Doctorem non loqui de figura prædicamenti qualitatis, quia hæc est absoluta secundum ipsum; sicut & prædicamentum,

Instantia tertia.
Responsio.
 IIII 3

mentum, cuius est species; loquitur ergo de figura locali, quæ in diversa positione partium, & ordine ad locum consistit, ut notat Fantes in quodam scholio quarti, d. 10. q. 2. §. *Dico ergo*, in fine.

2 I.
Obiectio
quarta.

Obiicies quartò, sequeretur idem spatium tam plene occupari à parvo, quam à magno corpore. Nam lapides infiniti vnus palmi occuparent spatium infinitum, & lapides infiniti dimidij palmi etiam occuparent spatium infinitum; ergo. Respond. lapides vnus palmi magis occuparent excessu indeterminato, non autem excessu determinato.

Instans.

Instabis, si Deus crearet duas virgas infinitas, & ex vna annihilaret quatuor palmos, in tali casu excederetur excessu determinato. nam duo palmi determinati essent; ergo. Respond. extrinsecè bene posse vnum infinitum ab alio excedi materialiter, per assignationem alicuius partis materialis determinatæ, tamen absolutè materia vtriusque infiniti indeterminata esset ab intrinseco, quandoquidem infinita carent fine & principio.

Obiectio
quinta.

Obiicies quintò, & vltimò, omne ens creatum ponitur in prædicamento: sed ens infinitum non ponitur in prædicamento; ergo non est creabile. Respond. quòd si daretur quantitas infinita tam secundum longitudinem, quam latitudinem, aut profunditatem, poneretur in prædicamento, ut docet Doctor in t. d. 8. q. 3. §. *Alij probant. verè. Respondeo, quia esset ens limitatum simpliciter, & excessum simpliciter à perfectiori ente: sed infinitum ens simpliciter non potest esse in genere; & hoc est, quia prima infinitas, nempe secundum quod, non tollit omnem potentialitatem, quam requirit ratio generis, sed tantum ponit infinitatem, secundum quod alicuius imperfecta entitatis, in qua*

si daretur
linea
infinita,
poneretur
in prædicamento.

ut illa est, bene potest esse compositio, in quocumque gradu illa ponatur, sed secunda, nempe infinita simpliciter, necessariò tollit omnem potentialitatem. legatur Doctor ibid. Vnde licet à prædicamento excludatur ens simpliciter infinitum tanquam incomponibile, & negatum potentialitate; entia tamen infinita creata, nullatenus excluderentur, quia componerentur metaphysicè ex genere & differentia, nec repugnaret illis actus & potentia.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Deus cognoscat infinitum.

Duplicem scientiam admittunt in Deo cõmuniter Theologi, simplicis intelligentiæ vnã, visionis alteram. Scientia simplicis intelligentiæ cognoscit omnia illa, quæ non est facturus, modò possibilea sint, ut alij mundi, modò sint impossibilea, ut chimara. Scientia visionis cognoscit faciendã in aliqua temporis differentia. Ex quibus & ex dictis articulis præcedentibus manifestè cõstat Deum scientia simplicis intelligentiæ cognoscere plura infinita; quum hæc sint possibilea, & scientia simplicis intelligentiæ cõprehendit omne possibile, imò quamuis impossibilea essent, cognoscerentur à Deo eadem scientia, quum hæc non solam terminetur ad possibilea, sed etiam ad impossibilea. Vtrum autem hæc infinita scientia visionis Deus de facto cognoscat, determinare non possumus, quum scientia visionis terminetur ad futurum, seu decretum per diuinam voluntatem, & ignoremus, an talia infinita, quæ non repugnare diximus, sint futura pro aliqua temporis differentia.

2 2.
In Deo,
est scientia
visionis &
simplicis
intelligentiæ.

Quamuis
infinitum
esset im-
possibile
cognosce-
retur à
Deo scientia
simplicis in-
telligentiæ.

De infinito secundum multitudinem,

nem, dicimus cognosci à Deo scientia visionis, quoniam non est dubium quin cogitationes hominum & Angelorum existentes futurae & praeteritae infinitae sint, aliàs possemus spectare finem earundem, quod est absurdum.

Obiectio. Obiicies praedictas cogitationes non durate & existere specie; ergo non cognoscit illas Deus vt actu infinitas. Respond. verum esse, non esse actu infinitas, id est, non habere existentiam specie, tamen sufficit vt Deus illam infinitatem actu cognoscat, quod pro pluribus temporis differentiis sint infinitae, quum omnes has scientia visionis comprehendat, itaque scientia visionis Deus actu cognoscit infinitum, non tamen infinita in actu, quae in aliquo, nunc, praesentiae & existentiae realis actualis propria gaudeant infinitate.

Totius quaestionis resolutio.

Resoluimus in tota hac quaestione infinitum aliud esse per essentiam, aliud verò per participatio-

nem. Item infinitum per participationem, quoddam categorematicum, quoddam verò syncategorematicum, & non dari infinitum in actu, seu categorematicum, per vires naturae, cum communi Philosophorum consensu statuimus: id autem esse possibile per vires supernaturales diximus, quod non solum verum est de infinito secundum multitudinem, sed etiam secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem, ostendimusque implicare numerum formaliter infinitum, sicut & infinitam intensiorem graduum qualitatum, non tamen implicare quod vnum infinitum ab alio materialiter excedatur excessu intrinseco indeterminato, & excessu extrinseco determinato. haec omnia pertingit diuina scientia, & intellectus, qui scientia simplicis intelligentiae cognoscit quoduis infinitum, siue possibile, siue impossibile foret. Dubitamus tamen, an scientia visionis cognoscat infinitum secundum magnitudinem, haudquaquam haec scientia actu infinitam multitudinem comprehendere.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.



EGI MV S in tertio libro de vna ex affectionibus corporis naturalis, nempe motu; nunc autem de aliis tribus, de loco, vacuo, & tempore, secundum Philosophi mentem in hoc libro oportet disputare. Liber iste quatuordecim continet capita, in quinque prioribus de loco tractat Philosophus; in ipso enim corpus naturale conseruatur: in quatuor sequentibus de vacuo instituit sermonem, quia est quidam locus potentialis corpore non repletus, aptus tamen repleti: in sequentibus tandem capitulis naturam temporis, quod est duratio motus, explanat.

QVÆSTIO I.

De loco corporum naturalium.

REMITTO in hac quaestione cum communi Peripathericorum consensu dari in rerum natura locum: quod non solum docuit Philosophus in presenti cap. 1. sed etiam probauit esse quid diuersum à corporibus locatis experientia, qua videmus idem receptaculum, seu eundem locum nunc ab aqua, postea ab aëre occupari: quod fieri repugneret, si receptaculum, sine locus à corporibus locatis, & receptis non esset diuersus. Quo praemisso, dabitandum

venit quid sit locus, qualiter ei conueniat immobilitas; quibus rebus conueniat esse in loco; an duo corpora diuinitus possint eundem locum occupare, & an idem numero corpus à duobus diuersis valeat circumscribi.

DIFFICULTAS I.

Quid sit locus.

Locus, ex mente Philosophi 4. 2.
Physic. textu 41. est *ultimum corporis continentis immobile primum*. hanc explicat Doctor in 2. dist. 2. quaest. 6. §. ad quaestionem igitur, versic. exponendo, num. 7. & quaest. 11. quodlibetica. §. de secundo articulo, litt. D. & §. de tertio, litt. G. & lib. 5. Metaphysic. quaest. 9. §. ad aliud, num. 15. & 4. Physic. quaest. 1. 2. 3. & 4. cuius definitionis explicatio hæc est: dicitur locus *ultimum continentis*, quatenus corpus continens non ambit, nec locat immediatè locatum secundum partes, seu diuisibilitatem: sed secundum ultimam, & indiuisibilem superficiem concavam continentis corporis; locatur quippe corpus, dum eius conuexa superficies alterius corporis concava superficie immediatè circumscribitur, & continetur: vnde cum per vires naturæ non detur indiuisibile separatum, superficies loci dicitur *ultimum continentis*, seu indiuisibile immediatè locans vnitum partibus corporis locantis, seu loci. Quapropter si daretur superficies à corpore sepa

separata, non minus locaret, quam modò. Dicitur immobilis non solum per se, sed etiam per accidens. Vtramque conditionem loci articulis sequentibus explicabo.

ARTICVLVS I.

Qualiter locus sit vltimum continentis.

3. Ex dictis in limine difficultatis plura inferuntur.

EX nuper dictis satis constat, locum dici vltimum continentis, quatenus vltima, & indiuisibilis superficies locantis locatum immediate ambit, & circumscribit. Ex qua conditione plura inferuntur ad exactam loci intelligentiam.

Primo locum esse concretum & accidentale.

Inferitur primo, locum esse concretum accidentale constitutum superficiei tamquam subiecto, & continentia actiua vt forma: hanc continentiam esse relationem extrinsecus aduenientem, dixi in Logica quaest. 16. difficult. 4. & quaest. 17. difficult. 2.

Secundo locum importare in recto continentiam, connotando in obliquo superficiem.

Inferitur secundo, quod cum superficies, & continentia ad diuersa pertineant praedicamenta, locus nequit per se vtrumque importare, sed continentiam in recto connotando in obliquo superficiem, vt docet expressè Doctor quodlibeto 11. vbi supra. Et probatur insuper, quia ex articulo sequenti locus est omnino immobilis non ratione superficiei, cum ista moueatur saltem per accidens ad motum corporis, cuius est; sed ratione formalis continentiae, quae variatur ad variationem extremorum; ergo non superficies, sed continentia formaliter & in recto constituet locum. Confirmatur, quoniam eadem superficie numero inuariata variatis continentis diuersa specie loca constituentur, vt patet in superficie fluminis successiuo motu arbores distantes cir-

cundante; ergo cum res specificentur, & distinguantur per suas rationes formales, continentia ista erit formalis ratio constitutiva loci.

Inferitur tertio, superficiem non esse genus in definitione loci, sed subiectum, cui inest accidentalis continentia: vnde definitio non datur per genus, & differentiam; sed per subiectum, & accidentalem formam. Quapropter continere locatum, conseruare eum, esseque illi aequale, non sunt passiones superficiei, sed accidentia illius: ideo superficies per se sumpta, nisi ipsi accrescat continentia, à quantitate non distinguitur, vt notaui in Logica quaest. 15. & dicam latius in Metaphysica.

Quarto inferitur, locum in praesenti non esse usurpandum in vulgari acceptione pro sede, aut situ alicuius: sed in rigore philosophico, nempe pro receptaculo formaliter immobili, quo aliquid continetur.

Quinto inferitur, locum non esse materiam, nec formam, nec interuallum, seu spatium interceptum inter latera continentis, vt contra antiquos Philosophos probauit Aristot. cap. 2. Non est materia, nec forma, nam locus separatur à locato, eique diuersa variatione contingit modò esse in hoc loco, modò in illo: at materia, & forma, cum sint partes essentiales cuiusvis substantiae corporeae, seu circumscriptiue locabilis, ab ipsa nequeunt separari; ergo materia, & forma nequeunt formaliter locum constituere. Neque est interuallum illud, quod est inter latera continentis, quia tale interuallum aut est quid posituum diuisibile secundum trinam dimensionem, longitudinem scilicet, latitudinem, aut profunditatem: aut est quid priuatiuum, & imaginarium. Non primum; alias cum sit extensum, occupat

tertio definitio-nem loci, non esse per genus & differentiam.

Quarto locum esse in rigore & praesens accipiendum.

4. Quinto inferitur, locum non esse materiam, aut formam.

Non esse interuallum.

occuparet etiam spatium: tunc sic, vel idem occuparet corpus superueniens, vel aliud; non aliud; quia cum intra se recipiat locatum, nequit se ad aliud spatium extendere; neque idem, aliàs duo corpora extensa secundum trinam dimensionem penetrarentur, quod est naturaliter impossibile. Neque secundum potest dici, scilicet hoc intervallum esse figmentum, quia in presenti agimus de ente reali positivo; non de imaginario, cui repugnant proprietates loci ab Aristot. cap. 2. numeratæ. Dicendum ergo erit, superficiem quatenus continentem locatum corpus, esse verè, & propriè locum.

5. *Obiectio prima. Solutio.*
 Obiicies primò, locum esse æqualem locato: sed locatum gaudet trina dimensione; ergo & locus. Respondetur locum tantum esse æqualem locato ratione continentia. Unde sicut locus immediatè continet ratione superficièi; ita etiam corpus locatum secundum ultimam superficiem immediatè continetur, & sic æquali commensuratione mensurantur.

Obiectio secunda. Solutio. Corpus in vacuo, esset in loco imaginario.
 Obiicies secundò, si corpus esset in vacuo, non gauderet ambiente superficie, & tamen esset in loco; ergo locus non est ultima superficies continentis corporis. Respondetur quòd corpus in vacuo solum esset in loco imaginario, quatenus superficie imaginaria ambiretur; non tamen in loco reali, quia iste est formaliter prædicamentalis relatio, & hæc non posset consurgere ex defectu superficièi, quæ est eius fundamentum.

Obiectio tertia. Solutio.
 Obiicies tertio, locum esse omnino immobilem; superficies verò mœneri saltim per accidens ad motum corporis, cuius est superficies; ergo superficies non est locus. Respondetur locum esse omnino immobilem pro formali; cum autem superficies

sit locus pro materiali, non inconuenit, quòd moueatur: quod magis explicabitur articulo sequenti.

Obiicies quartò, corpora allecta à suo loco tendere in illum per motum, vt ibi conferuentur, secundum Philof. 4. *Physic.* textu 40. sed hæc non conueniunt superficièi; ergo. Respondetur corpora etiam tendere in superficiem ambientem, vt media ipsa à corpore ambiente conferuentur, à quo alliciuntur, licet conferuare locatum contingat loco, vt docuit Doctor in 2. dist. 2. quæstione 6. §. ad quæst. in fine vers. sextum, num. 10.

ARTICVLVS II.

Explicatur immobilitas loci.

Explicata particula prima definitionis loci, restat explicanda secunda, videlicet qualiter motus immobilis primò dicatur. Hanc difficultatem exactè resoluit Doctor quodlibeto 1. vbi supra, & exactius in 2. dist. 2. quæst. 6. §. ad quæstionem, versicul. dico igitur, num. 8. quam communiter sequuntur recentiores. Docet quidem, locum esse immobilem non solum per se, sed etiam per accidens, & in hoc distinguit cum Philosopho locum proprium à vase, quod saltim per accidens mouetur cum suo locato in eo contento. quod probat sequentibus verbis. *Dico igitur, quòd locus habet immobilitatem oppositam motui locali omnino, & incorruptibilitatem, secundum æquivalentiam, per comparationem ad motum localem. Primum, nempe habere immobilitatem, patet, quia si est aliquo modo mobile localiter, quantumcumque accipiatur per accidens, posset dici esse in loco per accidens, & ei assignari alius, & alius locus: sicut licet similitudo moueatur quasi accidentaliter per accidens,*

6. *Qualiter locus sit immobilis primò.*

Speculatio notanda.

dens, quia scilicet in quarto & in quinto gradu, quia primo corpus mouetur, & per hoc superficies, & per hoc albedo, & per hoc similitudo; tamen superficies, vel albedo, vel similitudo vere est, quando mouetur in toto corpore in alio, & alio loco. Similiter tunc aliquid quiescens posset mouere localiter, nam quod habet alium, & alium locum successiue, localiter mouetur: fixum autem posset habere alium, & alium locum continentem, si mouetur locus per accidens; ergo moueretur, & quiesceret. Rursus posset corpus localiter motum non mutare locum, quod etiam implicat. Patet, quia in motu secum deferret idem ambiens, ut patet in aqua utris hinc illuc moti.

7.
Eccū esse
incurru-
ptibilem
secūdam
æquiu-
alentiam.

Secundum, nempe locum esse incorruptibilem secundum æquivalentiam, proba, quia licet locus corrumpatur moto eius subiecto localiter, ita quod moto aëre localiter, non manet in eo eadem ratio loci, quæ prius, ut patet ex iam probato. Neque eadem ratio loci potest manere in aëre, vel aqua succedente, quia idem accidens numero non potest manere in duobus subiectis; tamen illa ratio loci succedens, quæ est alia à ratione precedenti secundum veritatem, est eadem precedenti per æquivalentiam quantum ad motum localem. nam ita impossibile est localem motum esse ab hoc loco in hunc locum, sicut si esset omnino idem locus numero. Nullus autem idem motus localis potest esse ab uno ubi, ad aliud ubi, quæ duo ubi non respondeant duobus locis differentibus specie, propter spatium interceptum, quia habentibus alium respectum non tantum numero, sed etiam specie ad totum uniuersum: ex hoc illi respectus, qui sunt tantum numero alij, videntur unus numero, quia ita sunt indistincti respectu motus localis, sicut si tantum esset unus respectus. Exemplum huius patet æqualiter in nominibus significatiuis, quia hæc vox homo, quotiescumque prolata dicitur una

Exemplo
res de-
claratur.

vox numero, & distinguitur ab hac voce lapis numero: cum tamen non possit eadem vox numero bis proferri, ita quotquot sunt prolationes, tot sunt voces distincta numero: & hæc vox homo, & hæc vox lapis, non tantum numero, sed etiam specie distinguuntur: tamen quia ad finem vocis, scilicet ad exprimendum conceptum per æquivalentiam, sunt idem numero homo & homo, lapis & lapis, quotiescumque prolata, ideo dicuntur esse una vox numero respectu illius finis. Sic dico in proposito, quod locus est immobilis per se, & per accidens localiter: est tamen corruptibilis moto subiecto localiter, quia tunc amplius non manet in eo illa ratio: & tamen non est corruptibilis in se, & secundum æquivalentiam, quia necessario succedit illi corpori, in quo fuit ista ratio loci aliud corpus, in quo est alia ratio loci numero à precedenti, & tamen eadem precedenti secundum æquivalentiam per comparisonem ad motum localem.

Quibus verbis ostendit perspicue Doctor, qualiter locus ab intrinseco immobilis sit, & solum per æquivalentiam incorruptibilis: solum, inquam, per æquivalentiam, quoniam certum est absolute & per se locum esse corruptibilem, nam succedentibus locatis, seu locis, vel altero extremorum variato, variatur consequenter ratio actiue continentie, quæ cum accidens sit, nec possit de subiecto in subiectum transire, quod corrumpatur necessum est.

Obiicies primò, rursim succedentibus diuersis aëris superficiebus existimari semper immobilem, & in eodem loco; ergo locus non est illa continentia ambientis superficie, sed aliquid aliud diuersum. Resp. duplicem presentiam ex dicendis lib. 5. q. 2. diff. 1. art. 1. n. 5. cuiuslibet corpori locato adscribendam esse vnā, quasi definitiuam, quæ ei cōuenit per ordinē ad spatium

8.

Duplici imaginariū, vel ad polos mundi
præsentia veros, vel imaginarios: aliam penes
cuiuslibet ordinem ad locum actualiter mensu-
corpori rantem. Dico ergo breuiter relictis
locato est variis aliorum solutionibus, turrim
adscribē- quantum ad præsentiam definitiuam,
da, altera aut quasi definitiuam, manere semper
in ordine in eodem loco; hæc enim præsentia
ad polos, inuariata manet: dici tamen quan-
mundi, tum ad præsentiam localem propriè,
altera in & rigorosè non esse in eodem loco.
ordine ad nam succedentibus diuersis partibus
locum superficiæ ambientis aëris, succedunt
actuali- etiam continentia actiua; per æqui-
zate mē- ualentiam verò in eodem loco cir-
surditem. cumscriptiuo censetur, quia partes,
quæ succedunt, & actiue locant, eius-
dem rationis sunt modo supra expli-
cato.

Obiectio. Obiicies secundò, fluum existimari in eodem loco perpetuo, & tamen variata aqua contenta per fluxum continuum, necessarium est quòd varietur etiam contentia actiua aluei ad aquam terminata: aliunde ergo sumenda est inuariabilitas motus. Respondet Doctor quodlibetò 11. §. de tertio, litt. H. concedendo quòd variato contento variatur relatio ipsa correspondens, & ita est aliud, & aliud continere, respectu alterius, & alterius contenti; sed non variatur extremum relatum, quia idem est continens, & ita idem locus. Exemplum huius corporis habens albedinem si secundum eam est simile multis, multas habet similitudines, quia similitudo numeratur termino numerato: sed tamen ipsum non est multa similia, sed vnum simile; sicut habens multas scientias, est vnum sciens, quia concretum non numeratur ad solam numerationem forme, sed oportet quòd cum hoc sit numeratio suppositi habentis formam; ergo loquendo tam de loco actiuo, quam passiuo, potest dici corpus esse in eodem loco per æquivalentiam

Solutio.

Variato contento variatur relatio ipsa correspondens, & ita est aliud, & aliud continere, respectu alterius, & alterius contenti; sed non variatur extremum relatum, quia idem est continens, & ita idem locus. Exemplum huius corporis habens albedinem si secundum eam est simile multis, multas habet similitudines, quia similitudo numeratur termino numerato: sed tamen ipsum non est multa similia, sed vnum simile; sicut habens multas scientias, est vnum sciens, quia concretum non numeratur ad solam numerationem forme, sed oportet quòd cum hoc sit numeratio suppositi habentis formam; ergo loquendo tam de loco actiuo, quam passiuo, potest dici corpus esse in eodem loco per æquivalentiam

propter successionem similiarum partium locantis, & etiam subiectinè quatenus istæ omnes passiuæ continentia in eodem subiecto subiectantur. Quod idem de loco actiuo dicimus, quòd dicitur idem per æquivalentiam, quando diuersæ partes succedunt continentes idem corpus, & similiter cum existente eadem parte loci diuersa fluunt, aut succedunt corpora locata, idem locus dicitur, non identitate formali, cum formæ relatiuæ varientur altero extremorum variato, sed vnitatem subiecti, à quo concreta accidentaliter vnum denominantur.

DIFFICULTAS II.

Quibus rebus conueniat esse in loco.

Supponit Doctor in 2. distinct. 2. 9. *Suppositio prima.* *Nullum corpus necessarium, & ab intrinseco est in loco.*
 Questione 6. §. ad questionem, verficul. tamen oppositum, nullum corpus necessarium, & ab intrinseco esse in loco: & probat secundum catholicam veritatem manifestè, quia Deus posset facere lapidem non existente aliquo alio corpore locante, & lapidem existentem separatim ab omni alio corpore; quia posset illud facere extra vniuersum, & vtroque modo esset non in loco, & tamen esset idem secundum omne absolutum in se. Per nihil igitur absolutum in se necessarium requirit esse in loco; sed tantum habet necessarium potentiam passiuam, qua possit esse in loco, & hoc posito loco in existentia actuali, & posita præsentia eius respectu alicuius corporis locantis. Dubitatur ergo solum, quibus rebus saltim per accidens conueniat esse actualiter in loco, seu posse esse.

Præmit

ARTICVLVS VNICVS.

Fit satis titulo difficultatis.

Supposito
vbi supra

Præmitto secundò cum Doctore vbi supra §. ad proposita, versic. ad argumenta, num. 17. & d. 12. quæst. 2. §. respondeo, versic. est quæras, num. 5. & quodlibeto 11. art. 4. litt. M. præsentiam localem, seu vbi passiuum duobus modis accipi à Philosophis. Aliud quippe est circumscriptiuum, aliud definitiuum: vbi definitiuum est, seu esse alicubi definitiuè ita esse ibi, quòd non alibi, licet non sit commensuratio locati ad locans, sed totum locatum possit esse in toto loco, & totum in quavis parte. Esse verò circumscriptiuè in loco addit vbi definitiuo prædictam commensurationem, quia totum locatum est in toto loco, & pars in parte, facitque distare latera corporis, seu continentis, & actiui loci.

vbi passiuum
vbi definitiuum

vbi circumscriptiuum

Suppositio
seruis.

Præmitto tertid ex communi Catholicorum consensu, Deum nullo istorum modorum posse existimari in loco ab intrinseco. quòd ratione manifesta patescit, quia Deus per suam immensitatem est vbique, & ita nec potest esse hic, ita vt non alibi, quòd præexigit præsentia definitiua, nec facit distare latera continentis, cum incorporeus sit, quòd exposcit circumscriptiua præsentia. Notanter dixi ab intrinseco repugnare Deo istas præsentias, seu intrinsecè locari præsentia definitiua, aut circumscriptiua, quoniam non reputo inconueniens, quòd dicatur Deus esse in loco extrinsecè ad modum, quo dicimus esse in tempore, non quòd loco definitiuo, aut circumscriptiuo intrinsecè commensureretur, sed quòd coëxistat illis. Solùm ergo dubi-

Deo repugnans
esse in loco
diffinitiuè
aut circumscriptiuè.

tamus de naturis creatis tam corporeis, quam spiritalibus.

* * *

10.

Corollarium primum. Nulla entia spiritalia, aut non quantant valent loco circumscribi, bene tamen definitiui.

EX dictis in principio huius difficultatis manifestè colligitur nulla entia creata spiritalia, & incorporea esse in loco circumscriptiuè, quoniam hæc præsentia facit distare latera continentis, quòd nequeunt præstare spirituales naturæ, cum quantitate careant, seu corpore quantitatiuo. Sunt ergo in loco definitiuè, quia ita sunt in aliqua determinata præsentia ob suam finitatem, & limitationem, vt ab aliis extra suam spheram distent: hæc est sententia communis, & solùm dubitatur in vtraque schola, an sint in hac præsentia per operationem, an per suam substantiam: sed hæc difficultas instituti theologici est. Doctor in 2. sentent. d. 2. quæstione 6. §. contra hoc, affirmat, Angelos esse in loco per suam substantiam, contra S. Thomam asserentem esse in loco per operationem. Idem dicendum esse de substantia materiali, si diuinitus à quantitate separetur; manifestè etiam colligitur, vt optimè expressit Doctor in 2. d. 12. quæstione. 2. §. respondeo, versicul. est quæras, num. 5. de materia prima supposito, quòd diuinitus à quantitate seiungeretur. Ratio est manifesta, quia taliter esset hic, quòd non alibi; ergo esset in loco definitiuè.

Substantia materialis, aut materia prima, quantitate data nequeunt loco circumscribi.

Obiectio.

Obiicies, substantiam illam corpoream non quantam posse habere partes entitatiuè extensas; ergo cum non esset tota in toto, & qualibet in parte, partes illius substantiæ responderent partibus ambientibus superficièi, ac per consequens esset in loco circumscriptiuè. Responde-

Solutio.

KKKK 3. possent

possent extendi; tamen non facerent distare latera continentis, quia iste est effectus proprius quantitatis, & consequenter nec essent in loco circumscriptivè. Verum est, quòd partes illæ extensæ corresponderent partibus superficiæ circumstantis ad modum, quo dicimus Angelum esse in hac schola, & non alibi.

II.
Corollarium secundum.

Inferitur secundò, quævis accidentia materialia præter præsentiam circumscriptivam communicatam sibi à quantitate, gaudere alia præsentia definitiva adhuc in ipso quanto distincta à circumscriptiva. Ratio est, quoniam quævis creatura sicut coëxistit tempori, sic loco, & ita habet propriam præsentiam non circumscriptivam, quia hæc est ratio quantitatis, sed definitivam secundum intrinsicam rationem: unde in quovis composito physico tot erunt præsentia, quot entia realiter distincta: & tot motus realiter diversi, quot præsentia definitivæ acquiruntur in composito, etsi tales motus causentur ab eo motu ventionis, vel tractionis subiecti, in quo sunt; de quo alibi dicam.

Corollarium tertium.

Inferitur tertio, omnem creaturam corpoream affectam quantitate prima sphaera dempta esse in loco circumscriptivè. Fundamentum est, quòd præsentia circumscriptiva ea est, quæ facit distare latera continentis: sed quòdlibet corpus quantum naturaliter existens, seu actualiter quantitativè extensum hoc facit; ergo est in loco circumscriptivè. Naturaliter, inquam, quoniam Christus Dominus, ut fides adstruit, quantus est, & in Eucharistiæ sacramento non localiter circumscribitur, quia divinitus caret illa quantitas, seu privatur actuali extensione.

Corollarium quartum.

Inferitur ultimo, ultimam sphaeram

non esse in loco; sed potius locare, quàm locari, quia non habet à quo circumscribatur, potius ipsa circumscribit alia.

Ultima sphaera non locatur, sed locat. Obiectio prima.

Obiicies, Aristotelem existimasse primum mobile esse ultimum; ergo iam habebat locum, in quo moveretur. Respondet Doctor quòdlibeto 11. art. 1. moveri secundum locare, non secundum locari, vel secundum vbi actuum, non passivum.

Responsio.

Obiicies secundò, annihilato orbe à se contento non minus moveretur, & tamen nec vbi activum haberet in tali casu, cum deficeret terminus relationis continentia, nempe locatum. Responderetur quòd in tali casu moveretur non verè, & propriè, sed imaginariè, aut motu quasi definitivo; de quo dicam lib. 5. q. 2. difficult. 1. art. 1. num. 5.

Obiectio secundum.

Solutio.

DIFFICULTAS III.

Utrum naturaliter duo corpora possint esse in eodem loco.

ARTICULUS VNICUS.

Proponitur communis sententia, & satisfi aliquibus obiectionibus.

COMMUNIS sententia docet cum Doctore in 4. dist. 49. quæst. 16. implicare quòd duo corpora eundem locum occupent per naturam: hoc experientia primò potest probari. nam sicut ex corruptione unius formæ ad introductionem alterius colligimus esse naturaliter impossibiles in eadem materia; sic ex eo quòd ingressus unius corporis in aliquem locum est expulsio alterius quod prius occupabat illum, debemus inferre.

12.

Duo corpora sunt in eodem loco impossibile.

inferre.

Penetratio naturaliter est impossibilis, super-naturaliter possibilia.
 inferre talia corpora esse in eodem loco naturaliter impossibilia. Secundò ut duo corpora sint in eodem loco, necessariò requiritur eorundem penetratio, quam semper negavit Philosophus, & quantitas naturaliter semper excludit, cum partes eius secundum actualem extensionem partes cuiuscumque alterius quanti semper excludant: unde Ecclesia miraculo semper adscribit, quòd Christus egressus est de ventre Virginis immaculatæ clastro virginitalis integro manente: quòd exiit de sepulchro lapide non reuoluto, quòd intrauit ad discipulos ianuis clausis, & quòd penetravit celos sine eorum diuisione; quæ omnia denotant penetrationem duorum corporum naturaliter esse impossibilem, & consequenter quòd eundem numero occupent locum.

Obiectio prima.
 Obiicies primò, quòd vas cinere plenum tantum aquæ capit, quantum sine cinere; ergo illa corpora penetrantur: vel dicendum est alterum non occupare locum. Respondetur negando suppositum, quoniam licet in initio infusionis aquæ quam recipit in poris, consistantur eius partes, & occupent minorem locum; tamen si aqua infundatur in abundantia, nullo modo capit: cuius signum manifestum est, quòd si vas sit plenum madenti cinere, nec minimam aquæ partem admittit.

Obiectio secunda.
 Obiicies secundò, ferrum ignitum consistare duabus formis substantialibus affectis quantitate, nempe ignis, & ferri: sed non aliter quam per penetrationem, cum non possit naturaliter esse in eadem materia; ergo. Respondet Doctor in 4. vbi supra §. alius est intellectus, num. 15. *Ad aliud de igne, & ferro dico, quòd ferrum est corpus alterabile ab igne; non tamen fer-*

rum ignitum est ignis, quia corpus durum, & difficulter recipiens, ex quo recipit, fortiter alteratur in illis qualitativibus, & per consequens secundum eas fortiter agit, non tamen ibi est ignis: sed qualitas ignis, nisi forte in poris ferri, vbi est ignis, quia corpus subtile, & penetratiuum est. Ex hoc enim aliquid dicitur penetratiuum, non quòd penetret solida, sed partes minimas, vbi non est soliditas; sic etiam spiritus animales dicuntur subtiles, quia diffundunt se per totum corpus, per poros illos, vbi non est caro solida, non quòd simul sint cum carne solida.

Obiicies tertio, exemplum panis intincti vino, in quo patet vinum verè esse cum pane, quia vera est humiditas in pane; sed humiditas non potest separari à proprio subiecto, ut patet per Philos. 2. de anima, de humido aquæ, & aëris, licet in aëre sit minus sensibile; ergo talia corpora penetrantur. Respondet Doctor vbi supra, num. 16. *ad aliud de pane, & vino dicendum, quòd si totus panis esset pori, nihil ibi esset de pane: oportet ergo aliquam partem esse solidam, & aliam porosam, & in illis poris recipitur vinum verè; in aliis vero partibus non est vinum, sed humiditas quadam extra circumstans, non tamen in pane, ut patet in exemplo Philosophi 2. de anim. textu 113. de digito, & aqua, quia humiditas circumstans digito, non est tantum humiditas, sed est de aqua cum humiditate, que non est in digito sicut in subiecto, sed in aqua, à qua non separatur: nec tantum est ibi illa humiditas, que ab aqua separari non potest, que tantum est contigua digito, sed aliqua humiditas alia, quam potest digitus recipere, que subiectiue est in digito: sic aliqua qualitas causatur à vino, que est subiectiue in pane. Et sic patet quòd argumentum non concludit per illud simile.*

Obiectio tertia.

Solutio.

DIFFICULTAS IV.

Utrum diuinitus possint duo corpora eundem numero locum occupare.

ARTICVLVS I.

Proponitur placitum Durandi, & refellitur.

14. **D**urandus in 4. d. 44. quæst. 6. negare videtur duo corpora adhuc supernaturaliter posse eundem numero locum occupare. Fundamentum huius sententiæ est, quod quantitati existimat formaliter conuenire; expellere quodlibet quantum à suo loco per positionem sui: sed effectus formalis formæ nequit impediri à Deo; ergo neque quod ponantur duo corpora in eodem circumscriptione ubi. Secundò existimat impenetrabilitatem esse passionem quantitatis intrinsecè inseparabilem ab ea: sed si corpora non penetrantur, non poterunt eundem locum occupare; ergo si repugnat penetratio corporum, repugnabit etiam eorundem præsentia in eodem loco. Reliqua huius sententiæ fundamenta obijciemus inferiùs contra nostram conclusionem.

Cauenda est Durandi sententia.

Hæc tamen sententia Durandi non immeritò cauenda existimatur à Doctoribus, vt videri potest apud Ruu. 4. Phys. q. 6. quoniam saltim quantum ad modum loquendi, obuersatur communi modo, & sensui Theologorum, qui tenent, natiuitatem Christi Domini ex sanctissima Virgine, absque integritatis ipsius læsione, non aliter potuisse fieri, quàm per penetracionem: quod idem existimant de ingressu Christi ad discipulos, de egressu eius è sepulchro. Et idem testatur

Apostolus de ascensu Christi ad cælos, cum dicit ad Hebr. 4. *habentes ergo Pontificem, qui penetravit cælos Iesum.*

His obiectionibus conatur respondere Durandus. Ad primam inquit, Christum Dominum dici ex Virgine natum absque integritatis ipsius læsione; non quia penetraretur, sed quia partes illę virginales & purissimi vteri dilatata sunt: idèque absque illius corruptione egredi potuit, eo sanè modo quò cæteris fœminis, si innocentia status durasset, contingeret, quia tunc absque vlla corruptione præcisè ratione dilatationis illarum partium prolem emitterent, vt testatur August. lib. 14. de ciuit. Dei, c. 26. & D. Thom. 1. p. quæst. 98. art. 2.

Ad secundum testimonium dicit, ianuas illas subito fuisse apertas, & iterum velocissimè clausas. Ad illud de sepulchri exitu irreuoluto lapide dicit, id non satis constare ex Euangelio. Addit tandem quòd etsi corpus gloriosum nequeat cum altero penetrari, potest tamen proprias dimensiones quantitatis ita constringere, vt per minimum interuallum ingredi possit: sicque in resurrectione Christi Domini contigisse. nam sacrum illud corpus ita constrictum fuit, vt per interuallum, quod inter vnus, & alium lapidem erat, egredi potuerit. Rursus addit tam ingressum, quàm egressum ex vtero sanctissimæ Matris, & è sepulchro, fuisse operatum à Christo Domino, transeundo de extremo in extremum, & non transeundo medium: vnde ad hos motus penetratio necessaria non erat.

Sed omnes istæ solutiones falsæ existimantur à Doctoribus. Prima quidem non parum derogat sanctissimæ Matris integritati. Primò, quia si partes illæ dilatatae sunt vt Christi Domini corpusculum ex eius vtero egrederetur,

Durandus ad infirmitas factas natiur respondens.

15.

Refelluntur solutiones supra allatae à Durando.

deretur, cum dilatatio soliditati opponatur, manifestè sequitur non adeò solidum permanisse virginale corpus in partu ac antea erat. Secùdò ad quid hoc tanquam stupendum miraculum, & inauditum commendaretur à SS. Patribus, cum non minus miraculum contigisset in partu illo, quàm in partu ceterarum mulierum; si status perseveraret innocentiz.

Neque explicatio illa ingressus Christi ad discipulos ianuis clausis conformis veritati textus existimari potest, quoniam, ut notat Doctor in 4. ubi supra in principio quaest. 16. secundam Damasc. lib. 4. cap. 20. ex illo loco manifestè colligitur miraculosam penetrationem in eo casu accidisse. Idem senserunt D. Athanasius oratione 4. adversus Arium, D. Hieron. cap. 28. Matthei, B. Hilar. 3. lib. de Trin. & communiter Sancti Doctores. Id etiam quod asserit, quòd Christus Dominus non transeundo per medium ingressus fuerit ad discipulos, & per consequens sine penetratione, verbis textus apertam infert violentiam, quoniam, etsi possit dici corpus illud, quod non transit per medium, incipere esse in vno loco, & desinere in altero, non tamen quòd ingrediatur, & egrediatur, nisi aliquomodo transeat per medium. Eandem extorsionem facit textui illa solutio, quam ultimo loco adhibet, nempe Evangelistas non expressisse egressum illum è sepulchro accidisse eodem obferato. nam præterquam quòd communis consensus Patrum id ex his verbis intelligunt, ut videre est apud Bernardum serm. 1. de resurrect. Christi, Chrysostomum hom. 9. in Marth. Augustinum serm. 36. de tempore. Hieronymum epist. 150. ad Hedibiu, & alios quamplures, ad quid Evangelista tam attentè notarent Christum

Dominum egressum fuisse è sepulchro dono agilitatis, & subtilitatis ornatu. Et quamvis hæc ratio non convincat, vrget tamen ad id asserendum communis Patrum, & Doctorum consensus; sicut etiam ad dicendum egressum istum non fuisse factum ex eo, quòd à corpore glorioso propriae dimensiones valde restrictæ fuerint. nam in re tam graui præualet semper, & præualere debet autoritas Doctorum subtilibus argumentorù effugiis.

ARTICVLVS II.

Vera, & communis sententia probatur.

COMmunis Doctorum, & Theologorum consensus docet duo corpora diuinitus posse eundem numero locum occupare: tenet Doctor in 4. d. 49. q. 16. §. respondeo, num. 17. D. Bonau. d. 49. q. 1. D. Thom. in 4. d. 44. quaest. 2. art. 2. quaest. iunc. 3. & super Boetium de Trin. quaest. de causarum pluralitate. Suar. 3. p. q. 54. art. 4. disp. 46. sect. 5. Richard. Capreol. Sotus, & alij quamplures. Quam veritatè perspicuè probat Doctor ubi supra, his verbis: *Ad primum dico quòd in corpore glorioso est possibilitas essendi cum alio corpore. Probo, ad simpliciter impossibile non est aliquid in potentia actiua; sed ad hoc est potentia, ut fide tenemus, de corpore Christi in nativitate, & in alijs exemplis supra positis; ergo, &c. Sed quomodo ita fit? Dico quòd inter quantitatem, & quantitatem non est repugnantia formalis; neque inter situm, & situm; neque inter ubi, & ubi. Probatio, quacunque forma, quantumcunque sint contraria, si sunt in diuersis subiectis, non repugnant: sed illa duo ubi sunt in diuersis; ergo non repugnant formaliter. Vnde dato quòd in hoc corpore sit hoc ubi, & in alio aliud ubi: ista duo*

*Durandi
expositio
violentia
infert.*

17.
*Verior
sententia.*

*Inter
quanti-
tatem &
quanti-
tatem, si-
tum, &
ubi, ubi,
& ubi, non
est repug-
nantia for-
malis.*

ubi non repugnant formaliter, quia eiusdem speciei sunt; nec repugnant respectu corporis, scilicet subiecti, quia hoc ubi est in vno corpore, aliud in alio; si ergo est impossibilitas, quod illa duo ubi sint in diuersis, hoc non est propter repugnantiam, quam habent inter se absolute, neque etiam vt comparata ad subiecta; ergo oportet quod sit propter comparationem eorum ad eundem terminum, respectu cuius accipiuntur: sed nec sic est impossibilitas, quia duos respectus extrinsecos esse in diuersis, non ad diuersos terminos, non est impossibile, quia nec est impossibile de respectibus intrinsecis aduenientibus, vt duo respectus similitudinis esse in diuersis ad vnum simile.

Probatio
secunda
conclusi-
onis.

Omne
prius na-
turaliter,
potest à
Deo con-
seruari,
sine posse-
riori.

Extensio
actualis
non est
essentia,
aut passio
quantita-
tis, sed
illius ac-
cidents.

Præterea, hoc patet ex hoc, quod impossibilitas quanti ad quantum existendi in eodem loco non est nisi sicut impossibilitas causa essendi sine suo effectu naturali: sed cum causa prior sit suo effectu, & omne prius naturaliter, Deus possit conseruare sine posteriori: non est impossibile, quantum esse cum quanto, & quantum esse sine effectu suo; & per consequens potest esse quantitas, sine dimensio distincta, sine distincto situ: sed erunt duo respectus eiusdem situs, & per consequens duo corpora simul possunt esse. Cum ergo non repugnet ex parte passiuæ continentia, quia duæ relationes eiusdem speciei in diuersis subiectis, nempe corporibus quantis fundatæ, non implicat, quod ad eundem terminum, vel ad eandem numero superficiem, aut locum actiuum continentem terminentur. Similiter cum non sit de essentia quantitatis, nec propria eius passio, actualis extensio cum impossibilitate alterius corporis, sed accidens illius, non apparet cur talis effectus, sicut & alij extrinseci, non sit à Deo dispensabilis. Quod pluribus exemplis perspicue demonstratur, nam ignis in furno Babylonico actiuitate

sua suspensus fuit: item humanitas Christi, ne propria subsistentia resularet, & sic propria diuini Verbi assumeretur: tandem quantum Christi corpus sub speciebus sacramentalibus in Eucharistia actuali extensione carere, fide credimus.

Respondebis, quod licet effectus secundarius positius valet impedi-ri; non tamen primitius, qualis est expulsio vnus corporis à loco alterius. Sed contra est primò quod etiam positiuè expellit vnum corpus aliud, & efficienter; ergo ex hac parte solutio est nulla. Secundò magis intrinsecè conuenit quantitati extensio localis, quàm expulsio alterius corporis, cum sit conspicuum quod hæc supponat illam; ex eo enim vnum corpus aliud à proprio loco repellit, quod extensio illius incompossibilis est cum extensione alterius: si ergo non repugnat suspensio prioris effectu, nempe extensionis, multo minus secundi, qui est localis expulsio.

Petes, quid ponat supernaturalis virtus in corpore, vt penetrari valeat, seu esse in eodem loco cum alio? Ruuius imponit Doctori, quod asserat hanc penetrationem non aliter fieri, quàm per absolutionem alterius corporis à repletionem loci: citat Doctorem vbi supra §. ad primum, quatenus ibi asserit, quod vnum corpus, si naturaliter replet locum, quantum natus est repleri, quoad hoc alterum corpus sibi opponitur. Fallitur tamen iste author, sicut & quidam neotericus Scotista eidem Ruuio subscribens. nam ibi Doctor solum loquitur de oppositione extrinseca, quæ naturaliter impedit existentiam duorum corporum in eodem loco: vnde verficulo sequenti id non repugnare diuinitus affirmat, quoniam hæc oppositio diuina virtute valet impedi-ri.

Responso
aliquorū.

Reicitur
primò.

Reicitur
secundò.

19.

Dubium.
Falsò ci-
tatur Do-
ctor à
Ruuiio.

Vera Do-
ctoris sè-
ntentia ex-
ponitur.

Constan

Duo cor-
pora pe-
netrari
quid sit
de Scoti
mente.

Constantissima ergo & expressissima
sententia Doctoris est, posse penetra-
ri duo corpora, nihil esse præter sus-
pensionem, seu priuationem expul-
sionis alterutrius corporis: ita docet
expressè in 4. vbi supra §. *alius est in-
tellectus*, vers. *alii dicunt*. contra Goff.
quodl. 6. quæst. 5. vbi docet, quod li-
cèt posset Deus vnum corpus impe-
dire à repletionem, & sic duo essent
sub eadem superficie; tamen id non
facit. Et §. *respondeo*, num. 19. asserit
nihil aliud esse hanc penetrabilitatem
præter priuationem expulsionis loca-
lis, item quodl. 11. litt. M. sapius re-
petit in casu posito vtrumque cor-
pus replere, & occupare locum, ha-
bere vbi circumscriptionem, & facere
distare latera continentis: quod non
esset verum, si alterum corpus à locali
repletionem dispensaretur. Tandem in
4. d. 10. quæst. 2. diffic. sequenti ci-
tanda, eò probat efficaciter, vnum
corpus posse à duobus locis circum-
scribi, quod duo corpora possunt cir-
cumscribi eadem numero superfi-
cie contineri. Non est ergo penetra-
bilitas duorum corporum suspensio
alterius à repletionem locali, sed priua-
tio mutue expulsionis eorundem,
ex mente Doctoris. Id probat Doctor
vbi supra nam hoc non est qualitas
aliqua absoluta, quia similitas ali-
quorum est eorum non mutua ex-
pulsio; ergo dicit carentiam actionis;
ergo propter hanc non debet poni
aliqua actiua qualitas. nam hæc po-
rius esset expulsiva, quàm causaret
penetrationem; neque aliqua quali-
tas passiva hæc excogitabilis est, cum
per eam non posset fortiri corpus
per expulsionem alterius. Est ergo
solum priuatio, ex qua prouenit,
quod corpora simul
compossibilia sunt.

* * *

ARTICVLVS III.

Fit satis fundamento Durandi, &
aliquæ obiectiones enodantur.

AD fundamentum Durandi satis
patet ex dictis articulo præce-
denti: negamus quidem vnum cor-
pus expellere aliud in genere causæ
formalis; expellit quidem in genere
causæ efficientis: dato tamen quod
formaliter expelleret, hoc esset se-
cundariò, & effectus secundarius for-
mæ benè potest suppleri à Deo in
opinionem probabili, vt dixi lib. 1. q. 3.
diffic. 2. art. 4. Secundò falsum suppo-
nit, actiualem impenetrationem esse
passionem quantitatis: quod licèt
verum esset, eius argumentum non
concluderet, cum probabiliter plures
sustineant proprias passiones diuini-
tus separabiles esse ab essentia. Nos
tamen id censemus impossibile, cum
passiones sint idem realiter cum es-
sentia, vt dixi ex mente Doctoris
lib. 1. q. 4. difficult. 4. art. 4. sed tene-
mus hanc impenetrationem esse ac-
cidents quantitatis dispensabilem
à Deo.

Obiicies primò cum Doctore in 4.
vbi supra §. *dicunt*. num. 2. quod se-
cundum Boëtium *accidentium varie-
tas facit differentiam in numero*; ideo
locus est semper diversus, quoniam vnum
duobus nullo modo fingere possumus; ergo
si varietas loci differentiam in nu-
mero facit, contradictio est, quod
duo corpora sint in eodem loco. Re-
spondet Doctor vers. *ad primum*,
num. 5. Boëtium non sentire indiui-
dualem differentiam corporum sumi
à loco; hanc enim à nullis acciden-
tibus sumendam esse perspicuum est;
& de loco manifestè demonstratur.
nam corpus, quantum est ex se, potest esse,
si locus non esset; & tamen esset indiui-
duum,

20.
Ad fun-
damentū
Durandi.

Actiua
impe-
tratio nō
est passio
quantita-
tis.

21.
Obiectū
prima.

Solutio.
Doctor
glossat
auctori-
tate Brē-
ij.

Duorum
corporum
penetra-
tio, est
priuatio
mutua ex
pulsio.

duum, ut patet de ultima sphaera: unde auctoritas Boëtij est sic intelligenda, quod facit diuersitatem in numero, id est, ostendit nobis diuersitatem numeralem, quia facit nobis innotescere: & quoad hoc melius facit locus ad innotescentiam, quam alia, quia cognitione naturali non possemus illa duo corpora cognoscere, si ipsa essent in uno loco.

Obiectio secunda. Obiicies secundò partes temporis non posse penetrari; ergò neque corporis. Respond. negandò paritatem. Si partes temporis penetrarentur, tempus non esset successiuum, & sic sua essentia priuaretur. quod manifestè repugnat; expulsio tamen cum sit accidens corporis quanti, non implicat quòd separetur.

Obiectio tertia. Obiicies terriò, sequeretur quòd idem effectus à duplici causa totali dependeret, quòd reputamus impossibile lib. 2. quæst. 9. diffic. 3. art. 2. patet consequentia, quoniam actiua & formalitas loci continentia taliter à duobus corporibus penderet, ut altero deficiente non deficeret; dependeret ergò & non dependeret. Resp. quòd loquendo tam de vbi actiuo, quam passiuo, non esset vna repletio, sed duæ: de passiuo patet, cum vnum accidens nequeat esse in duobus subiectis; de actiuo etiam probatur, quoniam multiplicatis terminis multiplicantur relationes, ut dixi in Logica cum Doct. lib. 2. q. 9. difficul. 5. art. 4. sed corpora vbicata sunt duo; ergò & sortes continentiarum. Dicuntur autem duo corpora in eodem loco non formali, cum ibi sint duæ formales locationes; sed materiali, quatenus eadem numero superficie ambiente duo corpora in vnus proportionato ambitu continentur, & circumscribuntur.

Solutio.

Duo corpora sunt in eodem loco materiali tantum.

Obiectio quarta. Obiicies quartò, si duo corpora possunt esse in eodem loco; ergò &

duæ partes eiusdem corporis. Patet consequentia, quia sicut debentur naturaliter diuersa loca diuersis corporibus; ita distinctis partibus distinctæ partes loci. Consequens est absurdum, quia iam pars esset æqualis toti, & totum includeretur in quauis minima parte, quantumuis magna portio quantitatis transire posset per foramen acus, quæ sunt contra rationem quantitatis, habentis partes extensas, & vnâ extra aliam. Respond. concedendo consequentiã si tales partes absoluantur etiam à repletionem loci, ut corpus Christi in Eucharistia, quod ideo totum est in quauis parte. Neque est de essentia quantitatis extensio localis actualis (ut dixi in Logica lib. 2. q. 8. diffic. 1. art. 2.) sed extensio potentialis, seu aptitudinalis, in qua reperitur inæqualitas partis cum toto, positio est distinctio partium: totus enim Christus sub speciebus maior est in ordine ad se suo digito, & caput est extra collum, quia habet figuram; legatur Doctor in 4. dist. 10. quæst. 1. §. Dico ergo, n. 14. & §. de secundo, n. 12.

Solutio.

Petes primò, vtrum illa duo corpora penetrata viderentur? Negat Doctor in 4. citata d. 49. vbi supra num. 17. si sint eiusdem coloris, & figuræ. Ratio est, quia si haberent eundem colorem, figuram, & magnitudinem, non aliter presentarentur sensui, ac si essent vnicum corpus.

2. 1.

Dubium primum. Resolutio.

Duo corpora penetrata videri nequeunt.

Dubium secundum. Resolutio.

Petes secundò, vtrum talia corpora penetrata possent ad inuicem agere & pati? Respond. affirmatiuè, quoniam penetratio nec tollit modum essendi, nec actiuitatem agentibus.

Vnde si ignis penetraretur cum ligno, istud conuerteretur in illum.

DIFFI

DIFFICULTAS V.

Utrum per supernaturalem potentiam idem numero corpus à duobus locis adæquatè possit circumscribi.

Supponit titulus difficultatis id esse naturaliter impossibile, quoniam cum corpus limitatum sit, unum tantum locum requirit. Unde experientia docet, quod si unum locum de nouo acquirit, est cum alterius prioris deperditione: de potentia ergo absoluta est difficultas.

Præmitto secundò non esse sermonem de duobus locis, vno circumscriptiue, altero indiuisibili, quia corpus Christi de facto, vt fides docet, est circumscriptiue in cælo, & modo indiuisibili in Eucharistia. De locis ergo circumscriptiuis dubitamus.

ARTICVLVS I.

Proponitur, & impugnatur Thomistarum sententia.

Sententia Thomistarum negatiua.

Sanctus Thomas in 4. distinct. 10. quæst. 2. art. 5. ad 5. 6. & 7. & d. 44. quæst. 2. artic. 2. & 3. part. quæst. 76. artic. 1. in corpore, & quodlibeto 3. docet implicare adhuc per supernaturalem potentiam unum corpus à duobus locis localiter circumscribi: tenet idem Seraphicus Doctor in 4. d. 44. artic. de dote subtilitatis. Ferrara 4. contra Gentes cap. 68. Goffr. & Hernandez quodlibeto 11. Capreol. Durand. Palud. & alij plures, quos refert, & sequitur Vasq. tom. 3. in 3. part. disp. 189. cap. 4.

23. *Fundamentum primum.*

Primum fundamentum huius sententiae est, quod de ratione loci circumscriptiui est, quod vndequaue

circumscribatur, seu adæquetur corpori circumscribenti; ergo est contradictio manifesta, quod unum corpus adæquatè ab vno loco circumscribatur, & simul ab alio possit circumscribi, alias iam circumscriberetur, & non circumscriberetur: sicut si aliquod corpus adæquaretur circumscriptiue ab vno loco, & aliqua pars illius esset extra talem locum. Hæc tamen ratio (ni fallor) inefficax est, primò quia de ratione loci non est ita comprehendere, & adæquare locatum, quod hoc alibi non sit: sed tantum quod locus, & locatum ita se adæquent, vt totum locatū toti loco, & pars locati parti loci correspondeat. Hoc autem non impedit præsentiam vnius corporis in duplici loco, cum vtrobiue locaretur adæquatè; ergo. Et confirmatur primò. nā corpus Christi in pluribus hostiis est sacramentaliter in Eucharistia; ergo & in pluribus locis posset esse circumscriptiue. Secundò præsentia definitiua taliter determinat substantiam, seu entitatem ad præsentiam istam, vt hæc præsentia non sit alia: sed Angelus potest simul esse definitiue in pluribus locis; ergo & corpus circumscriptiue. Respondent Thomistæ ad primam impugnationem, implicare quod aliquid contineatur in aliquo, & sit extra illud. Unde Aristot. 5. Metaphysic. sic extremum definit, *Est id, extra quod nihil rei possumus usurpare*, quod in termino vltimo motus perspicue demonstratur. Si ergo vltimo terminatur, & adæquatur locatum loco, impossibile erit, quod aliquid illius sit extra locum: hoc enim est de ratione entis finiti, quod sicut infinitum omnino fugit à termino, sic finitum ab intrinseco petit vltimò terminari; ergo corpus adæquatè circumscriptum ab vno loco, ab alio non poterit

Resoluitur primo.

Secundò rejicitur Thomistarum fundamentum.

Responso Thomistarū ad primam impugnationem.

Rejicitur.

adæquari. Sed contrà est, quòd licet de ratione entis finiti sit habere terminum, & de ratione entis vltimò terminati quòd non possit vltimò terminari, id verum est de entitatibus intrinsecis rerum: vnde quælibet substantia creata, quia est per essentiam finita, non potest non habere terminum suæ perfectionis, ita vt vltimò secundum essentiam perfici non valeat. Idem diximus nos de intensiōe qualitatum lib. 3. quæst. 3. difficult. 2. artic. 1. Inde tamen non licet inferre entitatem accidentaliter finitam non posse alia numero distincta forma iterum finiri. Nōne in sententia probabili duæ albedines numero distinctæ possunt esse in eodem subiecto, & nihilominus quælibet earum adæquatè dealbificat illud? Item plures relationes similitudinis in vno albo ad diuersa alba? Et nihilominus qualibet istarum relationum album dicebatur adæquatè simile? Cur ergo si locus formaliter est relatio continentis, idem corpus adæquatè relatum ad vnā ambientem superficiem, non poterit etiam ad aliam diuinitus diuersa relatione referri.

Secundò locus & locatum mutuo se adæquant, quoniam sicut locatum mensuratur loco, sic commune locato: sed ex difficult. 4. artic. 2. secundum S. Thom. & communem sententiam duo corpora possunt supernaturaliter esse in eodem loco; ergo sicut ad hoc non obstat finitas loci & adæquatio illorum corporum, nec obstabit vt vnum corpus adæquatè possit esse in duobus locis. Quod sic confirmo. nam sicut superficies locans adæquat totam extensionem locati; ita locatum totam extensionem loci imò hinc sumitur efficacius argumentum ex Doctore inferiùs citando. nam locatum priùs mensurat locum, ex eo

enim quòd corpus locatum facit distare latera continentis superficiei, locus & locatum adæquantur inter se; ergo si non implicat vni corpori adæquatè facienti distare latera continentis corporis, aliud corpus admittere in consortium talis adæquationis; neque implicabit eidem corpori locanti quòd aliud simul adæquet præsentiam sui locati, seu non implicabit vni corpori duabus superficiibus adæquati, sicut nec duobus vnica ambiente superficie.

Ad secundam instantiam de præsentia sacramentali Christi in pluribus hostiis, & de præsentia illius in cælo circumscriptiuè, & in hostia sacramentaliter, respondent aduersarij vnica locatione circumscriptiua corpus Christi totaliter adæquari, non tamen pluribus sacramentalibus. nam hæc sunt ex vi conuersionis: vnde tot poterunt esse præsentia sacramentales, quot conuersiones possibiles. Sed contrà est primò quòd huius dicti non assignatur sufficiens fundamentum. Secundò arguit Doctor vbi supra, quia facilius est facere rem cum suo modo naturali, quàm sine eo, vel cum disconuenienti: sed modus conueniens naturaliter corpori est extensiuus; indiuisibilis verò est valde disconueniens; ergo si potest Deus corpus extensiuè existens in vno loco, ponere in alio indiuisibiliter, in quo est duplex miraculum, nempe carentia extensionis, & indiuisibilitas, faciliùs poterit ponere in vtroque extensiuè, in quo tantum est vnum miraculum. *Nec valet dicere, quòd hæc est per conuersionem alterius in ipsam, quia conuersio alterius in istud, non est isti formaliter ratio essendi hic: quod patet, quia transiente conuersione manet terminus conuersionis hic; ergo sine aliqua contradictione potest alicui conferrè esse hic sine*

Speculatio nota.

Entitati accidentaliter finitæ, non repugnat, alia distincta forma ire riu finiri.

24.

Secundò efficaciter eueritur Th. fundamentum.

25.
Solutio Thom. ad secundam instantiam.

Resoluitur.

Facilius est facere rem cum suo modo naturali, quàm cū disconuenienti.

conuersione aliqua alterius in ipsum. Si dicas, quod conuersione ista, ut præterita, est causa istius præsentia, contra Deus de potentia absoluta non potest facere conuersionem præteritam non præterisse; ergo de potentia absoluta non potest facere non esse

Deus nõ sic præsens, quod nihil est. Si dicas, quod potest facere præteritum non præterisse. species derelicta post conuersionem est corpori Christi ratio existendi hic, & ita ad istud esse hic, necessarium requiritur conuersione. Contra, species illa non est formaliter in corpore Christi; ergo non est ratio corpori Christi essendi formaliter aliquale, & hoc loquendo generaliter de aliquali pro quocumque, quod formaliter inest corpori Christi: sed corpus est formaliter præsens; ergo per aliquid aliud, quam per conuersionem, vel speciem conuersi, sicut dicit Hugo, qui totum tribuit potentia Dei, licet Doctor iste nitatur soluere. Cum ergo conuersione sacramentalis non sit formaliter præsentia Christi, sed quasi effectiua causatio talis præsentia formalis, ut dixi tractatu de Eucharistia quæstione 5. difficultate 2. nulla est implicatio, quod eandem præsentiam, quam Deus conuersione causat, causet immediatè: ut si crearet accidentia plura sine subiecto, & postea sub eisdem corpus Christi indiuisibiliter collocaret, tunc taliter esset sub accidentibus, v. g. ignis, quod non esset ut ibi sub accidentibus panis, & taliter sub accidentibus panis, & ignis, quod non sub accidentibus vini; ergo. Si non implicat multiplicitas præsentiarum sub diuersis accidentibus, etiam si non sint ex vi conuersionis, nec implicabit, quod idem corpus sit circumscriptiuè in pluribus locis.

Conuersione sacramentalis, non est formaliter præsentia Christi.

26. Fundamentum secundum S. Thomæ.

Secundum fundamentum S. Thomæ est, si vnum corpus potest esse circumscriptiuè in pluribus locis; ergo in infinitis; ergo erit immensum, quod est manifestè absurdum. Sed hanc ra-

tionem non minus infirmam existimo, quam præcedentem. Primò, quia corpus Christi est in pluribus hostiis sacramentaliter, nec ob id sequitur, quod sit in infinitis, seu quod corpus Christi sit ex natura sua immensum; ergo neque in proposito. Secundò licet corpus esset in infinitis locis, non tamen esset vbique sicut Deus, quia hoc non haberet à se, nec secundum naturam propriam, nec per essentiam, præsentiam, & potentiam, quod requiritur, ut aliquid dicatur esse vbique; quo pacto, ut optime notauit Vasquez vbi supra cap. 5. num. 44. illud corpus non esset immensum, quia non adæquareretur toto vniuerso per vnicam præsentiam, sed per replicationem infinitarum.

Euenitur.

Quid requiratur ad hoc quod aliquid sit vbique.

Tertium fundamentum S. Thomæ desumptum ex 4. sentent. vbi supra est, quod si idem corpus esset in pluribus locis circumscriptiuè, sequeretur, corpus illud esse indiuisum à se, quandoquidem esset idem numero utrobique, & diuisum à se, quandoquidem à se ipso localiter distaret. Sed contrà est, quod idem possemus dicere de corpore Christi existente in Eucharistia, cum sit idem corpus numero in pluribus hostiis, & hostiæ maxime distent. Secundò non est inconueniens, quod sit idem secundum entitatem, & diuersum secundum accidentia, quod non solum supernaturaliter, sed naturaliter accidit, quandoquidem homo quatenus albus à se ipso differt, & distat quatenus calido, aut frigido: sic nec apparet inconueniens, cum præsentia circumscriptiuæ sint relationes accidentales extrinsecus aduenientes, vel modi quidam extrinseci contingentes corpori locato, quod idem homo ut sub hac præsentia differat à se ipso ut sub alia.

Fundamentum tertium.

Euenitur.

Idem secundum substantiam, & entitatem, potest esse diuersum secundum accidentia.

ARTICVLVS II.

Explicatur verior Doctoris
sententia.27.
Vera
sententia.

Verior sententia docet vnum corpus posse supernaturaliter esse in duplici loco. quam conclusionem perspicue ostendit Doctor in 4. d. 10. quæst. 2. per totam, in qua nihil in hac parte desiderandum reliquit. Ei subscribunt Bellarminus lib. 3. de Eucharist. cap. 3. & 4. Conimbricens. in præsentia cap. 5. quæst. 5. artic. 2. Suar. tom. 3. in 3. part. disput. 8. sect. 4. & 2. tom. suæ Metaphysic. disputat. 44. sect. 4. vbi affirmat sententiam hanc esse valde consonam principiis fidei. Alensis 4. part. quæst. 11. membr. 1. Rich. Oham, Gabr. Marfil. Aureol. & plures alij, quos refert Suarius vbi supra. Valent. disput. 6. quæst. 3. punct. 1. Ruinus quæst. 7. 4. Physic. Hurtad. disput. 14. sect. 5. Qui omnes minus conformem veritati, imò & principiis fidei, quibus stabilitur præsentia realis Christi in Eucharistia, contrariam existimant sententiam. Fundamentum huius sententiæ tradidit subtilissimus Doctorum vbi supra. §. Dico ergo, num. 11. his verbis: Dico ergo quod Deo simpliciter est possibile idem corpus simul facere in diuersis locis localiter. Hoc patet ex intellectu terminorum. Cum enim dico idem corpus simul esse localiter in diuersis locis, nihil dico super hoc corpus, nisi quandam respectum extrinsecus aduenientem fundatum in vno quanto ad aliud quantum circumscribens: respectum autem talem plurificari super idem fundamentum ad diuersos terminos, non apparet contra aliquod notum secundum rationem, quia respectus intrinsecus aduenientes, de quibus minus videtur, possunt plurificari fundamento eodem manente ad diuersos terminos, ut super eandem albe-

Fundamentum
Doctoris
subtilis.

dinem possunt dua similitudines fundari ad duos terminos, ut probatum est lib. 3. dist. 8.

Assumptum scilicet, quod vbi non dicit nisi respectum intrinsecus aduenientem ad circumscribens, satis patet ex dictis in precedenti quaestione, & mirum est quod sequentes rationem, tantum sequuntur imaginationem; quod quia imaginatio non separat locum à corpore, neque è conuerso, neque percipit vnum plurificari sine alio, ideo dicatur simpliciter impossibile vnum sine alio plurificari, sequendo tamen imaginationem non apparet aliud.

Sed exclusa ista imaginatione, que semper innitens sensibus, non aliud apprehendit, & sequendo rationem ex rationibus terminorum nulla est necessitas, quod plurificato vno plurificetur aliud, ut plurificato posteriori, non est necesse prius plurificari: ipsa autem vbi sunt manifestè posteriora ipso quanto locato, & accidentaliter & contingenter aduenientia in multis etiam alijs, vbi maior est connexio secundum rationem, concedimus vnum sine altero plurificari. Vix enim est aliqua alia habitudo accidentalior suo fundamento, quam sit vbi, nec aliquis modus essendi in, nec aliquis modus ad: & sic de alijs multis habitudinibus, & tamen in alijs habitudinibus non ita proteruè assertitur impossibilitas plurificationis habitudinum circa idem fundamentum.

Et si istes, quod verum est, quod plures respectus possunt fundari in eodem fundamento, quando vnus eorum non adæquat totum fundamentum; hic aertem vnum vbi adæquat totam rationem quæti in quantum locabile est. Hoc videtur sine ratione dictum, quia respectus, qui oritur ex natura fundamenti, magis videtur adæquari fundamento, quam ille, qui extrinsecus aduenit, cæteris paribus: sed ad duos terminos possunt esse in eodem fundamento duo tales respectus, orientes ex natura fundamenti, & dua equalitates ad

28.
Miratur
Doctor
defectum
abstrac-
tionis.Profunda
speculatio
Do-
ctoris.Vix ha-
bitudine
aliquam
suo fun-
damento
acciden-
taliorem,
quam sit
vbi, respo-
ries.29.
Tacita
instancia
reijcitur.Pondera-
si sapi.

duo.

duo quanta equalia ; ergo sine ratione dicitur , quod hic vnus respectus adæquatur. Confirmatur , quia non magis adæquat quantitatem suam presentiam ad locum , quam adæquat substantiam suam presentiam sibi conueniens : sed substantia ponitur posse habere plures presentias etiam primo ; cum sit vnus terminus multarum conuersionum in multis altaribus ; & cum hoc tamen est presens in caelo sub modo quantitatis ; ergo. qua doctrina optime probatur possibilitas nostræ conclusionis , quæ magis confirmatur impugnationibus sententiæ sancti Thomæ ; & solutione aliquarum obiectionum , quas Doctor , vbi supra , sibi obiecit , constabit perspicue , concluditur enim aliquid supernaturaliter non repugnare , cum occurrentes obiectiones , quæ aliqualem suadent contradictionem , soluuntur & enodantur.

ARTICVLVS III.

Obiectiones proponuntur , & enodantur.

30.
Obiectio prima.

Rejicitur.

Obiectio secunda.
Solutio.

Obiicies primò cum quibusdam recentioribus , August. lib. 10. contra Faustum cap. 11. vbi docet corpus Christi non posse esse in sole , & luna extenso modo. Respondetur August. in loco ab istis recentioribus citato , nec umbram talis dicti habere , sicut nec liber 10. contra Faustum vndecim capitulis , quoniam tribus solùm comprehenditur.

Obiicies secundò , idem corpus nequit esse simul in pluribus temporibus ; ergo neque in pluribus locis. Respondet Doctor in reportatis in 4. dist. 10. q. 3. solut. 20. litt. K. §. ad aliud de tempore , ita esse loquendo de eadem temporalitate , & de eadem locatione , in loquendo diuersa : sicut non ampliat quòd vnus corpus sit in duobus

locis , sic nec quòd diuersis temporibus mensuretur. Ratio est , quia relationes multiplicentur ad multiplicationem terminorum , vel fundamentorum : vnde plura temporalia possunt esse in eodem tempore , & sunt de facto ; & idem homo potest respicere tempus presens , præteritum , & futurum.

Obiicies tertio , si vnus corpus potest esse in duplici loco ; ergo corpus existens Romæ potest naturaliter coexistere cum alio existenti Compluti , si aliud tertium esset vtrouque. Patet consequentia , quia quæ sunt simul cum tertio , sunt simul inter se. Respondet Doctor vbi supra quæst. 3. §. conclusio. versicul. ad tertium , num. 6.

Ad tertium dico quòd prima propositio falsa est , nisi intelligendo de uniformi unitate illius tertij in se , & illorum , que concluduntur esse vnus ex unitate illius , quia aliis si est minor unitas illius tertij in se , non potest concludi maior unitas aliorum inter se per unitatem illorum in tertio. Eodem modo de simul , quia nisi illud tertium , cum quo alia sunt simul , sit limitatum secundum illam unitatem , secundum quam ipsa sunt simul cum illo tertio , non sequitur simultas eorum inter se ; nec qui Parisijs simul est cum eo , erit simul cum illo , qui cum eodem tertio est Romæ , si illud tertium sit illimitatum : vnde non sequitur , ego simul simul cum aternitate , & anima Antichristi similiter ; ergo anima hac & ego simul sumus , quia aternitas est immensa , & illimitata quantum ad actualem presentiam. Ad propositum dico , quòd illud , quod simul est in duobus locis , illimitatum est , licet non virtute propria , sed virtute Dei agentis quantum ad vbi : & ideo que sunt simul cum sic illimitato , non oportet quòd sint simul inter se.

Obiicies quartò , quantitas occupat locum quasi formaliter ; ergo cum sit finita , nequit occupare plura loca.

MMMM

quia

Obiectio tertia.

Solutio.

Dua sūt simul cū tertio , sūt simul inter se , quomodo glossetur.

31.
Obiectio quarta.

Solutio.

quia effectus formalis non multiplicatur nõ multiplicata forma. Respondet Doctor vbi nuper citatus, versic. ad secundum, num. 5. Dico quod formalis ratio potest intelligi dupliciter, primò

Ratio for propriè pro ratione formali proxima. Se-
malis bi- cundo pro remota, large sumendo rationem
fariã ac- formalem pro ratione fundamentali remo-
cipitur, ta, sicut calor dicitur formalis ratio agen-
proxima di, & albedo fundamentaliter dicitur ra-
& remo- tio formalis essendi simile pro tanto, scilicet,
ta. quod calor est principium, quo agens agit, & albedo similitudinis: similitudo autem est ratio formalis propinqua simili. Loquendo ergo de prima ratione potest concedi, quod sine plurificatione eius non potest plurificari illud, cuius est ratio formalis: sed ratione formali secundo modo falsum est, quia idem potest esse principium agendi proximum respectu multarum actionum, & idem fundamentum proximum respectu multarum relationum.

Super idẽ fundamẽ-
tum fundari pos-
sunt plu-
res respec-
tus extrinsecus adueniẽ-
tes.
Obiectio
quinta.

Quantitas autem non est formalis ratio essendi in loco primo modo, sed secundo modo, quia est proximum fundamentum illius respectus, & ex hoc sequitur propostum, scilicet quod super idem fundamentum possunt fundari plures respectus maxime extrinsecus aduenientes.

Obiicies quintò sequeretur ex nostra conclusione idem esse æquale maiori, & minori, & consequenter æquale, & inæquale sibi, quod implicat. Pater, quia locatum est æquale loco; ergo existens in duobus locis, erit æquale vtrique simul, qui est duplo maior quouis seorsum. Respondetur primò retorquendo argumentum, quia etiam locus est æqualis locato, & tamen idem potest duo locata simul continere: duo autem locata in duplo sunt maiora quouis seorsum. Secundò nego sequelam: ad probationem distingo consequens, est æquale simul vtrique collectiue, nego: vtrique diuise, concedo: sicut

Solutio.

idem homo æqualis est simul quatuor hominibus eiusdem magnitudinis non simul acceptis, sed cuius diuisim.

Obiicies sextò, sequeretur idem *Obiectio sexta.*
corpus posse simul duplici naturali motu moueri, v. g. lapis positus in duobus extremis trabibus, ista remota vtroque moueretur lapis: sed id est impossibile, quia idem naturaliter nequit causare in se duplex vbi, sicut nec homo positus in duobus locis, aliàs positus in vno, posset simul moueri hac & illac. Respondetur negando se-

quelam, quia sicut nec naturaliter in vtroque loco conseruaretur; ita nec moueretur: sed sicut diuinitus conseruaretur in illis, ita diuinitus posset simul moueri ab illis, & miraculum erit in eo, quod vtrumque motum perficiat simul, quia ad quemuis seorsum habet virtutem naturalem; non tamen ad vtrumque simul. Dices, in vtroque grauitaret; ergo ablato ob-

staculo trabis ab vtroque naturaliter moueretur. Respondetur negando consequentiam, primò quia eodem argumento probaretur, quod Angelus collocatus diuinitus in duplici loco posset simul ab vtroque moueri propria virtute, quam non minus habet ad se mouendum quocumque, quàm lapis ad centrum. Secundò dico quod lapis relictus suæ naturæ, & ablato miraculo, quo in vtroque loco conseruabatur, nõ haberet nisi vnum, à quo naturaliter moueretur; perseuerante tamen miraculo ab vno solum loco moueretur, quem Deus accerneret conseruando eum in alio violenter.

Obiicies septimò cum Doctore *32.*
num. 4. agens naturale non intendit per se corruptionem termini à quo, sed tantum per accidens, quia est impossibilis termino ad quem, quem intendit inducere; *Obiectio septima.*

ergo

Solutio.

Sicut idẽ corpus duobus in locis simul ponitur, & conseruatur à Deo miraculose; sic miraculose duobus motibus simul mouetur. *Institia. Responso prima.*

Solutio secunda.

ergo si unum ubi sit impossibile alteri ubi, agens naturale non corrumpet primum ubi ad hoc, quod inducat secundum ubi; ergo posset facere corpus in nouo ubi, absque hoc, quod remoueat illud ab alio ubi, quod habuit prius.

Obiectio octaua.

Secundo sic impossibile est eandem materiam esse simul sub duabus formis substantialibus: sed si possibile sit idem corpus simul esse in diuersis locis, sequitur oppositum illius. Probatio minoris prima est, quia ponatur idem nutrimentum in duobus locis, vel tribus, & à diuersis animalibus in illis existentibus comedatur, naturina utriusque conuertet idem in substantiam suam, & per consequens eadem materia nutrimenti illius erit simul sub diuersis formis substantialibus, & animabitur in brutis diuersis animalibus sensitiuis, & in hominibus diuersis intellectiuis.

Confirmatio prima.

Confirmatio secunda.

Secunda probatio eiusdem minoris est, quia posito quod idem lignum sit in diuersis locis, & in illis sint duo ignes, agent in illud lignum, & corrumpent, quia non potest resistere virtuti agenti, & inuadent formam ignis, non eandem, cum agentia sint diuersa; ergo aliam, & aliam in eadem materia, cum materia ligni corrupti fuerit eadem, sicut & lignum idem.

Obiectio nona.

Item sequeretur, quod quantumcumque paruus ignis posset comburere omnia combustibilia, quia si habeat hic combustibile proportionatum, & ibi aliud, & in tertio loco tertium, poterit hic agere in illud, & ibi in illud, & sic simul in infinitis locis & sic quacumque combustibilia possent simul incendi à quantumcumque paruo igne: sed quacumque virtus potest simul in multis passis parua, potest simul in passim magnum integratum ex illis paruis; ergo minimus ignis posset comburere integratum ex omnibus combustibilibus.

Obiectio decima.

Quarto sic, animal habens hic con-

ueniens nutrimentum nutrireretur; aliud vero non habens non nutrireretur ibi, & sic simul nutrireretur, & non nutrireretur.

Quinto sic, quia si in duobus locis haberet conueniens nutrimentum, & susciperet utrobique, sequeretur, quod in duplum nutrireretur, vel quod nutrimentum susceptum deperderetur, & non conuertetur in nutrimentum.

Tandem obiicit Doctor quàm plures alias instantias num. 2. nempe, quod sequerentur plura contradictoria, quia quando ponitur in vno loco, aut habet eandem formam, quàm & in alio, aut non: si sic & in vno ponatur gelu, & in alio calor, sequitur quod in vno habet frigus, & in alio calorem. Similiter si in vno loco non inueniret quid comederet, ibi esuriret; in alio autem inueniens cibum non esuriret; & in vno loco incurreret ex aeris intemperie infirmitatem, in alio ex temperie sanitatem; & sic esset sanum, & non sanum, vel agrum, & in vno loco occideretur, in alio non; ergo simul moreretur, & non moreretur. Si autem teneatur secundum membrum, eadem sequuntur, quia saltem idem corpus habebit contraria: sed secundum primum membrum utrobique habebit contrarium, secundum aliud; membrum autem in vno loco habebit contrarium vnum & in alio aliud. Item sicut locatum commensuratur dimensionibus loci secundum quantum & continuum, sic commensuratur secundum vnum, & plura; ergo si idem locatum sit in diuersis locis, erit simul vnum, & plura.

Obiectio undecima.

33. Obiectio duodecima.

Plures instantie notabiles contra principalem conclusionem.

Pro omnium istarum rationum solutione supponit Doctor, numer. 13. §. & pro istis soluendis, quod quacumque sunt priora essentialiter ipso ubi, vni-formiter insunt corpori, quamuis habenti diuersa ubi: nec variabuntur variato ipso ubi; quae vero posterius, vel simul soluedas

Quaedam doctrinalia fundamenta praesupponuntur ad simul soluendas

institutas. simul natura, variabuntur secundum va-
 rietatem ipsius ubi. Hoc patet, quia prius
 Doctrina essentialiter non variatur propter varia-
 tionem posterioris, sed posterius bene va-
 riarur ad variationem prioris; qua etiam
 sunt simul natura cum aliquo, variantur
 cum illo.

34.
 Funda-
 mentum
 secundum.

Secunda propositio est, sicut passum exi-
 stens in uno ubi reciperet formam à
 duobus agentibus, sibi ibidem approxi-
 matis; sic ipsum in duobus locis existens
 patietur ab eisdem sibi in illis duobus
 ubi approximatis. Et hoc intelligo de pas-
 sione, qua est ad formam absolutam:
 hoc patet, quia ad hoc quod patiens pa-
 tiatur ab agente, recipiendo istam for-
 mam, non oportet, nisi, quod sit in
 potentia passiva, & agens habeat for-
 mam actiuam, & sint debite approxi-
 mata, siue in hoc ubi, siue in illa sit
 approximatio, nihil differt quantum ad
 actionem, qua est ad formam absolu-
 tam: sed passo posito in duobus ubi,
 ipsum habet eandem potentiam pas-
 suam ad formam absolutam, & acti-
 uam habet eandem potentiam actiuam;
 & eodem modo potest approximari si-
 bi, ut est in isto ubi, sicut in alio; er-
 go eodem modo patietur quantum ad
 omnem formam absolutam à quocum-
 que actiuo sibi approximato, siue in isto
 ubi, siue in alio, sicut si tantum esset
 in uno ubi, & esset agens sibi approxi-
 matum.

Addidi autem, secundum formam
 absolutam, quia non oportet, quod ea-
 dem patiatur, loquendo de respectibus,
 qua sunt simul natura cum ubi, vel
 posteriora, quia illa possunt variari, sicut
 & ubi ex prima propositione. Verum-
 tamen ibi etiam posset concedi ista secur-
 da propositio, ut patebit in respondendo
 ad instantias in speciali.

Funda-
 mentum
 tertium.

Tertia propositio est, sicut corpus in
 uno ubi existens se haberet in ratione
 actiuo ad diuersa sibi approximata in illo

ubi, sic ipsum ut existens in duobus ubi,
 se habet ad eadem in illis ubi sibi approxi-
 mata: hoc patet ex probatione praece-
 denti.

Ex quibus ait Doctor num. 21. ad
 rationes per me appositas. Ad primam
 dico, quod per illam posset probari,
 quod duo corpora naturaliter possunt
 esse simul, quia agens naturale non in-
 tendit corpus unum expellere, nisi indu-
 cat aliud corpus: si ergo non esset re-
 pugnantia duo corpora esse simul, tunc
 mouendo hoc corpus ad istud ubi, non
 expelleretur aliud corpus, & sic natu-
 ra posset facere duo corpora simul. quia
 ergo concludit manifestum inconueni-
 niens, dico quod aliqua sunt repugnan-
 tia respectu virtutis creata, & li-
 mitata, super quorum similitudinem
 non potest creata virtus actiua; qua
 tamen non sunt simpliciter impossi-
 bilia.

35.

Aliqua
 sunt re-
 pugnantia
 respectu
 virtutis
 creata, &
 limita-
 ta, qua
 tamen non
 sunt sim-
 pliciter
 impossi-
 bilia.

Exemplum: virginem parere ita est
 natura creata impossibile facere, sicut duo
 corpora in eodem loco, & unum cor-
 pus in diuersis, super qua non potest
 virtus creata simul: qua tamen non
 includunt contradictionem simpliciter,
 ut visum est, & ideo sunt possibilis
 Deo.

Ad secundum dico, quod potest
 concedi, quod si illa materia corporis
 locati in duobus locis transmutatur à
 duobus agentibus ad duas formas: sed
 tantum per antiquum miraculum esse
 proportionata ad recipiendum actiones
 illorum agentium. Dico tamen aliter,
 quod si idem ponatur esse in duobus lo-
 cis, non sequitur quod eadem materia
 duabus formis informetur simul sub-
 stantialibus, neque eiusdem speciei, ne-
 que alterius. Eodem quidem modo po-
 test argui de hoc, & de alio, si agen-
 tia ponantur eiusdem speciei, vel al-
 terius.

36.

Ad exemplum de alimento, dico, quod
 idem

idem fieret de alimento sumpto à diuersis in diuersis vbi, quod fieret, si illi duo stomachi fierent in eodem loco, & cibus ille esset in utroque; tunc enim aut totaliter virtus vna vinceret aliam, & totum conuerteret in suum corpus: vel essent virtutes aequales, & tunc aequaliter conuerterent de alimento hac in suum corpus, & illa in suum: vel essent inaequales, non tamen vna omnino vinceret; & tunc fortior plus conuerteret in suum corpus, & alia debilior minus conuerteret: eodem modo sicut haberes dicere ibi de stomachis animalium simul existentibus, & cibo recepto in utroque: ita dico hic iuxta illam propositionem secundam supra positam.

Per illud ad aliud de ignibus approximatis vni ligno in diuersis vbi, etiam dico, quod haberes idem dicere, si duo ignes per potentiam Dei essent simul, & approximati illi ligno.

Dubium.

Et si queras quid esset dicendum, nonne tunc oporteret, quod lignum conuerteretur in ignem, vel in quem, & à quo? non enim magis ab vno, quam ab alio, quia sunt aequales: non enim in vnum, quia duo sunt agentia, & totalia: non autem possunt esse duae causae totales eiusdem effectus.

Solutio.

Dico, quod vel eundem ignem generarent perfectiorem, & sic esset effectus diuisibilis secundum perfectionem, si forma substantialis potest habere partem, & partem, sicut diceretur de calore. Si verò generarent, eundem effectum indiuisibilem omnino generarent, tamen eo modo efficiendi, quo neuter illorum posset esse causa totalis effectus, quia post ita breuem alterationem, quae non sufficeret ad ignitionem ab altero istorum praecise agente: & tunc ista propositio est vera, quod duae causae totales totaliter causantes non possunt esse eiusdem effectus.

Ad aliud dico, quod animal existens in aliquo vbi sine nutrimento, nutriretur ibidem, dum tamen idem animal suscipe-

ret alimentum conueniens in alio vbi; quia etsi motus localis nutrimenti ad stomachum non sit idem hic, qui ibi (nec mirum, quia ex quo vbi est aliud, & motus localis ad vbi potest esse alius) tamen conuersio nutrimenti in substantiam alendi est eadem hic, & ibi; quia illa conuersio est generatio partis substantiae istius nutriti, & tota substantia nutrita, & qualibet pars prior est ipso vbi: nec ergo variabitur ad variationem eius, scilicet vbi.

Et cum additur, si vtrobique haberet alimentum sufficiens, in duplo nutriretur; dico, quod vel vtrobique susciperet totum illud alimentum, & per consequens superflueret, quia eius medietas sufficeret ad nutritionem eius; vel in vno loco susciperet partem, & in alio aliam, & vtrobique sufficenter nutriretur. patet ex praedictis.

Ad illud de modico igne quod combureret omnia combustibilia, dico per propositionem tertiam, quia si ponatur ignis in vno loco, & multa combustibilia sibi habenti illud vbi tantum approximata, quod dicerem tunc de igne respectu illorum; sic dico nunc, quia vel in aliquod illorum ageret praecise, vel si in quolibet, esto quod omnia essent simul, ageret tamen valde remisse in ea. Eodem modo dico in proposito, quod actio erit remissa in quolibet istorum respectu actionis, quam haberet in vnum illorum, si in nullum aliud ageret. Nec mirum, quia virtus naturalis minor est in plura, quam in pauciora, & in multa, quam in vnum.

Ad reliquas autem obiectiones de formis contrariis, quae eidem subiecto conuenirent; responderet Doctor num. 15. Ad illud argumentum quod includit multa de illis repugnantibus, patet ex tribus propositionibus: applico tamen, & c. Esto quod huic corpori in isto loco approximatur vnum agens, scilicet ignis, & in eodem loco aliud agens, scilicet aqua, dico quod aut sunt aequalis virtutis in

39.
Doctrina
singulari.

agendo, aut unum vincit alterum; si sunt equalis virtutis, sicut approximata isti corpori habenti unum ubi, alterum vel utrumque impediret alterum, ita quod neutrum ageret, vel agerent ad quendam effectum mediū, in quo passum nec perfecte assimilaretur unum, nec alteri; sic eodem modo dico, nunc quando sunt approximata eidem corpori in diuersis locis. Si autem virtus alterius vinsat, vel simpliciter assimilat sibi passum, vel magis quam alterum; & eodem modo dico si sint in diuersis locis, quia non est maior difficultas hic, quam si ignis & aqua poneretur simul, quod tamen non repugnat posse fieri a Deo: & idem corpus approximatum igni & aquae habentibus idem ubi, quod etiam oporteret ibi dicere ad vitandum contraria in passo, hoc facilius vel aequè facile vitare potest quicumque in proposito.

Fames
quid.

De fame & saturitate dico, quod fames est appetitus calidi, & succi; iste autem appetitus vel connaturalis, vel voluntarius: siue ergo sic, siue sic dicit aliquid absolutum, illud ergo non variatur propter varietatē ubi, in prima propositione, & per consequens si hic satiaretur, & cessaret appetitus cibi, cessaret etiam in eodem alibi, licet non ex cibo sumpto ibi, sicut si a tim dicitur de moise.

Saturitas
quid.

Si autem dicas saturitatem esse repletionem corporalem stomachi, hinc esset dubium, cum non recipiat hoc ut hic, utrum ut hic esset repletus isto modo, & dico quod non, sicut nec corpus Christi vis in pyxide fuisset vulneratum, quia ista repletio non dicit nisi praesentiam alimentis contenti a continente, scilicet stomacho, vel ventre, & sicut possibile est, quod continentia istud corpus hic & ibi sit alia, ita possibile est quod continentia actiua istius corporis hic sit alia continentia eius in alio ubi, quia hic nihil absolutum dicit, sed respectum extrinsecum.

40.

De tertio scilicet sanitate & infirmitate, temperie & intemperie, dico, quod vel

intemperies aeris expellit temperiem in comparatione ad corpus animalis, in quod agit aer temperatus, vel intemperatus, & tunc breuiter erit tale, quale natura esset causare agens vincens, licet forte ageret illud remissius propter actionem contrarij impediētis, & resistentis. Si autem sint equalia in agendo, passum tunc alterabitur in media propositione, eodem modo, sicut si diceret quod sana aura, & infirma simul essent, quod concedis Deum posse, & idem corpus esset approximatum isti aura, & illi simili.

Quartum quod est de morte & vita facilliter soluitur, quia utrumque istorum est aliquid absolutum priuatiuum, vel positium, & per consequens non variatur propter variationem ubi secundum primam propositionem: si ergo moritur hic, moritur & ibi; sed tamen non sequitur, vulneratur hic: ergo vulneretur ibi, quia vulneratio dicit diuisionem continuam, ut hic ab aliquo hic diuidente: sed tamen est verum, si hic habet vulnus, quod & alibi habet, quia sic est discontinuatio partium, quae si ibi est in hoc corpore, & alibi in eodem. Igitur in summa quaedam accidentia sunt, in quibus corpus a loco dependet, & haec variantur, & multiplicantur iuxta variationem locorum, cuiusmodi sunt sedere, ambulare, &c. Alia sunt accidentia absoluta, in quibus corpus a loco non dependet, ut esse frigidum, & calidum, mori, vel viuere: & haec accidentia, licet producantur in corpore prout in aliquo loco, ipsum in quouis existente modo superius explicato comitantur. Vnde bene poterit idem homo sedere hic, & ibi stare; hic quiescere, ibi moueri; esse sibi propinquus, & distans, superior, & inferior; regere, & obuiare sibi: imò positus in mille ubi, facere exercitum in campo; & si moueretur, facere choreas: hic percuti, & ibi non; hic calefieri, & ibi non, quoniam omnia ista vel sunt

Corpus
existens
hic & Ro.
ma, si vni-
neratur
hic, non
sequitur
ibi vul-
nerari. Si
tamen hic
habet
vulnus,
habet
etiā Ro-
ma, &
quare:

vbi.

vbi, vel fundantur in eo, & ita variantur ad variationem illius; non tamen id contingere poterit corpori quantum ad accidentia, in quibus non dependet à loco, vt esse calidum, & frigidum; album, & nigrum.

41. Ex quibus patet, minus bene doctissimum Patrem Suarium distinxisse proprietates existentes in homine, antequam in duplici loco ponatur ab aduenientibus illi postea, dixisseque doctrinam nostram veram esse de primis proprietatibus, non de secundis; quoniam hæc nequeunt sine miraculo utrobique corpori conuenire, sed solam vbi illi imprimuntur naturaliter. Vnde infert, hominem diuinitus in pluribus locis constitutum posse in vno habere scientiam, in alio errorem: hinc viuere, & ibi mori. Sed contra est, quod hæc sunt oppositæ prædicationes, quæ eidem subiecto repugnant: licet facile huic obiectioni responderi posset, has contrarias prædicationes conuenire subiecto ratione diuersarum formarum, quod non est inconueniens. nam idem sequeretur, si calor, & frigiditas, scientia, & opinio diuinitus essent in eodẽ subiecto, quod plures sine inconuenienti concedere non renunt. Propterea hoc vnum solam mihi suadet doctrinam Suarij non esse veram, quod subiectum talis mutationis independenter à loco est vnum & idem indiuisibiliter; ergo accidentia, quæ ipsi formaliter insunt in vno loco, in alio non poterunt non inesse. legite Doct. in 4. d. 10. q. 5. à 5. Respondeo.

Obiectio prima. Si autem obiecias primò, cum Suario, accidens, & subiectum realiter differre; ergo potest poni subiectum in duplici loco, & accidens in vno tantum. Respond. quod id probat posse contingere accidenti vt à corpore separato; non tamen eidem vt

corpori inhaerenti, quia subiectum est idem indiuisibiliter, & accidentia ista à loco independent.

2. I. Obiectio secunda. Obieciens secundo, cum eodem Suario agens naturale non posse effectum suum producere in subiectum distans; ergo calefaciens hominem Martiti non imprimet eidem Romæ existenti calorem. Respond. negando consequentiã: quia licet in fieri solum calefaciat Martiti; tamen in facto esse ob identitatem subiecti inest calor eidẽ prout inexistenti Romæ per resultantiam, & concomitantiam: (qua ratione, licet ex vi verborum non ponatur in hostia anima Christi simul cum corpore, conueniunt omnes Theologi cum Tridentino sess. 13. cap. 4. quod ponatur per concomitantiam, ex eo quod corpus habeat animam realiter vnitã, & ita vbique debet esse cum ea.) Nec id est bis producere accidens, quia non reproduciur Romæ, sed potius produciur noua eius præsentia, quod fit ex vi prioris miraculi, non tanquam miraculum nouum, sed tanquam aliquid habens necessariam connexionem cum miraculo; non quia illam præsentiam duplicem & simultaneam potuerit aliqua causa naturalis per se producere; sed quatenus ex suppositione miraculi, quod Deus vnum corpus in duplici loco constituit, eidem corpori immutato à causis naturalibus talia absolute, & naturaliter impossibilia ex suppositione prioris miraculi contingunt actione agentium naturalium.

Totius quaestionis resolutio.

HABEMUS ex hac quaestione loci esse vltimum continentis, quatenus corpus, quod locat, continet secundum vltimum sui; vnde si illa concava superficies corporis locantis,

tis,

tis, à suo subiecto, seu corpore separari valeret, non minus locaretur quam modò locat; efféque immobilis non solum per se, sed etiam per accidens, quatenus altero extremorù variato variatur etiam & corrumpitur formalis locus, seu actiua, aut passiuua continentia; licet possit inuariabilis existimari propter æquivalentiam. Habemus etiam omnes spirituales naturas esse in loco definitiue, corporeas verò circumscriptiue. vltima sphaera dempta, quæ est in loco quantum ad locare, non verò quantum ad locari, quia à nullo corpore continetur, implicareque quòd duo corpora naturaliter possint esse in eodem loco; sicut & quòd naturaliter penetrantur, sed tamen non repugnare diuinitus, sicut nec quòd vnum corpus duobus locis adæquatè circūscribatur.

QVÆSTIO II.

De vacuo.

QUOD vacuum sit priuatio loci, postquam egimus præcedenti quæstione de loco, nunc iam de eius priuatione venit disputandum. In qua quæstione duo discutienda veniunt. Primum an dari possit vacuum per aliquam potentiam in rerum natura. Secundum, an ex suppositione quòd daretur vt per illud corpora mouerentur, & qualiter.

DIFFICULTAS I.

Possitne dari vacuum in rerum natura per aliquam potentiam.

I. **S**upponit difficultatis titulus cum Arist. in præsentī & comuni

consensu Peripatheticorum, vacuum bifariam accipi posse, primò improprie & purè negatiue, ita vt nec pro formali, nec pro materiali, aliquod positiuū inuoluat, in qua acceptiōne non agimus in præsentī de vacuo; tum quia hoc potius inane, quàm vacuū solet vocari; tum etiam quia indubitatum est apud omnes extra vltimum cælum immensum esse vacuum, seu inane, quia ibi nullum est corpus continens, nec contentum, sed pura negatio eius. Secundò & proprie sumitur vacuum priuatiue pro carentia corporis contenti; in subiecto tamen apto nato continere, v. g. si spatium quod est inter latera corporis continentis, esset priuatum omni corpore, illa priuatio verè & proprie diceretur vacuum. Sic naturam vacui explicat Philos. cap. 8. lib. 4. Posteriorum, cum dicit quòd *vacuum est locus non repletus, aptus tamen repleri*. Sic etiam naturam vacui ex mente eiusdem Philos. explicat Doctor in 4. d. 49. quæst. 16. §. *Aly dicunt*, num. 11. dicit *vacuum esse locum priuatum corpore*, de quo vacuo est præsens difficultas.

Vacuum bifariam accipitur proprie & improprie.

ARTICVLVS I.

Respondetur titulo difficultatis.

COMMUNIS sententia docet cum Philos. non dari in rerum natura vacuum: id ostendit experientia, qua videmus omnia naturalia corpora & elementa illuc præcipuè suos motus dirigere, vt vitent vacuum in natura; hac de causa in clepsydra occluso superiori orificio, aqua, licet grauius vt deorsum inclinata, manet tamen pendens vsquequò aperiatatur orificium, vt impleri possit vacuum, quod motu aquæ causaretur. Item aqua in fistulis attracto aëre ascendit

Non dari vacuum in natura rerum multis probatur experientijs.

Epilogus totius quæstionis.

ascendit sursum ad replendum vacuum, seu spatium relictum ab aere. Tandem id manifestè ostendit solertes diligentia naturæ, qua prævidet vt corpus graue petat actiue & leue decliue, vt fugiatur vacuum, de quibus legite Conimbricens. lib. 4. Phisic. cap. 9.

2.
Cur ab-
horreat à
vacuo
natura.

Hanc corporum auiditatem, & occursum impediendi vacuum, seu substituendi corporum defectus, conuenientissimè disposuit naturæ Auctor ad conseruationem, debitamque huius orbis dispositionè, ad instar heterogenei corporis, quoniam sicut in corpore humano requiritur membrorum vnio, vt partes recipiant influxum totius, & totum adiuuetur à partibus, partèsque sese mutud iuuent, & foucant, quod non haberent separate; ita in mundo corpora debent esse contigua, vt alia ab aliis recipiant influxum, & sese iuuent, quod non haberent admissio semel vacuo, quia iam destrueretur eorum contiguitas, vt optimè notauit Philosophus 5. Metaphisic. cum dixit, oportet mundum hunc contiguum esse latioribus superioribus, vt inde regatur, & gubernetur.

Vacuum
ab Ange-
lo causa-
ri nequit.

Docet etiam communis sententia, vacuum ab Angelo causari non posse: quod ratione conspicua demonstratur, quoniam licet Angelus possit mouere, & mutare corpora; non tamen impedire, vt vnum corpus alteri succedat, quod requiritur ad vacuum. Hæc tamen impotentia inde manifestè colligitur, quod, vt Paulus monet, Angelis Deus non subiecit orbem terræ; ergo nec priuare corpora à sua naturali procliuitate, & inclinatione; quod sine miraculo fieri nequit, & Angeli non habent naturalem virtutem efficiendi miracula. Si autem dicas, Angelum posse virtute naturali detinere corpora; ergo vnum

Obiectio.

corpus, ne repleat vacuum alterius. Responderetur nullam esse naturalem virtutem sufficientem ad detinendum corpus, ne moueatur ad replendum vacuum. nam si tota inclinatio aquæ, & eius grauitas non sufficit ad impediendum motum sursum, ne detur vacuum, quæ alia naturalis virtus id præstare valebit?

Solutio.

De potentia Dei absoluta posset dubitari, an secundum eam sit possibile vacuum? Sed responderet Doctor affirmatiue cum communi sententia in 4. dist. 43. quæst. 5. art. 2. in fine, & quodlibeto 11. art. 2. quod probat euidenter, quoniam non implicat infinitam potentiam Dei annihilare elementa, & omnia corpora sublunaria: tunc daretur corpus locans, nempe cælum; non autem corpora locata, sed spatium corporibus priuatum; ergo daretur vacuum.

Possibile
est va-
cuum de
potentia
Dei ab-
soluta.

ARTICVLVS II.

An motus aquæ ad replendum vacuum sursum sit illi naturalis, an violentus?

3.
Quoniam ex articulo præcedenti plura corpora mouentur ad replendum vacuum contra speciales inclinationes, v.g. aqua, quæ secundum specificam naturam ob suam grauitatem petit descensum, & locum deorsum quasi suæ grauitatis oblita, vsurpat velocitatem ignis, & ne detur vacuum properat in locum sursum: dubitamus in præsentia, vtrum iste motus sursum sit illi naturalis, an violentus?

Quidam affirmant, talem ascensum aquæ esse illi naturalem, quia aqua tanquam pars vniuersi petit ascensum, quando oportet, ad eius conseruationem. Alij per oppositum affirmant, talem motum esse omnino vio-

lensum:

lentum: ita Lōrca 1. 2. tom. 2. disput. 4. §. *sed tunc*. innuit Vasquez disp. 90. c. 4. n. 10. expressè disp. 25. c. 4. n. 29. Fundamentū est quōd forma propria inclinatur aquam ad motum deorsum; ergo motus sursum erit cōtra eius naturam inclinationem, ac per cōsequens violentus. his subscribunt quidam neoterici Scotistæ; sed immeritō, ex Doctoris mente, cuius placitum sequentibus dictis iam aperio.

A. Dico primō, si aqua consideretur non ut est pars vniuersi, sed secundū specificam eius inclinationem & naturam, motus sursum etiam ad replendum vacuum est illi violentus. Docet expressè Doctor in 3. dist. 37. q. 1. §. *iste rationes*, n. 12. Fundamentum est quōd vni & eidem formæ nequeunt diuersi & contrarij motus competere, est enim vna forma ad vnum motum determinata; sed forma aquæ ex se determinata est ad motum deorsum; ergo ei nequit naturaliter competere motus sursum; est ergo illi violentus motus sursum.

Conclusio prima. Dico secundō, si aqua consideretur ut pars est vniuersi, non solum non est illi violentus motus sursum ad replendum vacuum; sed magis naturalis, quā proprius. docet expressè Doctor in 4. dist. 49. q. 13. §. *ad rationes*, vers. *ad tertium*, n. 13. vbi habet aquam esse sursum ut saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum, imō si tunc descenderet relicto vacuo superius, esset simpliciter violentum, & secundū quid naturale, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis, quā natura ista particularis, & magis naturale est quod tali toti conuenit, quā quod proprie huic parti. quid expressius? & probat Doctor, quia violentum opponitur naturali; ergo illud erit magis violentum quod perfectiori naturali opponitur; sed perfectius naturale est totū vniuersum, quā quælibet pars;

ergo cuiuslibet parti, quatenus parti magis naturaliter conuenit perficere vniuersum, quā eius propriam & specialem inclinationem exercere.

Obiicies primō, violentum esse ab extrinseco contra propriam inclinationem: sed aqua mouetur seorsum ab extrinseco, & contra propriam & specialem inclinationem; ergo violentatur. Resp. talem motum esse secundū quid violentum quatenus oppositum inclinationi quam habet ad specialem motum; naturalem verō quatenus ei conuenit tanquam parti totius vniuersi, imō magis naturalem, quā motum specialem & proprium, per quem tēdit in determinatum terminum. nam, vt ex Doctore notauius, illud est magis naturale quod perfectiori naturali conformatur: sed perfectius naturale est totum vniuersum, quā quælibet pars illius considerata secundū propriam, & specialem rationem; ergo motus qui conformatur bono totius naturæ, magis naturale est aquæ, & aliis corpōribus quatenus partes sunt; ergo motus specialis quō tēdant in propriū centrum.

Obiicies secundō, ab vna forma non posse duos contrarios motus provenire: sed motus sursum, & deorsum, sunt motus contrarij, quandoquidem terminos oppositos respiciunt; ergo ab vna forma aquæ causari repugnat. Resp. concedendo, hos motus oppositos esse, negādo tamen ab eadem forma provenire. nam forma aquæ quatenus constitutiva huius specialis naturæ, solum inclinatur, & determinatur ad motum deorsum; ideo ab ea non causatur motus seorsum, sed à forma totius cuius aqua est pars: vnde non mirum si sint diuersi motus, siquidem non ab eadem, sed à diuersis formis causantur. nam forma totius quatenus talis, ob sympathiam, & cōnexionem quam cunctæ vniuersi partes

§.
Obiectio prima.

Solutio.

Illud est magis naturale quod perfectiori naturali conformatur.

Obiectio secunda.

Solutio.

Diuersi motus, nō ab eadē, sed à diuersis formis causantur.

obser

obseruant inter se, naturalissimo modo eas mouet, quocumque ad istius integri cōpositi perfectionē oportet.

DIFFICULTAS II.

An in vacuo mouerentur corpora.

ARTICVLVS I.

Refertur sententia negans, & mens Doctoris expenditur.

6. Sententia negans.

Plures & non ignobiles autores negant aliquod corpus moueri posse per vacuum. ita Pereyr. lib. 11. cap. 10. & communiter antiqui commentatores Aristot. in hoc lib. videlicet Themistius, Simplicius, Burleus, Iandanus tex. 71. 79. & 76. tenet idem Albert. Magnus tract. 2. c. 6. & 7. suorum commentariorum super quartum librum Physicorum, Gregor. in 2. d. 6. q. 3. art. 2. & alij quamplures. Fundamentum huius sententiæ est quod corpora sublunaria dependent in suis motibus ab influxu corporum celestium, sed in vacuo priuarentur tali influxu; ergo & motu. quod autem in vacuo priuarentur tali influxu, inde patet, quod contiguitas corporum ad zigendum naturali modo per se requisita est, de quibus in libris de generatione, quod etiam docuit Philof. primo meteororum.

Vera & communis sententia.

Verior & communior sententia docet non implicare si daretur vacuum quod corpus moueretur per illud. ita Doctor in 2. dist. 2. q. 9. S. Tho. 4. Physicorum lection. 12. & in 4. dist. 44. q. 2. art. 3. Philopolus in hoc lib. textu 75. Sorus quaest. 3. art. 3. Toletus quaest. 9. Conimbricen. cap. 9. quaest. 4. & 5. Ruy. Masius, & plures alij.

7. Pro huius tamen sententiæ declaratione oportet in memoriam reuocare id quod diximus de vacuo negativo & priuatiuo, difficultatem. num. 1.

Conclusio prima.

quo supposito, Dico primò, si daretur vacuū inde-

terminatū, seu negatiuū, bene possent per illud moueri animalia ab interno principio, motu progressiuo, & similiter per illud moueri possent proiecta motu neutro, hoc est, neque naturali, neque violento, non tamen possent moueri leuia & grauia motu suo naturali. Probatu hoc assertum quo ad omnes partes: & in primis quod possent moueri animalia per istud vacuū motu progressiuo, patet; quia etiam si ibi nullæ essent diuersæ positiones locales, tamen cum animal moueatur motu progressiuo medio appetitu & imaginatione, ab illis sufficienter determinari posset, vt in tali vacuo magis ad vnā, quā ad alteram partem progredetur, non fecus ac si determinetur in pleno. Rogabis supra quod corpus progredetur. Respondetur quod sicut de facto positum animal terrestre super terrā progreditur super illam, ita positum in vacuo (si esset possibile) sine nouo miraculo.

Dubium. Solutio.

Quod autem proiecta in vacuo possent moueri, manifestum etiam est, quoniam si aliquod viuens, seu spiritua- lis aliqua natura proiiceret lapidē, reuera lapis moueretur quousque euanesceret impetus impressus, a proiiciente, cum non sit à quo talis motus valeret impediri. Quod autē talis motus neque naturalis, nec violentus esset, sed neuter, inde etiam patet, quia sicuti ibi non essent diuersæ positiones sursum & deorsum, ita neque motus secundum inclinationē, aut contra inclinationem passiuam, quam habent proiecta ascendendi sursum, vel descendēdi deorsum, ac per consequens neque violentus, neque naturalis, sed neuter esset. Vltimò tādē quod grauia & leuia non possent per illud vacuū moueri motu suo naturali, probatur manifesta Arist. ratione, quoniam in vacuo non esset sursum & deorsum (loquimur sēper de vacuo negatiuo.)

Cur motus proiectorum in vacuo non esset naturalis aut violentus, sed neuter.

sed naturalis motus grauium & leuium sumitur per accessum ad centrum, quod est sursum, vel deorsum; ergo deficiente tali termino naturales eorum motus consequenter deficerent. Cum ergo & possit Deus per suam concursum dependentiam, quam habent corpora sublunaria à corporibus cælestibus, supplere, poterunt consequenter viuentia animalia progressiuo motu moueri, item & proiecta motu neutro: grauia autem, vel leuia ex defectu centri nequaquam mouerentur.

8. *Conclusio secunda.* Dico secundò, si daretur vacuum determinatum, seu priuatiuum, id est, clausum sub cælo & supra centrum terræ, leuia & grauia suis naturalibus motibus possent moueri. Fundamentum est quòd eis non deficeret centrum, nec naturalis inclinatio ad illud; item influxus astrorum, seu cælestium corporum dispensaretur à Deo; ergo grauia & leuia in tali vacuo naturali & proprio motu mouerentur, quod magis certum est, & sine controuersia de motu progressiuo & projectorum, quoniã si hoc contingit in vacuo purè negatiuo, quanto magis in priuatiuo.

ARTICVLVS II.

Occurritur nonnullis obiectionibus.

9. *Obiectio prima.* **O**biicies primò contra præcipuas conclusiones, impossibile esse quòd motus factus in pleno & vacuo sint æquales; sed si vera esset nostra conclusio, id sequeretur: nam si acciperetur motus factus per vacuum, quod accederet motui facti per plenum tanta quantitate spatij, quanta est maior densitas & resistentia spatij pleni, hic motus esset æqualis in duratione; ergo motus in vacuo & in pleno essent æquales. *Solutio.* Resp. solùm esse impossibile id in sententia illorum Philof. contra quos disputat Philof.

in præsentì, qui affirmabant successionem, seu durationem motus solùm prouenire ex raritate & densitate mediij; nos autem qui tenemus id posse etiam prouenire ab extensione & diuisibilitate spatij, non reputamus inconueniens quòd motus factus per plenum adæquet in duratione motui facti per vacuum.

Obiicies secundò, eodem modo *Obiectio secunda.* proportionantur media in subtilitate & densitate, ac motus in velocitate, vel tarditate: sed in vacuo nõ est densitas, nec subtilitas; ergo nec velocitas, aut tarditas in motu: sed omnis motus vel est tardus, vel velox; ergo ubi non est tarditas, aut velocitas possibilis, consequenter nec motus. *Solutio.* Resp. hoc argumentum habere vim contra Philof. illos, qui, vt nuper dicebam, tarditatem & velocitatem motus ex sola mediij densitate, aut raritate prouenire affirmabant: non autem contra nos, qui tenemus successionem in motu prouenire etiam ex diuisibilitate, seu extensione spatij, vnde motus velox, aut tardus existimari posset, etiam si fieret per vacuum.

Obiicies tertio, si corpus ab vna *Obiectio tertia.* parte spatij vacui ad aliam commeret, eam partem, quam nunc occupat, postmodum inanem relinqueret, atque ad eò vacuum naturaliter causaretur, quod difficultate præcedenti probauimus esse impossibile. *Solutio.* Resp. quòd etiam si corpus motum per vacuum relinqueret partem, quam occupabat, vacuum, non ideo dicendum foret causari naturaliter vacuum, tum quia id potius attribui deberet diuinæ virtuti facienti vacuum, & in eo loco collocanti mobile corpus, tum etiam quia quacumque hoc corpus pergeret, illud vacuum occuparet, & ita non tam faceret, quàm commutaret & compensaret vacuum.

DIFFICULTAS III.

An motus in vacuo fieret in instanti, vel in tempore.

PRobato iam, quòd corpus, si daretur vacuum, moueretur per illud, venit iam examinandum, foretne talis motus instantaneus, an successiuus.

ARTICVLVS I.

Expenditur Auerroistarum sententia, & verior ac sequenda stabilitur.

10.
Sententia
prima.

Albertus Mag. hinc tractat. 2. cap. 6. & 7. Gregorius in 2. dist. 6. q. 3. art. 2. Egid. Burleus, landunus, Saxonia cum Auerr. hinc commento 71. affirmant quòd si corpora mouerentur per vacuum, talis motus foret instantaneus. Fundamentum huius sententiae est quòd autores isti existimant tarditatem & velocitatem motus solum sumi ex densitate & resistentia, seu ex raritate & minori resistentia medij: eum autem vacuum sit priuatum corpore intermedio denso, vel raro, consequenter affirmandum videtur quòd tales motus forent instantanei. Hoc confirmari potest exemplo illuminationis: nam eo precise sol illuminat diaphanum in instanti, quòd lumen, seu lux caret contrario: si ergo nullum est contrarium in medio, quòd possit impetum motus naturalis retardare, manifestè inferri videtur talem motum fore instantaneum.

Vera sententia.

Verior & communior sententia docet quòd talis motus esset successiuus, non verò instantaneus. tenet Doctor in 2. dist. 2. q. 9. §. ad quartum argumentum, n. 40. & in 4. Physicorum q. 8. 10. & 11. D. Thom. in presenti

lect. 12. est communis sententia inter recentiores. Fundamentum Doctoris est quòd successio, seu duratio motus non solum prouenit ex resistentia corporis replentis medium, seu spatium, sed ex extensione quantitatiua spacij, per quod fit motus, an si spatium esset extensum, & haberet partes extra partes, sicut esset absque controuersia vacuum, non poterit corpus habens etiam extensione & partes extra partes moueri, per illud in instanti, quantumuis vacuum sit & carens resistentia, aliàs idem quantum esset simul in pluribus spatiis, & haberet penè infinitas praesentias ad illa, quòd naturaliter est impossibile.

Confirmatur primò exemplo motus caeli, qui absque vlla resistentia ex parte medij fit, & nihilominus non in instanti, sed successiuè & in tempore, non alia ratione, nisi quia spatium per quod mouetur, & ipsum caelum, quòd mouetur, extensa quantitatiuè sunt.

Confirmatur, quia si daretur vacuū inter caelum & terram, & appenderetur columna quaedam per totum vacuum, ponereturque lapis in concauo lunæ, qui iuxta eandem columnam moueretur, tunc si talis motus fieret in instanti simul, corresponderet lapis toti columnæ, quòd manifestam continet repugnantiam: tum quia corpus exiguae quantitatatis non potest simul & semel correspondere corpori maximæ quantitatatis, & consequenter nec esse iuxta omnes partes illius; ergo vt respondeant, necessaria est aliqua successio, qua modò huic parti columnæ, modò alteri correspódeat, aliàs in vno instanti successionis motus equalis esset toti columnæ: tum quia illud corpus, vt dixi, ià simul esset in diuersis & distantibus locis, tum denique quòd cum colūna cōstet partibus diuersis, vt si assignentur sex partes ali-

Cur motus celestis successiuus sit.

Nota subtiles & claras demonstrationes.

quorū & determinatā, habentes inter se ordinem prioris & posterioris, non potest corpus illud esse iuxta posteriorem partem, quin prius sit iuxta priorem, in certo & determinato tempore, hoc nequit fieri sine successione motus; ergo. Confirmatur ulterius, quoniam talis successio motus localis potest causari à finitate & limitatione potentiae mouentis, qua ratione, inter alias, motus cæli est successiuus, licet desit resistentia medijs, quia motrix intelligentia finita est & limitata. Potest etiam causari ex maiori leuitate & grauitate mobilis, vnde corpora grauiora per idem medium citius descendunt, leuiorāque velocius ascendunt. Quod idem contingere potest ex contraria inclinatione mobilis retardante motum, vt patet in motibus violentis, & tandem ex distantia extremorum. nam eo ipso quod extrema vacui magis distant, motus seu acquisitio termini retardatur.

Tandem confirmatur, quoniam alias in eodem instanti esset mobile in termino à quo, & ad quem: sed hæc instantia si vrget, quoniam id liberrimè concedent Auerroistæ qui sustinent talem motum esse instantaneum, quod & nos fateri tenemur in alijs actionibus instantaneis quas admittimus.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ patet ex dictis non solum ex desitate medijs, sed ex alijs causis posse prouenire successionem motus. Ad instantiam de illuminatione respondetur, ideo hanc per se fieri in instanti, quia nullam inuenit contrariam qualitatem, quod solum retardat actiones accidentium: at in motu nõ solum resistentia medijs, sed eius extensio, & alia plura supra numerata id efficiunt.

Obiicies primò, lumen diuersis partibus medijs produci in instanti, & hoc non repugnat finitati illuminan-

tis, neque extensioni corporis illuminati; ergo nec repugnabit, quod corpus vacuum extensum transeat in instanti. Resp. negado parietatem, quoniam mobile secundum eandem sui partem modò correspondet huic parti spatij, modò alieri, quod nequit fieri sine temporali successione, quantumuis vacuum sit spatium: cum tamen in illuminatione non sic diffundatur lumen per spatium extensum, vt secundum eandem sui partem sit in alia & alia parte spatij, seu subiecti alias idem numero accidens, contra veram & receptissimam Philosophiam transmigraret de subiecto in subiectum, quod est absurdum: sed vna pars luminosi producta diffundit, seu producit aliam, & illa alia, quousque producit lumen in toto spatio, quod corpus luminosum potens est illuminare: nulla autem apparet repugnantia quod talis productio fiat in instanti, si nulla adsit resistentia ex parte alius qualitatis contrariæ, quæ solum valet impedire instantaneam productionem, seu actionem retardare. Neque hoc est contra rationem finiti agentis, cum id solum possit præstare lux in distantia debita, seu in determinata sphaera actiuitatis: quod si corpus per vacuum moueretur in instanti, dato quocumque vacuo, quantumuis magno, sine determinatione spatij talis motus instantaneus foret in sententia aduersariorum, quod finitati agentis repugnare videtur.

QVÆSTIO III.

De tempore.

TEMPVS, ex mente Philof. c. II. huius lib. est numerus motus secundum prius & posterius: non intendimus in præfenti huius definitionis partes expli

explicare, quoniam de iis satis diximus in Logica q. 15. diffic. 2. art. 1. solum ergo dubitandum venit secundum institutum physicum, an tale tempus sit ens reale, vel rationis, quo pacto distinguatur à motu & quarum rerum mensura sit.

DIFFICULTAS I.

Utrum tempus sit ens reale.

ARTICVLVS I.

Proponitur aliquorum negativa sententia, & affirmatiua ut verior statuitur.

Pereyra lib. 12. c. 13. Argentina dist. 1. art. 2. cum Auertoc, & Galeno existimant tempus pro materiali, seu quatenus importat motum, esse ens reale, formaliter verò & quatenus mensurat talem motum, esse ens rationis, putant esse sententiam Philos. in hoc lib. cap. ultimo, vbi docet tempus ita pendere ab anima, quòd ex defectu huius tempus deficeret. quòd confirmari potest exemplo numeri continui. nam sicut in continuis non datur numerus, nisi per operationem intellectus, neque in vna còflata ex ligno dantur quatuor palmi, nisi intellectus illos determinet; sic etiam tempus est numerus applicatus quantitati continuae, nempe motui primi mobilis; ergo si intellectus non distinguat partem priorè, medià & posteriorè à parte rei, non erit taliu partiù distinctio.

Communis & vera sententia docet tempus esse verum ens reale. tenet expressè Doctor lib. 5. Metaph. q. 8. §. dicitur, vers. ad primu, n. 2. idèmq; supponit in 2. dist. 2. q. 2. 3. & 4. est sententia S. Thomæ opusc. 44. de tēpore c. 1. & 1. parte q. 10. art. 5. idem tenent Albertus Magnus in hoc lib. tractatu 3. c. 16. Saxonia & Toletus ibidem q. 16.

Marius c. 12. lect. 1. & còmuniter Scholastici cum Magistro in 2. dist. 2. q. 2. colligitur hæc sententia non obscure, ex modo loquendi Scripturæ sacræ, quæ ita loquitur de tempore, ac de vero interiali, cùm dicitur Genesis primo. *Fecit Deus duo luminaria magna, ut diuiderent noctem & diem, ut essent tempora,* & Psalmo 44. *dies diei eructat verbum,* & Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta.* Vnde Parisiensis schola sumpsit occasionem art. 119. damnandi oppositam sententiam tanquam erroneam. Quam censuram etsi nimis rigidam existimem, cùm omnia ista explicari possint de tempore pro materiali, quòd in sententia aduersariorum ens reale est, aliàs etiam damnandi essent, qui dicunt transubstantiationem esse ens rationis, formaliter & velle liberum Dei, cùm certum sit omnia ista realia esse, Christumq; Dominum trāsstantiari realiter in Eucharistia, Deumque realiter amare creaturas, tamen tantorum virorum auctoritas magni facit ad huius opinionis confirmationem.

Ratione etiam probatur hæc veritas primò, tempus est duratio & mensura motus, aliarumque rerum corruptibilium; ergo sicut constanter tenemus aternitatem esse quid reale, quia mensurat Deum intrinsecè eumque, quia est duratio Angeli habentis totu esse simul, ita & tempus ob eandem rationem, secundum quam est mensura, quid reale erit. Còfirmatur primò, quia seculo opere intellectus, tempus motus primi mobilis, est diuturnior motu alicuius lapidis descendens; ergo à parte rei tempus est mensuralis motus. Secundò confirmatur. nã de hac successione, velocitate & tarditate motus, quæ tempore mensuratur, agit Phil. cū Peripathetica schola, de iisque demonstrat passiones; sed Phil. nõ spectat agere de ente rationis.

ARTICVLVS II.

Fit satis fundamentis aduersariorum.

4.

AD fundamentum oppositæ sententiæ respond. Philosophû ibi solùm dabitatiuè proposuisse, vtrum non existente anima esset tempus, quod inferiùs resoluit, cum dicit, quòd aut oportet dicere, quòd tempus non sit, si non est anima: aut oportet hoc dicere verius, quòd tempus est vtrumque ens sine anima. Vocat autem tempus vtrumque ens, quia non habet esse fixum in rebus, sicut entia permanentia, sed successiuum, cuius solùm vnum indiuisibile, seu nunc in actu habemus. Ad illud de continui numero responderetur, quòd licet in quantitate continua non detur, formaliter loquendo, numerus, datur tamen ratio mensuræ in actu primo. Hanc tamen explicamus replicatione quãtitaris partuæ determinatæ, seu discretis quantitatibus: non quia quantitas continua propria & proportionata careat mensura, sed quia quantitas discreta notior est nobis, & sic naturam & magnitudinem quanti magis manifestat, vt notat Doctor lib. 5. in Metaphysicam quæst. 9. §. Posset dici, num. 2.

Quare Philosophus vocat tempus vtrumque ens.

Quantitas discretæ est notior nobis, quantitate continua.

De tempore non habemus nisi nunc.

Obiicies totius temporis tantum nos habere vnum nunc, seu temporis instans, ergo tempus non est ens reale præsens & existens. Responderetur hoc argumentum petere quòd examinemus qualiter tempus sit præsens & existens, de quo art. sequenti.

ARTICVLVS III.

Qualiter tempus dicatur præsens.

3. Modus dicendi quorundam.

NON desunt auctores qui affirmant, tempus dici realiter præsens quatenus inter præteritam & fu-

turam partem semper est aliqua minima in alias diuisibilis, ob quam tempus valet realiter præsens existimari. Sed hunc dicendi modum communiter Philosophi reiciunt tãquam improbabilem: sequeretur quidem temporis partes termino communi, seu indiuisibilibus continuatiuis non continuari, quandoquidem semper succederet aliqua pars, vt diceretur tempus præsens. Tamen impugnatio (vt verum fateor) non multum habet roboris, quoniam isti authores non coguntur expositione sua negare indiuisibilia, imò ea fatentur tanquam continuatiua illarum partium proportionalium, quæ in illa minima parte temporis præsentis continentur. Cùm autem dicitur, indiuisibile continuatiuum sequi immediatè post præsentem partem, responderi posset, quòd sicut ex dicendis lib. 6. quæst. 7. difficult. 2. art. 1. n. 13. indiuisibile non facit maius; nec propriè producit in sententia quamplurium, ita nec censetur mensurans, nec verè & propriè præsens, nisi ratione partium quas annectitur, vnde quodlibet tempus assignabile semper pars erit.

Improbatur.

Alij cum Pereyra, Soto & Toletto affirmant, tempus dici præsens, solùm secundùm illud instãs, copulans præteritum & futurum. Hæc tamen sententia si intelligat quòd illud assignabile vt non præteritum, nec futurum, semper est indiuisibile, quantum ad assignationem nostram, nam qualibet parte assignata, semper debet habere partes, cùm continuum semper sit diuisibile in semper diuisibilia: & si omnes istæ partes essent actualiter præsentis, continuum successiuum non distingueretur à permanete, cùm gauderet pluribus partibus simul existentibus: hic modus explicandi non caret probabilitate. nam licet indiuisibili conti-

6. Alter dicendi modus.

conti

continuatiuo nõ succedat aliud indiuisibile, succedit tamen inadæquata pars, quæ non potest dici diuisibilis, vt explicabimus vbi infra 6. Physicorum. Si tamen isti authores intelligat totum cõtinuum successiuum cõstari indiuisibilibus immediatè succedentibus, id esse falsũ probabimus ibidè.

Melius & verius hanc præsentiam realem & existentiam temporis explicuit Doctore in secundo d. 2. q. 9. §. Ad secundum nego, n. 6. & q. 2. §. Instanter, vers. istam, n. 4. & lib. 11. in Metaphysicam sum. 4. cap. 2. n. 92. & lib. 5. Metaphysicæ, q. 8. §. Dicitur, vers. Ad primum, num. 3. cui subscribunt Suarez tom. 2. Metaphysicæ disput. 50. sect. 9. n. 19. Plaza, Mutzia disp. 3. Physicæ q. 2. Ruuius tractatu de tempore q. 1. cum S. Thom. opusculo 44. de tempore. Cũ dicunt tempus dici realiter præsens quatenus successiuè eius entitas semper durat succedentibus partibus, quæ transeunt de præsentibus in præteritas, & de futuris in præsentibus. Pro cuius rei explicatione noto cum Doctore in secundo vbi supra q. 9. quod sicut cõtinuum permanens partibus constat indiuisibilibus copulatis, ita & cõtinuum successiuum; vtriusque enim quidditas hoc exposcit vt partibus constet, est enim de ratione quãti vt abstrahit à successiuo & permanenti, quod sit indiuisibile in semper diuisibilia, vnde sicut quãtum cõtinuum permanens sua gaudet præsentia & existentia, sic quantum cõtinuum successiuum; hac observata differetia, quod existentia & præsentia permanentis permanens est, successiuu verò successiuu, quia cũ præsentia & existentia proportionentur entitatibus rerum quas præsentibus faciunt, necessum est, vt qualis fuerit entitas, talis sit præsentia & existentia. Vnde patet qualiter tempus præsens existimari possit, dicitur quidem quatenus illa

successio partium indiuisibilibus copulata, semper succedit cũ dependetia præteriti & futuri, quodcũque enim tempus quod assignetur præsens est, medianque inter vtrũque, ideo tales partes non dicuntur reales præcisè, & existentes, quatenus præteritæ, quæ iam non sunt; nec solum quatenus futuræ, quæ nondum sunt, sed quatenus transeutes sunt. Quod innuit August. 11. de Ciuitate Dei, c. 26. cũ dicit. *Tempus melior scio, sed non melior futurũ, quia nondum est, non melior præsens, scilicet instans, quia nullo spatio tenditur: non melior præteritũ, quia iam non est.* Quid ergo melior? an præteritã tempora non præterita. Id etiam innuit Philosophus cũ dicit definit tempus esse numerum motus secundum prius & posterius, ac si dicat de ratione entis successiuu per se esse vt qualibet pars eius fiat post aliam, ita vt nullam possimus assignare, quæ tota simul facta sit, sed qualibet signata alia prior sit facta. Non enim ens successiuum quatenus positiuum est, cõponitur ex partibus quæ nõ sunt, quatenus non sunt, sed quatenus realiter sunt & transeunt, vel è conuersio quatenus illæ partes considerantur vt iam non existentes, aut nondum factæ. Vnde ens successiuum negationem aliquo modo importat, præsentia simultaneæ partium præteritarum & futurarũ aduenientium. Hoc enim est de ratione successiuu, vt superfit aliquid agendum, nam si nihil superesset, iam tota successio esset finita: illud autem quod agendum superest, intrinsecè includit non esse factum. Id denotat nomen futurum, sicut & præteritũ, quod qualibet parte assignata, alia prior percesserit, seu facta sit, & cõsequenter iã non sit actu, quod totum includit ratio essentialis successiois.

Obiicies, si tempus est præsens; Obiectio ergo & præteritum & futurum, quod prima. est absurdum. Respond. omnes par- Solutio.

7. Verus modus explicandi.

Notandũ.

Cõtinuum successiuum cõstat partibus indiuisibilibus copulatis.

Quid sit tempus præsens.

Ens successiuum quid.

Ens successiuum importat negationem præsentia simultaneæ partium.

tes temporis præsentis esse pro sui temporis differentia, quod est dicere, præteritum fuisse præsens, futurum verò habiturum præsentiam.

Obiectio secunda. Obiectis secundò, de rebus præsentibus enuntiari quòd nunc sint, hoc est proprium rei permanentis; ergo sicut repugnat tempus permanentia, sic & præsentia. Respondetur optimè verificari de tempore quòd sit nunc præsens, non permanentem, sed successiuè.

Obiectio tertia. Obiectis tertio, ex August. 11. confessionum cap. 15. & Seneca lib. 6. naturalium quæstionum prope finem, quòd totius temporis unum tantum nunc, seu instans habemus. falsò ergo dicimus tempus esse præsens, secundùm partes

Responsio. succedentes. Respond. non ita esse intelligendum illud vulgare proloquium, ex Augustino, & Seneca desumptum, quòd solum instans temporis, seu indiuisibile illius sit præsens:

sed, vt denotemus fluxibilitatem temporis, & nullam eius existentiam, nam, vt optimè notauit Suarius vbi supra, sicut Mathematici, vt notificarent dimensionem lineæ, declararunt per fluxum puncti, quamuis implicet punctus verè fluens; ita optimè Doctores explicarunt fluxibilitatem succedentis temporis per instans, cuius successu fluxus eius continuus declaratur. sic monet Suarius intelligendum esse Capreolum in secundo d. 2. quæst. 2. art. 3. & Durandum ibidem quæst. 4. tamen verè tempus succedit secundùm partes & indiuisibilia, & secundùm eas realiter est præsens, modo iam explicato. Nec aliter intelligendus est Doctor, vt minus benè affirmat Aretinus 4. *Physicorum* in annotationibus ad textum 104. dicens, ex mente Doctoris totius temporis tantum esse vnum nunc secundùm substantiam, cum manifestè col-

ligatur oppositum ex eodem Doctore in 2. dist. 2. q. 2. vbi supra.

DIFFICULTAS II.

Quæ duratio conueniat singulis rebus.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit duratio rerum.

Duratio est mensura quædam intrinseca, quæ necessariò sequitur naturam existentem à parte rei. Hæc diuiditur in æternitatem, æuum & tempus. *Æternitas*, secundùm Boëtium lib. 1. de consolatione, est tota simul interminabilis vita perfecta possessio, & hac ratione (nostro modo) dicere solemus diuinam essentiam æternitate mensurari, quia totum esse Dei æternum, totum simul sine principio perfectissimum, & omnino imperfectibile. *Æuum* secundùm Doctorem in secundo, d. 2. quæst. 2. §. *Ad secundam partem*, est mensura entis permanentis, & vniiformiter se habentis, & in hoc, differt à tempore, quia tempus mensurat intrinsecè & propriè non res permanentes, nec improducibiles, sed perse successiuas, vt est motus.

Rursus duratio, quatenus mensurans, alia est intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca duratio propria est alicui rei, ipsique coniuncta; extrinseca verò, et si simultatem habeat cum mensurato, non tamen intrinsecè & inseparabiliter conuenit illi. Hac ratione dici consuevit Deum esse in tempore, non quia existentia ipsius tempore mensuretur, cum Deus subiaceret nequeat temporaneis mensuris, sed quia tempori coëxistit, sicut

10.
Triplex est mensura rerum.

Duratio intrinseca & extrinseca.

sicut baculus motui, aut fluxui flumini.

I I. *Qualiter differant aeternitas, æuum & tempus.*
 Ex quibus patet, vt notauit quidam marginista Doctoris, ad secundum sententiarum d. 2. quæst. 1. §. contra istam positionem, æuum, æternitatem & tempus in hoc differre, quod æternitas mensurat permanens, indeficiens, & indefectibile sine possibilitate permutationis. Vnde falsò Rada 2. controuersiarum controuersia 4. art. 4. concl. 3. dicit quod si per impossibile Deus desineret esse, adhuc mensuraretur æternitate, quod reicit Doctor quodlibeto 6. §. contra istud obijctur, lit. R. æuum mensurat permanens, ita vt mutabilitatem non abigat; ideo licet mensuret non deficientes & permanens, non tamen ab intrinseco & essentialiter indefectibile est sicut æternitas. Tempus mensurat motum, non solum defectibilem, sed deficientem, & non potentem permanere.

His tribus mensuris addunt Thomista, cum Angelico Doctore 1. part. quæst. 10. 2. §. ad primam aliam mensuram, quam vocant tempus discretum, eamque sic explicat & refutat Doctor in 2. sententiarum d. 2. q. 4. §. hic dicitur, & in reportatis in 2. d. 2. quæst. 1. §. dicitur, lit. E. vers. primò videndum. In hunc modum, dicitur quod operationes Angelorum mensurantur tempore discreto: & declaratur, quia mensura & mensuratum, sunt unigenita, & sibi inuicem correspondentia, sicut intellectiones Angeli non sunt continuata, sed habet primò hanc, & postea istam, & nulla istarum continuatur cum alia, quia aliquando non sunt eiusdem rationis; igitur mensura erit proportionabilis sibi, nullum tamen est æuum, nec etiam tempus medium; igitur mensura eius erit tempus Angelicum. Vterius dicitur quod illud tempus est quantitas discreta, differens

Refutatur tempus discretum.

realiter à numero & oratione: à numero in hoc quod partes huius temporis non possant esse simul, sed discreta proferruntur, tamen alia pars orationis, vt syllaba bene potest esse continua: sed istius temporis discreti non potest esse alia pars in se continua. Et si quæras, quare Philosophus non posuit hoc tempus? dicitur, quod ipse posuit Angelos esse quosdam Deos, ideo non posuit operationes differre à substantijs. Ideo non dedit aliam mensuram operationi, quam substantia. Et si quæras, quomodo illud tempus comparatur ad tempus nostrum? dicitur quod semper coexistit parti temporis nostri, aliquando tempori maiori, aliquando minori, secundum quod diutius moratur in vna intellectione, quam in alia, & nunquam potest solum coexistere vni instanti temporis nostri, quia si Angelus haberet vnã intellectiõnem, solum cum vno instanti nostro, & post immediatè habet alia; igitur immediatè instans nostrum esset alteri vni instanti nostro.

Contra illud, quæcunque habent uniformem modum permanendi, dum manent, habent mensuram eiusdem rationis: sed intellectio Angeli dum manet, & existentia eius, haberet uniformem modum permanendi; igitur, &c. Materia patet, tum quia subiectum includit prædicatum: tum quia si vna intellectio Angeli sempiternaliter maneret sicut existentia, uniformiter haberet mensuram, sicut sempiterna existentia: vel non accideret mensura, quia esto quod Angelus eras annihilaretur, non minus existentia sua nunc mensuratur aeo. Dices, hoc est verum, quia existentia sua non subest voluntati sua, sed tantum potest annihilari à Deo. Ideo non variatur in comparationem ad mensuram, sed intellectio sua quantumcunque diu duret, semper subest voluntati sua.

Contra si non esset sequens, non variat eius mensuram, quamdiu est; igitur multo fortius nec causa non esse eius, quum sit remotior, variabit mensuram eius; item

ille Doctor dicit aliter, quod tres sunt existentia, & tres mensura. existentia que est simpliciter indecedens & inuariabilis, aternitate mensuratur variabilis, & dependens tempore, inuariabilis, & dependens aeo, sed quam diu manet ita inuariabilis, est intellectio sicut existentia, & utraque dependens, & annihilabilis à Deo. Item omnes Doctores concedunt, quod actus beatificus mensuratur aeo, & hoc aeo superiori, si sint plura aea, hoc etiam vult S. Augustinus de fide ad Petrum, collato in se euidentis munere nihil mutationis sentiunt, sed manifestum est quod nullus beatificatur nisi potentia operatur vel agendo, vel recipiendo, quia si beatificatur, necessario presupponit gratiã & operationem potentia, sed impossibile est, aliquid aeternum dependere ab aliquo mensurato inferiori mensura aeo, igitur operatio potentia mensuratur aeo.

Item sequitur secundum istos quod quilibet Angelus habebit suum tempus discretum, & quilibet plura tempora, quia possibile est, quod ille Angelus intelligat, & quod diuinius alius intelligat lapidem quam ille, quia vnus continuat intellectiorem suam, & alius non. igitur habebunt diuersus mensuras: sequitur similiter quod quilibet haberet plura tempora, quia non est alia quantitas, que possit componi ex partibus omnino alterius rationis, numerus enim non componitur ex numeris, sed ex unitatibus, quia semel sunt semel sex, esto tamen quod sic certum est quod nullus numerus potest componi ex partibus omnino alterius rationis, sed intellectio alterius, & alterius obiecti, est alterius rationis in genere proprio, quia intellectio impeditur ab obiecto, igitur diuersa erunt tempora mensurantia, & alterius rationis. Item quod dicitur quod non potest intellectio Angeli coexistere instanti nostro, illud videtur falsum, quia de perfectione intellectus & quod posset plura minori tempore intelligere, si non potest plura simul in-

telligere, quia experimur hoc de intellectu nostro acuto. Nunc autem intellectio nostra potest esse in instanti temporis, igitur & in illa parua mensura intellectio Angeli. Item permanere, vel non permanere, nihil facit ad quantitatem discretam, neque continuam, sed ut copulari ad eundem terminum communem, vel copulare ideo propter nihil in vniuerso oportet ponere tempus componi ex talibus discretis.

ARTICVLVS II.

Qua mensura durationis mensurentur substantia corporea & corruptibiles.

CONSULERE solum inquirimus in presenti de substantiis corruptibilibus. nam de eis solum potest dubitari, an tempore mensurentur, quum certum sit apud omnes entia spiritalia siue accidentalia, siue substantialia alia superiori mensura mensurari, de quibus agunt Doctor, & S. Thomas vbi supra, & communiter Scholastici in tractatu de Angelis, ad quem remittimus explicationem mensure durationis talium entitatum; de substantia igitur corruptibili solum est difficultas, sicut etiam de accidentibus corruptibilibus, & de quiete, quia quum sit priuatio motus saltim per accidens, eadem mensura mensurabitur ac motus illi oppositus. S. Thomas 1. p. q. 10. art. 4. ad 3. & in art. 4. docet tales entitates corruptibiles tempore mensurari, eandem sententiam sequitur Albertus lib. 4. *Physicorum* tract. 3. c. 10. & in summa de quatuor coæuis. Caietanus cum S. Thoma vbi supra, art. 5. Sonzinas 10. *Metaph.* quaest. 54. Fonseca 5. *Metaph.* cap. 13. quaest. 12. sect. 13. Peregrinus lib. 22. cap. 3. Iauellus 4. *Physicorum* quaest. 22. Masius in hoc lib. sectione vltima.

Fundamentum horum authorum est, quod Aristoteles in hoc lib. cap. 12. eo probat rem aliquam mensurari tempore quod pariat ab eo: sed res corruptibiles siue sint substantia, siue accidentia, tempore corrumpuntur, in illoque tabescunt; ergo eo mensurantur. Secundò ista entitates nequeunt aeternitate mensurari, quàm non sint omnino indefectibiles, nec æuo, quàm actu deficient; ergo tempore mensurantur.

14. *Verior sententia.* Verior sententia docet entitates corruptibiles nõ mensurari tempore. hanc sententiam tenet Doctor in 2. d. 2. §. *concedo conclusionem*, versicul. & tunc ad primam instantiam, num. 12. & in repositis in 2. d. 2. quaest. 1. §. *dico*, lit. B. Durandus ibidem quaestione 6. Henricus quodlibeto 15. quaest. 13. Heruzus quodlibet. 1. quaestione 12. Suarius tom. 2. Metaphysicæ disput. 50. sect. 7. Conimbricenses 4. Physicorum cap. 12. quaest. 13. artic. 1. Ruuius in præsentî tractatu de tempore quaest. 5. quamuis non omnes conueniât in assignanda mensura ista à tempore diuersa. nam Doctor sentit eam esse æuam. Henricus verò modum æui, qui licet sit diuisibilis & factem virtualiter correspondens tempori, est tamen defectibilis. Durandus autem & Heruzus, esse instans permanens temporis discreti. Ruuius tandem esse mensuram quamdam indiuisibilem ab his omnibus omnino diuersam. hos autem dicendi modos solum nomine differre, si excludamus placitum Heruzi concedentis tempus discretum, quod reuicimus cum Doctore superius num. 11. probabiliter sentio. nam omnes isti authores intendunt substantias istas corruptibiles permanentes non mensurari tẽpore intrinsicè. quod autem hæc mensura sit propriè æuam, vel

non, pender ab explicatione nominis æuam. Nam si hoc limiteretur, solum ad substantias incorruptibiles, certum est incorruptibiles non posse eo mensurari: si autem extendatur ad omnia entia permanentia, æuo mensurabuntur, vel quodcumque horum permanentium, sicut gaudet entitate diuersa, sic & mensura quæ potest dici æuam, vel alio speciali nomine nominari: sed quidquid sit de hoc prædictâ conclusionem sequentibus dictis sic explico.

Pro huius conclusionis explicatione præmitto cum Doctor. in 2. d. 2. quaestione 4. §. *concedo conclusionem*, num. 9. versicul. *ad primum dico quod in entibus ista se habent secundum quendam ordinem, primò fluxus forma, secundo forma, secundum quam est actualiter fluxus, & tertio forma secundum quam potest esse fluxus partis post partem, & quarto permanens, in quo non est natus esse fluxus partium, tamen necessario habet formam consequentem, in qua natus est esse fluxus. Quinto illud, in quo nec potest esse fluxus, nec in aliquo antecedenti ipsum naturaliter primum essentialiter mensuratur tempore, quia contra rationem eius formalcm est permanentia, vel quod aliqua pars eius maneat eadem, sed ratio eius requirit partem eius succedere parti. Quintum omnino inuariabiliter manet idem, dum manet, & ideo nullo modo mensuratur tempore, nec secundum se totum, ne secundum partem eius, neque etiam tempore per accidens. Quartum non mensuratur tempore per se, nec secundum ipsum est propriè quies, quia non est natus moueri, quiescit tamen per accidens, quia quies est secundum aliquam formam, necessario consequentem ipsum. Secundum & tertium est eadem forma, licet secundum diuersam dispositionem accepta, & secundum illam uno modo acceptam est actu motus, & secundum alium modum acceptum est actu quies; ex quibus*

15. *Quinque modis usurpatur motus.*

16.
Cōclusio
prima.

Dico primò, substantiæ corruptibiles & accidentia si considerentur secundum esse proprium & absolutum tam pro forma fluenti, seu in fieri, quam in facto esse, æuo mensurantur. est expressa sententia Doctoris vbi supra, & in reportatis in 2. d. 2. quæst. 2. lit. B. vbi hæc habet. *Dico quòd sicut existentiæ substantiæ est prior qualitate, sic variabilitas in posteriori non arguit variabilitatem in priori. Ideo dico vniuersaliter quòd quauis dum manent habent sensibilem modum existendi, habent sensibilem mensuram, ideo concedo quòd tam essentia ignis, quam cæli mensuratur æuo.* & ratio est manifesta, quoniam mensura debet esse vnigenita mensurato, & ita sicut successiuum requirit mensuram successiuam, sic permanens permanentem. Sed formæ istæ corruptibiles sunt entia permanentia in facto esse; ergo mensurantur æuo, quod est mensura rerum permanentium, non autem tempore, quod est mensura rerum successiuarum: quòd autem idem sit dicendum de forma in fieri, manifestum est. Nam quum ex dictis lib. 3. quæst. 1. diffic. 3. motus per fieri, formæ sit idem realiter cum forma in forma in facto esse, necessarium videtur, vt talis entitas & forma secundum propriam entitatem considerata, eadem forma mensuretur in fieri atque in facto esse.

17.
Cōclusio
secunda.
Fluxus
forma
mensuratur
tempore.

Dico secundò, si formæ istæ considerentur pro fluxu formæ, tempore mensurantur quatenus motui quantitativo subsunt: est etiam sententia Doctoris vbi supra. Fundamentum est quòd ea mensurantur tempore, quæ habent entitatem per se successiuam: sed fluxus formæ corruptibilis successiuus. & temporaneus est; ergo formæ quæ subsunt tali fluxui, tempore mensurantur.

Obiectio
prima.

Obiicies primò cū Doctore, quòd

cuius esse primum mensuratur in instanti temporis, eius esse habitum, vel durans, debet tempore mensurari. Primum autem esse substantiæ generabilis, instanti temporis generatur; ergo tota substantia mensuratur tempore. Respondet Doctor primum esse substantiæ generabilis, esse in nunc æui per se, licet prout comitatur mutationem causæ secundæ per accidens sit in nunc temporis, ex quo non sequitur durationem eius post illud instans tempore mensurari, quia iam conseruaretur à solo Deo, ad quem habet habitudinem vniformem sine variatione, sicut Angelus, & ita mensuratur æuo. Vnde optimè notat Doctor vbi supra num. 13. versic. *per hoc etiam patet, quòd Deus possit creare aliquam substantiam corruptibilem sine omni tempore. nam talis actio creatiua nec est per se successiua, nec dependet à tempore, sicut nec est mutatio eo modo quo Philosophus loquitur de mutatione, quia non est indiuisibile necessariò terminans fluxum sui oppositi, nec vt primò fluentis, nec vt necessariò concomitantis motum mensuratum tempore.*

Obiicies secundò, si ex eo quòd substantiæ generabiles habent esse permanens mensurantur æuo; ergo etiam Deus poterit mensurari æuo, & non æternitate quatenus gaudet existentia permanenti. Respondetur primò æternitatem non solum mensurare naturam existentem permanentem, sed negatam desitione, & successione; ænum autem cum ab intrinseco non mensuret naturam sic existentem, sed potius defectibilem, nequit intrinsece mensurare Deum. Secundò respondetur quòd licet duratio Angeli conueniat cum diuina, in eo quòd vtraque sit permanens, & ita diuina possit dici æua; est tamen duratio alterius ordinis ex eo quòd mensurat existentiam

Responso.

Responso
Deus
creare
substantiam
corruptibilem
sine omni
tempore.

18.
Obiectio
secunda.

Responso
prima.

Responso
secunda.

riam ex se repugnantem desinere, & ita est æuum æuorum, vt dixit Dionysius cap. 5. de diuinit. nomin. vel æuum æternitatis, vel æternitas, quod non habet æuum Angeli. Dices, ergo ob incorruptibilitatem Angeli æuum eius erit alterius rationis à duratione substantiæ corruptibilis, etsi vtriusque duratio sit permanens. Ego quidem non negarem consequentiam, tum quia manifestè infertur ex doctrina Doctoris; tum etiam quia intentum eius fuit solum excludere tempus discretum, non admittens aliam durationem præter æternitatem Dei æuum permanentium, & tempus successiuorum, quod non tollit, quin inter æterna sit aliqua differentia, licet non in permanentia simultanea, quia duratio ista nihil aliud est, quàm existentia perseverans inuariabiliter in esse accepto; & ita si existentia perseveret ab intrinseco indefectibiliter, erit æternitas; si indefectibiliter ab extrinseco, erit æuum Angelorum; si defectibiliter tam ab intrinseco, quàm ab extrinseco, erit æuum aliorum permanentium: neque est inconueniens, quod talia æua differant, cum sint mensuræ idem omnino cum rebus mensuratis, ex Doctore vbi suprâ quæst. 2. per totam: vnde si inter mensurata est assignata distinctio, probabiliter potest assignari inter mensuras.

Existia.

Responso.

19. Obiectio
tertia.
Res corruptibiles non mensurantur in intrinseco sicut esse aut esse.

citur senex, aut iuuenis.

Obiectio quarta.
Obiectio quarta.
Philosopho hic text. 117. sed generalia multa patiuntur à tempore, nimirum quod quantum acquirunt futuri, deperdunt præteriti, agendoque, & patiendo aliquid materiæ fluit, & refluit, &c. ergo cum istæ entitates non sint omnino permanentes & multa patiatur à tempore, tempore mensurabuntur. Respondetur esse substantiale, nec pati aliquid à tempore, nec variari. nam idem manet quoad substantiam à primario vsque in finem: de quo in 1. de generatione: patitur autem quoad esse accidentale, scilicet quoad augmentum, aut decrementum, vel alterationem: & licet quantum ad materiam sit aliqua variatio, illa tamen non sit continuè, sed secundum interualla temporis. nam ex Doctore vbi suprâ non omnis forma, secundum quam est variatio, mensuratur tempore, vel instanti eius; sed illa solum secundum quam res aliter se habet successiuè.

Responso.

Esse substantiale non patitur in intrinseco à tempore.

DIFFICULTAS III.

Qualiter tempus à motu distinguatur.

NON dubitamus in presenti de tempore, quo intrinseco primum mobile mensuratur, & reliqui motus inferiores extrinseco comparato cum his motibus inferioribus: nam certum est, ab eisdem realiter differre, quandoquidem tale tempus datur sine his motibus, & quando simul inueniuntur, sunt in diuersis subiectis, quod manifestè conuincit realem distinctionem. Est ergo difficultas de tempore comparato cum primo mobile, & de aliis specialibus tempo

temporibus, quibus ceteri motus inferiores mensurantur.

ARTICVLVS I.

Proponitur quinta affirmans realiter differre, & negatiua defenditur.

20.
Sententia prima.

Prima sententia sustinet tempus realiter à motu differre: ita S. Th. 1. part. quæst. 10. artic. 2. Richard. in 2. distinct. 2. artic. 1. quæst. 2. concl. 3. Henr. quodlibet 3. quæst. 5. Iauel. quæst. 10. huius libri. Conimbricenf. cap. 14. quæst. 14. attic. 1. & 2. Sonz. 22. Metaphysic. quæst. 58. Ruu. hinc quæst. 4. quibus subscribunt quidam neoterici Scotistæ, qui citant Doctorem in 2. d. 2. quæst. 2. & 3. sed ibi problematicè loquitur, vt ipsi fatentur. Fundamentum horum authorum est primò quòd ex Philosopho 9. Metaph. text. 29. & 4. Physic. text. 133. tempus est passio motus verè, & propriè: sed passiones realiter differunt ab entitatibus, à quibus promanant; ergo & tempus à motu. Reliqua fundamèta obijciemus art. 2. contra nostram conclusionem.

21.
Verior sententia.

Verior sententia docet, tempus non distingui à motu realiter, tenet expressè Doctorem in 4. d. 48. quæst. 2. §. *contra secundam viam*. verficul. *si arguatur*, num. 12. & 4. Physic. quæst. 15. quem sequuntur ferè omnes Scotistæ Ioan. Canon. hinc artic. 3. Nicol. Orbelis hinc, Ioan. Colonia quæst. 384. Anton. Andr. 5. Metaphysic. quæst. 14. Rad. 2. controuers. 4. artic. 2. Faber theorem. 49. & sepiùs in sententariis: his subscribunt Vasq. 1. part. disp. 33. cap. 3. Suarez. disput. 50. suæ Metaphysicæ sectione 1. num. 5. & sectione 9. num. 1. qui citant Gabr. Gregor. & Ochamum. Pereyra lib. 2. cap. 1. &

alij quàm plures, quos longum esset recensere.

Hanc sententiam quidam probant, primò, quia si tempus distingueretur realiter à motu, vel mensuraretur se ipso, vel alio à se realiter distincto: si dicatur primum; ergo sicut tempus se ipso durat, sic poterit & motus: si dicatur secundum; ergo dabitur processus in infinitum. nam idem dicendum foret de illa duratione, seu mensura temporis, & sic in infinitum. Sed meo videri, hoc argumentum non est efficax. nam idem posset fieri de aliis modis realiter modaliter ab entitatibus modificatis diuersis, v.g. de vnione, sessione, &c. cum etiam possemus inquirere per quid sedeat sessio, & vniatur vnio: vnde sicut dicitur vniionem se ipsa vniri, quia est ratio vniendi, sic tempus se ipso mensurari, quia est mensura motus.

Efficaciùs probatur hæc sententia argumento, quo vtitur Doctor in 2. d. 2. quæst. 2. §. *contra istud arguitur*, num. 3. ad probandum æuum, seu durationem Angeli ab eo non distingui realiter. nam idem videtur dicendum de tempore speciali, quod est intrinseca mensura, & duratio motus. Argumentum est huiusmodi, ea non differunt realiter, quibus repugnat ab intrinseco separari: sed implicat Angelum esse in rerum natura, & non actualiter durare, similiterque & motum successiuum; ergo tempus, quod est mensura huius, non distinguitur realiter ab eo. Respondet quidam neotericus Scotista, non implicare motum separari à tempore, sicut neque quòd motus successiuus fiat in instanti. Hæc tamen solutio duo inuoluit omnino falsa, primum motum posse esse sine tempore, cum implicet ab intrinseco motum durare, & non esse in tempore, cum tempus sit.

22.

Resoluitur quorundam probatio.

Efficacius probatur conclusio.

Respondeo quorundam.

Refutatur resolutio.

fit duratio rei successiuæ, vt est motus pro fluxu formæ, de quo loquimur in præfenti. Secundum etiam quod admittit, non est minus falsum. nam, vt dicam lib. 6. quaestione 2. difficultate 1. articul. 1. implicat, motum successiuum posse fieri in instanti, licet non implicet, quod diuinitus producat in instanti, quod aliàs successiuè producitur; ergo nullatenus motus potest esse sine tempore.

23.
Secunda
alierum
responso.

Alij respondent, non esse efficax argumentum ad probandam identitatem extremorum, inseparabilitatem eorundem. nam, sicut ex Doctore in 3. distinct. 2. quaestione 2. articul. 1. diximus lib. 1. quaest. 6. art. 2. totum distingui realiter à suis partibus, & nihilominus intelligi nequit totum sine eis: ita etsi repugnet existentia motus sine tempore, non inde inferitur manifestè quod sint idem realiter. Sed hæc solutio simul & impugnatio; etsi magnam habere difficultatem videatur, ita vt Doctissimus, & Illustrissimus Dominus Hugo Cauello Archiepiscopus Armacanus Hybernæ Primas, nouus Doctoris Scholasticus in scholio ad secundam quaestionem distinctionis secundæ secundi sententiarum num. 3. urgere contra dictam sententiam de distinctione totius à partibus afferret, tamen inefficax est, si attendatur fundamentum Doctoris ibidem. nam inseparabilitas, vt colligitur ex versiculo, *Confirmatur ratio ista*, & potest prouenire ab intrinseco, & ab extrinseco, item ex parte vtriusque extremi, vel alterius, vt dixi lib. 1. quaest. 6. vbi supra, articul. 3. ex parte alterius extremi, vt inseparabilitas, & dependentia, quam dicit creatura à creatore. nam licet Deus duret sine creatura, creatura nequit durare sine Deo, à quo essentialiter in esse, fieri, & conseruari dependet. Qua ra-

Occurrit
sur obiectioni.

tionem dixi in Logica quaest. 16. difficultate 2. artic. 1. relationem hanc dependentiæ creaturæ à creatore esse idem realiter creaturæ. Inseparabilitas ratione vtriusque extremi potest esse intrinseca respectu vnus, & extrinseca respectu alterius extremi: hoc patet in toto physico respectu partium vnitarum, quoniam totum compositum intrinsecè, & essentialiter dicit inseparabilitatem à partibus, cum eis vt actualiter causantibus essentialiter constat: partes autem etsi semel vnitæ nequeant non causare totum, cum sint causæ naturales intrinseca impeditibiles, si debite vniantur, tamen hæc necessitas in actu secundo causandi contingit ipsis ratione vnionis relatiuæ, quæ est quasi conditio proximatua ad causandum, vt diximus vbi supra, & lib. 1. quaest. 5. difficult. 1. artic. 3. Vnde cum hæc sit extrinseca materiæ, & formæ, vt patet in anima rationali separata à corpore, & in materia primâ diuinitus separabili ab omni forma, vt diximus lib. 1. q. 2. difficultat. 4. articul. 3. inde fit, quod ex parte istius extremi inseparabilitas totius à partibus sit extrinseca; hæc tamen non arguit identitatem realem, cum ex natua virtute vtriusque extremi non proueniat: tempus tamen & motus, cum ab intrinseco, & ex parte vtriusque extremi sint inseparabiles. nam intelligi nequit duratio temporanea sine motu; sicut nec actualitas sine re actuali, item nec motus propriè dictus non durans, seu in tempore: inde fit efficacissimè hac potissima ratione probari non distingui

realiter tempus,
& motum.

* * *

ARTICVLVS II.

*An saltem formaliter tempus
distinguatur à motu?*

24.
Opinio
Suarij.

S Varius vbi suprà affirmat distin-
gui formaliter distinctione ratio-
nis ratiocinatae. Fundamentum huius
est, quòd plura verificantur de tem-
pore formaliter, nempe esse mensu-
ram immensurabilem, quæ nequeunt
conuenire motui, cum sit mensura-
bile, & non mensurans, durans, & non
duratio; ergo saltem formaliter ra-
tione ratiocinata differunt. Secundò
motus solum dicit viam ad termi-
num; tempus autem moram, seu per-
manentiam in esse, quam necessariò
habet talis motus: vnde August. 11.
confess. cap. 24. postquam locutus
fuit de tempore, & motu, concludit,
non est ergo tempus corporis motus.

25.
Tempus
& motus
sunt idè
formali-
ter.

Nobis tamen dicendum est, tem-
pus, & motum esse omnino idem rea-
liter, ita vt nec formaliter differant:
id expressè asserit Doctor in 2. d. 2.
quæstione 2. §. *ad secundam partem
quæstionis*, versicul. *ad propositum*, n. 11.
de mensura, auro, seu duratione An-
gelorum, quòd idem consequenter
dicendum est de duratione intrinseca
motus, quæ est tempus, nam non est
maior ratio vnius, quàm alterius.
Fundamentum Doctoris est, quòd non
sunt multiplicanda entia sine necessi-
tate: sed existentia Angeli sufficien-
ter explicat durationem actualem eius,
similiter & existentia motus; ergo nec
zuum distinguitur formaliter ab An-
gelo, nec tempus à motu: erit ergo
tempus, quòd est intrinseca mensura
motus, nihil aliud, quàm actualis exi-
stentia eius, seu duratio includens de
connotare relationem, seu dependen-
tiam ad causam primam efficientem,
& conseruantem talem actualitatem,

vel durationem, quòd ex solutione ar-
gumentorum magis patefcer.

ARTICVLVS III.

*Satisfit quibusdam obiectionibus
occurrentibus contra unitatem
motus, & temporis.*

O Biicies primò, tempus est men- 25.
sura motus: inter mensuram, & *Obiectio*
mensuratum est relatio realis; ergo *prima.*
& distinctio, hoc enim intrinsecè pe-
rit prædicamentalis relatio, ex dictis
sæpiùs. Respondet Doctor in 2. vbi *Respsõs.*
suprà, inter tempus primi mobilis, &
motum inferiorum esse relationem
mensuræ, quia vt sic tempus est men-
sura extrinseca, non autem inter tem-
pus intrinsecum, quò intrinsecè men-
suratur motus, nam vt sic sunt omni-
no idem.

Obiicies secundò, motum dici tar- *Obiectio*
dum, aut velocem: tempus autem lon- *secunda.*
gum, aut breue; ergo cum illis con-
ueniant diuersa prædicata omnino
opposita, distinguuntur realiter. *Respsõs.*
Respondent quidam ad hoc sufficere di-
stinctionem formalem ex natura rei.
Sed hanc negauimus nos numeri 25.
ideo respondetur eandem numero
indiuisibilem entitatem per diuersas
connotationes, & respectus posse di-
uersimodè denominari; ideo dixi in
Logica quæst. 4. diffic. 2. artic. 1. Logi-
cam docentem, & videntem esse vni-
cum indiuisibilem habitum penes di-
uersas connotationes diuersis deno-
minationibus gaudentem: sic non mi-
rum quòd eadem num. entitas, quæ est
motus, & tempus, diuersis denomina-
tionibus nominetur: quæ autem sint
connotata harum diuersarum deno-
minationum, argumento sequenti, &
n. 28. patebit, & sic manebunt soluta
fundamenta Suarij.

Obiicies

27.
Obiectio
tertia.

Obiicies tertio eundem num. motum transire de tardo in velocem; insuper ex duobus motibus num. distinctis vnum esse velociorem alio: sed velocitas, & tarditas sumitur à tempore, quod motus consumunt; ergo tempus realiter distinguitur à motu, aliàs non posset variari hæc mensura, sicut nec variatur entitas motus. Huic argumento variis modis respondet Do-

Responsio
prima.

ctissimus P. Suarius disputat. 50. suæ Metaphysicæ sect. 9. à num. 3. vsque ad 9. Primò negando in eodem motu esse maiorem, aut minorem durationem secundum propriam entitatem; sed solum extrinsecè penes ordinem ad primam mensuram, & vniuersalem, quæ est tempus primi motus. Quod sic declarat. nam motus habet partes proportionatas cum partibus spatij; ergo siue motus sit tardus, siue velox, semper habebit eandem partes, & consequenter eandem intrinsecam durationem, licèt extrinsecè motus dicatur tardus, aut velox, quia plus, aut minus extrinseci temporis consumat. Hæc tamen solutio non multum placet. nam cum tempus speciale nihil aliud sit, quam duratio intrinseca fluxus non permanentis, necessum est, quod etiam tempus speciale dicatur tardum, aut velox, si motus tardus, aut velox est: nam certum est, quod cum tempus sit duratio ab intrinsecò, aliquis motus minus durabit, quam alius, ita vt licèt non esset tempus primi mobilis, ex natura propria vnum agens velocius moueretur, quam aliud, licèt non esset tunc determinata mensura extrinseca horarum, & dierum. Magis placet dicere cum eodem Suario, paritatem, & velocitatem esse modum quemdam in motu gaudente propria duratione, sicut & ipse motus; non ali-

Responsio
secunda.

ter ac densitas & raritas sunt modi quantitatis permanentis. Vnde dicendum est, eundem numero motum transeuntem de tardo in velocem mutari modaliter: similiter & duos numero motus, vnus tardus, & alius velox, non differre ex propriis entitatibus intrinsecis, sed ratione modorum tarditatis, & velocitatis. Isti tamen modi nec sunt dicendi motus, nec tempora, sicut nec rarefactio, aut còdensatio formaliter sunt quantitas: sed dicendi sunt modi motus durantis.

ter ac densitas & raritas sunt modi quantitatis permanentis. Vnde dicendum est, eundem numero motum transeuntem de tardo in velocem mutari modaliter: similiter & duos numero motus, vnus tardus, & alius velox, non differre ex propriis entitatibus intrinsecis, sed ratione modorum tarditatis, & velocitatis. Isti tamen modi nec sunt dicendi motus, nec tempora, sicut nec rarefactio, aut còdensatio formaliter sunt quantitas: sed dicendi sunt modi motus durantis.

Obiicies quartò, Philosoph. 4. Physic. reprehendentem eos, qui dicebant motum cœli, vel alium quemlibet motum esse tempus, statuentemque quod licèt tempus non possit esse sine motu, tempus tamen non esse motum; ergo secundum Aristotelem tempus distinguitur à motu.

Respondetur Aristotelem non reprehendisse Philosophos, quia dicerent tempus esse idem cum motu; sed quia taliter tempus cum motu confundebant, vt nullatenus explicarent quid motus, & quid tempus essent. Vnde 4. Physic. text. 113. dicit, eos veritati accessisse proximius, dicendo tempus esse motum; nos verò in eadem entitate rationem motus, & temporis explicamus.

Obiicies quintò, durationem non distingui ab existentia, ex num. 25. & existentiam esse idem formaliter cum re actuali, ex dictis ibidem; ergo non est assignabilis ratio temporis, & motus in eadem entitate.

Respondetur quod, sicut ex dictis in Metaphysica quaestione de actualitate, & existentia rerum, etiam si essentia actualis sit formaliter sua existentia, nihilominus essentiam ab existentia distinguimus,

non quatenus actualem, sed quatenus sub negatione existentiae tanquam non ens ab ente, ita etsi motus durans formaliter sit tempus, bene distinguimus entitatem motus ab entitate temporis, quia motus quatenus motus solum dicit successiuam continuationem, & fluxum partium, tempus verò quatenus tempus, earundem durationem.

ARTICVLVS IV.

Aliqua notatu digna inferuntur ex dictis in hac difficultate.

29. **E**X dictis in hac difficultate manifestè inferitur, non omnium temporalium esse vnum tempus intrinsecum, quoniam, si tempus mensurans intrinsecè motum est, entitas huius vt actualiter durans, sicut motus inter se se specie, & numero differunt, sic etiam tempora, seu intrinsecè mensuræ, quibus mensurantur. Idem dicendum est de æuis hominum, & Angelorum, ob eandem rationem.

Est idem formaliter rebus per manentibus.
 Secundo manifestè inferitur, & est doctrina Doctoris vbi suprà, quòd sicut tempus speciale est idem realiter cum motu, ita etiam æuum est idem formaliter naturæ, quam mensurat; non enim est maior ratio vnius, quàm alterius.

30. *Dubium.* Petes, qua ratione omnia dicantur esse in eodem tempore, vel simul durare sub eodem tempore, si plura non mensurantur tempore, & ea, quæ mensurantur, speciali tempore durant? Doctor lib. 5. Metaphisicæ quæstione 10. per totam, varios explicandi modos, quibus tempus potest dici vnum, proponit: etsi nullum ex sententia propria, vt

notat Hugo Cauellus in scholio huius quæstionis; quos breuitatis gratia omitto, vt legantur in eodem Doctore.

Dico ergo omnia posse dici vnico tempore mensurari, non intrinsecè, quatenus coëxistant tempori primi mobilis, quod vnum est sicut & motus eius. Vnde quemadmodum bācalus in medio fluminis fixus ibi perseverans extrinsecè succedere dicitur, quatenus partes aquæ, quibus coëxistit, continuo fluxu transeunt, & mouentur; item & flumen dicitur vnum ob continuationem partium, pluraque corpora ibi coëxistentia dicuntur esse in eodem flumine; ita tempus primi mobilis dicitur vnum ob continuam mensurationem, & identitatem, quam habet cum primo motu. Item omnia entia quantumuis propria & intrinseca duratione mensurentur, videlicet æternitate, aut æuo, quæ mensuræ non sunt intrinsecè successivæ, coëxistere existimantur tempori, & fluxui primi mobilis, quod, cum vnum sit, consequenter omnia entia existentia dicuntur coëxistere, seu mensurari vnico tempore, & ea propter dici potest Deum esse in hoc tempore, & fuisse hesternæ die, similiter Angelum, & hominem.

Petes vltimò, cur tempus dicatur à Philosopho passio motus, si tempus, & motus sunt idem formaliter, cum ad minus formaliter passiones ab essentia differant?

Responderetur tempus non dici passionem motus propriè, & rigorosè; sed quatenus motus ex natura sua petit successiuam durationem, sicut ipse successiuus est, & hac ratione dicitur passio, seu affectio non comparata cum tempore quate

Omnia entia vnico tempore mensurantur extrinsecè.

31. *Dubium cur tempus dicatur passio motus.*

quatenus durante, sed quatenus præcise à duratione.

Resolutio quaestionis.

Habemus ex rota hac quaestione tempus esse verum ens reale, continuum, & successivum, existens secundum partes præteritas, & futuras, non indivisibiliter, sed divisibiliter, eoque durare motum proprie dictum tanquam mensura intrinseca, & bique formaliter identificata, sicut

& Deus æternitate, & Angeli, substantiæque tam corruptibiles, quam incorruptibiles, & accidentia permanentia ævo. Vnde quælibet res, sicut habet distinctam existentiam ab alia, ita diversam durationem intrinsecam, quæ est omnino idem cum existentia: id tamen non obstare, ut omnia entia existentia, durationeque propriis intrinsecis, diversisque durationibus unica mensura extrinsecè mensurentur, nempe tempore primi mobilis.

LIBER QUINTVS PHYSICORVM.

POSTQVAM Aristoteles præcedenti libro de motu incepit agere, in præsentî de eius speciebus, & vnitate pertractat per sex capita, in quorum duobus primis de terminis motus; in quatuor autem sequentibus de eius vnitate, & contrarietate. Cuius libri inrentum, & argumentum duabus quæstionibus comprehendemus. Prima crit de vnitate, & contrarietate motus. Secunda de terminis per se illius.

QVÆSTIO I.

De vnitate, & contrarietate motus.

QUAM vnitas alia numerica sit, alia specifica, de vtraque diuissim disputabimus statim, vnde proueniat motus contrarietas.

DIFFICVLTAS I.

Vnde motus sumat vnitatem specificam.

Difficultas procedit de motu quatenus abstrahente à successiuo, & instantaneo: iste autem, sicut & cætera, quæ habent esse, sua differentia specifica constitutiua gaudet, distinctiuæque à reliquis speciebus, ita

verò ignota, vt non nisi per extrinseca pateat. Præmitto secundo hîc posse esse sermonem de motu pro fluxu formæ, & pro forma fluenti, quatenus est via, seu fieri termini, qui est factum esse eius. de quibus diximus sapius, præcipuè lib. 3. q. 3. difficult. 1. art. 2. Præmitto tertio motum non specificari ab agente, quoniam eo variato, erit idem specie motus, dummodo sit idem terminus ad quem; possemus tamen dicere motum aliquo modo ab agenti specificari; sed hæc esset nimis extrinseca, & defectibilis specificatio. Conamur ergo in præsentî specificationem illam motus inuestigare, quæ infallibiliter nos in cognitionem veræ differentię specificè ducat.

ARTICVLVS I.

Quibusdam dictis respondet difficultatis titulo.

Dico primò motus pro forma fluenti, secundum commune placitum, à termino ad quem specificatur indefectibiliter, tenet Doctor in 1. d. 13. quæst. 1. num. 2. & in 39. d. 14. quæst. 2. num. 7. Fundamentum est primò, quòd ex dictis vbi supra, forma in fieri, seu fluens, & forma in factò esse, est vna & eadem solum per diuersos status opposita; ergo factum esse istius formæ ita specificabit fieri eiusdem, quòd in hoc nequeat esse error, vel defectus. Secundò motus est fieri rei; ergo qualis fuerit res, talis

ralis erit motus: vnde si terminus fuerit quantitas, à posteriori euidenter inferitur, motum fuisse augmentationem; si substantia, generationem; si qualitas, alterationem, &c.

3.
Conclusio
secunda.

Dico secundò, motus iste pro forma fluenti non specificatur necessariò, sed solùm contingenter à termino à quo: sic Conimbricenses, & alij quàm plures. Probatur primò ex Aristotele docente omnes dealbationes esse eiusdem speciei, quòd non esset verum, si specificarentur à terminis à quibus, cum contingat, vnam ex viridi, alteram ex cæruleo fieri. Idem definiuit motum solùm per terminum ad quem, & ab eo solùm illum denominauit; ergo sentit quòd ab ipso per se, & necessariò specificatur, & non ab alio.

4.
Conclusio
tertia.

Dico tertio, motus pro fluxu formæ non specificatur à termino à quo, nec ad quem. Ratio est manifesta. nam fluxus solùm dicit quòd motus sit instantaneus, vel successiuus, sed accidit termino producto ex dicendis lib. 6. quæst. 2. diffic. 1. art. 1. quòd instantaneè, vel successiuè producat, similiter & termino à quo, quòd recessus ab eo sit successiuus, vel instantaneus; ergo ab eisdem non poterit certa specificatio fluxus formæ venari.

Obiectio
prima.

Obiicies primò Philosophum docentem intrinsecam esse motui, versari inter terminos contrarios; ergo cum vtramque terminum respiciat, ab vtroque specificabitur. Item distinguit motum à generatione, quia ista est à priuatione, ille à positivo: vbi differentia solùm stat in termino à quo: motus autem, & generatio specie differunt; ergo. Respond. negari non posse ab vtroque motum specificari, diuerso tamen modo. nam à termino à quo, vt à conditione ne-

Responsio.

cessatiò requisita, cum ex dicendis diffic. 3. motus versetur inter contraria, à termino verò ad quem tanquam ab indefectibili ratione, ex qua necessariò inferitur specifica vnitas, & distinctio motus; cum sit idem realiter cum termino ad quem, cum tamen variato termino à quo, possit non variari motus, ex num. 3. inde fit non esse eandem rationem: cum tamen dicit Philosophus motus distinguui penes hoc quòd vnum sit à priuatione; aliud à positivo, solùm intendit terminum à quo in aliquibus actionibus conducere ad cognitionem intrinsecæ specificationis, non tamen in omnibus, nec præcisè, quatenus terminus à quo est, sicut terminus ad quem conuenit.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò motum instantaneum specie differre à successiuo, & tamen habent eundem terminum ad quem; ergo cum non sit aliud, à quo possint speciem accipere, specificabuntur à termino à quo. Respond. motum successiuum, & instantaneum solùm accidentaliter differre ratione fluxus, non ratione intrinsecæ entitatis motus, seu fluentis formæ, vt dicemus in libris de generatione, sicut & motus naturalis, & violentus, curuus, & rectus. Ideòque non est cur venemur istam distinctionem à termino à quo, nec à termino ad quem, cum difficultas procedat de essentiali distinctione, & specificatione. Rursus, etsi demus cum opinione probabili, hos motus essentialiter differre, non obstat terminum ad quem esse eundem. nam, vt bene Doctor in 3. d. 14. quæst. 1. §. ad primum, & in 4. d. 43. quæst. 1. §. aliter, licet distinctio termini còcludat distinctionem motus, non verò vnitas termini vnitatem motus, quia ex Augustino idem potest generari æquiuocè, & vniuocè, quæ

Responsio.

quæ mutationes essentialiter differunt. ita probabiliter aliqui Scotistæ sentiunt. Sed ratio ista, meo videri, non probat pro forma fluenti eundem terminum diuersis specie actionibus posse produci. nam cum forma fluens sit eadem indiuisibiliter, siue æquiuocè, siue vniuocè producatur, impossibile erit, quod motus essentialiter differant; sed solum accidentaliter penes hoc quod effectus respiciat causam perfectiorem, seu æquiuocam, seu æqualem, aut vniuocam, quæ distinctio accidentaliter est, sicut & respectus extrinseci, & accidentales sunt. Vnde quod diuersæ formæ specificæ possint habere eundem terminum, solum est verum, quando terminus non producitur, sed supponitur, vt patet in formis operatiuis vitalibus. nam eadem entitas indiuisibilis potest cognosci, & amari, fugi, & prosequi, qui actus specie distinguuntur. Sed de his latius in Metaphysica.

DIFFICULTAS II.

*Quæ requirantur ad unitatem
numericam motus.*

6.
*Triare-
quirun-
tur ad
unitatē
numericā
motus.*

Communis sententia docet cum Philosopho in hoc libro tria requiri ad unitatem numericam motus, videlicet unitatem subiecti, termini, & temporis; non quod his tribus constituantur in esse indiuiduali motus, nam ex dicendis in Metaphysica quæstione de indiuiduatione rerum, hæc ceitas, seu differentia indiuidualis cuiusuis rei indiuisibilis est; sed quatenus ad cognitionem unitatis indiuidualis, & vt indiuiduum maneat vnum numero, tres istæ conditiones præexiguntur. Quod verò requira-

tur unitas subiecti, de se manifestum est, cum repugnet accidenti, ex communi Philosophorum placito, transire de subiecto in subiectum, seu esse simul in duobus. Unitas etiam temporis inde probatur, quod motus, vt sit vnus, debet esse continuus; at tempus, & motus sunt idem formaliter ex lib. 4. q. 3. diffic. 3. num. 25. ergo. Unitatem tandem termini ad unitatem motus esse requisitam conspicuum etiam est. nam motus est via ad terminum; ergo iste debet esse vnus numero, vt via, seu fieri ipsius vnum sit.

Obiiciens primò, cum Doctore hinc lib. 1. q. 5. quod si aliquod animal caderet à loco præminentem, & in medio spatio moriatur, vna pars illius motus subiectaretur in animali, & alia in caduere, quæ sunt mobilia distincta specie, & numero; ergo falsum est, ad unitatem motus requiri unitatem subiecti. Idem argumentum potest fieri de virga, cuius medietas viridis est, & alia sicca, quæ si moueatur deorsum, et si duo sint subiecta, nempe pars viridis, & sicca, vnus tamen numero erit motus. Respond. concedendo, hominem viuum, & mortuum non solum numero, sed specie differre; tamen corpus animalis viuens, & mortui, in quo subiectantur accidentia, ex mente Doctoris in 2. dist. 3. quæst. 4. §. ad primum, & in 4. dist. 12. quæst. 3. §. dico, vt dicemus in primo libro de generatione, idem numero est, vt dicemus etiam ibidem: vnde hoc non obstat, vt sit idem numero motus. Eodem modo responderetur ad secundam instantiam, quod si corpus viuum, & mortuum numero differrent, non dubito quin etiam motus esset numero distinctus, propter diuersitatem subiecto-

*Obiectio
prima.*

*Responso
Corpus
viuū &
mortuū
est idem
numero.*

rum, & discontinuationem motus, præcipuè in sententia eorum, qui dicunt, accidentia indiuiduari à subiecto, seu materia.

7.
*Obiectio
secunda.*

Obiicies secundo, si aliquod mobile continuè moueatur per vnam horam, & in tertia, & quinta parte illius horæ nulla anima numeret motum, tunc ex definitione temporis, quod est numerus motus, in tertia, & quinta parte nullum est tempus; ob id tamen motus non desineret esse vnus; ergo ad vnitatem motus non requiritur vnitas temporis. Respondet Doctor quæst. 6. vbi supra, naturaliter impossibile esse non dari aliquam intelligentiam numerantem; sed dato quod nullus numeraret, id non obstarèt ad continuitatem motus, quia licèt tempus coëxistens illi motui de facto non esset vnum: at tamen si sibi coexistisset tempus, per totum illud fuisset vnum. Secundo respondeo, de ratione temporis, quod est mensura intrinseca, ex præcedenti quæst. 3. num. 25. solum esse durationem, non autem numerationem. nam hoc conuenit mensuræ extrinsecæ, & hæc non est quæ requiritur ad vnitatem motus.

8.
*Obiectio
tertia.*

Obiicies tertio; motum ab albo in nigrum per medium colorem videri vnum numero motum continuum, & tamen formæ acquisite per motum sunt distinctæ specie, videlicet color medius, & nigredo; ergo non requiritur vnitas termini. Idem argumentum potest fieri de motu ignis à centro terræ vsque ad concuum lunæ, qui vnus numero est, & tamen per illum acquiruntur formæ numero distinctæ, vt sunt præsentia in loco terræ, aëris, & ignis. Respondetur motum esse discontinuum, ac per consequens duo motus diuersi acquisitiui diuersorum terminorum: vnde motus

Responso.

ille non est dicendus continuus, sed contiguus. Ad illud de motu ignis, responderetur omnes illas præsentias vnã continuare successiuam, & totalem, non secus ac partes quantitatis acquisite per augmentationem vnã totalem quantitatem permanentem dantem vnitatem motui.

Petes, deficiatne aliqua conditio ad vnitatem motus? Respondeo, motum quatenus motum non præquirere alias condiciones ad suam vnitatem numericam; quatenus actionem verò requirere vnitatem agentis totalis, & adæquati. Ratio est, quia motus quatenus actio prædicamentalis per se respicit agens tanquam subiectum illius; ergo vbi duo agentia totalia, duæ actiones, cum vnum accidens non valeat informare duplex subiectum. Vnde Philosophus non diminutè processit enumerando solum tres primas condiciones, quia non loquutus fuit de motu quatenus actione, sed quatenus motu.

Dubium.

DIFFICULTAS III.

*Vnde sumatur contrarietas
motus.*

9.
Communis sententia docet cum Philosopho hinc cap. 5. contrarietatem motuum sumendam esse à terminis ad quos. Ratio est conspiciua. nam motus est acquisitio termini ad quem; ergo si termini ad quos contrariantur, consequenter & motus, qui sunt acquisitiones eorum. Petes, an etiam à termino à quo pos-
Resolutio.
sit hæc contrarietas venari. Respondetur ex mente Philosophi vbi supra negatiuè. Fundamentum est, quod motus non est acquisitio termini à quo, sed potius desitio illius. Notare tamen oportet, quod etiam si à solis

Cōclusio.

*Dubium.
Resolutio.*

terminis, à quibus nequeat sumi talis contrarietas, nihilominus motus esse magis strictè contrarios, quando ex parte amborum extremorum, nempe à quo, & ad quem, contrariantur.

Obiectio. Obiicies motum ab albo in fuscum contrariari motui à nigro in fuscum, & tamen est idem terminus ad quem,

Responsio. nempe fuscum; ergo. Respondetur negando esse eundem terminum. nam si color fuscus consideretur vt terminat motum ab albo, habet rationem nigri; si verò vt terminat motum à nigro, habet rationem albi. Vnde sicut albedo, & nigredo contrariantur, ita & motus.

Illatio prima. Ex dictis infertur primò quòd cum motus sit via ad terminum, eadem incompossibilitas erit in motibus, quæ est in terminis: vnde sicut non repugnant contrariæ qualitates in gradibus remissis, sic nec motus ad eas in eodem subiecto. Secundò quòd sicut

Illatio secunda. inter solas qualitates datur propria, & rigorosa contrarietas, ex dicendis in secundo de generatione, ita soli motus tendentes ad ipsas sunt verè contrarij.

Predictæ quæstionis resolutio.

HAbemus ex hac quæstione motus ab intrinseco propriis differentiis specificari, extrinsecè tamen, & necessariò à terminis ad quos sumi vtramque vnitatem, sicut & propriam eorum contrarietatem.

QVÆSTIO II.

De terminis per se motus.

Motus triplex. **M**OTVS tripliciter vsurpatur à Doctore in 4. d. 10. q. 6. §. *ad in- tellectum*, n. 2. Primò pro quavis rece-

ptione alicuius in subiecto, ratione cuius, largè loquendo, aliter se habet nunc, quàm prius: qua ratione Philosophus lib. 3. Physic. & 11. Metaphys. docet tot esse mutationum species, quot entis. Secundò proprius pro via, qua subiectum transit à termino à quo ad terminum ad quem, siue instantaneè, siue successivè: in qua acceptione definitus fuit motus 3. Phys. *est actus in potentia secundum quod in potentia*. Tertio propriissime pro via successivè consumente tempus, de quo est quæstio, & de eo inquiritur ad quæ predicamenta terminetur per se.

DIFFICULTAS I.

Ad quæ predicamenta detur per se motus.

QUæ terminant per se motum ex Philosopho hîc, debent habere contrarium, non propriè, & rigorosè, vt habent qualitates, sed impropriè sumpta contrarietate pro incompossibilitate terminorum positiuorum. nam cum motus, de quo loquimur, sit ab intrinseco successivus, & identificet sibi formaliter tempus, necessum est, extrema eius sic opponi, vt habeant latitudinem non simul, sed successivè à mobili percurrendam, siue hæc latitudo conveniat formæ ratione suarum partium, siue ratione partium mobilis, siue ratione vtriusque, vt docet Doctor in 2. dist. 2. quæst. 9. §. *quarto principaliter*, & §. *ad quæstionem*, num. 8. & in 4. dist. 43. quæst. 5. art. 5. docet, motus successionem oriri etiam ex resistantia mobilis ad motorem, quia mobile semper est sub aliquo, cui non potest immediate succedere terminus intentus à motore ob predictam latitudinem, quam insuper debet habere forma ex propria

pria natura, & non ratione alterius, sicut habet ratio ratione fundamenti, quia sic nullum motum terminat, nec instantaneum, nec successiuum.

ARTICVLVS I.

Fit satis titulo difficultatis.

2. **E**X præmissis satis constat ad quæ prædicamenta possit terminari motus per se: vnde

Conclusio prima. Dico primò, ad quantitatem dari per se motum loquendo de continua permanenti. Probatum, quia habet partes extensas cum contrarietate, & latitudine non simul currenda, cum inter quantum sex palmorum, & duodecim medient quinque. Rursus talis quantitas est per se acquisibilis. Notanter diximus de continuo permanenti. nam successiuum nõ producitur, sicut nec tempus, quoniam productio rei non est producibilis.

Obiectio. Obiicies, in generatione instantanea viventis quantitatem produci in instanti; ergo. Respondetur hoc esse de per accidens. nam quantitas per se potest successiuè produci, vt patet in augmentatione animalis, quando nutritur, & in augmentatione non uiuentium.

Instantia. Instabis, substantiam in nutritione viventis produci successiuè: vnde Aristot. 7. Physic. cap. 4. docuit vnã generationem esse velociorem altera, quæ solum conueniunt rei successiuæ, & tamen conueniunt omnes, ad substantiam non dari per se motum; ergo quamuis quantitas possit produci successiuè, non sequitur nostra conclusio. Respondetur partes substantiæ non habere contrarietatem nisi per accidens ratione alterationis præuiaz successiuè disponentis subiectum & alimentum, quæ si in instanti disponerentur, in instanti informa-

rentur, de quo in libris de generatione. Vnde sicut contingit substantiæ hæc successio, ita etiam quòd datur motus ad ipsam: partes autem quantitatis, cum ob suam intrinsicam extensionem contrarietate, per se petunt successione motus, licet per accidens possint produci in instanti: vnde quando Philosophus asserit, generationem esse productionem successiuam, loquitur non ratione substantiæ, sed ratione alterationis præuiaz: sic explicat Doctor in hoc libro quæst. 2.

Dico secundò, ad qualitatem datur per se motus. Fundamentum est, quòd habet latitudinem gradualem, & tractat per se alterationem; ergo.

Obiicies lucem esse qualitatem, & produci in instanti, similiter aliæ qualitates intentionales; ergo. Respondetur conclusionem intelligendam esse de qualitatibus, quæ habent contrarium, quo carent prædictæ.

Obiicies secundò, amorem & odium, scientiam, & errorem contrariari, & tamen producuntur in instanti; ergo. Resp. has qualitates opponi indiuisibiliter adhuc in gradu remisso, & ita licet sint acquisibiles per se, quia carent latitudine successiuè percurrenda, non datur ad ipsas per se motus. Vnde nec quantum ad extensionem terminant per se motum (quidquid dicat Ruuius) quoniam siue quando primò producuntur, siue quando postea extenduntur, est per accidens ad extensionem subiecti, sicut accidit substantiæ in nutritione lumini in medio.

Dico tertio, ad ubi datur per se motus tam definitiuum, quàm circumscriptiuum. Probatum, quia inter terminum à quo, & ad quem est distantia successiuæ, & rursus ipsum ubi potest per se terminare motum; ergo.

3. *Conclusio secunda.*

Obiectio prima.

Responsio.

Obiectio secunda.

Responsio.

4. *Conclusio tertia.*

Substantia per accidens prædicatur successiuè.

ARTICVLVS II.

An motus localis habeat pro termino formali, & immediato aliquod absolutum, an respectuum.

Conclusio prima.

Communiter Thomistæ dicunt vbi formale esse modum absolutum, relatiuum verò secundum dici, & ita ad ipsum terminari per se motum localem. Scotistæ verò cum asserant cum Doctore, vbi prædicamentale esse relationem extrinsecus aduenientem, vt dixi in Logica q. 17. difficult. 2. art. 1. & dicam in Metaph. quæst. de vbi, consequenter asserunt, motum per se, & primariò tractari ad talem relationem. Ego verò existimo secundum mentem Doctoris, asserendum esse, in quouis motu locali primariò, & formaliter produci modum quendam absolutum, qui vocatur definitiua præsentia, independentem à superficie ambiente, & locante, & à connotatione cuiusvis relationis tam actiuæ, quàm passiuæ. Adæquatè verò & completiuè adiungi huic termino formali alium respectum extrinsecus aduenientem locati ad locum, qui dicitur vbi passiuum. Idem sentio de motu Christi in Eucharistia, vbi corpus Christi primariò gaudet præsentia definitiua; secundariò verò & adæquatè sacramentali.

Terminus formalis & per se motus localis est quid absolutum.

5. **F**undamentum huius sententiæ est, quòd ex Doctore in 4. d. 10. quæst. 2. num. 13. & quæst. 4. num. 10. & quæst. 5. num. 2. & quæst. 6. num. 7. esse absolutum rei non variatur per respectus; sed cuiuslibet corpori debetur præsentia definitiua, id est, taliter esse hic quòd non alibi independentem à quocumque ambiente; ergo hæc præsentia absoluta, & independentem non va-

Esse absolutum rei non variatur per respectus.

riabitur penes hoc quòd motus fiat in vacuo, vel in pleno. Secundò nullum per se dependet in suo esse ab aliquo contingenti ipsi: motus, quatenus motus est, seu quatenus latet ab isto spatio ad illud, per se petit habere terminum; ergo hic non est respectiuus, sed absolutus. Probo consequentiam, nam si non esset superficies ambiens defectu termini, non esset relatio vocationis passiuæ; ergo debemus assignare motui aliquè terminum per se independentem à contingencia ambientis superficiem: iste erit modus absolutus; ergo. Confirmatur, si corpore existente in loco circumscriptiuè annihilaret Deus ambientem superficiem, tale corpus non maneret localiter præsens defectu relationis tractatæ ad superficiem, & nihilominus maneret cum aliqua præsentia non de nouo producta, quia annihilatio superficiem non est productio præsentia in corpore; signum ergo est, quòd gaudebat præsentia absoluta distincta à relatiua, quæ dicitur definitiua.

Dico secundò, terminus adæquatè, & per se intentus in motu locali est vltra modum istum absolutum quædam relatio extrinsecus adueniens fundata in corpore locato, & terminata ad superficiem ambientem, & locantem. Probat, quia quòd intenditur per motum, est esse in hoc loco; ergo adæquatè, & completiuè licet non per se, & formaliter, habet pro termino relationem istam, nisi velis distinguere duos motus inadæquatos, vnum definitiuum tractatum ad præsentiam definitiuam absolutam; alium circumscriptiuum terminatum ad relationem, quoniam cum motus sit fieri termini, vbi sunt duo termini producibiles, vt est relatio extrinsecus adueniens, & modus definitiuus,

Conclusio secunda.

finitius, ibi erunt duo motus, quorum definitius non dependet à circumscriptiuo, cum possit esse sine illo, etsi circumscriptiuus ita à definitiuo dependeat, quod sine eo esse repugnet.

6.
Obiectio.

Obiicias contra tres conclusiones primi articuli Philosophum 8. Physic. text. 4. & 64. afferentem, nullum corpus continuè augeri, nec alterari, nec moueri localiter; ergo nullus ex prædictis verus motus est. Patet consequentia, quia motus ex eodem 3. Physic. debet esse continuus. Respondetur cum Doctore vbi supra continuitatem motus primò denotare perpetuitatem, ita vt quando mobile est, moueatur: quo sensu probauit Aristoteles contra antiquos, motum non esse continuum. Secundò continuum idem significat quod non interruptum quiete, & hanc continuitatem, quam concessimus supra, & diximus per se terminari ad quantitatem, qualitatem, & vbi, nunquam negauit Philosophus.

Responsio.

Ex dictis manifestè infertur ad relationem prædicamentalem non dati

per se motum, quia non producitur per se, resultat enim ex positione fundamenti, & termini, sicut situs, & habitus ex vbi, & quando ex coëxistentia rei temporalis ad tempus; aut si sunt acquisibiles per se, vt de vnione materiæ ad formam, dixi lib. 1. q. 5. difficult. 2. art. 2. tamen cum partes earum non habeant contrarietatem, & latitudinem successiuè percurrendam, nequeunt per se motum terminare. quod idem dicendum est de substantia materiali, vt notauimus superius num. 2.

Resolutio quæstionis.

HAbemus ex hac quæstione solùm ad tria prædicamenta, nempe quantitatem, qualitatem, & vbi, dari per se motum; ad reliqua verò posse dari per accidens. item motum localem primariò, & formaliter includere motum definitiuum, præsentiamque definitiuam producere, etsi adæquatè vtraque præsentia, absoluta nempe, & definitiua, & relatiua, circumscriptiuæque duobus inadæquatis motibus producat.

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

Totius
libri di-
uisio.



LIBER iste communi-
ter in 10. capita ab in-
terpretibus diuiditur; à
commentatore verò in
94. textus. Duobus pri-
mis capitibus probatur, nullum con-
tinuum, siue successiuum, siue perma-
nens, componi ex partibus indiuisibi-
libus contra veteres, qui asserabant
componi ex atomis, seu corporibus
quibusdam insensibilibus & indiui-
duis. 3. & 4. agitur de diuisione motus.
5. & 6. de ordine partium motus. 7.
de ratione finiti & infiniti in mo-
tu. 8. de diuisione quietis. 9. & vltimo
respond. obiectis Zenonis. In hoc er-
go lib. duo veniunt discutienda. Pri-
mum quod sit continuum, & qualiter
componatur. Secundum de inceptio-
ne & distinctione rerum.

QVÆSTIO I.

*De continuo tam perma-
nente, quam successiuo.*

I.
Conti-
nuum &
contiguū
quomodo
disting-
uantur.

CONTINVVM & contiguum
in hoc distinguuntur ab Ari-
stotele cap. 1. quòd illud sit cuius par-
tes sunt vnum; contiguum verò cuius
vltima sunt simul, vel in eodem loco. qua-
re superficies vltima corporis locati
& loci sunt contigua, quia simul in
eodem loco; non autem sunt cōtinua,
quia non faciunt inter se vnum: partes
autem alterutrius superficiei vnum
sunt, quia copulantur termino com-

muni, scilicet linea; sicut partes
istius punctis indiuisibilibus, quibus
fit vnum per se. Rursus continuū pri-
ma sui diuisione diuiditur in perma-
nens & successiuum: permanens, cuius
partes sunt, simul partitur in corpus,
lineā & superficiem, vocaturque con-
tinuum in mole, seu magnitudine. que
diuisio penes tres extensiones secun-
dum tres dimensiones longitudinis,
latitudinis & profunditatis desumitur.
Alia enim extensio nō est assignabilis
in ordine ad locum, & ideo nec alia
species quātītatis permanentis. Quan-
titas successiua diuiditur in motum &
tempus; continuantur partes temporis
per instantia, sicut lineæ per pun-
cta; partes verò motus per quædā alia
indiuisibilia, quæ communiter vocan-
tur mutata esse, per eiusmodi indiuisi-
bilia dicantur continuari, & vniri
partes continui, siue permanentis, siue
successiui, quæ ideo indiuisibilia vo-
cantur, quia carent partibus in quas
possunt diuidi. quibus suppositis, in
controuersiam venit, an dentur eius-
modi indiuisibilia, & quid sint, quod
eorum munus, & an ex ipsis solis pos-
sit continuum componi.

Continuum
in perma-
nens &
successiuū
partitio
explicatur.

DIFFICULTAS I.

*Denturæ indiuisibilia vera, &
positiua, tam continuatiua,
quàm terminatiua in continuo.*

EAdem proportionē intelligitur
presens difficultas de permanente
& suc

& successiuo, quia quod de vno dicitur, etiam de altero dicitur, sed nisi duntaxat permanentiae & successiois differentia: quia tamen continuū permanēs, vt docet Doctor in 2. d. 2. q. 9. §. ad secundū, nobis notius est, mouetur communiter quaestio de permanente.

ARTICVLVS I.

Proponuntur diuersa Philosophorum placita.

2. Sententia prima Nominalem negatiuum penitus indiuisibilia.

Prima sententia negat omnino indiuisibilia tam cōtinuatiua, quam terminatiua à parte rei. Ita Ochamus in Logica c. de quantitate, in tract. de Eucharistia c. 1. & 2. & quodl. 1. q. 9. Durād. in 2. d. 2. q. 4. & tota Nominatum schola. Hi authores vnā tantūm ponunt speciem quātitatē continuā, nempe corpus, quod natura sua tres habeat dimensiones, prout consideratur à nobis praecise, vt habet longitudinem, vocatur linea, consideratum cum latitudine vocatur superficies, cū profunditate corpus. Negant autem dari aliquam quantitatem, cui solum conueniat longitudo sine latitudine, aut latitudo sine profunditate. Puncta dicunt esse in re quid merè priuatiuum, concipi que à nobis per modum positiui carentis extēsiōe, nihilque aliud esse quā negationem vterioris extēsiōis, v.g. punctum terminatiuum esse negationem vterioris extēsiōis secundū longitudinem: lineam, negationem vterioris extēsiōis secundū latitudinem: superficiē negationem vterioris extēsiōis secundū profunditatem: indiuisibilia autē, mediantia, seu cōtinuantia, esse negationē vterioris extēsiōis taliū partiū, quae partes se ipsis vniuntur immediate sine vilo medio positiuo. Addit Ochamus implicare adhuc diuinitus eiusmodi indiuisibilia positiua produci.

Fundamentum praecipuum huius sententiae est, quod talia indiuisibilia sine necessitate ponuntur, quum maiorē proportionē habeat vna pars cū alia, vt immediate vniatur, quā mediis indiuisibilibus, quae nullam habent proportionem cum partibus; ergo tāquam superflua haec indiuisibilia sunt reicienda. Obiiciunt praeterea quam plura, quibus conantur suadere talia indiuisibilia positiua, & realia esse impossibilia, quae nos art. 3. obiicimus & enodabimus.

Fonsca 5. Metaphys. c. 16. q. 6. cui subscribunt quidā recētiore, admittit puncta, lineas, & superficies terminatiuas; reicit tamen continuatiuas. putat esse sententiam Philos. 8. Physicor. c. 8. & 3. Metaphysicā c. 5. vbi inquit superficiem non esse actu in cōtinuo, sed solum potestate. quem locum explicās D. Thomas lect. 13. affirmat Philosophum intelligendam esse de continuatiuis, non verò de terminatiuis. Idem asserit opusc. 36 c. 2. Fundamentum huius sententiae est quod si Deus separet omnia indiuisibilia continuatiua à linea, linea maneret continua, quum non esset indiuisibilis per subtractionem indiuisibilium; ergo de facto non requiruntur indiuisibilia, vt eā continent, sed solum vt terminēt.

3. Sententia secunda indiuisibilia cōtinuatiua negat.

Alij recentiores sustinent concedenda esse indiuisibilia continuatiua positiua & realia, non autem terminatiua. Fundamentum est quod quoduis corpus quum sit ens creatum & finitum, de se terminis comprehenditur; ergo nō indiget aliquo indiuisibili, vt terminetur. Confirmatur. nam quaelibet pars praecisa à puncto ex natura sua habet vterius non progredi; non ergo terminatur aliquo indiuisibili reali.

Sententia tertia admittit indiuisibilia cōtinuatiua realia: negat tamen terminatiua.

Communis sententia admittit, vera & realia indiuisibilia non solum conti

continuatiua, sed etiam terminatiua. ita Doctor in secundo vbi supra, & dist. 1. quæst. 3. & 6. *Physicorum* q. 7. & 8. D. Thomas opuscul. 36. cap. 2. & quæst. 28. de veritate art. 2. ad 10. Aristoteles cap. de quantitate, cum eo Themistius, Simplicius, & Philoponus. Capreolus in 2. d. 2. quæst. 1. Caieranus 3. parte quæst. 4. art. 2. & cap. de quantitate. Soto ibid. quæst. 2. Sonzinas lib. 10. *Metaphysicæ* quæst. 20. Plaza, Masius, & Ruuius, in præfenti, Suarius 2. tom. suæ *Metaphysicæ* disput. 40. sect. 5. num. 28. cuius sententiæ veritatem art. sequenti aperiemus.

ARTICVLVS II.

*Probatnr quibusdam dictis verior
Doctoris sententia.*

4.
Concl. 1.
prima.

Dico primò, in continuo dantur indiuisibilia continuatiua. Fundamentum est primò quòd ex definitione quantitatis, secundùm Philosophum cap. de quantitate, & 5. *Physicorum* cap. 3. *quantum continuum est, cuius partes copulantur termino communi.* ergo aliud sunt partes quæ copulantur, aliud copula, seu terminus communis; ergo sicut dantur partes in continuo, ita & terminus vnus tales partes: sed hic est indiuisibilis, alioquin non esset vtrique parti communis, vel secundùm se totum conueniens vtrique parti. nam sicut vna pars quantitatis ideo secundùm se totam non potest contingere aliam, quia diuisibilis est in plures partes, quæ seipsas & aliud non penetrant; ita etiam dicendum esset de termino si esset diuisibilis, quòd secundùm aliquid sui contingeret hanc partem lineæ, & secundùm aliud aliam, non autem secundùm se totum. Confir-

matur si terminus ille esset diuisibilis, haberet ergo partes, alio communi termino continuatas: de illo autem quærendum esset, siue diuisibilis, aut indiuisibilis; si vltimum, dabitur processus in infinitum, vel stabilitur in aliquo termino communi indiuisibili: non est autem maior ratio de vno, quàm de alio; ergo terminus communis partium quantitatis est indiuisibilis.

Secundò probatur ex definitione illa contiguorum, quorum vltima sunt simul, vel in eodem loco contigua: non sunt simul, sed vltima eorum sunt simul; ergo vltima illa contiguorum, vt sunt in ipsis & ab ipsis, distinguuntur: sed si illa vltima non essent indiuisibilia, non possent esse simul, sicut nec ipsa contigua, nec continuum distingueretur à contiguo, cum vtriusque partes essent simul nullo indiuisibili vnitiuo intercedente; ergo. Confirmatur, quia Aristoteles 4. *Physicorum* cap. 4. docet in extremis loci & locati haberi æqualitatem: sed intelligi illud nequit, nisi extrema sumantur indiuisibiliter, & secundùm profunditatem; ergo. Præterea primo de anima cap. 4. text. 70. dicit puncta habere positionem in continuo, & vbi cumque agit de quantitate, asserit tres eius species esse superficiem, lineam & corpus. Tandem Geometria supponere videtur dari lineam, & superficiem, de quibus plura demonstrat, vt videre est apud Euclidem in *Logica*, cap. de quantitate, & 5. *Metaphysicæ* cap. 13. & lib. 13. cap. 2. & 3. *Physicorum* cap. 9. & primo de anima cap. 40. non ergo neganda sunt indiuisibilia continuatiua, intelligibile enim est eandem rationem habere, esse vnibilem & vnire, & per consequens quòd partes quantitatis & possint vniri & vnire; concedendum ergo

ergo aliquid vniens quod non sit pars, ac per consequens indiuisibile vnitium partium.

5. Dico secundò, dantur non solum indiuisibilia continuatiua, sed etiam terminatiua. hanc veritatem probant quamplures Doctores ratione quadam, quæ est apud Philosophum 1. de anima text. 12. & 3. de cælo c. 8. text. 69. quia corpus perfectè sphericum tangit corpus perfectè planum, in puncto tamen, v. g. globus in puncto & Cylindrus (id est, columna perfectè rotunda) in sola linea; ergo datur in vtroque; neque in corpore tangente, & tacto punctum in quo fit contactus. Consequentia est manifesta, quia tactus qui fit in indiuisibili, repugnat fieri in aliqua parte quantitatis: omnis pars quantitatis est diuisibilis & extensa; ergo. Antecedens demonstrant Mathematici, ex propositione 16. Euclidis lib. 3. & probatur, quia tactus indiuisibilis nequit fieri nisi secundum vniiformem extensionem & figuram: sed circularis & curua figura contrariatur plano, cuius figura est recta; ergo non possunt tangere inuicem in aliqua diuisibili parte: omnis enim pars plani habet extensionem rectam; omnis pars globi perfectè spherici habet extensionem curuam; si ergo se tangerent in diuisibili parte, vel in plano, esset aliquid curuum, vel in sphaera aliquid rectum, quod perfectè plano & curuo repugnat.

Hoc argumentum quamplures authores meritò infirmum existimant, imò & aliqui mirantur homines doctos hanc argumentationem conficere, quæ si quid probat, probat apertè, continuum componi ex solis indiuisibilibus, quod falsum esse ostendemus difficultate sequenti. Propterea quidam dicunt inter glo-

bum & planum non fore contactum realem. Sed hoc est contra sensum & rationem. nam omne spatium capax vnius, est capax alterius, nisi excedatur magnitudine; per hoc spatium moueri potuit globus sine impedimento: moueri nunc non potest obiecto plano; ergo hoc impedit planum secundum contactum realem, vnum enim quantum non excludit aliud à suo loco, nisi quatenus realiter se contingunt in extremis. Secundò dicunt alij globum contingere planum indiuisibiliter, in parte tamen diuisibili & indeterminata, ita vt non possit certa pars designari, in qua fuit contactus, quin per minorem tangat in infinitum procedendo ad partes proportionales. Hæc doctrina mihi videtur vera, & necessariò admittenda ab omnibus Scristis, qui cum Doctore sentiunt, quòd indiuisibile quantitatis, si daretur separatim motu & successiuo & continuo, posset moueri per planum, vt docet num. 2. d. 2. quæst. 9. §. Ad tertium, num. 36. & 6. Physicor. quæst. 7. quod nos examinabimus quæst. 2. diffic. 2. art. 1. ibique expendemus quomodo indiuisibile motum per planum inadæquarè correspondeat partibus indeterminatis & minimis spatij. Poterit ergo prædictum argumentum habere vim si ita formetur. Globus perfectè sphericum, siue tangat punctum, siue partem inadæquarè, aliquando tangit realiter & positiuè per punctum; ergo cum contactus realis positiuus nequeat fieri per priuationem, aut partem, admittendæ erunt vera indiuisibilia, vel neganda erunt omnes Mathematicæ demonstrationes. Aliter ergo probanda est hæc conclusio. Nam si semel admittimus indiuisibilia continuatiua, non est cur terminatiua negemus,

Impugnatur
sensui &
rationi
contra-
ria.

Secunda
responsio
vera &
admit-
tenda.

Probat
ratione
Aristote-
lis.

Prima
responsio
ad argu-
mentum.

*Vera conclusio-
nis
probatio.*

quum quantitas finita non solum secundum essentiam, sed etiam secundum longitudinem, latitudinem, aut profunditatem, terminis comprehendatur determinatis: sed partes non habent ultimum determinatum, quum sint in infinitum diuisibiles; assignandum ergo est aliquid indiuisibile terminatum talis quantitatis: hoc confirmat argumentum contiguum dicto precedenti propositum. nam si contigua non coniungerentur indiuisibilibus ultimo terminatis, nunquam possent eorum ultima dici simul. fauet huic sententiae Philosophus 6. *Physicorum* cap. 1. docens terminum esse vniuscuiusque ultimum, extra quod nihil accipi potest, & intra quod omnia continentur, extremitatemque aliud esse ab eo cuius est extremitas; cum ergo partes non solum sint aliquid continui, imò & continuæ, non poterunt dici terminus continui, quia intra eas non accipiuntur omnia, cum ipsæ non accipiantur intra se; terminus ergo finiens & continens continuum, debet aliquid indiuisibile à partibus diuersum.

6. *Conclusio
tertia.* Dico tertio, hæc omnia indiuisibilia sunt verè entia realia, & non tantum negationes, seu priuationes vterioris extensionis. Hanc conclusionem satis ostendant argumenta pro vtraque precedenti conclusione proposita. nam copulare partes quantitatis verè & realiter, non potest fieri per negationem contactus realis inter contigua; absurdissimum enim est dicere quod quando corpora ex contactu vehementiori, seu collisione franguntur in extremis contactus, frangi tantum negationes, aut priuationes. hæc autem fractio coniungit in his extremis, in quibus fit contactus; ergo.

Secundò alij arguunt, contigua habent negationem extensionis vterioris, & tamen non sunt continua, vt de se patet, aut inter se copulata; ergo copulatio partium continui non in sola negatione vterioris extensionis consistit. Maior est manifesta, quia alioquin se mutuo penetrarent, si vteriorius extenderentur. Minor est certa, ex definitione continui & contiguum diuersa. Dices terminum communem vniens partes lineæ esse negationem separationis vnius ab alio. contrà omnis negatio determinata præsupponit subiectum aliquod vnum in quo est. Nam sicut accidens positium vnū numero subiectum requirit, ita & negatiuum, quia idem nequit esse in duobus numero diuersis: sed in proposito nõ est assignari aliud subiectum istius negationis, nisi partes vnitæ, vt vnitæ sunt, vel partes non vnitæ, sed separatas. Si primum; ergo negatio separationis non vnit formaliter partes, sed præsupponit vnitæ, & consequenter ante negationem datur terminus aliquis positius vniens partes, quod est propositum: vel certè seipsis immediatè vniuntur, quod est impugnatum, quia alioquin non haberent terminum communem contra definitionem continui. Si secundum, dicatur, scilicet subiectari negationem in partibus separatis non vnitæ.

Contrà partes separatæ, non vnitæ vt tales, sunt simpliciter distincta subiecta; ergo in vtraque simul nõ potest subiectari eadè numero negatio, nec est maior ratio quare in vna magis, quàm in altera subiectaretur: vna enim non magis vnitur, quàm altera, & sunt partes homogeneæ eiusdem omnino rationis; ergo vel dabitur duplex negatio separationis, vna in vna, & vna in altera parte, vel nulla, si

*Impugnatur
dictum
eorum qui
asserunt
terminum
partis esse
negationem
separationis
vnius
ab alio.*

secun

secundum habetur intentum. Si primum; ergo nullus erit terminus communis utrique parti, quæ æquæ sit utriusque alterius, contra definitionem continui, quum alterutra pars habeat suam particularem negationem, & neutra communem: sed totum hoc argumentum, ni fallor, parum urget. nam eodem etiam posset probari non dari indivisibilia positiva realia, quum quantitatis partes unico indivisibili termino copulatæ in continuo separatæ diversis numero indivisibilibus terminentur.

Efficacius suaderetur hæc veritas, tum quia ratione supra posita, tum quia superficies continens & locans corpus, est aliquid reale. nam secundum ultimum sui realiter locat, ex 4. Physicorum text. 41. ergo hoc ultimum quod est indivisibile, aliquid reale est; tum etiam, quia in tempore dantur instantia realia, ut semper peripathetica schola sustinuit; ergo à simili in quanto continuo, ea quæ uniant & terminant partes, indivisibilia realia debent esse. Tandem partes realiter & positivè uniantur in continuo; ergo media aliqua unione reali. nam unio realis non fit nisi medio aliquo reali, ut dixi. legatur Doct. in 2. d. 2. quæst. 9. §. ad secundum, num. 27. ubi hanc veritatem probat quinque viis. Prima, sequeretur quod generatio substantiæ, illuminatio & omnes mutationes quæ non sunt per se termini motus, fierent in nihilo. Secunda, punctus est de ratione essentiali lineæ, ex Philosopho 1. post. text. 9. sed nulla privatio est de essentia entis positivi; ergo. Tertia, terminatum definitur per terminans; ergo linea superficies & corpus erit quid privativum. *Quarta ergo linea tantum erit carentia latitudinis, & superficies carentia profunditatis, & vere non erit, nisi*

unica dimensio qua ponitur corpus; cum in illa dimensio qua dicitur profunditas, posset alio respectu dici latitudo; istæ enim tres dimensiones distinguuntur secundum imaginationem trium linearum se interfecantium in eodem puncto; & hoc inferitur ulterius inconueniens quod si superficies est tantum privatio profunditatis, quomodo erit punctus, nisi privatio privationis. Nihil enim videtur privare privationem nisi fortiter positivum. Tandem accidentia realia subiectantur in ultimo superficiæ immediatè: sed accidentia realia petunt subiectum positivè reale; ergo.

ARTICVLVS III.

Obijciuntur aliqua contra conclusiones, & enodantur.

Obiicies primò, indivisibilia esse ^{7.} superflua, quum partes se ipsis ^{Obiectio} possint uniri & terminare continuum, ^{prima.} sicut partes quantitatis uniant & terminant qualitatem; ergo. Respond. hæc indivisibilia non esse superflua, quum partes non valeant unire, nec terminare continuum. Ad instantiam de qualitatibus, dico idem dicendum esse de qualitatibus ac de quanto continuo; copulantur quidem eius partes & gradus, terminanturque indivisibilibus eiusdem qualitatis. Vel secundò respondet alij negando paritatem. nam dato quod in albedine non essent indivisibilia entitativa, nõ est eadem ratio de quanto continuo. nam partibus qualitatis non repugnat penetratio: partibus autem quantitatis secundum propriam naturam repugnat quod penetrantur. hæc tamen solutio non est admittenda, quoniam indivisibilia non dantur ob penetrationem, aut impenetrationem localem partium, sed ad

zealem vnionem & terminationem earum. Vnde quãritas Christi Domini indiuisibiliter existens sub speciebus, suis vnitur indiuisibilibus; quã ergo qualitas non possit carere partibus, eadem prorsus ratione ipsi ascribenda sunt indiuisibilia, ac quantitati.

*Obiectio
secunda,
eiusque
solutio.*

Obiectis secundò, maiorem proportionem esse inter diuisibile, & diuisibile, quã inter indiuisibile & diuisibile: sed quãlibet pars se ipsa vnitur puncto, quod indiuisibile est; ergo seipsa poterit vniri comparti quã diuisibilis est. Resp. distinguendo maiorem, quantum ad entitatem concedo, quantum ad rationem vnendi nego, vnio enim necessariò est alterius rationis ab extremis, ita vt licet hæc magis conueniant in ratione entis inter se, quã cum vnione, secundum proportionem verò vnibilis ad rationem formalem vnendi magis conueniunt cum vnione, quã inter se.

8.

*Obiectio
tertia,
eiusque
solutio.*

Obiectis tertio, nihil potest vnire formaliter partes diuisibiles & extensas in quantum tales sunt, nisi efficiat eas secundum totam extensionem. nam quod vnit quantitatem, v.g. palmarem, toti alteri, necessarium est vt efficiat totam, illa enim pars in qua non esset vnio, non vniretur; sed indiuisibile non potest afficere diuisibile, alioquin non esset indiuisibile, sed extensum; ergo indiuisibile non potest esse ratio vnendi diuisibilia, ac proinde frustra finguntur indiuisibilia continuantia. Respond. negando antecedens cum sua probatione, & distinguendo sublimitum, indiuisibile non potest afficere diuisibile, sub ea ratione, qua diuisibile est & extensum, concedo; sub ratione verò indiuisibilis, nego. Pro

cuius solutionis explicatione notandum est singulas species quantitatis habere propriam dimensionem, penes quam sunt diuisibiles ex vna parte, ex alia verò indiuisibiles: linea enim secundum longitudinem duntaxat est diuisibilis, seu extensa; secundum latitudinem & profunditatem est indiuisibilis, secundum quas dimensiones contingit punctonem continuare partes, linea coniungit partes superficiei secundum latitudinem, & contingitur à partibus, & sic indiuisibilis est; superficies verò secundum longitudinem contingitur à linea, & sic indiuisibiliter. Superficies ex vtroque latere contingit corpus secundum profunditatem, corpus contingit superficiem secundum latitudinem, & sic indiuisibiliter; ex quo patet ad argumentum, indiuisibile tangere diuisibile, non sub ea ratione, qua diuisibile, sed qua indiuisibile est. Nec reputo inconueniens quod indiuisibile inadæquatè tangat partem, & ei insit, vt dixi supra, & dicam inferius.

*Maior se-
lutionis
explica-
tio ex do-
ctrina
scitu dig-
na.*

Obiectis quarto quantitatem secluso indiuisibili terminatio esse finitam & terminatam; ergo punctum terminatiuum superfluit. Respond. quod si diuinitus indiuisibile separaretur à quantitate, quantitas illa esset terminata non physice, sed negatiue, haberet enim negationem vterioris extensionis, & sic terminaretur per exclusionem vterioris protensionis, non tamen esset positinè terminata sine puncto; eo modo dicimus accidens separatum à subiecto esse per se non positinè, sicut substantia, sed negatiue, quia caret inhæssione actuali. Vtrum autem secluso indiuisibili vnitiuo, possit dari

9.
*Obiectio
quarta,
eiusque
solutio.*

dari vno partium, dicam inferius.

*Obiectio
quinta
soluitur.*

Obiicies quintò, si darentur huiusmodi puncta in continuo; ergo darentur infinitum in actu, & vnum infinitum maius altero. Respondetur non esse inconueniens dari infinitum in actu rerum indiuisibilibus, & vnum horum esse maius altero, vt dixi lib. 3. quaest. 3. difficultate 1. articul. vnic. num. 5.

*Obiectio
sexta &
soluitur.*

Obiicies sextò, nullum accidens absolutum produci per motum localem, sed ex sectione cuiuslibet corporis (quæ est motus localis) producuntur noua puncta, lineæ, & superficies; ergo hæc non sunt realia. Respondetur, illa indiuisibilia non produci per motum, sed emanare ab ipsis partibus separatis, vt contingit modis & relationibus intrinsecè aduenientibus.

*10.
Obiectio
ni septi-
me tri-
pliciter
responde-
tur.*

Obiicies septimò, si darentur lineæ continuatiuæ superficiei, sequeretur dari lineam vnâ infinitâ secundum longitudinem. nam sunt infinitæ lineæ, quarum quælibet habet propriam longitudinem; ergo sunt infinitæ longitudines: sed omnes istæ longitudines faciunt vnâ, quia copulantur adinuicem in extremis corporis; quanti ergo faciunt longitudinem vnâ infinitam. Argumentum vulgare est in linea gyriatiua, quæ circumdat columnam, in qua sunt infinitæ longitudines, quibus æquiualeat linea secundum diuersas partes circumdans totam columnam. Respondetur primò negando esse circulos infinitos in columna quos simpliciter gyret linea, sed solum secundum quod infinitos. Secundò responderetur quod sicut non est inconueniens admittere puncta simpliciter infinita in continuo, sic non erit absurda talis linea, quia ens erit incompletum sicut puncta insectilia. Tertio responde-

tur hanc lineam non esse infinitam, quia terminis clauderetur secundum rectam longitudinè, & ita non clauderet infinitas lineas per modum partium componentium, sed sicut illimitatum, limitatum, quia tali modo (inquit Suarius tom. 2. Metaph. disp. 40. sect. 5. num. 48.) inter se vniuntur vt intra finitam magnitudinem, & intra definitos terminos claudatur, & quodam confuso modo inter se vniuntur ad circumscribendam, & componendam finitam magnitudinem, id expressè docet Doct. in reportatis in 3. dist. 3. quaest. 1. §. dicit vnus Doctor de motu reflexo, quem docet non esse continuum, & de lineis quæ in triangulo terminantur ad vnum punctum indiuisibile. *Dico quod quando punctus est in actu simpliciter, soluitur vna continuitas, & ideo ex talibus concurrentibus non fit continuum. Hoc vult Philosophus 4. Physic. & 5. Metaphysica.* legatur Doctor.

Obiicies octauò, de ratione rei materialis esse multitudinè partium, in hoc quippe res materiales & spirituales differunt, v. g. anima rationalis & corpus; implicant ergo indiuisibilia materialia. Respondetur indiuisibilia materialia constare partibus, non vt quod, seu tanquam is quibus integratur & componitur, sed vt quo, quatenus est ratio continuatiua partium.

Obiicies nonò, si medietas manus incalcescat summè, & altera medietas summè infrigidetur, non erit assignabile subiectum, quod subiaceat indiuisibilibus terminatiuis vtriusque qualitatis. nam hoc non est eadem superficies, quum indiuisibilia non minus pugnet inter se, quàm ipsæ quantitates, nec duæ superficies immediate, nec poterit dici alteram harum qualitarum esse terminatam, alteram

II.

interminatam ; ergo erunt indiuisibilia qualitatuum sine subiecto , quod est absurdum. Respondetur huic argumento primo, casum esse naturaliter impossibilem. nam duabus contrariis qualitatibus approximatis, pugnantur mutuo, donec altera remittatur ; dato tamen casu, responderetur indiuisibilia vtriusque qualitatis fore in eadem superficie, aut linea. nam indiuisibilia ex se sicut non habent actiuitatem, ita nec contrarietatem, nisi ratione subiecti, cui qualitates ipsae contrarie in summum repugnant. Tandem respondent alij indiuisibilia harum qualitatuum in ipsis qualitatibus subiectari, nec reputant inconueniens quod in tali casu forent sine alio subiecto. Ego tamen existimo, quod sicut sine inconuenienti conceditur quod duo terminatiua contiguorum correspondeant eidem loco indiuisibiliter, ita in casu dato : nec esset inconueniens quod duo terminatiua harum qualitatuum, in eodem indiuisibili superficie subiectarentur, vel si maus, dicitur alterum subiectari in indiuisibili, alterum vero in parte inadæquata & indeterminata eiusdem superficie.

*Obiectio
decima,
eiusque
solutio.*

Obiicies decimo, eandem rem non posse simul esse & non esse realiter : sed in vno instanti est, & postea desinit ; ergo indiuisibile desinit in parte, seu instans in tempore, & ob eandem rationem tempus in instanti. Respondetur eandem rem non posse esse, & desinere, imò esse simul, id est, in aliquo instanti determinato, in quo non sit verum, nunc non esse & immediate antea fuisse : posse tamen desinere intrinsecè, ita vt in illo instanti possit verificari, tunc esse, & immediate post non fore, de quibus dicam difficultat. 3. legite Conimbricenses lib. 6. cap. 2. quæst. 1. articul. 1. & 4.

vel Suarium 2. Metaph. disp. 40. sect. 5. qui plura argumenta congerunt contra nostram sententiam, & enodant.

DIFFICULTAS II.

Utrum continuum componatur ex solis indiuisibilibus.

ARTICVLVS I.

Sententia communis, & vera profertur.

Quamuis Stoici Philosophi, duce Zenone, itè Pythagoras, Democritus, Leutippes, & alij multi ; quia Aristotelis ætate floruerunt, autauerint continuum ex solis indiuisibilibus componi, v. g. lineam ex finita multitudine punctorum ; communis tamen sententia Theologorū & Philosophorum adstruit, continuum non componi ex solis indiuisibilibus, docet expressè Doctor in 2. d. 2. quæstione 9. §. ad secundum, num. 6. cum Philosopho cap. 1. huius lib. text. 2. vbi hæc habet : *at verò neque consequenter erit punctus ad punctam, aut ipsum nunc, ad nunc ipsum, vt ex his sit longitudo, aut tempus : consequenter enim sunt intra quæ nihil est eiusdem generis : inter autem puncta semper est linea, & inter ipsum nunc est tempus.* quod ipsum sæpè repetit in toto cap. 1. & 2. est expressa sententia Augusti. lib. de quantitate animæ in fine cap. 11. & in initio 12. vbi expressè distinguit ea quæ terminant & continuant ab his quæ terminantur & continuantur. Idem etiam tanquam certum in Philosophia, statuit Concilium Cõstantiense sect. 12. contra Ioannem Hus, vbi annotare volens errores quos aduersus primam Physicam tenuit, hunc inter alios retulit, nempe continuum componi

12.
*Cõtinuū
ex solis
indiuisi-
bilibus
componi
qui existi-
ment.*

*Affirmat
veritas
Doctor,
cuius cõ-
muni sã-
tẽtia idẽ
asserit
Augusti-
nus, &
Concilii
Cõstan-
tense.*

poni ex indiuisibilibus : verba autem sacri Concilij sunt. *Linea autem mathematica continua, componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis simpliciter finitis : vel tempus est, fuit, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea se sint, aliter componantur & statim Concilium his debitam verbis censuram reddens addit : Prima pars est error in Philosophia ; sed vitima errat circa diuinam potentiam.*

Adiunctur verba Concilij.

Probatur ratione primò.

Ratione etiam hæc sententia probatur primò, quia ex Philosopho continua sunt, quorum vltima sunt vnum : sed indiuisibile non habet vltimum ; ergo non potest componere continuum. Minor probatur, quia vltimum dicitur ratione alicuius prioris partis, quæ non est vltima ; ergo si indiuisibile haberet vltimum, haberet etiam aliam partem, quæ non est vltima, & consequenter in hæc duo erit diuisibilis, quod repugnat indiuisibili. eadem ratione progreditur Philosophus ex definitione contiguorum, quia puncta non habent vltima, secundam quæ possunt esse simul.

13. Probatur secundò ex Doctore.

Secundò probatur ex eodem Philosopho & Doctore nostro lib. 3. in Metaphysicam summa 2. cap. 4. §. ponit, num. 75. indiuisibile additum indiuisibili facit plus, non autem maius & extensius ; ergo punctum additum puncto, sicut non facit maius, nec extensius ; ita nec lineam, quæ dicat extensionem secundum longitudinem. Imò inde etiam inferitur totum continuum esse indiuisibile, & inextensum, quum corpus solis superficiebus componatur, superficies solis lineis, linea verò solis punctis. Quòd autem indiuisibile additum indiuisibili non faciat maius, inde manifestè probatur. nam ea quæ se tangunt, secundum se tota quasi intromittuntur, & non ac-

crescunt : vnde si vnus lapis super alium positus illum tangat secundum se totum, non augebitur, seu crescet extensio illarum qualitarum ; sed indiuisibilia eo præcisè, quo indiuisibilia sunt, non possunt non se tangere secundum se tota, cum careant partibus, & diuisibilitate, secundum quam & possunt tangi, & non tangi ; ergo indiuisibile additum indiuisibili non facit maius.

Confirmari potest, quia si daremus duplicem lineam, quarum vna decem, alia verò vndecim punctis constaret, iam secunda excederet primam in magnitudine ; hoc autem absurdum est, cum illud vnicum indiuisibile quo vna linea excedit aliam, nec sit extensum, neque magnum ; ergo etiam implicabit linea extensa & magna, si solis punctis constet.

Confirmatur eadè variatio.

Variè conantur huic obiectioni satisfacere aduersarij. Dicunt primò eandem esse difficultatem si concedantur partes in continuo. nam vnus Angelus, v. g. durans per vnã horam & instans, magis durat quàm alter, durans solùm per vnã horam ; ergo iam indiuisibile facit maius. nam sicut non est inconueniens quòd faciat maius additum parti diuisibili, ita nec additum indiuisibili. hæc tamen instantia falsa est ; quia vel intelligunt Angelum magis durare ratione partis intercedentis inter instantia. & hoc est verum, vel intelligunt quòd Angelus durans in hac parte inadæquata temporis dicatur habere extensio-rem durationem ratione instantis sequentis, quod falsum est. Nam instans non facit maius : vnde etiam si sequerentur infinita instantia, in quibus Angelus duraret, quod est impossibile, esset plus durationis, non tamen extensior duratio, quia contra rationem indiuisibilium est quòd faciat maius

14. Prima responsio adducitur & impugnatur.

maius & extensius : quandoquidem hæc se tangunt secundum se tota.

15.
*Secunda
responsio
duplici-
ter impu-
gnatur.*

Secundò respondent alij vnum indiuisibile additum alteri non facere maius, bene tamen infinita. Sed contrà primò quòd vel indiuisibile est pars lineæ, vel non: si pars; ergo quocumque separato linea erit minor: si non est pars, cum compositio fiat ex partibus, linea non pertinebit ad compositionem superficiæ, nec punctum ad compositionem lineæ. Secundò vel post vnam punctum immediatè sequuntur finita, vel infinita puncta: si finita, non possunt per aduersarios facere maiorem extensionem: si infinita; ergo quodlibet punctum vnitur infinitis simul, quod absurdum videtur, & eius impossibilitas in tempore magis attenditur quod dicit successionem ab intrinseco, & vnam partem post aliam, non tamen omnes simul.

16.
*Tertia
responsio
refellit-
ur.*

Tertiò respondent alij, illam propositionem, ea quæ se tangunt secundum se tota non facere maius habere veritatem in rebus diuisibilibus & continuis, non autem in indiuisibilibus, vt sunt puncta, nam eo ipso quòd diuisibilia secundum se tota se tangunt, necessum est vt vnum totaliter intromittatur in aliud, & consequenter quòd penetrantur; cum tamen indiuisibilia eo se tangant secundum se tota, quòd vnum sequatur post aliud, non est inconueniens quòd indiuisibile additum indiuisibili faciat maius, non autem pars addita parti, quam tangit secundum se totam. Sed contrà est, quòd si semel admittitur, vt necessum est admittere, quòd vnum indiuisibile tangit aliud secundum se totum; ergo omnia indiuisibilia sunt in eodem vbi, ac per consequens non erit extensio & maioritas, nam in his

quæ sunt simul, nullum est à quo possit extensio & magnitudo prouenire. Instabis primò quòd ex Philosopho punctum non penetratur cum parte quam continuat, sed illam alteri vnit; ergo neque additum indiuisibili penetrabitur cum illo. Sed contrà est quòd punctum non tangit partem secundum se totam, sed solum inadæquatè, & ita non debet inferri penetrabilitas. Secundò penetratio debet esse inter corpora proportionata, & habentia extensionem: sed punctum est improporionatum parti, eique repugnat extensio; ergo & penetrari cum parte. Tertio indiuisibile tangit quantitatem secundum partes indeterminatas minores & minores, ita vt qualibet minore assignata, alia minor assignari possit; ergo non est cum qua possit penetrari. Quarto, vt optimè notauit Philosophus in præsentī textu 1. indiuisibile non propriè tangit partem, quandoquidem, teste eodem Philosopho ibidem, ea solum se tangunt, quorum vltima sunt simul, consequenterque habent aliquid præter vltimum.

Alij respondent vnum indiuisibile additum alteri facere maius, non quia indiuisibilia non se penetrent, sed quia inadæquatè sunt in eodem loco, quatenus vnumquodque indiuisibile occupat locum diuisibilem: vt si ex duobus Angelis alter occuparet medietatem huius gymnasiij; alter verò aliam medietatem, qui se cõtinent & penetrant in medio gymnasiij, & non in extremis illius, ita similiter & puncta. Sed contrà est primò quòd contra rationem indiuisibilis materialis est, esse in loco determinato materiali, nam locus & locatum debent proportionari; res tamen diuisibilis determinata improporionata omnino est cum re indiuisibili materiali.

17.
*Quarta
responsio
triplici-
ter impu-
gnatur.*

eriali. Secundò vel locus, seu spatium imaginarium componitur ex foliis punctis, an ex partibus. Si ex punctis, eadem est difficultas de loco ac de loco. Si ex partibus, idem erit etiam de corpore locato. Tertio Angelus non dicitur occupare locum determinatum intrinsecè, sed solùm extrinsecè, quia ita distinctiue est hęc, quòd non alibi, vt dixi lib. 4. quaest. 7. num. 10. ergo ex eius praesentia in parte determinata gymnasij non sequitur quòd indiuisibile faciat maius, sed solùm, quòd spatium illud imaginatum, seu assignatũ à nobis maius, vel minus sit, quòd non habebit ratione indiuisibilis praesentia Angeli, sed ratione partium ipsius spatij continui.

19.
Secunda
conclu-
sio pro-
batur.

Secundò probatur hęc veritas. nam sequeretur quòd mobile velocius, & mobile tardius eodem tempore pertransirent spatium, vel quòd indiuisibile diuideretur. Vtrumque absurdum est; ergo. Probatu sequela, ponamus vnum esse velocius altero in duplo; ergo spatium quod percurreret velocius in tempore, v. g. & percurreretur à tardiore eodem tempore secundum dimidium; spatium ergo sint tria indiuisibilia quando velocius percurrit tertium. Indiuisibile tardius erit in medio illius spatij: medium autem spatij est vnum indiuisibile cum dimidio; ergo tardius mobile, vel simul percurrit totum spatium, & sic non erit tardius, vel indiuisibile medium diuideretur in partem transitam, & aliam non transitam. Item ponantur tres lineæ, quarum media quiescat, duæ extremæ simul moueantur versus extremum mediæ, vna velocius, alia tardius: tunc quaero, quando velocior pertransit vltimum indiuisibile lineæ mediæ, si tardior illud idem pertransiuit, si pertransiuit, se-

quitur non esse tardior, si non & mouetur simul ex hypothesi, sequitur pertransisse tantum partem. Illius indiuisibilis extremi, & consequenter ipsum diuidi; quòd argumentum applicari potest pluribus materiis, vt v. g. rotæ quæ mouetur simul tota in tempore eodem: circumferentia verò velocius quàm ea pars, quæ contingit axem, quia plus spatij conficit; debet ergo seruata proportione velocitatis pars interior moueri per aliquid minus indiuisibile, quæ quid exterior circumferentia mouetur per indiuisibile, & sic dabitur aliquid minus indiuisibili. Alias geometricas demonstrationes adducit Doctor in 2. d. 2. quaest. 9. vbi supra, quæ videri possunt apud ipsum.

His obiectionibus respondent aduersarij, primò negando in vnico instanti vnicum solum pertransiri punctum, sed quæ mobilia sunt velociora, eo plura, & quæ tardiora, eo pauciora pertransire, nisi motus ita tardus sit, quòd vnũ punctum solum pertranseat. Sed contra est primò. nam sequeretur quòd vnum corpus potest in eodem instanti esse in duobus locis adæquatis naturaliter, supponamus vnum mobile non esse maioris magnitudinis, quàm sex punctorum, & ita velox quòd in vno instanti pertranseat duodecim puncta, tunc in eodem instanti erit adæquate in primis sex punctis, & in aliis sex sequentibus, quia non transit à primo vsque ad vltimum, non transeundo per medium. Respondent aduersarij motum non dici velociorem, quatenus plura transeant puncta, sed ratione aliquarum morularum intercedentium inter instantia: motus à quibus motus dicitur tardus, & eorum defectu velox. Sed contra est quòd in casu proposito de rota confecta ex materia

20.
Solutio
preceden-
tis ratio-
nis tan-
quàm fal-
sa impu-
gnatur.

dura si circulariter moueatur, debet moueri secundum omnes partes, vt experientia ostendit, atque ad eò nulla pars habere poterit in eo motu aliquam morulam, quam altera pars non habeat, & tamen manifestum est partes circumferentiæ velocius moueri partibus axis, cum illæ percurrant in eodem tempore longius spatium, quam istæ; ergo tarditas & velocitas motus non sumitur ex morulis.

20. Tertiò probatur manifestius de tempore, cuius intrinseca ratio petit successionem, sed si componeretur ex solis indiuisibilibus, nec esset successio, nec duratio, cum quodcumque indiuisibile temporis superadditum, nec det successionem, nec durationem; ergo. Dices tempus dici successiuum quatenus inter instans & instans interiicitur morula: vnde tempus nihil erit præter multa momenta desita & interrupta. Sed contrà primò, si inter indiuisibilia temporis mediant morulæ; ergo nec diuinitus poterit dari immediata & continua instantium successio, sicut nec extensio ex solis indiuisibilibus constans. Secundò hi admittunt successionem, & durationem in tempore, per quam dicuntur res esse in diuersis partibus temporis; ergo hæc duratio non intermititur, alioquin Angelus non diceretur extrinsecè durans in illo intervallo momentorum, nec esset illa successio magis, quam multi ætus vitales, quos Angelus habet & intermittit. Tertiò posset vnus Angelus per spatium vnus horæ durare minus alio per eandem horam, quia potuit Deus diuturniores moras velle inter momenta durationis vnus, quam alterius. Quartò inter instans & instans vel mediat tempus successiuum, vel aliud instans, aut nihil: si tempus successiuum; ergo iam tempus non com-

20.
*Probat
tarta cō-
clusio.*

*Solutio
aduersa-
riorum
eiusque
quadruplex in-
pugna-
tio.*

ponitur ex solis indiuisibilibus: si aliud indiuisibile; ergo non facit tempus continuum, quia indiuisibile additum indiuisibili ex dictis non facit maius, si nihil mediat; ergo tota longitudo, seu diuturnitas temporis consistit in indiuisibili, quod renuit communis Peripatheticorum consensus sine sufficienti; ergo fundamentū asseritur continuum ex solis indiuisibilibus componi.

ARTICVLVS II.

*Proponuntur Stoicorum argumenta,
& dissoluantur.*

Obiiciunt primò, sic se habet punctum ad lineam, sicut vnitas ad numerum, ex 1. Topicor. cap. 14. sed numerus ex solis vnitatibus conficitur; ergo & linea ex solis punctis. Respondetur paritatem esse in hoc quòd sicut vnitas est primum numeri, ita punctum initium lineæ, non autem in hoc quòd linea componatur ex solis punctis, sicut numerus materialiter ex vnitatibus discretis, alioquin numerus haberet positionem in continuo, quod negat Philosophus cap. de quantitate, & 1. posteriorum, cap. 23.

Obiicies secundò, nihil existit temporis, nisi instans; ergo quum tempus sit successiuum, post vnum instans sequitur aliud. Respondetur tempus non solum existere secundum nunc indiuisibile, sed etiam secundum partem inadæquatam, respicientem præteritum & futurum, vt dixi.

Obiicies tertiò, lignum quod partim in aqua est, partim in aère, contingitur à duabus lineis extremis circularibus aquæ & aëris, sese tangentibus; ergo necesse est dare duas etiam

21.
*Obiectio
prima.*

Solutio.

*Obiectio
secunda.*

Solutio.

*Obiectio
tertia.*

in baculo quæ correspondent: sed illæ erunt immediatæ, & sic extrahendo sensim baculum secundum se totum contingetur; ergo totum componitur ex lineis. Respondetur quod admissio casu illæ duæ lineæ, vel subiectarentur in vna lineæ, quoniam non reputo inconueniens, quod plura indiuisibilia subiectentur in vno, quàm non faciant maius, vel alterum subiectaretur in indiuisibili; alterum vero in parte inadæquata, & inderminata, cui indiuisibile vnitur.

Solutio.

Obiectio quarta desumpta ex Philo sopho & adducta à Doctore.

Obiicies quartò, continuum essentialiter componi ex indiuisibilibus, vt ex 1. posterior. cap. 4. text. 9. docet Doctor in 2. d. 2. quaestione 9. §. ad secundum, versicul. *præterea*, num. 28. sed non componitur ex illis tanquam forma, quia hæc simplex est in omni composito; ergo vt partibus integrantibus ex illis componitur. Respondetur componi ex indiuisibilibus continuum, non tanquam partibus integrantibus, sed tanquam formis vnitiuis, vt dicam infra.

Solutio.

Obiectio quinta.

Obiicies quintò, punctum quàm mouetur gignit lineam secundam Geometras, lineam superficiem, superficies corpus: sed ex vestigio indiuisibilium non relinquitur nisi constitutum ex indiuisibilibus; ergo. Respondetur Geometras intelligere influxu indiuisibilium, diuisibilia tantum imaginariè, non realiter, quia indiuisibilia nullam vestigium relinquere possunt, quàm vestigium sit impressio facta in aliquo corpore, sed cedente loco ob incompatibilitatem cum alio quanto superuenienti. Indiuisibile tamen nihil expellit à loco, quàm sit inextensum, nec locum occupet diuisibiliter.

22.

Obiectio sexta.

Obiiciunt sextò, globus non potest tangere planum, nisi in puncto: sed nulla est pars designabilis in pla-

no, quam non possit tangere globus; ergo totum planum constat ex punctis. Confirmatur, globus potest moueri in plano de extremo ad extremum, ducendo lineam saltim virtute diuina; ergo tota illa lineæ componitur ex punctis. Patet consequentia, quia perfectè sphericum non tangit planum, nisi in puncto, tangit successiue ab extremo ad extremum per totum; ergo semper in puncto, & consequenter totum spatium componitur ex punctis. Resp. quidam quod licet corpus illud sphericum continud moueretur per perfectè planum, talis autem motus esset saltus de puncto in punctum, ita vt inter vnum & aliud tantisper eleuaretur à plano, quod explicant experientia de pila projecta per planum, in quo per saltus mouetur: hæc tamen solutio secundum mentem Doctoris non est admittenda. nam, vt dicam infra, indiuisibile separatum diuinitus moueretur per planum motu continuo, & sine saltu. Ideo ibidem huic argumento fiet satis, pender enim eius solutio ex ibi statuendis.

Solutio aliquorū reijcitur.

Vera eius solutio videtur in citata difficultate.

DIFFICULTAS III.

Qualiter continuum componatur ex partibus, & indiuisibilibus.

Explicuimus & probauimus duas difficultates præcedentibus dari indiuisibilia realia in continuo, & hoc constare non ex solis partibus, nec ex solis indiuisibilibus, sed ex partibus vnitis & copulatis indiuisibilibus. Venit nunc disquirendum an hæc indiuisibilia sint modi, vel res, an infinita actu, an continuo, an partes huius sint actu

infinitez, vel solum in potentia, de quibus per sequentes articulos.

ARTICVLVS I.

*Vtrum indiuisibilia sint modi,
an res.*

23. *Indiuisibilia non esse idem cum partibus realiter docet communis sententia.*

Indiuisibilia non esse idem realiter cum partibus, docet communis consensus Philosophorum, & inde manifestè probatur quòd per diuisionem de nouo resultant indiuisibilia terminantia partes acti diuisas, sicut per vnionem corrumpuntur puncta terminatiua alio continuatiuo resultante: sed quæ sunt idem realiter, nec separantur, nec contingunt rebus quibus identificantur; ergo. Difficultas ergo est an istæ entitates indiuisibiles modi, an res existimentur.

Quidam dicunt indiuisibilia rerum esse res; indiuisibilia autem modorum esse modos, & consequenter non vnire partes se ipsis, sed aliquo superaddito. hanc sententiam proponit Suarez 2. Metaphysic. disput. 40. sect. 5. n. 46. ibique docet probabilem esse si dicamus hæc puncta indiuisibilia non se ipsis, sed media aliqua vnione identificata eisdem vniri cum partibus.

Alij dicunt indiuisibilia esse res, quæ se ipsis vniantur cum partibus, quod etiam probabile reputat Suarez. ibidem. nam cum sint entitates imperfectissimæ, omnino dependent in suo fieri, & conseruari à partibus, vnde se ipsis immediatè vniantur. Sed

24. *Prima conclusio Aristotelis.*

Dico primò indiuisibilia se ipsis sunt actuales vniones & terminationes partiu. est expressa sententia Philosophi 4. Phys. cap. 13. text. 21. dicentis: momentum autem præsens temporis, vt dictum est, continuatio est. & infra. Sic & temporis momentum par-

Probatur ratione.

tim quidem est tēporis diuisio potestate, partim terminus, & vtriusque copulatio, & hanc esse mentem Philosophi non parum suadet, nunquam meminisse alterius vnionis, aut continuationis à lineis pūctisque distinctæ. Ratione sic probò. nam non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, sed indiuisibilia neque vniant, neque terminant, per se nullum munus habere poterunt in continuo; ergo quod argumentum vim habet in nostra sententia, quæ excludit modum absolutum distinctum ab vnione relationa partium in composito, vt diximus lib. 1. quæst. 5. diffic. 2. art. 3. non tamen in sententia eorum, qui adstruunt modum vnionis substantialem esse quid absolutum, identificareque respectus ad materiam & formam.

Secundò probatur conclusio, si indiuisibile vnitur per aliam vnionem indiuisibilem à se distinctam; ergo datur vnum indiuisibile vnians, & aliud vnitum, tunc sic, sicut illud indiuisibile vnitiuum vnit indiuisibile absolutum parti, cur non poterit mediatè vnire vniam partem alteri.

Confirmatur, quoniam nullum munus adscribere possumus indiuisibili, nisi vnire. hoc non præstat; ergo superfluit. Expressè docuit hanc veritatem Augustinus tomo 1. lib. de quantitate animæ capite 11. & 12. dicens, ab ipso scilicet puncto incipit linea, ipso terminatur, & vndecumque linea secari potest, per ipsam secatur nulla linea lineæ, nisi per ipsum copulatur. quibus verbis apertè docet vnionem auferri per ablationem solius indiuisibilis continuatiui, copulationem verò per positionem eiusdem; non ergo admittenda est alia vnio ab indiuisibilibus diuersa.

Secunda probatio conclusio.

Confirmatio eiusdem rationis cōplebitur ab Augustino.

Dico

25.
Conclusio
secunda,
eiusque
funda-
mentum.

Dico secundò, probabiliter susti-
neri potest indiuisibilia hæc dici res
& modos, vnde quæstio erit de no-
mine, an debeant modi, an res ap-
pellari. Fundamentum est, quoniam
sicut relationes reales prædicamenta-
les possunt dici res & modi secūdum
Doctorem in 1. d. 7. quæst. 4. §. si ad hoc
proternatur, num. 13. & nos explicui-
mus in Logica quæst. 16. difficult. 5.
art. 4. quia relationes ex vna parte
sunt ponibiles in prædicamento, in
quo modi propriè dicti directè non
ponuntur, sed res, vt dixi etiam in
Logica quæst. 13. difficult. 2. Item
constant prædicatis superioribus &
inferioribus, quibus non gaudent
modi, & possunt etiam dici modi qua-
tenus sunt entitates ita imperfectæ, vt
comparatæ ad alias potius habeant
rationem modi, quàm rei. Quod ve-
rius dici poterit, si teneamus cum
opinione probabiliori relationem
ob suam imperfectam entitatem, nec
diuinitus dari posse sine extremis,
de quibus dixi quæstione de relatio-
ne vbi suprâ. quæ omnia propriè con-
ueniunt modis, ita in nostro casu,
cùm indiuisibilia sint entitates mini-
mæ, imperfectæ, inseparabiles à par-
tibus, non mirum quòd modi existi-
mentur. Poterunt etiam dici res qua-
tenus sunt vltimum continui im-
mediatum subiectum qualitatum, &
ea quibus corpora tanguntur, quæ
omnia magis rebus, quàm modis vi-
dentur conuenire. Nec obstat quòd
indiuisibilia sint res, vt se ipsis pos-
sint vniri nam sicut etiam se quali-
tates absolutæ media inhærentia re-
latiua vniantur suis subiectis, vt com-
muniter tenent Scotistæ: nihilomi-
nus relationes reales ob suam imper-
fectionem & dependentiam à subie-
cto se ipsis vnuntur. Ita quamuis re-
liquæ res absolutæ vnirentur me-

diante alio modo, hoc negamus in-
diuisibilibus, ob minimam & imper-
fectam naturam, secundum quam
omnino à partibus dependent.

Obiicies primò, quòd ea quæ sunt
res, ponuntur directè in prædicamen-
to: sed indiuisibilia hæc siue sint sub-
stantiæ, siue quantitatis, aut quali-
tatis, non ponuntur directè in prædi-
camento; ergo non sunt res, sed modi.
Respondetur plura non poni directè
in prædicamento, quæ nihilominus
sunt res, vt patet de materia & for-
ma. Vnde optimè dicitur, ponitur in
prædicamento; ergo est res, non ta-
men est res: ergo ponitur in prædica-
mento, quoniam in hoc solam na-
turæ completæ collocantur.

Obiicies secundò, essentiam quan-
titatis esse diuisibilitatem, sed indiui-
sibile dicit negationem diuisionis;
ergo non est quantitas, neque res.
Respond. quòd sicut prædicata sub-
stantiæ completæ nequeunt conue-
nire partibus incompletis, nisi quate-
nus ex ipsis coalescit integrum com-
positum: sic nec indiuisibilibus con-
uenit quidditas quantitatis, nisi qua-
tenus componunt continuum, quod
non esset tale, nec diuisibile, si in-
diuisibilibus non esset vnitum & con-
tinuatum.

Dico tertid, indiuisibilia sunt quid
absolutum non relatiuum. Funda-
mentum est quòd nulla absoluta sunt
vnum in relatione, sed partes conti-
nui sunt vnum in indiuisibili, vt pa-
tet ex definitione continui, cuius vl-
tima sunt vnum; ergo.

Obiicies primò, Petrum & Pau-
lum dici idem formaliter relatione
identitatis; ergo & duæ partes quan-
tatis poterunt dici vnum relatione
vniionis. Videtur relationem identi-
tatis indiuiduorum supponere fun-
damentalem vniionem specificam eo-
runden;

26.
Obiectio
prima,
eiusque
solutio.

Obiectio
secunda.
Solutio.

Conclusio
tertia,
eiusque
funda-
mentum.

27.
Obiectio
prima,
eiusque
solutio.

rundem, unde resultat relatio identitatis inter eadem; cum tamen partes continui quatenus partes sunt ut præcisæ & separatæ potius dicant diuersitatem, quàm vnionem, ut de nouo vniantur, secundum esse absolutum earum requiritur aliquod vnies absolutum. quod clarè confirmatur. Nam continuuum solum id quod vnitur, tangit & tangitur, ut ostendunt omnes demonstrationes mathematicæ difficultatibus præcedentibus relatæ. Sed relationes nec tangunt, nec tanguntur, si aliud absolutum non supponatur; ergo. Unde posita ista vnione absoluta non dubitamus resultare relationem vnionis inter partes, sicut inter indiuidua posita vnitate fundamentali eorum.

*Obiectio
secunda.*

Obiicies secundò, de ratione vnionis esse relationem: quapropter diximus lib. I. quæst. 5. diffic. 2. art. 3. vnionem inter materiam & formam esse relationem; ergo cum indiuisibilia sint vniones partium, quid relationum erant. Respond. negando paritatem ex dictis ibidem, quoniam cum materia & forma se habeant per modum actus & potentia, solum expectant relationem non tanquam vnionem intrinsecam partium. nam materia & forma se ipsis essentialiter vniantur receptione & informatione; requiritur ergo talis vnio quasi approximatio earundem partium, ut causare possint. nam partes separatæ nec informare, nec informari possunt. partes autem continui cum non se habeant ut actus & potentia. nam non esset maior ratio cur altera esset potentia, altera verò actus, ut absolute se communicent, & intrinsecè illam actualitatem & vnionem quam nequeunt habere se ipsis, oportet quòd habeant in tertio, hoc est, in indiuisibili absoluto. & hæc est

Solutio.

causa cur indiuisibilia relationes effectuantur.

ARTICVLVS II.

Qualiter sint partes & indiuisibilia in continuo.

Premitto primò pro breuiori & clariori intelligentia huius articuli quòd dupliciter potest intelligi partes & indiuisibilia esse in potentia in continuo. Primò ut denotetur negatio omnimoda propria & actualis existentia, ita ut solum dicantur esse in potentia tanquam in causa, quatenus aliquo modo ab ipso, vel ex ipso continuo diuersæ partes & indiuisibilia produci possunt. Secundo modo, ut esse in potentia denotet negationem actualis separationis partium à continuo. Tertio, ut partes dicantur esse in potentia quatenus separari possunt ea, quæ licet in re distincta sint, non tamen sunt separatæ. Unde tales partes ut sic non dicuntur negationem separationis, sed carentiam. nam talis separatio eis non repugnat.

Præmitto secundò, partes continui alias esse aliquotas, alias proportionales. Partes aliquotæ determinatæ sunt quatenus tales, v. g. palmus determinatus est, ut de se patet, indiuisibilisque in alios palmos: partes proportionales inæquales, indeterminatæ, & communicantes communitè appellantur; proportionales dicuntur, quia palmus, v. g. seruata proportionem minoris & minoris quantitatis, secatur in plures partes, ut in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmarum. inæquales vocantur, quia nulla assignabilis certa magnitudo, sed qualibet in minores & minores partes indeterminatas & in-

28.

Premittitur aliquo primò.

Præmittitur secundò.

certas

certas est diuisibilis. dicuntur communicantes, quia vna semper accipit aliquid de alia, vt semipalmus medietatem palmi, &c. Indeterminatè tandem, quia carent termino suæ paruitatis, sed semper diuisibiles sunt sine termino.

Certum est partes aliquotas esse actu in continuo saltem per assignationem rationis. nam passim assignamus quatuor palmos in bara, determinamusque modicum mensurandum triticum, de qua assignatione & mensura perspicue loquitur Doctor in 2. d. 2. q. 2. §. ad secundum, n. 10.

29. De partibus proportionalibus quidam recentiores affirmant solam esse in potentia. Primo modo explicata in continuo putant esse sententiam Aristotelis 7. Metaph. textu 49. vbi sic ait. Duo namque si actu, nunquam sunt vnum actu: sicut si potestate duo fuerint, erunt vnum: vt, v.g. dupla ex duobus dimidiis potestate, actus enim separat. saper quæ verba D. Thomas lectione 13. docet partes solam dici actu in continuo, quatenus habent virtutem separandi & diuidendi actus, reliqua obiciemus inferius contra nostram conclusionem.

Vera sententia. Vera sententia Philosophi & Doctoris est, communisque inter Philosophos, in continuo dari veras partes & indiuisibilia realiter & inter se diuersas, habentesque actu veram & formalem rationem partium. colligitur manifestè hæc veritas ex Philosopho sæpius relato difficultatibus præcedentibus docente in continuo dari indiuisibilia vnitua partium; ergo & partes quæ vniantur in ipso. ita in 5. Metaph. cap. 22. inquit, quantum esse diuisibile in ea, quæ insunt: ergo cum sit diuisibile in partes, istæ erunt actualiter in continuo. Idem expressè docet Doctor sæpius, præci-

Colligitur ex Aristotele & Scoto.

puè 5. Metaph. q. 9. num. 16. in fine. & lib. 11. in Metaph. §. vbi Philosophus, num. 107. Ratione etiam probatur hæc veritas. nam continuum est compositum, & non simplex: vt dicunt communiter Peripathetici; ergo cum hoc sit aliquid actuale, debet habere partes componentes actuales, & etiã indiuisibilia, quibus partes copulentur, aliàs componeretur ex nihilo, quod est falsum. Id supponere videtur Trid. sess. 13. cap. 3. vbi loquens de Christo Domino in Eucharistia hæc habet. *Totus enim est integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* quod testimonium difficiliter explicari poterit si partes rectè & formaliter existentes in continuo negemus: & omnes Philosophi, qui communiter affirmant quantitatem tribuere substantiæ, habere partes extra partes saltem in ordine ad locum. nam si non darentur actu partes in continuo, nunquam esset verum dicere quod tribuit illi partes. Dices tribuere illi partes, quatenus reddit potètem vt in ordine ad locum diuidatur: sed contra est quod actualis diuisio non est in partes, quæ remanent, cum facta diuisione gaudeant ratione totius; ergo vt dicatur habere partes, debent esse actu & formaliter ante diuisionem.

Probaturs
ratione
hæc sen-
tentia &
supponit-
ur à Cõ-
cilio Tri-
dentino.

Obiicies primò, quod actu est ens, actu est vnum, vnum enim est indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio: sed partes continui non sunt actu diuisæ, potiùs vnitæ; ergo non sunt plura entia in actu, sed vnum. Respond. Doct. hîc quæst. 2. ad primum, diuisum ibi idem esse quod diuersum, & sic omnes partes continui, quamuis non sint diuisæ, sunt tamen diuersæ & distinctæ inter se partialiter. nam vna manente, potest altera contum-
pi.

Obiectio
prima.

Responso.

pi. Patet in materia & forma, quæ actu diuersæ sunt, & vnicum copulatum constituunt compositum.

Ad authoritates Philosophi in contrarium respódetur, vocare partes vnum in actu, quia constituunt vnam quantitatem, & integrant; dici verò plures solum in potentia penes ordinem, non ad distinctionem, sed ad actualem separationem à continuo. in quo sensu docet Doctor in 4. d. 12. quæst. 4. §. *de quarta transmutatione*, num. 25. partes esse actualiter, & in potentia in continuo, *quia secundum eandem entitatem positiuam erant in toto, & postea extra totum: sed in toto habuerunt continuationem, qua prohibuit illam actualitatem includentem precisionem: extra totum autem habent eam.*

ARTICVLVS III.

Utrum partes proportionales sint actu infinite.

30.

Habemus ex articulo præcedenti partes proportionales esse actu & formaliter in continuo: nunc explicandum venit, an istæ partes sint actu finitæ, an infinitæ. Omnes auctores qui nobiscum fatentur partes contineri esse actu, & formaliter in ipso, consequenter affirmant esse infinitas, id supponit & docet Doctor in 2. d. 2. quæst. 9. §. *scilicet*, num. 22. & perspicuum de se est. nam si continuum est infinite diuisibile in ea quæ insunt, necessum est vt partes quæ in ipso actualiter sunt, infinitæ sint. Id etiam docet Doctor 5. Metaph. quæst. 10. & 2. Phys. quæst. 2. solum est difficultas in medio explicandi hanc infinitatem. nam cum ex dictis lib. 3. q. 3. diffic. 1. num. 5. sine controuersia sit non dari per vires naturæ infinitum in actu, si darentur

infinitæ partes in actu, in continuo tale infinitum per vires naturæ negari non posset. Propterea dicendum est cum communi sententiâ has partes non esse dicendas infinitas in actu simpliciter, sed solum secundum quid; quibus terminis solum denotamus, in continuo non esse actu, sed solum in potentia infinitas partes discretas & diuisas, quatenus tale continuum in infinitum diuisibile est, seu syncategorematicè; cum verò partes continui ex datis lib. 3. quæst. 3. vbi suprâ, ita sint in continuo, vt nec habeant determinatam quantitatem, nec discretam, sed vnam integram continuam quantitatem, nequeunt dici simpliciter infinitæ, sed secundum quid, quatenus nec habent principium, nec finem, neque secundum id, quod habent in continuo, possent non carere termino, quod est dicere hoc infinitum esse actu partium proportionalium, cuius non est implicancia, in potentia verò respectu aliquotiarum.

Obiicies primò, in continuo sunt infinitæ partes actu; ergo componant quantitatem infinitam in magnitudine. Patet consequentia. nam quælibet pars gaudet sua particulari extensione; ergo infinitas partes infinitis extensionibus; ergo istæ vnitæ componunt extensionem infinitam. Confirmatur, quoniam quòd istæ partes sint inæquales & proportionales, dummodo sint infinitæ, non tollit quin habeant infinitas extensiones; ergo vnitæ componunt continuum infinite extensum. Respond. partes aliquotas extendere continuum, non autem proportionales secundum numerum, vel multiplici-
tatem. huius ratio est quòd partes proportionales mutud se includunt, & quælibet assignabilis aliâs infini-
ta.

31.
Obiectio prima.

Solutio.

ta. Vnde ex argumento solùm infer-
tur extensionem causabilem ab itis
partibus esse syncategorematicè & in
potentia infinitam.

*Obiectio
secunda.*

Obiicies secundò, partes continui
saltem permanentis includi & finire
terminis indiuisibilibus; ergo non
sunt infinitæ, cum infinitum sine ca-
reat. Respondetur non esse contra-
rationem infiniti solùm quid quoddam
claudatur terminis determinatis, seu
aliquotis. nam vt sic non terminan-
tur partes proportionales quatenus
porportionales & infinitæ, sed qua-
tenus vnitæ in continuo vnam enti-
tatem finitam & determinatam con-
stituunt. quod idem dicimus de qua-
litatibus & substantiis cæterisque re-
bus per actionem producibilibus.

*Obiectio
tertia.*

Obiicies tertio, si in continuo
dantur infinitæ partes proportiona-
les; ergo vnum infinitum non erit
altero maius, & consequenter tot
partes habebit granum tritici, quot
totus ambitus cæli. Respondent qui-
dam non esse inconueniens dicere
omnia quanta esse æqualia quantum
ad partes proportionales, cum quod-
libet continuum sit sine fine diuisi-
bile; alij verò reputant inconueniens
id asserere, cum absurdum videatur
inconueniens obiectum in argumen-
to, & aliunde nulla sit implicancia,
quoddam vnum infinitum sit altero ma-
ius, vt dixi lib. 3. quæst. 3. difficul. 2.
art. 2. num. 11. loquendo de infinito
materiali. hanc solutionem magis
probabilem existimo, etsi vtraque
non careat sua probabilitate.


32.
*Obiectio
quarta.*

Obiicies quartò, quoddam si darentur
duo circuli, quorum alter sit altero
maior, & intra se minorem conti-
neat, tunc omnes lineæ eductæ à
circumferentia vsque ad centrum
circuli maioris, transeunt per cir-
culum minorem; ergo tot habet

puncta vnus, quot & alius, quæli-
bet enim linea vnum punctum in
illo transitu quasi occupat; ergo tot
partes proportionales, quæ punctis
correspondent, habebit. Sed hoc
exemplum infirmum existimant alij.
nam, vt patebit in figura statim de-
lineanda, licet linea, ex qua co-
alescit circulus maior, simulque illa,
ex qua constat minor in circulo ma-
iori inclusus, extendantur in mo-
dum lineæ rectæ, & vna sub alia po-
natur, ita tamen, vt aliquantulum
inter se distent: vnde etsi ducantur
lineæ rectæ ab omnibus & singulis
punctis lineæ minoris circuli vsque
ad medietatem lineæ circuli maio-
ris, ita vt nullum sit in illa priori
punctum, cui non correspondeat ex
parte medietatis lineæ posterioris
aliud, lineaque recta attingens vtriuf-
que punctum, alioquin non esset
omnimoda correspondencia inter
puncta vtriusque lineæ: tamen ultra
hoc superest adhuc in linea circuli
maioris alia medietas, aliisque infini-
tudo punctorum, ad quæ nequeunt
ex parte lineæ circuli minoris lineæ
rectæ duci; ergo non erunt tot pun-
cta in circulo minori, quot in ma-
iori: sed omnia ista meo videri non
concludunt. nam licet vna linea sit
altera maior, quantum ad extensio-
nem & longitudinem in illa mino-
ri sunt tot indeterminata pun-
cta, quot in maiori, quandoquidem
vtraque in infinitum diuisibilis
est, licet non in partes ita
magnas aliquotæ
determinatæ.

* * *

TTTt Petes



33.

Dubium.
Solutio.

Petes vtrum indiuisibilia possunt dici actu infinita in continuo. Respondeo dici infinita actu, eo modo, quo partes. nam sicut partes sunt indeterminatae in continuo, ita & indiuisibilia, non quia haec se includant, seu quod vnum indiuisibile possit in alia indiuisibilia diuidi, cum hoc sit contra rationem eius, sed quatenus indiuisibilia sunt vniones partium indeterminatarum, & proportionalium: vnde necessum est quod non habeant maiorem determinationem, quam partes quas vniunt.

Obiectio
vltima.

Obiicies vltimò, si in continuo sunt infinitae partes & infinita indiuisibilia; ergo potest continuum resolui in suas partes. haec verò sunt infinitae; ergo dabitur actu infinitum. Primam consequentiam probo. nam ex Philosopho quantam contingit magnitudinem esse in potentia, tantam contingit esse in actu: rursus vnumquodque resolui potest in ea, ex quibus componitur; ergo continuum in infinitas partes. Respondetur implicare continuum resolui in omnes suas partes, non eo praecise quod daretur infinitum in actu secundum multitudinem. nam hoc non repugnare ab intrinseco, patet ex lib. 3. quaest. 3. difficult. 2. art. 3. sed quia est contra rationem essentialem quantitatis quod in omnes suas partes diuidi possit. nam cum eius quidditas sit habere partes extra partes,

(idem dico de quouis continuo, hac obseruata differentia quod sola quantitas petit extensionem localem) implicat dari vllam partem non diuisibilem in plures alias, aliter in indiuisibilia resolueretur. quod reiecimus superius. Propterea Doctor in 2. dist. 2. quaestione 9. §. sic igitur, docet quod licet verum sit continuum in quocumque nunc esse diuisibile, & posse diuidi in partes, non tamen quod in aliquo nunc omnes istae sint actu diuisae, sed solum syncategorematicè & in potentia. legatur Doctor loco citato, in quo pulchra habet logicalia, quae ad extricandas quorundam tricas satis necessariae sunt. idem habet 6. Physic. quaestione 2. & in 2. Metaphysic. quaestione 6. §. ad primum, versicul. contra, num. 21.

Resolutio quaestionis.

Habemus ex hac quaestione continuum componi veris partibus proportionalibus actu infinitis secundum quid, in quas resolui infinitum ab intrinseco repugnat, esseque in eo infinita puncta proportionalia, non priuatiua, sed positiua, & realia, quae sunt res ita imperfectae, quod poterant modi existimari, ex eis quidem non componitur continuum tanquam integrantibus partibus, sed eis solum continui partes copulantur & vniuntur in continuo.

* * *

QVÆS

QVÆSTIO II.

De inceptioe & desitione rerum tam permanen-
tium, quam successua-
rum.

EXPLICATA natura continui, examinandum venit qualiter incipiant & desinant continua. Circa quod tria veniunt discutienda. Primò utrùm motus possit fieri in instanti. Secundò utrùm indivisibile separatum possit moveri. Tandem qualiter incipiant & desinant continua successiva & permanentia.

DIFFICULTAS I.

Utrùm diuinitus motus possit fieri in instanti.

I.
Primo-
sandum
unicū ex
Doctore.

PRO huius difficultatis resolutione præmitto cum Doctore in 2. dist. 2. quaest. 11. §. dico ergo ad quaestionem, versic. hoc ergo supposito, num. 6. quod dupliciter potest intelligi mutatio, & potest dici duplex mutatio, una includens totam realitatem motus, alia præcisè includens realitatem termini motus. Exemplum huius est quod istud mutatur ab A. ubi, usque ad B. ubi, potest intelligi dupliciter, vel quod simul habeat omnia ubi intermedia, sicut haberet si præcisè moueretur successivè: vel quod illa mutatione præcisè haberet ultimum ubi, sicut haberet si illa mutatio esset ultimus terminus motus. Quibus suppositis dubitat in præsentī, an altero istorum modorum diuinitus possit motus fieri in instanti, (diuinitus, inquam.) nam naturaliter non posse dari motum propriè dictum instantaneum,

tenent omnes cum Aristotele in hoc lib. Doctor ibid. quaest. 6. & in 2. dist. 2. quaest. 9. Faber theoremate 38. Ratio est, quia quum huiusmodi motus propriè dictus, de quo est difficultas, solum possit versari circa res habentes partes, vel gradus impossibiles, qui simul acquiri nequeunt, vel propter distantiam localem, ut in motu locali, vel augmentatione, vel propter resistantiam contrarij existentis in eodem subiecto, quæ vinci non potest substantaneè, ob exiguam & limitatam actiuitatem agentis, sit inde quod talis motus nequeat in instanti fieri per vires naturæ; de potentia ergo absoluta est difficultas.

ARTICVLVS I.

Quibusdam dictis vera & communis explicatur sententia.

DICO primò, non potest dari motus propriè dictus & successivus in instanti. est sententia Philosophi cap. 3. huius libri, quem communiter sequuntur interpretes, licet quidam apud Durandum in 4. dist. 45. quaest. vltima, & Richardum in 1. dist. 31. q. 3. circa secundum principale, sentiant contrariam. conclusio est nostri Doctoris in 2. dist. 2. quaest. 9. §. ad aliud de secundo, & alibi sæpe. Ioannis de Colonia quaest. 264. Tartaretus 6. Physicor. fol. 52. Rada secundo controuersi. controuersia 7. artic. 3. §. secundò obserua. Valquez 1. parte disput. 197. cap. 2. Suarius disputat. 30. Metaphycæ sect. 4. Hurrado disput. 11. Physicæ sect. 10. §. 70. Ruuius hinc cap. 3. quaest. vnica. probant Conimbricenses ex definitione motus tradita in 3. Physicorum, quia est actus in potentia secundum quod in potentia: sed hæc ratio non est ad propositum.

2.
Conclusio
prima.

positum. nam hac definitione non solum motus, sed mutationes definiuntur. Conclusio ergo probatur eisdem rationibus, quibus inferius difficul. 3. ostendimus, non dari primum mutatum esse in motu, aut primam partem, quæ ibidem videri possunt: præterea motus essentialiter includit successionem, cuius intrinseca mensura & tempus, incipitque per ultimum non esse, & definit per primum sui non esse; ergo sicut mutatio instantanea nequit diuisibiliter & successiuè fieri, ita nec motus successiuus in instanti. quod argentum euidenter concludit in sententia omnium, qui affirmant tempus esse idem realiter cum motu. nam in hac sententia necessariò dicendum est motum ab intrinseco esse successiuum, sicut tempus quo tanquam mensura sibi intrinseca mensuratur.

3.

*Conclusio
secunda.*

Dico secundò, tota realitas motus, seu formæ fluentis, aut quæ successiuè per vires naturæ producitur, potest fieri in instanti, seclusa successione, & hac virtute diuina. est sententia Doctoris in 3. dist. 2. quæstione 3. §. dico, versicul. *sed transmutatione*, num. 5. & dist. 4. quæst. 1. §. *potest dici*, num. 7. asserens materiam corporis Christi in Incarnatione filij confluisse in instanti ad locum aptum generationi in utero Virginis, atque eodem instanti transmutatam omni alteratione necessaria ad organizationem corporis, & introductionem animæ. Probaturs conclusio, successio in motu oritur ex resistantia contrarij, & limitata potentia agentis, quæ non valet tam subitò superare resistantiam introducendo formam: sed nulla resistètia est proportionata virtuti infinitæ; ergo totam realitatem motus potest in instanti ponere. quòd ztem successio motus proueniat ex

limitatione agentis, & resistantia contrarij, inde patet quòd causæ, quæ non, patiuntur huiusmodi resistantiam contrarij, producunt effectus in instanti: vt sol illuminationem, ignis splendorem, obiectum species; item virtus fortior in duplo peragit in medio temporis, quod remissior, & tardiùs mouens in toto explet; ergo successio motus prouenit à resistantia passi & limitata virtute agentis.

Dico tertid, causa creata potest coagere Deo ad producendam in instanti effectum quem cum concursu causarum secundarum posset tantum in tempore & successiuè producere. est Doctoris loco citato, asserentis Beatissimam Virgineum concurrisse actiuè ad omnes istas alterationes, quæ præcedunt animationem, & hoc ea virtute naturali immutata manente, qua alioquin ad easdem concurreret, si generatio naturalis esset. Probaturs, quia non tollitur virtus naturalis causæ ex concursu superioris & perfectioris causæ, sed adiuuatur in sua operatione perfectius; ergo causa secunda cum speciali concursu causæ primæ poterit influere in eundem effectum, in quem antè potuit cum concursu alterius causæ secundæ; ergo in terminum motus.

4.

*Conclusio
tertia.*

Dices esse limitatam, & respicere terminum illorum per media determinata. Contrà quoties determinata media non sunt causæ rei productæ, sed ipsa causa; ita quòd actio præcisè est à causa, non à medijs, alioquin non essent media, sed causæ: sed eiusmodi media, qualiacunque sint, suppleuntur à causa prima; ergo causa secunda poterit agere ad terminum. Probaturs subsumptum, quia nihil sunt præter resistantiam passi, quæ

Dubium.

super

superari possunt virtute causæ primæ; ergo.

Confirmatur, causa inferior adiuta à causa perfectiori citius producit effectum in tempore, quam coagente imperfectiori; ergo proportionem seruata, adiuta à causâ perfectissima adhuc perfectius producet effectum, & sic in instanti, maximè quando illa superat omnem resistantiam passî. Argumentum fundatur in discursu Philosophi in hoc libro, vbi dicit quòd si maior virtus mouet in tempore, maxima virtus mouebit in instanti.

ARTICVLVS II.

Obiiciuntur aliqua contra conclusionem, & enodantur.

f. Obiectio prima.

Obiicies primò contra primam conclusionem, visionem produci in instanti, quando quidem corpus dicitur in instanti moueri; ergo potest naturaliter dari motus successiuus in instanti. Responderetur, oblatum causare visionem quatenus existens, vel si fuerit permanens, causabit in instanti, cum totum eius esse simul sit; si verò successiuum, successiuè.

Obiectio secunda.

Obiicies secundò, nouam distantiam à termino esse per nouum motum: sed in quouis instanti mobile magis distat à termino à quo; ergo in singulis mouetur successiuè. Negatur minor, nisi intelligatur distantia ratione illius quod acquisitum est tempore antecedenti. nam sicut punctum non facit aliquid maius in quantitate; ita nec mutatum esse (quod instanti correspondet,) faciet maius in motu: distantia autem noua, est ratione alicuius de nouo ac-

quisiti, quod facit maius in entitate.

Obiicies tertio, Augustinū in quæstionibus de resurrectione docentem corpora gloriosa pari celeritate attingere vtrumque extremum spatij; ergo mouebantur in instanti, alioquin non æquè primò attingerent spatia extrema. Responderetur Augustinum loquutum fuisse de tempore modico, quod respectu nostri pro nullo computatur. Sed virget Gregorius in 2. dist. 6. quæst. 3. art. 3. Augustinum dicentem quòd corpus gloriosum vtraque interualla pari celeritate pertingit, vt radius Solis: sed iste in instanti diffunditur per medium; ergo. Responderetur nihil tale legi apud S. Augustinum. In epistola num. 146. vbi tractat partim huiusmodi quæstionem, mentionem non facit de motu Beatorum. Epistola num. 49. quæ alias item quæstiones in hac materia resoluit, agit de celeritate resurrectionis, quam diuina virtute, non humana facultate docet fieri. hæc enim habet: *vt enim radius oculi nostri non citius peruenit ad propinquiora, quam ad longinquiora: sed vtraque interualla parili celeritate contingit, ita quum in actu oculi, sicut Apostolus dicit, sit resurrectio mortuorum, omnipotentia Dei, & ineffabili nutu, tam facile est quaque recentia, quam diuturno tempore cadauera suscitare.* quibus verbis non de motu naturaliter producto, sed supernaturaliter loquitur. quod nos non negamus, ex secunda conclusione, nec improbable iudico Beatum posse ad locum, saltim vicinum & contiguum ei in quo est, se in instanti mouere, vt inferius dicam de Angelo, quia nulla est resistantia ex parte mobilis ob dotem agilitatis, nulla ex parte medij ob dotem subtilitatis, quæ sunt in corpore glorioso: nec interest limitata virtus, quoniam

6. Obiectio tertia.

Responso.

licet hæc non sufficiat ad locū remotum, sufficit tamen ad proximum. quæ omnia intelligenda sunt non de motu progressiuo, seu temporaneo, sed de motu totius. Primò. nam sic anima beata poterit corpus gloriosum æquè primò mouere, sicut Angelus, v. g. rapuit Abacuc in Babylonem, *tangunt scintilla in arundineto discurrunt*, Sap. 3. *mutabunt fortitudinera, assumunt pennas, ut aquila volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt*, Isa. 40. legatur Doctor in 4. dist. 49. quæst. 14. & 15. & in reportatis lib. 4. quæst. 5. §. *ad questionem*, versic. *sed hic occurrit dubium*, vbi fateatur in resurrectione futurum esse motum localem in instanti, et si loquatur virtute diuina, de qua etiam possent explicari verba Augustini relata, dato quòd eius essent.

7.
Obiectio
quarta.
Responso.

Obiicies quartò, ergo Angeli poterunt naturaliter moueri in instanti localiter. Respondeo motu progressiuo, sed repugnare per quamcunque potentiam, vt patet ex numero, loquendo verò adhuc de tota realitate motus, id etiam naturaliter implicat, non ob resistantiam spatij, seu mediij. nam neque in vacuo posset in instanti, sed ob limitatam eius virtutem: vnde si supernaturalibus viribus adiungatur, sed non implicaret, vt patet ex num. . . legatur Doctor in 2. d. 2. quæst. 11. & 12.

DIFFICULTAS II.

*Vtrum indiuisibile separatum
posset successiue moueri.*

8. **N**ON examinamus in præsentì, vtrum indiuisibile per aliquam potentiam posset à continuo separatum conseruari: nam ex num. . . idem quantum ad hoc videtur dicendum ac de relationibus, de quibus in Lo-

gica: sed id disputationis gratia supponit Doctor, sit possibile, vel non. Pro cuius difficultatis explicatione

Præmitto primò indiuisibile omnino tale, v. g. punctum, non posse moueri motu augmentationis, vel diminutionis, vt patet. nam si augetur, aut minueretur, iam diuisibile esset, & non indiuisibile. *Suppositio prima.*

Præmitto secundò quòd si indiuisibile separaretur à continuo, moueri posset motu alterationis. sic Doctor in 2. dist. 2. quæst. 9. §. *ad tertium argumentum*, versic. *potest ergo*, num. 37. nam supposito quòd indiuisibile qualitatis separaretur ab ea in indiuisibili quantitatis posset subiectari, & ab alio indiuisibili qualitatis contrariæ posset expelli. nam sicut talia indiuisibilia in continuo correspondent quantum ad expulsionem indiuisibilis qualitatis contrariæ, eodem modo separata opponerentur, & consequenter mutarentur alteratione. Neque contra hoc est Doctor 6. Physic. quæst. 7. §. *quarta conclusio*. nam ibi solùm intendit non esse alterabile per se, quia non est separabile saltim naturaliter à continuo. Vel intelligendus est Doctor, vt explicatur à Tartareo dubio vltimo huius libri, vt ab Aretino in annotationibus ad quætionem citatam in 4. dist. 10. quæst. 9. §. *ad argumenta*, videlicet punctum non esse alterabilem certa & determinata intentione qualitatis. nata cum in illa non detur minimum, minori & minori intensiōe potest alterari: sed de his dicam in libris de generatione. Difficultas ergo est in præsentì de motu successiuo.

* * *

ARTICVLVS I.

Explicatur verior sententia, & quorundam placitum proponitur.

2. **C**onimbricenses hinc cap. 10. q. 1. cum Alberto Magno tractatu 2. cap. 1. Iandano quaest. 13. Capreolo in 2. dist. 2. quaest. 1. quibus subscribunt Ruuio cap. 10. quaest. vnica, Sorus & alij, affirmant indiuisibile separatum non posse moueri motu successiuo. Fundamentum horum authorum sunt quamplures Philosophi auctoritates, quas inferius obiciemus, simulque rationibus confirmabimus, quibus intendit motum successiuum per se esse diuisibilem: repugnat ergo indiuisibile successiuè moueri.

Plaza quaestione vltima, & Murcia quaest. 6. tenent cum Marsilio indiuisibile separatum non posse naturaliter moueri motu successiuo; bene tamen supernaturaliter. Fundamentum praecipuum est quod inter agens & passum, inter mobile & spatium debet esse proportio, vt secundum principia naturae moueantur, haec quidem non inclinant nisi seruata hac proportione: sed indiuisibile nullam habet proportionem cum spatio diuisibili; ergo repugnabit illi successio in motu naturaliter.

30. Vera sententia docet quod si indiuisibile diuinitus separaretur, posset successiuè moueri, seu non repugnare indiuisibili separato motum successiuum. tenet expressè Docteur in 2. dist. 2. quaest. 9. §. *ad tertium argumentum*, aut. 36. ibidem Lychetus & Tartaretus. Rada 2. tomo controuersia 7. art. 3. Mayronus in 2. dist. 2. q. 12. Gregorius quaest. 2. art. 1. Toletus in hoc libro quaestione 4. in respon-

sione ad 4. argumentum, solutione 3. Valles controuersia 58. ad tyrones, & communiter Scotista. Probat Doctor hanc veritatem vbi supra versic. *ad istud*. Primò, quia sphaera super planum mota describit in plano lineam, & tamen non tangit, nisi in puncto; ergo illud punctum pertransit totam lineam, & tamen non propter hoc tota linea illa, quae sic pertransitur à puncto, componitur ex punctis; ergo à simili nec hoc sequeretur, si ille punctus esset per se.

Hinc respondetur multipliciter. Primò quod non est sphaericum in natura, sed tantum in intellectu, vel imaginatione: sed hoc nihil est, quia caelum simpliciter est sphaericum, & tamen dato quod non esset aliquod sphaericum in natura, adhuc non esset contradictio ex parte sphaerae & plani, quod hoc super illud moueatur vt sphaera super planum: esset autem contradictio si ex motu indiuisibilis super aliquid sequeretur ipsum esse indiuisibile, vel componi ex indiuisibilibus. II.

Aliter dicitur quod naturalis sphaera tangit planum in linea, non in puncto: sed hoc videtur impossibile, quia quod applicatur lineae circulari, ita quod eam totam tangit, necessario est circulare, quia qualibet pars lineae circularis est circularis; sicut linea recta est in qualibet parte recta. nam rectae lineae nulla pars est circularis, vel curua.

Aliter dicitur quod quia punctus ille per accidens mouetur, ideo non oportet quod commensuret sibi spatium, super quod mouetur: sphaera autem per se mouetur, & etiam est diuisibilis. Sed contra istud, quia quamuis pars in toto moueatur per accidens, tamen semper est in spatio sibi aequali, & pertranseundo illa describit

bit totum spatium, imò si albedo, quæ magis mouetur per accidens motu quanto, quàm aliquid quod est pars, vel terminus quanti, secundum quantitatem suam, quam habet per accidens, comparatur ad spatium, adhuc eius quantitas accidentalis commensuraretur spatio: vnde non videtur quòd quantum ad commensurationem aliquid auferat moueri per accidens, aliter quàm per se moueri. Item linea ista supposita non commensuratur sphæræ, quia tunc esset corpus sphæricum, sed commensuratur alicui moto super ipsam; ergo tantum puncto moto super eam.

Si etiam ponatur sphæram esse in vacuo, & solam lineam esse plenam, & per impossibile sphæra posset moueri in vacuo, & iste punctus super lineam plenam, illa linea plena non describeretur nisi præcisè ex puncto illo, & ita sequeretur propositum ex istis.

Præterea accipiatur corpus cubum, & moueatur prima superficies eius, vel semper est in aliquo sibi æquali, & ita in superficie, vel correspondet sibi aliquid in magnitudine supposita, puta linea, & sic semper pertransiendo prius aliquid magnitudinis, quàm aliud pertransit totam magnitudinem; ergo tota magnitudo supposita componitur ex linea, si ratio illorum valeat.

72. Præterea signetur punctus primus in linea, super quem alia linea mouetur; iste punctus in linea supposita describit totam lineam motam, quia sicut semper quicumque punctus lineæ motæ est continuè in alio & alio puncto lineæ superpositæ; ita est e conuerso, quicumque punctus lineæ suppositæ supponitur alij & alij puncto lineæ motæ, & tamen cum omnibus istis fiat continuïtas motus. Po-

test ergo concedi (cùm non videatur nisi fuga dicere de moueri per accidens) quòd indiuisibile posset per se moueri si per se esset, & tamen continuè, nec ex hoc sequeretur magnitudinem pertransitam esse compositam ex indiuisibilibus.

Petes an istæ rationes probent de potentia naturali, supposita separatione indiuisibilis, an de supernaturali. Respondetur Doctorem in his rationibus intendere probare id esse possibile naturaliter, nam si de potentia supernaturali tantum loqueretur, facilius mentem Philosophi explicaret, si diceret Philosophum locutum fuisse quando negauit motum indiuisibilem de potentia naturali, non autem de supernaturali. Dicitur.

Confirmari potest ista sententia primò, quia Angeli sicut spirituales sunt, ita indiuisibiles, & nihilominus naturaliter mouentur successiuo motu; ergo idem contingeret indiuisibili, si separaretur à continuo, cuius rei veritas & possibilitas ex solutione argumentorum in oppositum patescit magis.

ARTICVLVS II.

Obiiciuntur diuersa contrariorum argumenta, & enodantur.

Quamplures obiectiones proponit Doctor contra se vbi suprè, §. tertio principaliter, num. 5. easque resoluit num. 38. versic. *potest ergo concedi.*

Obiectio prima, sunt quamplures Philosophi autoritates. nam cap. 3. huius libri in fine ait omne mobile esse diuisibile. & cap. 4. textu 33. omnem motum esse diuisibilem ratione mobilis. item 8. Physic. cap. 5. textu 40. mobile esse cõtinuum. hæc omnia repugnant 13.
Obiectio prima.

repugnant puncto ob suā indiuisibilitatem; ergo & continuè moueri. Respond. cum Doctore quòd in motu locali est successio, ex duplici causa, videlicet ex diuisibilitate mobilis, & ex diuisibilitate spatij, quarum vtraque causa si esset per se & præcisa, esset sufficiens ratio successiois. nam quidlibet mobile prius pertransit vnā partem spatij, quàm aliam, & ita esset successio ex parte spatij, comparando idem mobile ad diuersas partes eius; quòdcunque etiam idem in spatio prius pertransit mobile secundum primam partem sui mobilis, quàm secundum secundam, & ita etiam successio ex potestate mobilis, comparando ad quòdcunque idem in spatio, ita etiam posset assignari in motu alterationis, & fortè in motu augmentationis. Negat igitur Philosophus, & bene, quòd indiuisibile quantum est ex se possit moueri, vel mouere, ita quòd ex eius parte possit accipi continuitas motus, ita quòd sit mobile habens in se rationem completam mobilis continui, quia non habet in se quòd continuè moueatur, non tamen est illud cui repugnat continuè moueri, vel mouere, accipiendo ab illo continuitatem motus: cum autem dicit, mobile est continuum, loquitur de motu continuo, ex parte vtriusque extremi, videlicet mobilis & spatij, non tamen alterius.

14.
Obiectio
secunda.

Obiectio secunda, omne quòd per se mouetur, necessariò est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, ita vt prius confutat spatium minus & æquale sibi, quàm spatium maius, hoc non conuenit nisi alicui rei diuisibili; ergo nec per se moueri. Respondet Doctor id verum esse, si sit tale mobile, ex cuius ratione sit successio motus; tale enim mobile est secundum partem,

& partem sui in termino & in termino, & non ita solum, sed secundum idem sui est partim in termino vno, & partim in alio, hoc est, in aliquo medio, non quiescendo, sed in quantum est aliquid vtriusque, hoc est, in quantum est per quòd tendit ab vno in alterum, hoc est dictu quòd est sub mutatione, & sub aliquo subiacente mutationi, & sic continuat partes. Cum autem accipitur indiuisibile, non potest esse partim in vno termino, & partim in alio, quia non habet partes, verum est de prima partibilitate, & ideo concludendo quòd sic non est mobile, concedo. falsum autem est de secunda partibilitate, quæ est ex parte spatij. Vel secundò dico cum Doctore hinc quæst. 7. non esse necessarium vt mobile sit partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, quòd habeat partes, sed quòd ratione spatij partim sit in actu, & partim in potentia, quòd haberet indiuisibile si pertransiret continuum.

Ad aliud cum dicitur quòd prius pertransit omne mobile æquale, vel minus quàm pertransit maius. Resp. dico verum esse de nutu mobilis diuisibilis, non autem de mobili indiuisibili, aliàs oporteret concedere quòd esset dare primam mutationem in motu locali, quòd etiam nec ipsi perueriores Aristotelis, non expositores, dicentes ipsam retractare quòd dixit in 6. Physic. possunt rationabiliter dicere intelligendo; ergo de transicione mobilis diuisibilis potest intelligi de toto, non ratione totius, sed alicuius partis, non comparando alterutrum ad vbi sibi æquale, quia sic vniformiter transeunt spatium sibi æquale, ex 5. Physic. cum continuum sit, cuius motus est vnus & indiuisibilis, ex 5. Metaph. text. 8. & 9. sed intelligendo

gendo respectu alicuius certi & determinati puncti in spatio, & sic est verum, prius totum pertransire minus se ratione alicuius partis, quam transeat æquale, vel maius. legatur Doctor vbi supra à num. 38. vsque ad 40. Secundò respòdetur, illa maior non est semper vera. nam quando mouetur corpus perfectè sphericum super planum, tangit in puncto planum, & hic punctus post instans non pertransit aliquid spatij se ipso minus, aut æquale, sed maius, cum pertranseat partem.

15.
Obiectio
tertia.

Respon.
sio.

Obiectio tertia, sequeretur ex nostra sententia indiuisibile æquare & commensurare omnes magnitudines, super quas mouetur, & consequenter magnitudinem componi ex solis indiuisibilibus, cum indiuisibile non tangat nisi aliud indiuisibile. Resp. huic difficultati Lichetus, & ex illo Rada, quòd in motu etiam tangat sphaera plana in indiuisibili, & non in parte: hæc tamen solutio expressè est contra Doctorem, qui loquitur de motu continuo indiuisibilis, & non discreto, quem concedunt ipsi aduersarij: si autem moueretur indiuisibile de puncto in punctum, non tangendo partem intermediam, moueretur discretè & per saltus, non continuè successiuè tangendo totum, quòd est ab extremo ad extremum, ac proinde non describeret in spatio lineam continuam, de quo est discrepantia inter Doctorem, & alios. Nec refert dicere quòd in omni parte sunt infinita indiuisibilia, ac sic inuenire semper aliquid sibi proportionatum, vt prædicti dicunt, quia hoc est euasio difficultatis. nam hæc petit an se tangat continuè totum, quòd est ab extremo ad extremum in spatio, in quo non tantum sunt indiuisibilia, sed etiam partis. quòd affirmat Doctor: vnde

sub finem dicit quòd punctum in omni indiuisibili temporis est in spatio sibi æquali, in parte diuisibili temporis est in spatio non æquali. Ergo correspondet indiuisibile parti inadæquatæ.

Secundò respondet Mairones vbi supra, & magis ad mentem Doctoris, non esse inconueniens quòd indiuisibile tangat partem in fluxu, & per modum viæ; esset tamen si tangeret in esse quieto & permanenti. nec nouum est impossibilia permanentè esse compossibilia in fluxu, v.g. priuatio est compatibilis in eodem subiecto cum forma fluente, non cum forma permanente, vt contingit in omni motu & mutatione, v.g. generatione, quæ ideo dicitur includere terminum à quo, & ad quem, scilicet priuationem & formam. Forma corrupta & forma introducta compatiantur se in fluxu vt contraria. nam sicut introducitur calor successiuè, sic etiam successiuè, & secundum diuersos gradus remittitur frigus. sic explicat Doctor illud Philosophi 6. Phys. Omne quod mouetur, habet aliquid vtriusque extremi, in 2. d. 2. quæst. 9. §. *ad aliud de secundo*, vers. *hoc etiam vult Philosophus*, num. 32. negans mutatum esse in motu. Ferrum candens; seu lapis & carbo accensus celeri motu inter vtramque manum reciprocatus neutram comburit, permanentè detentus sine mora combureret: ratio ergo disparitatis videtur esse, quia esse permanens rei, est esse eius perfectum; esse verò in motu, est imperfectum esse, ac proinde quòd isti repugnat, non repugnat illi, & sic saluatur efficacia illarum demonstrationum mathematicarum, quibus vtitur Philosophus ad ostendenda indiuisibilia positiua & realia.

Instabis primò, Deum videre & compe

*Instatiua
prima.*

comprehendere, quando indiuisibile tangit inadæquatè partem; ergo poterit ibi conseruari. Respond. concedendo consequentiam, ista tamen conseruatio non solum esset præternaturalis, quando quidem ipsum indiuisibile naturaliter detineri non posset, sed violenta, quatenus priuaretur loco, aut spatio sibi proportionato: sicut si petra descendens ad centrum, detineretur in medio.

*Instantia
secunda.*

Instantis secundò indiuisibile tangens permanenter aliud indiuisibile esse in loco proportionato; ergo non moueretur inde. Respond. primò, quòd bene posset esse in spatio proportionato, quantum ad indiuisibilitatè, & improportionato, quantum ad naturam specificam; ideo non emitteret spatium ratione commensurationis, sed ratione improportionis quantum ad naturam: vt si indiuisibile petrae esset sursum, semper appeteret deorsum, quod idè est de partibus suo modo. Secundò respond. quòd quànvis indiuisibile de se non posset moueri, sed virtute alterius agentis increati, vel creati, videlicet Angeli, aut alterius spiritus, tunc verum esset dicere quòd indiuisibile separatè successiue moueretur, tangeretque in fluxu inadæquatè partem continui, & in esse permanenti solè indiuisibile, nisi ipsi inferatur violentia.

DIFFICULTAS III.

Utrum detur primum & vltimum mutatum esse in motu.

17.

PRO huius difficultatis explicatio-
ne præmitto ex Philosopho hâc c. 4. textu 34. motum esse diuisibilem ex duplici capite, nempe ratione temporis in quo fit, & ratione mobilis. nã

sicut tempus habet partem post partem, ita etiã motus qui tempore mensuratur, debet habere partem post partem, quarum vna in hac potestate temporis, alia in alia fit. Ex parte mobilis motus est diuisibilis, sicut illud in se diuisibile est; quidquid enim recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis. Vnde sicut in subiecto sunt partes, & sunt indiuisibilia; ita in motu sunt partes quæ dicuntur motus partiales, seu moueri, penes quas mouetur subiectum. Sunt etiã indiuisibilia continuantia, quæ vocantur mutata esse, hæc sunt in indiuisibilibus subiecti. Partes motus sicut correspondent partibus subiectis, ita etiam partibus temporis; mutata verò esse fiunt in instantibus temporis. dicuntur ergo mutata esse hæc indiuisibilia, quia supponunt motum iam fuisse, ac per consequens quòd mobile in tali esse est positum & mutatum. Ex quibus constat quòd si in motu deret indiuisibile primum initiatium, non diceretur mutatum esse, cum non procedat aliqua pars motus, ex cuius mutatione in subiecto possit indiuisibile continuatiuum vocari mutatum esse; ideo quando auctores inquirunt, vtrum deret primum mutatum esse in motu non est, quia existiment quòd si esset primum, vocaretur proprie mutatum esse, sed quia cum Aristoteles hoc nomine appelleret indiuisibilia motus, eo vtuntur vt inquirant, an hæc possint esse initiatiua.

ARTICVLVS I.

Respondetur titulo difficultatis.

PLaza disp. 2. huius libri quaest. 1. & alij cum ipso, quibus subscribunt quidam neoterici Scotistæ, affirmant

18.

firmant in motu dari primum indiuisibile initiatiuum. Præcipuum fundamentum est quod motus est via ad terminum, nempe ad quantitatem & qualitatem: sed isti termini gaudent indiuisibilitibus initiatiuis; ergo & motus.

Verior sententia docet motum nõ habere primum indiuisibile initiatiuum intrinsecum, sed extrinsecum, ita Doctor hęc quæst. 8. ibidem Tartaretus. & in 2. d. 2. q. 9. §. *ad aliud dico*, à num. 31. Toletus quæst. 4. Conimb. & alij quamplures, quos citat Ruuius cap. 6. quæst. vnica.

19.
Cõclusio prima.

Dico primò, versùs initium non datur primum mutatum esse motus, quin præcedat moueri, nec primum moueri, quin præcedat mutatum esse in infinitum, ex Philosopho hęc c. 6. quod ostendit quo ad vtramque partem. Quoad primam probatur primò, motus sit in tempore mutatum esse in instanti, ante omne instans præcessit tempus; ergo ante mutatum esse præcessit motus. Eadem ratio conuersa probat secundã partem conclusionis in hunc modum, ante omnem partem temporis præcessit instans; ergo ante omnem partem motus præcessit mutatum. Secundò, idem probatur sicut in spatio, per quod trãsit mobile, ante omnem partem est punctus, ante omnem punctum est pars quam pertrãsit, vt non sit assignabilis aliqua pars pertransita, quin minor sit assignabilis in infinitum; ita in motu ante quodlibet moueri est mutatum esse, & è cõtra. videatur Philosophus textu 52. 55. & 58. Respond. aduersarij Aristotelem solùm voluisse quod primum indiuisibile initiatiuum non vocetur mutatum esse, cum non supponat partem motus, bene tamẽ vltimum, quia illam supponit. Sed contrã est quod Aristoteles relatus absolutè probat

non dari in motu, neque primam partem, neque primum indiuisibile, nam ait ante quodlibet moueri dari mutatum esse in infinitum; & ante quodlibet mutatum esse dari moueri. Rursus quoties Philosophus loquitur de indiuisibilitibus motus, vocat mutata esse; ergo sentit nullum dari indiuisibile initiatiuum in motu. nam hoc incongruè vocaretur mutatum esse.

Dico secundò, versùs finem datur vltimum mutatum esse, seu terminum motus. est Philosophi textu 44. dicentis, tempus illud in quo primum verum est rem esse in termino motus, esse indiuisibile, vel instans, quod sic probant. Dato cõtrario, esset tempus vltimum motus; sed hoc implicat vt nullum determinatũ tempus assignari possit ante quod mobile non fuerit in termino, v.g. dicatur esse hora, in qua primũ mobile dicitur esse in termino, si per totam illam horam fuit in termino; ergo prima media hora fuit in termino: ergo non est verum dicere quod tota hora fuit primum in termino, & sic ante quamlibet potestatem signatam datur alia, in qua fuit in termino, & sic in infinitum: ergo illud tempus, in quo verum est dicere mobile primum esse in termino, est indiuisibile: ergo datur mutatum esse terminans motum.

20.
Conclusio secunda.

Probatur secundò, in motu locali, ex quo manifestum fiet in aliis quãdo lapis mouetur deorsum, vel incipit in centro, esse primum in instanti, & per primum sui esse, vel in tempore per vltimum non esse, quia non est dare medium, non secundum; ergo primum. Probatur minor, quia si non est hoc instanti in centro, & sic de quocunque alio signato, sequitur distare à centro per aliquam distantiam diuisibilem: ergo tale instans non erit vltimum, in quo verum erit dicere

dicere quod lapis non est in centro. Probatur consequentia, quia illa distantia diuisibilis non potest pertransiri, nisi in tempore, in quo verum erit dicere non esse in centro, sed in via; ergo dabitur aliquid instans, in quo primum verum est dicere esse in centro, vel numquam erit in centro, sed in motu, & in via. Eodem modo argumentum currit in motu argumentationis.

21. Pro huius argumenti intelligentia notandum, vltimum gradum cuiuscumque formæ, penes quam est motus, produci semper in instanti, vt rectè aduertit Doctor hinc §. *est ergo processus, & alibi, quia ille gradus est terminatiuus motus, v. g. quando producit calor vt octo, septem primi gradus producantur in tempore, & successinè & semper penes illos subiectum est in motu; gradus verò octauus producit totus simul in instanti per mutationè, per quam subiectum dicitur mutatum esse, vel aliter se habere quàm antea, quia antea semper erat diuisibiliter & sub motu, recipiendo partem post partè; nunc verò indiuisibiliter & sine motu sub sola mutatione instantanea, quæ totâ simul inducit per gradû, & non partem post partem; hoc ergo mutatum esse penes vltimum gradum formæ, vocatur terminus & vltimum motus ipsum claudens, sicut punctus terminatiuus lineæ. nam vsque ad illud instans fuit motus, nec tunc, nec deinceps est.*

ARTICVLVS II.

Quibusdam regulis explicantur omnium rerum inceptions, & desitiones.

22. Cvm præmissæ conclusiones fundentur in modo inceptions & desitionis rei successiuæ; præscribendæ

erunt regulæ vniuersales desitionis & inceptions rerum; duo ergo sunt instantia, quibus in vniuersum incipiunt, scilicet primum esse, & vltimum non esse. Primum esse vocatur instans affirmatiuum & intrinsecum tempori durationis, quia est verum dicere quod in eo res completè existat. Explicatur per propositionem, seu affirmationem de præsentis, & negatiuam de præterito, v. g. nunc res est, hæc est affirmatiua, vt immediatè ante hoc nõ fuit. Ecce negatiuam, vltimum non esse vocatur instans negatiuum & extrinsecum durationi, quia nec in eo res existit, aut incipit existere, sed in tempore immediatè sequenti, ideoque vocatur negatiuum, & extrinsecum, quia negatur in eo existentia rei. Explicatur proinde per negatiuam de præsentis, v. g. iam res nõ est, & affirmatiuam, de futuro nempe, & immediatè post hoc erit. Primum instans vocatur primum esse rei, quia ex toto tempore præcedenti illud esse primum instans, in quo verum est dicere quod res primò existat, aliud vocatur vltimum non esse, quia ex toto tempore præcedenti, quo res non habuit existentiam, illud est vltimum, in quo verificari potest de re non esse, seu non existere, quia tempore immediatè sequenti incipit res esse.

Prima regula, omnia entia quæ producantur in instanti, vt substantiæ, illuminatio, species sensibiles, qualitates, & omnia accidentia absoluta quæ consequuntur, ad suas substantiales tanquam proprietates Physicæ (vt calor ignis) quæ emanant in instanti ab ipsis formis, mutationes instantaneæ, & omnia quæ simul & non successinè producantur, incipiunt per primum sui esse, & non per vltimum non esse. Ratio est, quia productio horum est indiuisibilis, & tota simul, non pars post partè; ergo requirit

mensuram indivisibilem, in qua ponatur quale est instans. Secunda particula illius regulæ patet, quia alioquin post instans sequeretur aliud immediate: quæ autem petant instantaneam productionem, non est huius loci examinare, sed id ad libros de generatione & corruptione spectat.

Secunda regula. Entia successiva, ut motus, tempus, incipiunt per ultimum non esse, seu instans extrinsecum. Ratio huius est, quia sunt entia successiva, quorum productio non est simul, sed fluens, ideo fit in tempore; quia verò non est assignabilis aliqua pars determinata illius temporis, in quo præcisè incipit intrinsecè motus, cum ante illam fuerit alia & alia in infinitum, in quibus præcessit motus, ideo recurrunt Philosophi ad instans extrinsecum, quod claudit tempus antecedens, designantes inceptionem motus per ultimum non esse eius quod antecessit.

Descriptio instans duplex.

In definitione etiam duplex assignatur instans, scilicet ultimum esse, & primum non esse: ultimum esse dicitur tale, quia est ultimum in quo res existit, explicatur per positionem, seu affirmationem de præsentem, v. g. nunc res est, & negationem de futuro ut immediate post hoc non erit, est intrinsecum durationi. Aliud vocatur primum non esse rei, quia est primum in quo de re post esse dicitur non esse: explicatur per negationem de præsentem, & affirmationem de præterito, ut nunc res non est, & ante hoc immediate fuit, estque extrinsecum duratio.

25. Regula sexta.

Tertia regula: Permanentia quæ simul producuntur in instanti desinunt etiam in instanti; quia descriptio, & inceptio rei proportionantur; desinunt ergo per ultimum sui esse, seu per instans intrinsecè terminans suam

durationem. Ab hac regula excipiuntur formæ corruptæ substantiales, quæ dicuntur desinere per primum non esse sui, ex doctrina Philosophi 8. Physic. text. 69. ubi dicit instans terminans mutationem attribui temporis respectu rei genitæ, si habeatur ratio mobilis. nam licet illud instans relatum ad tempus antecedens, & consequens, sit commune utriusque, tamen comparatum ad mobile, attribuitur posteriori, ne oporteat dicere quod duæ formæ oppositæ simul essent in eodem subiecto; ergo quando aqua generatur ex igne, primum esse formæ genitæ dicitur primum non esse formæ corruptæ, ut idem instans mensuret intrinsecè generationem, extrinsecè corruptionem.

26. Regula quarta.

Quarta regula: successiva omnia, desinunt per primum sui non esse, seu per instans extrinsecum, claudens suam durationem, ideoque hinc Philosophus dicit motum habere ultimum mutatum esse in illo instanti, licet versus initium non habeat primum mutatum.

Regula quinta.

Quinta regula. Aliqua entia habent primum & ultimum sui esse pro unico tantum instanti, v. g. ipsum instans quod non durat, mutationes instantaneæ, & mutata esse motus, quæ non durant, nisi per instans, qua ratione Doctor quodlibeto 12. docet Deum posse creare & annihilare aliquam rem in eodem instanti, ita ut amplius non duret. quod ex eo patet, quod conservatio sit actio libera; ergo Deus potest eam non ponere, in tali casu res producta annihilabitur, cum nequeat esse sine conservatione divina.

ARTICVLVS III.

Aligua incidentia dubia enodantur.

27.
Dubium
primum.

Petes primò, an de potentia abso-
luta Angelus & res indiuisibilis
possint incipere in tempore per vlti-
mum sui non esse, & desinere per vlti-
mum sui esse, negat Vasquez 1. part.
disp. 229. cap. 10. Ferrara 3. contra
Gentes cap. 69. §. *vt autem res*, Valle-
sius còtroversia 46. ad tyrones. Funda-
mentum est quòd sicut Deus nequit
facere quòd res successiuæ habeant
esse in instanti, ita quòd res indiuisi-
bilis habeat esse in tempore. Alij ve-
rò, & meo videri, probabilius asse-
runt quòd licet modus incipiendi
connaturalis harum rerum exposcat
incipere per primum sui esse, & desi-
nere per vltimum sui esse: nihilomi-
nas diuinitus & præternaturaliter
non repugnat quòd hæc alio modo
incipiant. Fundamentum est quòd
sicut Angelus in tempore conserva-
tur, ita potest in tempore produci.
nam bene potest res esse indiuisibilis
ex se, & diuisibilis ex parte temporis.
nam sicut Angelus est indiuisibilis ex
se, & diuisibilis ex parte spatij, quia
potest esse totus in spatio palmario,
& totus in qualibet parte, sic cum in-
diuisibilitate propria bene poterit
compari diuisibilitas temporalis, ita
quòd sit totus in illo tempore, & to-
tus in qualibet parte. Nec obiectio
còtrariorum multum vrget, quoniam
est dispar ratio, cum motus essentiali-
ter habeat suas partes successiuas, sine
quibus esse nequit: hæc autè ob suam
successionem non valent esse in in-
stanti: at Angelus absque successione
potest coëxistere tempore successiuo,
quod non est ita intelligendum, vt
primum esse Angeli tempore mensu-

*Cum in-
diuisibi-
litate pro-
pria, cõ-
patur
diuisibi-
litas tẽ-
poralis.*

*Obiectio-
ni cõtra-
riorum
occurri-
tur.*

retur intrinsecè, cum eius entitas in-
diuisibilis omnino sit, sed coëxistat
partibus temporis. nam non est vnde
cogamur denegare diuinæ omni-
potentiæ, quòd possit producere, vel an-
nihilare in quauis parte temporis en-
titem, quam in instanti connatura-
liter producit.

Petes secundò, qualiter incipiant
& desinant relationes. Respondeo
quòd aliquæ sunt relationes quæ in
instanti producuntur vt intrinsecus
aduenientes, aliæ verò quæ successu
& continuitate vt relatio loci, seu
vbi, tam actini, quàm passini, & aliæ,
ad quas datur per se motus, & sic de
ipsis philosophandum est, sicut de
aliis rebus successiuis & permanen-
tibus.

28.
Dubium
secundum,
qualiter
incipiãt
& desi-
nant re-
lationes.
Resolu-
tio.

Petes tertio, qualiter incipiat &
desinat quies. Respondeo quòd si quies
sit priuatiua, seu carentia motus in
subiecto apto incipit & desinit sicut
motus. nam contrariorum eadem est
ratio; si verò negatiua, seu carentia
motus in subiecto inepto, ita vt talis
quies sit in instanti, desinit & incipit
intrinsecè, sicut indiuisibilia motus,
ex quibus patet quòd cum in motu
dentur infinita indiuisibilia, ita & in-
finitæ quietes negatiuæ, in quibus
nequit esse motus, nec inde sequitur
quòd motus discontinuetur. nam ad
hoc requiritur quies priuatiua, nec
quòd mobile quiescat in quolibet
instanti. nam quiescere est, mobile se
habere eodem modo ac antea, quan-
do potest aliter se habere: cum verò
in quiete priuatiua mobile non pos-
sit moueri, quia motus non est in in-
stanti; hinc est quòd non dicatur
quiescere, neque absolutè moueri.

29.
Dubium
tertiu
qualiter
incipiat
quies.
Resolu-
tio.

nam solum dicitur quiescere
quando potest moueri, &
non mouetur.

* * *

ARTICVLVS IV.

Obiiciuntur aliqua contra conclusiones prioris articuli, & enodantur.

30.
Aduer-
sus con-
clusiones
obiiciun-
tur qua-
dam.

STatimus in 1. articulo huius difficultatis motum non initiari per primum mutatum esse, finiri tamen per vltimum sui esse, restat nunc quibusdam obiectionibus quæ insurgunt contra prædictas conclusiones, satisfacere.

Obiectio
prima.

Obiicies primò, si non datur primum mutatum esse in motu, sequeretur esse versùs principium infinitum, cum careat principio: hoc autem est absurdum, quia motus infinitus requirit etiam tempus infinitum, in quo fiat; ergo. Respondetur hanc obiectionem concludere motum esse syncategorematicè infinitum.

Solutio.

Obiectio
secunda.

Obiicies secundò, datur primum esse acquisitum; ergo datur primum mutatum esse. Consequentia patet ex proportione rei in esse ad sui productionem, non potest enim dari aliquod primum esse sine aliqua eius prima productione. Probatur ergo antecedens. Corpus quando loco mouetur, datur aliquis locus primus acquisitus per ipsum, quia non desinit primum, nisi acquirendo nouum; ergo datur primum esse acquisitum. Confirmatur. Pono casum quòd mobile aliquod quieuit per horam, & in vltimo instanti illius horæ incipiat moueri, & continet motum suum per tempus sequens ante illud mutatum esse, quod mensuratur instanti vltimo horæ præcedentis, non datur aliud motus ex hypothesi, quòd tota hora quieuit mobile, & illud incipiat motum temporis sequentis; ergo datur aliquod mutatum esse, ante quod non est moueri. Respondetur negan-

Confir-
matio.

Solutio
insequenda.

do dari primum acquisitum, ante quod non præcesserit aliud, ad cuius probationem respondetur negando antecedens, si sermo sit de loco communicante, vel qui ex parte etiam prioris locis integratur, quia secundum partes fuit in infinitis locis. Si verò loquatur de loco communicante, v. g. quando corpus locatum occupat superficiem proximam, seu contigua, negatur consequentia. Ad confirmationem respondetur concedendo casum, & negando consequentiam, quia illud instans antecedens motum est vltimum non esse motus, nec in eo datur aliquod mutatum esse, quia non pertinet intrinsecè ad durationem motus. Adde quòd quando ea quæ producuntur per motum, habent esse permanentes, motus etiam pro forma fluenti habet indiuisibile initiatiuum, nam iste motus nihil aliud est, quàm eadem indiuisibilis forma vt transit de fieri ad factum esse: vnde sicut in facto esse habet indiuisibilia initiatiua, & terminatiua, ita etiam in fieri, fluxus verò formæ quod subiaceat mensuræ temporaneæ intrinsecè non habet primum mutatum esse, ob rationes supradictas, de quibus dixi supra.

Obiicies tertid, si canis descendens de turri moriatur, in medio datur primum mutatum esse motus cadaueris; ergo in aliquo motu datur primum mutatum esse. Probatur, quia in eodem instanti desinit esse canis, & incipit esse cadauer; ergo in illo instanti datur aliquod mutatum esse, inchoans motum cadaueris, qui fit tempore sequenti: si autem respondeatur non interrumpi motum, quia nulla forma introducit in opinionem Doctoris, cum eadem sit forma corporis viui & mortui, hoc nihil facit ad difficultatem præsentem, quia ponamus prolici baculum.

31.
Obiectio
tertia.

baculum. Deus potest in aliquo instanti motus producere formam substantialem, v. g. lapides in materia ligni, & incipiet eodem instanti moueri lapis; ergo motus lapidis daretur primum mutatum esse. Responderetur motum illum canis continuum esse, iuxta sententiam nostri Doctoris, que negat formam cadaveris differre à forma corporeitatis in 4. d. 11. quaestione 3. quod explicabimus in libris de generatione; sed admissio casu qui subiungitur, nego consequentiam, ibi enim sunt duo motus locales, nempe ligni vsque ad instans A, & lapidis deinceps; duæ item mutationes, corruptio ligni & generatio lapidis quo ad motus locales, est primum non esse prioris, & vltimum non esse posterioris, ac proinde ad neutrum intrinsecè pertinet; quo ad mutationes verò mensurat extrinsecè corruptionem, estque primum non esse ipsius, primum verò esse generationis, seu lapidis.

Obiectio
quarta.

Solutio.

Obiicies quartò, datur vltimum mutatum esse terminans motum; ergo & initians. Responderetur negando paritatem, quia motus non desinit nisi posito termino, terminus autem quo ad vltimum gradum, nequit poni nisi in instanti, quod vocatur instans vltimum immutationis, ac proinde productio talis gradus est vltimum mutatum esse terminans motum, vltra quod non est aliud moueri, non sic à parte antè. nam cum incipiat in tempore, ex dictis artic. 2. non datur aliqua pars eius antequam non sit alia, quia transit per partem in infinitum diuisibilem.

32.
Obiectio
quinta.

Obiicies quintò, dantur duo indiuisibilia terminantia continuum permanens, scilicet initiatiuum, & terminatiuum; ergo idem dicendum de motu. Probatur consequentia, quia

vtutrumque est æquè diuisibile; ergo si non habere primum competat motui, quia in infinitum diuisibile est, idem dicendum foret in altero. Item hora clauditur duobus instantibus; ergo & calefactio quæ durauit vna hora, duobus mutatis esse. Patet consequentia ex commensuratione vtriusque in existentia.

Confirmatur primò; quia ex 6. Physic. eiusdem rationis sunt quantitas motus & tempus, sed quantitas habet indiuisibilia initiatiua, antequam non est pars; ergo & motus.

Confirmatur secundò, diuisibilitas ^{Eius duplex scilicet} comperit motui ratione magnitudinis, sicut & continuitas; ergo sicut continuum habet indiuisibile, ante quod non præsupponitur pars: ita & motus. Responderetur non esse eandem rationem de permanente & successiuo, nam motus non incipit in puncto primo quanto, non enim recedit, v. g. mobile locale à loco in quo est, nisi in tempore transeando partem diuisibilem, & ipse locus necessariò diuisibilis est in infinitum. Secundò responderi potest negando antecedens, loquendo de quantitate permanente sub ea ratione, qua diuisibilis est, quia sic est quid successiuum, & in potentia quantum ad diuisiones proportionales, quarum nulla est prima, & sicut non habet primam, aut vltimam partem sui, nec primum, aut vltimum punctum, de quo diximus quaest. 1. num. 29. ex hoc negatur assumptum. nam de hora eadem est ratio ac de motu. Ad primam confirmationem respondeo Philosophum intendere quantitatem, tempus, motum, conuenire quo ad diuisibilitatem, & hoc quod est non componi ex solis indiuisibilibus. Posset etiam responderi quòd neutrum illorum habet terminum præcisè, quatenus diuisibile

712 *Lib. VI. Physic. Quæst. II. Diffic. III. Art. IV.*

uisibile est. Ad secundam confirmationem negamus consequentiam, quia non fit transeundo punctum, sed transeundo spatium & partem diuisibilem, nunquam enim recedit à puncto nisi in tempore.

*Obiectio
sexta.*

Obiicies sextò, in motu datur prius & posterius, ex 4. *Physic.* sed ubi est prius & posterius, ibi est primum, ex 5. *Metaphys.* ergo in motu datur primum illud non est pars, cum quælibet sit diuisibilis in infinitum; ergo est mutatum esse. Respondeo in motu non dari prius & posterius secundum dependentiam, sed secundum successione[m], quoniam una pars motus non dependet ab aliquo mutato esse terminatio, neque ab alia parte; neutra enim est alia adueniente, quod arguit

Responso.

independentiam unius ab alia inexistencia. sic exponit Doctor illud Philosophi, Vbi est prius & posterius, ibi est primum.

Obiicies septimò, potest Deus creare calorem in hoc instanti in parte ligni tantum: pars autem calefacta ager tempore sequenti in partem vicinam, quia agens naturale applicato passo non potest non agere, in tali casu daretur primum mutatum esse, ante quod non est moueri; ergo in motu datur primum mutatum esse. Resp. ex num. 32. satis patere solutionem huius argumenti: vnde concessio casu negatur illam primam mutationem, qua introducitur calor, pertinere ad sequentem motum, cui tale instans est extrinsecum, & incipit in tempore.

LIBER

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.



NON defunt interpretes, qui opinentur hunc librum subreptitium, & non Aristotelicum esse, hoc solo ducti fundamento, quòd in hoc libro plura præscribuntur, quæ ad institutum octauæ libri spectare videntur: immeritò tamen, tum quia Simplicius, & Auerroës, quibus doctissimi ex antiquioribus subscribunt, vt Aristotelicum venerantur: tum etiam, quia Stylus, & doctrina cum reliquis libris satis consentit. In hoc ergo libro per quinque capita intendit Philosophus ordinem mouentium, mobilium, & motuum explicare, asserens primum mouens, & primum motum oportere esse, vt ipsi mouentia omnia, motusque subiaceant: deinde mouentia, & mobilia quoad celeritatem, & tarditatem inter se comparat.

In hoc libro communiter interpretes recentiores ex professo examinant, vt rùm graua, & leuia moueantur à se ipsis, an à generante. Sed de his commodius agemus in libris de generatione, explicata prius natura grauium, & leuium, influxuque agentium naturalium in ea: ibidemque dicemus cum Doctore in 2. d. 2. quæstione 10. §. *concedo*, num. 2. & 8.

Physic. quæst. 5. & 6. & 4. Physicor. quæst. 8. & 9. moueri à se ipsis, seu à principio intrinseco proximè, & per se. nam quamuis agentia productiua dent primum esse grauibus, & leuibus, ad quod per modum naturæ sequuntur naturales eorum motus, quod est fundamentum Thomistarum ad asserendum moueri à generante; tamen cum agentia extrinseca sint, deficientque, & cessent ab actione propria posito graui, seu leui in esse, hinc est quòd ipsi sicut & remouenti prohibens, solùm remotè tribuantur motus grauium, & leuium, proximè verò intrinsecis formis, quibus constituuntur.

Examinatur etiam comuniter in hoc libro, quæ conditiones requirantur ad agendum: sed omnes has explicabimus in libris de generatione, ibique dicemus contra Thomistas ad agendum non requiri, quòd agens, & passum sint contigua, sed sufficere, quòd passum sit intra determinatam spheram agentis, vt patet in sole generante aurum in visceribus terræ, & in aliis agentibus, qui attingunt effectus non immediatione potentia, sed virtutis, vt docet Doctor in 1. d. 17. quæst. vnic. & d. 37. §. *respondeo*, & alibi sapius.

*Disiunctio
totius li-
bri.*

*Quæ so-
lent ibi
tractari
ad libros
de gene-
ratione
remittun-
tur.*

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

*Diviso
totius li-
bri.*



N hoc octavo libro plura pertractat Philosophus per decem capita, in quibus de cœlorum motu, de primo motore, de mundi duratione, & eius principio, de impulsuque projectorum ex professo disputat. Nos vero à prolixitate, & inutili repetitione fugientes ad tractatum de cœlo, & mundo remittimus agendum de primo motore, de cœlorum motu, mundique productione. Et sicut motus naturales grauium, & leuium, eorumque principia intrinseca, & extrinseca septimo libro remisimus ad libros de generatione, in quibus naturam istorum, propriaque elementorum inclination, & insitus appetitus explicatur, sic etiam in præsentis tractatum de motu, & impulsu

*Sicã cõ-
muniter
ibi tra-
ctari cõ-
sueuerũt
ad libros
de cœlo
& mun-
do re-
mittun-
tur.*

projectorum, qui violentus est, ad eosdem libros reducimus. nam cum violentia sit à primo extrinseco passio non præbente inclinationem, ex libro 2. quaestione 1. difficultate 2. ignorata natura mobilium, seu quæ non præbent inclinationem, imò potius resistunt, non satis cognoscetur motus projectorum, qui violentus est, & ab extrinseco. Quibus imponimus finem Physicis quaestionibus: vtinam in laudem Crucifixi Redemptoris, illiusque candidis lilij sine spinis rosæ immaculatæ Deiparæ, vtriusque Seraphici Parentis Francisci, & Bonauenturæ, nostrique Complutensis Didaci, Antonij, Bernardini, &c. & in omnibus semper sub tutela, & correctione alinæ matris Ecclesiæ Romanæ.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium quæ in Physica continentur.

A

Absolutum.



ABSOLVTVM prius alio,
potest esse sine eo.

339

Accidens.

Accidens naturale po-
test creari à Deo independenter in
fieri à subiecto.

383.30

Actio, & Actus.

Actio generantis terminatur ad esse
indiuuidui.

352

Actio denominatur à termino adæ-
quato, & generatio est non ad re-
lationem tanquam ad terminum
ad quem.

397

Nequit demonstrari agens natu-
rale posse educere formam ex
materia.

451.12

Actio pro operatione, seu forma, qua
intellectus, & voluntas operari di-
cuntur.

470.41

Pro respectu producentis ad pro-
ductum.

ibid.

Pro respectu inducentis ad indu-
ctum.

ibid.

Pro respectu transmutantis ad
transmutatum.

ibid.

Pro re acta, vt importat respectum,
quem dicit esse ab alio.

ibid.

Potest considerari fundamentaliter
& formaliter.

ibid.42

Qualiter intelligatur actionem &

passionem esse idem in motu.
ibid.

Agere immediatione superpositi &
virtutis quid.

482

Agens vt agens ex mente Philosophi
non mutatur.

486.9

Agens non mutatur formaliter, & in-
trinsecè actione fundamentali.

488

Plures actus specie diuersi ab ea-
dem prodeunt voluntate.

528

Agens naturale an operetur propter
finem.

538

Proponitur quorundam antiquo-
rum error, & vera sententia ex-
plicatur.

ibid.

Duo agentia nequeunt naturaliter
penetrari.

558.18

Actio & passio comparatæ cum mo-
tu.

590

Actio, passio & motus qualiter ne-
stantur inter se.

591

Explicantur quorundam placita.
ibid.

Verior sententia enucleatur.

592

Vtrum actio, passio & motus se
habeant tanquã superius, & in-
ferius.

596.15

Actio prædicamentalis an subiectetur
in agente, vel in passo.

598

Explicantur opposita placita.

598

Agere an Deo conueniat.

601

Vtrum in creatione sit vera actio
& passio.

602

Actio immanens est vera actio phy-
sica, non prædicamentalis.

604

XXX x 3 Actus

INDEX

Actus & potentia sunt in eodem genere, & qualiter intelligendum sit. 454. & seq.
Explicatur verior sententia. *ibid.*

Appetitus.

Appetitus quid. 334.37
Non respicit bonum præsens, nec absens, sed connaturale. *ibid.*
Appetitus materiæ essentialis non fatiatur quacunque forma. 336.41

Auxilium.

Vide *Concurfus.*

Axiomata.

Propter quod vnumquodque, & illud magis, quomodo intelligendum sit. 357
Ex non quanto non fit quantum, qualiter intelligatur. 361

C

Calor.

Calor remissus relinquit subiectum in potentia negativa, non vero positiva. 582

Casus.

Vide *Fortuna.*

Causa, & Causalitas.

Causæ & effectus proportionantur, si genere, genere; si numero, numero. 348.
Causa physica quid, & quotuplex sit. 427.1
Quid causa per se. *ibid.* 2
Causa per se alia est efficiens, alia finalis, alia materialis, formalis alia. 429.5
Quælibet quatuor causarum est vera causa. *ibid.* 6
Causa exemplaris non differt ab efficienti. 430
Vtrum causa efficiens sit perfectior suo effectu. 431

Vtrum causalitas cuiusvis causæ sit absoluta, ad respectiva. Adducuntur aliqua auctorum placita, & explicantur. 432.

Explicatur verior sententia. 434.16

Ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu. *ibid.*

Cuiusvis causæ causalitas realiter à suo principio distinguitur. 436.20

Causa materialis quid. 439.1

Causa materialis latius patet, quam materia prima. 440

Causa formalis quid. *ibid.* 3

Causæ materialis & formalis effectus qui. *ibid.* 5

Causa formalis vnico gaudet effectu. 441.6

Causa efficiens non dicitur primum principium comparata ad alias causas. 446.5

In ordine ad compositum causa efficiens est prior. 447.2

Causa efficiens alia est per se, alia per accidens. 447.3

Alia physica, alia moralis. *ibid.*

Physica rursus alia est principalis, alia instrumentalis. *ibid.* 4

Deinde principalis alia totalis, alia partialis. 448

Item causa alia est prima, alia secunda. *ibid.* 5

Alia vniuoca, alia æquiuoca. *ibid.*

Causæ secundæ an aliquid efficiant. Explicantur aliqua Philosophorum placita. *ibid.*

Explicatur vera sententia. 449.9

Si causæ secundæ nihil producant, tollitur liber hominis consensus. *ibid.*

Vtrum causa efficiens substantialis per aliquod principium substantiale, an accidentale producat. 452

Explicantur diuersa Philosophorum placita. 453

Influ.

R E R V M.

- Influxus causæ efficientis realiter differt à suo principio. 468
- Expenduntur diuersa Philosophorum placita circa causalitatem efficientis. ibid.
- Explicatur verior, & sequenda sententia. 470
- Dependentia causæ secundæ à prima, & de modo, quo prima cum secunda concurrat. 481
- Causa prima præmouet & determinat secundam. 488
- Qualiter causa secunda primam determinet. 489
- Dependentia secundæ causæ à prima in operando non saluatur sufficienter concursu concomitanti & simultaneo. 490
- Vtrum iste concursus præmouens & determinans secundam causam sit aliqua qualitas physica, vel solam influxus Dei. ibid.
- Diuinus concursus communicat unitatem operandi, quatenus communis, & vniuersalis: in eodem diuino concursu distinguimus rationem præmouentis à ratione concomitantis. 491
- Qualiter diuinus concursus dicatur præmouens, & prior causalitate secundæ. 494
- Concursus Dei in quocunque actu est prior prioritate perfectionis. 495.23
- Qualiter Deus præmoueat causas secundas. 496.26
- Connaturaliori modo determinat Deus secundas causas moraliter, quàm qualitate physica. 498
- Qualiter Deus ad effectus causæ materialis & formalis concurrat. ibid.
- Explicantur diuersa quorundam recentiorum placita. 499.29
- Explicatur sententia auctoris. 501
- Qualiter Deus cum causis materialibus & formalibus concurrat. 501
- Qualiter conseruet formam sine materia, & accidens sine subiecto. 502
- Causa principalis & instrumentalis differunt. 503
- Omnis causa cõtinet in virtute effectum. 504.4
- Explicantur diuersa Philosophorum placita. 505.5
- Sententia auctoris. 507.10
- Causa finalis. 520
- Causa exemplaris. 540
- Exemplar idem apud Philosophos, quod apud Theologos idea. 541
- Causarum computatio tam inter se, quàm cum effectibus. 552
- Causæ inter se habeantne aliquam prioritatem quoad perfectionem, & existentiam. ibid.
- Vtrum causæ sibi inuicem sint quantum ad entitatem. 554
- An quoad causalitatem. 555
- An omnes causæ in suo genere sint priores, vel vna sit prior alia in causando. 556
- Vtrum idem effectus possit simul produci à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis. Explicantur quorundam placita. ibid.13. & seq.
- Verior sententia explicatur, & refutantur oppositæ. 558.r8
- Causalitas fundamentalis quid. 442. 471.43
- Ad absolutum in causa, consequitur absolutum in effectu. ibid.
- Causalitas formalis quid. ibid.
- Christus Dom.*
- Humanitas Christi in sententia Thomistarum existit existentia Verbi. 345.60
- Verbum

INDEX

- Verbum diuinum potest immediatè assumere materiam primam. *ibid.*
- Caelum.*
- Caelum, & alia composita quæ creantur, non fiunt ex priuatione. 316
- Caelum largo modo creati dicitur. 379
- Concretum.*
- Multiplicatio concretorum pro-
uenit ex multiplicatione suppo-
sitorum. 386.37
- Concretum non numeratur ad so-
lam numerationem formæ. 626
- Concursus.*
- Auxilium, & concursus diuinus
non idem significant. 481
- Dei concursus, seu influxus dupli-
citer potest intelligi. 482
- Concursus alius naturalis, alius su-
pernaturalis. *ibid.*
- Concursus vniuersalis, & specialis
quid. *ibid.*
- An Deus non solum, concurrat
cum causis secundis necessariis,
sed etiam ad agendum præmo-
ueat. 486
- Deus concurrat cum causis secun-
dis. 483.4
- Nec esset omnipotens, nec omnipo-
tens, si non produceret imme-
diatè nostros actus, vel nobis-
cum concurreret. 484
- Deus an attingat effectus creatu-
rarum immediatione virtutis,
sive suppositi. 485
- Vide verbo *Causa.*
- Contentum.*
- Variato contento, variatur conti-
nere innariato continente. 626
- Continuum.*
- Continuum successiuum non est pro-
ducibile. 673.2
- Continuum & contiguum quomodo
distinguantur. 676.1
- Continuum aliud permanens, aliud
successiuum. *ibid.*
- Denturne indiuisibilia vera & po-
sitiua, tam continuatiua, quam
terminatiua in continuo. *ibid.*
- Proponuntur diuersa Philosopho-
rum placita. 677
- Verior Doctoris sententia proba-
tur. 678
- in Continuo dantur indiuisibilia con-
tinuatiua. *ibid.* 4
- Dantur non solum indiuisibilia
continuatiua, sed etiam termi-
natiua. 579.5
- Hæc omnia indiuisibilia sunt verè
entia realia, & non tantum ne-
gationes, seu priuationes vlti-
rioris extensionis. 680.6
- Vtrum continuum componatur ex
solis indiuisibilibus. 684
- Sententia communis & vera pro-
fertur. *ibid.* 12
- Proponuntur Stoicorum argumen-
ta, & dissoluantur. 688.21
- Qualiter continuum componatur
ex partibus & indiuisibilibus.
689
- Indiuisibilia non sunt idem cum
partibus realiter. 690
- Indiuisibilia se ipsis sunt actuales
vniões & terminationes par-
tium. *ibid.* 24
- Probabile indiuisibilia dici res &
modos. 691.25
- Indiuisibilia sunt quid absolutum
non relatiuum. *ibid.* 26
- Qualiter sint partes & indiuisibilia
in continuo. *ibid.* 27
- Partes continui aliæ sunt aliquo-
tæ, aliæ proportionales. 692.28
- Vtrum partes proportionales sint
actu infinitæ. 694.30
- Corpus.*
- Corpus naturale de predicamento
substantiæ, est obiectum totius Phi-
losophiæ. 308.6
- Idem.*

Idem numero corpus assumendum
esse in resurrectione nouissima,
Patres asserunt. 350
Duo corpora penetrari quid sit de
Scoti mente. 633
Duorum corporum penetratio, est
priuatio mutuz expulsionis. ib.
Duo corpora sunt in eodem loco
materiali tantum. 634
Duo corpora penetrata videri ne-
queunt. ibid. 21
An per supernaturalem poten-
tiam idem numero corpus à duo-
bus locis adæquatis possit cir-
cumscribi. 635
Proponitur & impugnatur Tho-
mistarum sententia. ibid.
Verior sententia Doctoris expli-
catur. 638
Obiectiones proponuntur, & eno-
dantur. 639
Corpus vnicum & modicum est idem
numero. 670

Corruptibilitas.

Corruptibilitas non est formalis ra-
tio obiecti Physicæ, sed aliqua pas-
sio in hac scientia probanda, si
Physicus solam agat de corrupti-
bilibus. 308.5

Creatura.

Creatura nequit ex nihilo produci.
380

D

Definitio.

Definitio debet esse oratio longa.
354

Deus.

Deus quidquid facit per causam se-
cundam, potest facere per se, si
causa non sit de essentia causati.
339

Deus nec componitur, nec compo-
nere potest. 374

Duratio.

Duratio rerum quid & quoruplex.
656
Triplex est mensura rerum, & di-
uiditur in æternitatem, æuum &
tempus. ibid. 10
Duratio rursus alia est intrinseca, alia
extrinseca. ibid.
Æternitas, æuum, & tempus qua-
liter differant. 657
Qua mensura durationis mensu-
rentur substantiæ corporeæ &
corruptibiles. 658
Verior sententia. 659

E

Effectus.

Effectus idem numero an ab vno
agente productus potuisset
produci ab alio. 565
Explicatur sententia negans, & affir-
mans defenditur. ibid. 34
Vnititas effectus non dependet ab
vnitate loci, & temporis. 569
Effectus nequeunt intrinsece à termi-
no à quo specificari. 669.4

Elementum.

Elementum non est nomen naturæ,
sed contrarietatis. 373

Ens, Entitas.

Ens multis modis dicitur secundum
Philosophum. 360
Ens non dicitur vniuocè de ente reali
& rationis. 370.5
Ens successiuum quid. 655
Ens successiuum importat negatio-
nem præsentis simultaneæ par-
tium. ibid.
Entitates corruptibiles mensurantur
æuo. 660

Exemplar.

Exemplar idem apud Philosophos,
quod idea apud Theologos. 541
Exemplar an sit. ibid.

Exemplar aliud internum, aliud exter-
num. ibid. 2
 Exemplar quid. 542.4
 An exemplar formaliter, an obie-
ctiuè sit in intellectu. 543.5
 Explicatur quorundam Philoso-
phorum placitum. ibid. 6
 Verior sententia. 345.12
 Quæ sit causalitas exemplaris cau-
sæ, & ad quod genus causæ re-
ducatur. 547
 Exemplar causat mouendo efficiens
ad opus externum producendum.
548.17
 Causalitas causæ exemplaris cen-
senda est metaphorica. ibid.
18
 Terminus causæ finalis est exem-
platum. ibid. 19
 Exemplaris causa non reducitur ad
causam materialem, nec formam.
549.20
 Ad formalem potius, quàm effi-
cientem pertinet. ibid. 21
 Exemplar ad causam efficientem per-
tinet. 550.23

Existentia.

Existentia quid sit. 330.26

F

Fatum.

Fatum quid, & quotuplex sit. 576
 Refelluntur quorundam Philoso-
phorum errores. ibid. 18
 Fati necessitas lædit libertatem. 577
 Fati natura quæ. ibid. 21
 Fatum formaliter dicit relationem.
578
 Fatum & fortuna qualiter differant.
ibid.

Finis.

Finis quid, & quotuplex sit. 521
 Finis cui, & finis qui, quid. ibid.
 Finis obiectiuus quid, & quid for-
malis. ibid.

Finis vltimus, & non vltimus quid.
ibid.

Ex fine formali & obiectiuo vnus
integer conflat. ibid.

Finis cui, & cuius, sunt verè fines.
521.3

Finis cui, semper est perfectior fine
cuius, in ratione finalizandi, non
autem in ratione entis. ibid.

Quid sit ratio formalis cõstitutiuæ
finis in actu primo. 522

Finis est vera causa. 523.6

Causalitas finis est metaphorica.
ibid. 7

Causalitas finis quæ. 524

Proponuntur diuersa Philosopho-
rum placita. 525.12

Explicatur sententia auctoris. 526

Vtrum finis scandalizet actus circa
media, vel circa amorem sui. 528

Proponitur quorundam sententia,
& explicatur sententia auctoris.
ibid.

Vtrum dentur aliqui fines inter-
medij. 534

Apprehensio finis sitne ratio for-
malis mouendi voluntatem, vel
solum conditio. 535

Adducuntur quorundam senten-
tie, & explicatur sententia aucto-
ris. ibid.

Finis quatenus efficit specificat ex-
trinsecè. 538

Finis non finalizat nisi cognitus. 539.

41

Triplex potest operari propter
finem. ibid.

Forma.

Forma non fit propriè ex priuatione,
sed compositum. 315

Forma est terminus quo generationis,
compositum quod. 318.9

Formam & priuationem primò con-
traria Philosophus existimat. 319

Forma magis cognoscibilis est quàm
mate

- materia. 353
- Forma diuersis nominibus à Philosophis decoratur. 371.1
- Appellatur species. ibid.
- Dicitur quod quid erat esse. ibid.
- Dicitur actus. ibid.
- Dicitur proles & terminus. 372
- Dicitur exemplar, & character. ib.
- Formam quid diuinum appellauit Philosophus. ibid.
- Forma vna est expers materiæ, & particeps intelligentiæ, quod vocant exemplar, ideam per se ens: altera materiæ coniuncta, quã appellant similitudinem, vel imaginẽ. ibid.2
- Deinde forma alia est artificialis, alia naturalis. ibid.
- Rursus hæc est vel substantialis, vel accidentalis. ibid.
- Substantialis alia informans, alia assistens. ibid.
- Deinde forma informans alia separatur à materia, aliæ nequeunt naturaliter separari. ibid.2
- Dari formas substantiales pluribus rationibus ostenditur. 373
- Si auferantur formæ substantiales, homo non est essentialiter homo. ibid.
- Formæ substantiales educantur de potentia materiæ. 374
- Educi de potentia materiæ dicitur habitudinem causæ materialis, non efficientis. ibid.
- Ad educationem sufficit potentia materialiter receptiua. 375
- Angeli nequeunt formas substantiales producere. 376
- An formæ cælorum & elementorum educatæ fuerint de potentia materiæ in prima mundi conditione. 377
- Formæ cælorum non producuntur per veram creationem. 378.16
- Productio istius formæ non debet dici rigorosè generatio, sed largi-
go modo creata. ibid.17
- Formæ cælorum non fuerunt con-
creatæ ad creationẽ totius. ibid.18
- Vt formæ substantiales educantur
ex materia, sufficit hanc prius
natura supponi. 379.20
- Formæ accidentales aliæ sunt natura-
les, aliæ supernaturales, aliæ artifi-
ciales. 379
- Formæ naturales materiales educun-
tur de potentia totius. 380.21
- Formæ artificiales educuntur de po-
tentia suorum subiectorum. ibid.22
- Actus supernaturales de potentia
suorum subiectorum. ibid.23
- Habitus supernaturales non edu-
cuntur de potentia suorum sub-
iectorum. ibid.24
- Sufficit potentia neutra ad edu-
ctionem. 381
- Dux formæ accidentales possunt
esse in eodem subiecto. 383
- Dux formæ substantiales non sub-
ordinatæ nequeunt naturaliter
eandem numero informare ma-
teriam. 384.31
- Apponuntur sententiæ contrario-
rum, & auctoris. ibid.32
- Obiiciuntur argumenta appositæ
sententiæ, & enodantur. 386.37
- Vna forma possitne duplicem in-
formare materiam supernatu-
raliter. 387.40
- Dux formæ accidentales absolute
possintne esse in eodem sub-
iecto. 388.43
- Forma naturalis, & artificialis diffe-
runt. 415.9
- Forma artificialis quid. 416.11
- Effectus formalis primarius for-
mæ an possit suppleri à Deo.
443.11
- Deus nec potest informare, nec
inhærere. ibid.
- Vtrum possit Deus impedire effe-
ctum primarium, & secunda-
rium

INDEX

rium formæ.	444		
In quo genere causæ cum forma expellat aliam.	445	quem.	408
Qualiter forma quæ introducitur, expellenda sit simul.	446	Vt animal dicatur generans, suffi- cit quòd medio semine effectû dispositiuè attingat.	517
Forma substantialis substantialiter influit in alias substantiales for- mas.	456	<i>Genus.</i>	
Producit qualitates ab ipsa imme- diatè promanantes.	458	Determinans sibi genus, determi- nat sibi speciem eius.	339
Enodantur aliqua dubia ad maio- rem huius difficultatis intelli- gentiam.	459	H	
Formæ accidentales à subiecto sepa- ratæ, sunt verè actiuæ.	463	<i>Homo.</i>	
Forma triplex, alia ex qua, alia à qua, alia ad quam.	542	H omo habet quidditatem per se primò; hic homo per se se- cundò: homo autem existens per accidens generaliter.	354

Fortuna.

Respectu Angelorum dantur effe- ctus fortuiti.	572.6
Respectu orbium cœlestium dan- tur effectus fortuiti.	ibid.7
Fortuna quid sit.	572.8
Fortuna & casus differunt.	573
Fortuna multifariam accipitur.	ibid.
Fortuna, de causa principali remota.	ibid.
De influentia cœli.	ibid.
De causa principali immediata.	ibid.
De dispositione.	ibid.
De effectu intento.	ibid.
Ad quod genus causæ fortuna & casus reducantur.	574.13
Fortuna non est causa totalis effectus.	575.16
Nihil est intrinsecum in homine, propter quod possit dici bonè, vel malè fortunatus.	575.17

G

Generatio.

Generatio non est per se ad res-
pectum vt ad terminam ad

I

Identitas.

Idem in quantum idem, semper est
naturum facere idem.
 390.3 |

Ignis.

Ignis ex ligno fit per accidens.	317.7
Ignis non existens qualiter corrupti- bilis.	352
Ignis qualiter ex Philosopho agat vt calidus.	317.34

Indivisibile.

Indivisibile possitne incipere in tem- pore.	709.27
Cum indivisibilitate propria com- patitur diuisibilitas téporalis:ib.	

Infinisum.

Infinisum aliud secundum essentiam, aliud per participationem.	604.1
Infinisum secundum intensionem, & extensionem.	ibid.
Infinisum in potentia, & infinisum in actu.	605
Infinisum quid ex Philosopho, & Doctore.	ibid.2
Infinisum in actu quadrifariam acci- pitur.	606
Infinisum in potentia triplex.	ibid.
Infini	

Infinitem in actu an possit dari per vires naturæ. *ibid.*
 Explicatur sententia communis. *ibid.*
 In quolibet continuo sunt infinitæ partes, & infinita puncta. 607.5
 Infinita potentia solum respicit possibile. 608
 Dari posse diuinitus infinitum in actu, docent aliqui Doctores. *ibidem* 7. Negant alij. *ibid.*
 Omnes Philosophi negant possibile esse infinitum secundum essentiam. 609.3
 Ens infinitum per essentiam non ponitur in prædicamento. *ibidem.*
 Infinitum per essentiam non est componibile. *ibid.*
 Verum vnum infinitum sit maius alio. 610
 Infinitum materialiter & formaliter. *ibid.*
 Vnum infinitum materialiter extrinsecè potest excedi ab alio. 611
 Infinitum est indiuisibile formaliter, non autem materialiter. *ibid.*
 Verum possint dari infinita actu indiuidua. 612
 Quid denotet infinitum esse factibile vnica factione. 614
 Non est contra rationem infiniti creati quòd aliqua eius pars materialis possit assignari. *ibidem.*
 Quamuis Deus produceret omne possibile, non exerceretur eius omnipotentia. *ibid.*
 Possitne dari infinitum secundum intensionem. *ibid.* 17
 Qualitates habent terminum suæ intensionis. *ibid.*

Cur qualitas non possit infinite augeri secundum intensionem, quantitas verò sit in infinitum diuisibile. 617

Repugnat infinita multitudo specierum. *ibid.* 18

Possitne dari infinitum in actu secundum magnitudinem. *ibid.*

Non est inconueniens quòd eadem circumferentia infinita sint plures distantie infinitæ. 618

Infinita mensura potest excedi materialiter. 619

Si daretur infinita magnitudo posset moueri. *ibid.*

Probabile est quòd quantitas infinita haberet figuram. *ibid.*

Non repugnat qualitas infinita secundum extensionem. *ibid.*

Si daretur linea infinita, poneretur in prædicamento. 620

An Deus cognoscat infinitum. *ibid.*

In Deo est scientia visionis & simplicis intelligentiæ. *ibid.*

Quamuis infinitum esset impossibile, cognosceretur à Deo scientia simplicis intelligentiæ. 620.22

Instrumentum.

Instrumentorum multiplex acceptio. 503.
 Quandoque extenditur ad causam secundam. *ibid.*
 Dicitur causa disponens subiectum ad introductionem formæ principalis. *ibid.*
 Pars, vel organum dicitur instrumentum, per quod totum agit. *ibid.*
 Dicitur instrumentum sicut instrumentum in arte. *ibid.*
 Instrumentum ad genus causæ efficientis spectat. 504
 Motio

Motio quasi moralis principalis
causa non sufficit ad determi-
nandum instrumentum. 508
An in instrumento sit aliqua virtus
propria actiue influens, distin-
cta ab illa, qua communicatur
ab agente. 510
Explicatur sententia Angelici Do-
ctoris, & impugnatur. ibid.
Verior sententia explicatur. 512
Omnis actio instrumenti est in vir-
tute principalis agentis. ibid.
An dentur physica instrumenta
naturalia proprie & rigorose.
514.29
Expenditur opinio affirmans, &
negans defenditur. ibidem
30
Vtrum diuinitus dari possint in-
strumenta naturalia. 518

tera in ordine ad polos mundi,
altera in ordine ad locum actua-
litate mensurantem. 626
Quibus rebus conueniat esse in
loco. ibid.
Nullum corpus necessario, & ab in-
trinseco est in loco. ibid.
Deo repugnat esse in loco diffini-
titiue, aut circumscriptiue.
627
Nulla entia spiritualia, aut non
quanta valent loco circumscri-
bi, bene tamen definiri. ibid.
Vtrum diuinitus possint duo cor-
pora eundem numero locum
occupare. 630
Proponitur placitum Durandi, &
refellitur. ibid.
Vera & communis sententia pro-
batur. 633

L

Locus.

Locus alius est actiuus, alius pas-
siuus. 588.19
Locus quid sit. 622
Locus est concretum accidentale.
623
Locus importat in recto continen-
tiam, connotando in obliquo su-
perficiem. ibid.
Definitio loci non est per genus &
differentiam. ibid.
Locus est in rigore & presse accipien-
dus. ibid.
Locus non est materia, aut forma.
ibid.
Non est interuallum. ibid.
Qualiter locus sit immobilis pri-
mo. 624
Locus est immobilis secundum equi-
ualentiam. 625
Duplex presentia cuiuslibet cor-
pori locato est adscribenda, al-

M

Materia.

Materia & forma reduciue so-
lum & ad casus ponuntur in
predicamento substantiae. 315.2
Materia & forma solum relatiue op-
ponuntur. 318.10
Materia pro omni illo quod est sub-
iectum alterius. 319.1
Pro materia, ex qua aliqua compo-
nuntur. ibid.
Deinde alia est materia in qua, alia
prima, alia secunda. ibid.
Materia prima est ens reale. 320.
4
Est pars essentialis compositi sub-
stantialis. 321.5
Materia & forma sunt prima diuersa.
ibid.6
Materia prima est vna tantum. 322.
8
Est substantia incompleta. ibidem
9

Non

R E R V M.

- Non conflatur de pluribus corpufculis. ibid. 10
- Non componitur ex potentia & forma fubftantiali. ibid. 11
- Fuit producta per creationem. 323. 13
- Materia pluribus nominibus à Philofophis appellatur. 324
- Materia prima habet actum entitativum. 325. 17
- Componitur metaphyficè, non phyficè. 328. 22
- Actus entitativus materiæ, & existentiz eiusdem funt omnino idem. 329. 25
- Habet existentiam non diftinctam ab actu entitativo eiusdem. 330. 27
- An materia æqualiter appetat omnes formas. 335. 40
- Materia diuinitus potefteffe fine forma. 338. 47
- Prius origine creatur materia, quàm forma. 339
- Materia prima non eft fub genere fubftantiz. 341. 51
- Habet idem. 343. 56
- Deus habet actionem in materiam. ibid.
- Verbum diuinum potefteffe immediate affumere materiam primam. 345. 60
- Materia prima nequit efteffe fine dependentia à Deo. 346. 62
- Materia fine forma effer in loco definitiue. ibid. 63
- Materia prima fine omni forma haberet partes entitativas fubftantiales. ibid.
- Si materia non eft in genere faltem reductiue, vel eft Deus, vel nihil. 348
- Materia quando fit caufa corruptionis. 351
- Materia, vt eft principium potentiale eius, cuius eft. 352
- De efteffe fimul totius. ibid.
- Vt contrahitur per accidens. ibid.
- Materia prima, & materia arte factorum affimilatur in indifferentia. 355
- Materia prima an fit radix corruptionis. 356. 83
- Materia cæli appetit omnes formas. 357. 86
- Materia prima non eft in loco. 360
- Materia feclufa habet partes entitativas. 361
- Materia aliquo modo potefteffe dici genita, aut corrupta, improprie rationem. 367. 103
- Materia prima in multis conuenit cum genere. ibid. 105
- Materia & genus in multis differunt. ibid.
- Materia & priuatio funt vnum numero fubiectiue. 370. 4
- Anima rationalis nec in fieri, nec in conferuari à materia dependet. 377
- Media.*
- Media an funt obiecta per fe, & formalia voluntatis. 531
- Monftrum.*
- Monftrum quid. 540
- Motus.*
- Mobile, nomen ambiguum. 309. 8
- Nec motus, nec quies conueniunt naturaliter cælo. 413
- Motus in communi quid. 580
- Motum ante mobile duas habet potentias paffiuas fubordinatas. 581
- Actus mobilis alius perfectus, alius imperfectus. ibid.
- Motus

I N D E X

- Motus pro forma fluente, & pro fluxu formæ quid. 585.13
 Proponuntur quorundam placita, & verior sententia explicatur. 586.14
 Motus distinguitur realiter à mobili. 587.17
 Motus ad nullum prædicamentum per se spectat. 589.20
 Non omnis relatio extrinsecus adueniens per se terminat motum. 594
 Successio, velocitas, & tarditas in motu, ex diuisibilitate spatij accipiuntur. 650
 An motus in vacuo fieret in instanti, vel in tempore. 651
 Expeditur Auerroistarum sententia, & verior ac sequenda stabilitur. ibid. 10
 Verior sententia. ibid.
 Cur motus cœlestis successiuus sit. ibid.
 Motus vsus quintuplex. 659
 Motus vnitas & contrarietas. 668
 Motus vnde sumat vnitatem specificam. ibid.
 Motus pro forma fluenti à termino ad quem specificatur indefectibiliter. ibid. 2
 Motus iste pro forma fluenti non specificatur necessariò, sed solum contingenter à termino à quo. 669.
 3
 Motus pro fluxu formæ non specificatur à termino à quo. ibidem
 4
 Tria requiruntur ad vnitatem numericam motus. 670.6
 Motus vnde sumat contrarietatem. 671.9
 Motus pro quavis receptione alicuius in subiecto. 672
 Pro viâ, qua subiectum transit à termino à quo ad terminum ad quem, siue instantaneè, siue successiuè. ibidem.
 Pro viâ successiuè consumente tempus. ibid.
 Qui requirantur vt detur motus per se ad aliquid. ibid. 1
 Terminus formalis & per se motus localis est quid absolutum. ibidem.
 Esse absolutum non variatur per respectum. ibid.
 Motus an possit fieri diuinitus in instanti. 697
 Vera & communis explicatur sententia. ibid.
 Non potest dari motus propriè dictus & successiuus in instanti. ibid. 2
 Tota realitas motus, seu formæ fluentis, aut quæ successiuè per vires naturales producitur, potest fieri in instanti. 698.3
 Causa creata potest coagere Deo ad producendum in instanti effectum quemcum cœkursu causarum secundarum, posset tantum in tempore & successiuè producere. ibid. 4
 Vtrum indiuisibile separatim posset successiuè moueri. 700.8
 Explicatur verior sententia, & quorundam placitum proponitur. 701.9
 Vtrum detur primam & vltimum mutatum esse in motu. 705.17
 Versus initium non datur primum mutatum esse motus, qui præcedat moueri, nec primum moueri, qui præcedat mutatum esse in infinitum. 706.19
 Versus finem datur vltimum mutatum esse terminum motus. ibid. 20
 Regulæ quibus explicantur omnium

nium rerum inceptions & definitiones. 707. 22

Mutatio.

Mutatio & productio separabiles. 379
 Mutatio trifariam usurpatur. 582. 5
 Usurpatur prout extenditur ad quamcunque spirituales actionem, seu dependentem à materia. *ibid.*
 Pro mutationibus instantaneis, à materia tamen dependentibus. *ibid.*
 Pro motu successivo. *ibid.*
 Proponitur quorundam placitum, & explicatur placitum authoris. *ibid.* 6
 Mutatio est actus entis in potentia secundum quod in potentia. 583
 Mutationes quæ sunt actus rei perfectæ non comprehenduntur sub definitione motus. 584. 10

N

Natura.

Natura, pro mente diuina. 412.
 Pro essentia, & quidditate rei. *ibid.*
 Pro ordine rerum naturalium, vel causarum. *ibid.*
 Pro viuientium generatione. *ibid.*
 Natura quid sit. 413. 2
 Materia est minus natura, quam forma. 422
 Contingit naturæ quod possit pati violentiis. 423
 Forma est natura quatenus principium passiuum. 423
 Vtrum priuatio sit natura. 424. 26
 Anima rationalis an habeat rationem naturæ. *ibid.* 27

Vtrum forma totius dicatur natura. 425. 31

Naturale.

Naturale aliud est prout distinguitur contra supernaturale, aliud prout distinguitur contra violentum. 306. 1
 Pro eo quod alicui à maturitate conuenit. *ibid.*
 Pro essentia cuiuscunque rei. *ibid.*
 Prout distinguitur contra liberum. *ibid.*
 Quatenus distinguitur contra artificialitate. *ibid.*
 Naturale æquiuocè accipitur, & tripliciter. 417. 13

Numerus.

Numerus materialiter non pertinet ad prædicamentum quantitatis, quando entitates quæ numerantur non sunt quantitates. 613
 Probabile formam numeri constituere speciem quantitatis. 614

O

Obiectum.

Obiectum Philosophiæ melius explicatur per corpus naturale, quam per ens mobile. 309. 7
 Obiectum non specificat quatenus mouens, sed quatenus terminans. 537
 Obiectum terminatiuum qualiter specificet actus. 538

P

Passio.

Passiones non differunt realiter ab essentia. 475. 49
 ZZZZ No4

I N D E X

- Non dicuntur terminus formalis generationis. 476. 52
- Penetratio.*
- Penetratio naturaliter est impossibilis, supernaturaliter possibilis. 629
- Per se*, bifariam intelligitur. 567
- Philosophia.*
- Philosophia pro omnium scientiarum, tam practicarum, quam speculatiuarum aggregatione. 305
- Pro veritatis contemplatione. ibidem.
- Pro rerum naturalium scientia. ibid.
- Philosophia est utilis Metaphysicæ, & medicinæ. 313. 15
- Mirabiles excitat voluptates. ibidem.
- Physica.*
- Physicus agit de corruptibilibus. 208.
- 5
- Physica est verè & propriè scientia. 311
- Est scientia speculatiua. 312. 13
- Non est vna simplex qualitas. ibidem.
- Est vna scientia. ibid. 14.
- Posterius.*
- Posterius nequit specificare quod ipsi realiter antecedit. 365
- Potentia.*
- Potentia alia subiectiua, alia obiectiua. 324. 15
- Potentia subiectiua an sit de essentia materiæ. apponuntur variæ sententiæ. 332
- Potentia ordinata quid, & quid absolutata. 337. 43
- Potentia alia sequuntur formam, alia compositum. 463. 31
- Potentia formaliter à suo subiecto differunt. 465
- Identificantur realiter cum entitatibus à quibus promanant. 465
- Qualiter potentia distinguantur per actus. 466
- Non quæuis potentia est in secunda specie qualitatis. ibid.
- Potentia identificant sibi respectus ad actus & obiecta. 467
- Quæuis potentia duplici diuerso respectu respicit obiectum. 458
- Quæuis potentia intellectualis effectiua partialiter elicit actus supernaturales. 508
- Prædicatum.*
- Prædicata superiora & inferiora ex natura rei solum differunt. 597
- Principium.*
- Principia quid. 314
- Principia entis naturalis exactè à Philosopho definiuntur. ibid. 1
- Principia entis corporei naturalis in facto esse sunt duo. 317
- In fieri tria. ibid. 5
- Principium vniuocè prædicatur de materia, forma, & priuatione, non tamen est vniuocum prædicatum. 371
- Principium passiuum naturale non respicit agens creatum præcisè, sed agens naturaliter. 377
- Prioritas.*
- Prioritarum quinque genera. 436. 21
- Prioritas temporis quæ. ibid.
- Prioritas ex natura rei, seu realitatum quid. 437. 23
- Priori

R E R V M.

Prioritas originis quæ. *ibid.* 24
Prioritas causalitatis quid. 438.

25

Privatio.

Privatio, pro carentia formæ, in subiecto apto ad habendam illam secundum rationem superiorem. 369.1

Pro carentia formæ, quam subiectum natum est habere secundum rationem genericam. *ibid.*

Pro carentia formæ, quam quis potest habere pro tali tempore, non tamen secundum speciem suam. *ibid.*

Pro carentia formæ, quam potest aliquis habere, secundum suam naturam, & secundum tempus à natura statutum. *ibid.*

Privatio quid sit. *ibid.*

Tot sunt privationes in materia, quot possunt esse formæ. *ibid.*

Quæ possunt separari realiter differunt. 370.4

Materia & privatio sunt unum numero subiectivè. *ibid.*

Productio.

Producere Dei formaliter est respectu rationis. 469

Principaliter est respectu formarum viventium. 517

Mater nequit principaliter attingere productionem formæ. 518

Q

Quantitas.

Quantitas terminata, & interminata quæ. 358

Quantitas non est forma productiva. 362

Resultat ex entitate compositi. 362

Magis propriè comparatur ad materiam, quàm ad formam. *ibid.*

Quantitas est primarius terminus augmentationis, non generationis. 479

Quid requiratur ad rationem termini secundarij. *ibid.*

Quantitas discreta est nobis notior quantitate continua. 654

Quies.

Quies qualiter incipiat. 709. 29

R

Relatio.

Relationes prædicamentales qualiter dicantur verè effici. 480

Relationes qualiter incipiant & desinant. 709.28

Res.

Res & realitas differunt. 347.64

Nomen *res* latissimè usurpatur. 536

Respectus.

Nullus respectus est essentialis alicui absoluto. 414

S

Simul.

Simul totum, pro composito vltimate contracto. 352

Pro composito vniuersali. *ibid.*

& pro indiuiduo substantiæ compositæ. *ibid.*

Rursus pro indiuiduo substantiæ materialis. *ibid.*

Z Z Z z z

Species.

INDEX

Species.

- Species pro forma, quæ est altera pars rei compositæ. 351
 Pro forma totius. ibid.
 Pro vniuersali abstracto. ibid.
 Plures species phantasticæ sunt in eodem organo. 389
 Species non inhæret quatenus species, sed quatenus accidens. 462

Subiectum.

- Subiectum debet poni in scientia. 307. 3.

Substantia.

- Substantia sensibilis est obiectum Philosophiæ. 307.4
 Substantia pro notiori parte definitionis. 354
 Substantia præcedit omne accidens. 359
 Substantiæ materiales nequeunt substantiam completam producere. 451.11
 Substantiæ spirituales nequeunt formas substantiales producere. ibid. 13
 Substantia materialis, aut materia prima, quantitate datæ nequeunt loco circumscribi. 627
 Vltima sphaera non locatur, sed locat. 628
 Duo corpora sunt in eodem loco impossibilia. ibid.2
 Substantia per accidens produci- tur successiuè. 673. 2

T

Tempus.

- T**empus sitne ens reale. 653
 Proponitur aliquorum negatiua sententia, & affirmatiua vt

terior sententia. ibidem.
 Fit satis fundamentis aduersa- riorum. 654

Quare Philosophus vocet tempus vtrumque ens. ibid.4

De tempore non habemus nisi nunc. ibid.

Tempus qualiter dicatur præsens. ibid.5

Continuum successiuum constat partibus indiuisibilibus copu- latis. 655

Tempus præsens quid sit. ibid.
 De tempore non habemus nisi nunc explicatur. 656

Fluxus formæ mensurantur tem- pore. 660

Possit Deus creare substantiam corruptibilem sine omni tem- pore. ibid.

Res corruptibiles non mensuran- tur intrinsecè senectute, aut ætate. 661

Esse substantiale non patitur in- trinsecè à tempore. ibid.

Tempus qualiter à motu distingua- tur. ibid.

An saltem formaliter tempus di- stinguatur à motu. 664

Tempus & motus sunt idem forma- liter. ibid.

Non omnium temporalium est vnum extrinsecum tempus. 665. 29

Æuum est idem formaliter rebus permanentibus. ibid.

Omnia entia vnico tempore men- surantur extrinsecè. ibid.

Tempus cur dicatur passio motus. ibid.

Tenebra.

Tenebræ non percipiuntur à sensu. 369.8

Totum.

Totum dicitur entitatem absolutam aliam ab entitate partium. 403.8

Totum

Totum distinguitur à partibus vnitis
sicut includens, & inclusum. 404.

10

An sit entitas simplex, vel compo-
sita. 407.16

Totum inadæquatè differt à partibus
vnitis. 409

Totum mutué differt à partibus vni-
tis ibid.

Totum integrale quid. 410.22

Quid totum per accidens. ibid.

24

Totum physicum realiter differt à
partibus simul sumptis, & vnitis,
& qualiter. 440.49

Tractatus.

Tractatus aliàs est croamaticus, aliàs
exotericus. 305

Trinitas.

Anima rationalis est Trinitatis
imago. 466

V

Vacuum.

Vacuum bifariam accipitur, pro-
priè & impropiè. 646

Non dari vacuum in natura rerum
multis probatur experientiis.
ibid.

Cur abhorreat à vacuo materia.
647.2

Vacuum ab Angelo causari nequit.
ibid.

Possibile est vacuum de potentia
Dei absoluta. ibid.

An motus aquæ ad replendum va-
cuum sursum sit illi naturalis, an
violentus. ibid.3

Si aqua consideretur non vt est
pars vniuersi, sed secundum spe-
cificam eius inclinationem & na-
turam, motus sursum etiam ad
replendum vacuum est illi vio-
lentus. 648.4

Si aqua consideretur vt pars est
vniuersi, non solum non est illi
violentus motus sursum ad re-
plendum vacuum, sed magis na-
turalis, quàm proprius. ibid.

An in vacuo mouerentur corpora.
Refertur sententia negans, &
mens authoris expenditur. 649

Vera & communis sententia. ibid.
2

Cur motus projectorum in vacua
non esset naturalis, aut violen-
tus, sed neuter. ibid.

Vbi.

Vbi passuum bifariam accipitur. 627

Vbi desinitiuum quid. ibid.

Vbi circumscriptiuum quid. ibid.

Violentum.

Materia prima non mouetur vio-
lenter. 417

Violentum quid. ibid.

Violentia & naturalitas est compu-
tando formam ad passum præcisè.
418

Violentia non est solum contra prin-
cipium actiuum. ibid.

Violentum trifariam nominatur. ibid.
14

Proponuntur diuersa authorum
placita, & authoris explicatur.
419

Violentum & naturale differunt. 421.
21

Vnio, & Vnitas.

Vnio materiæ & formæ.

Quæcunque rerum coniunctio vno
dicitur. ibid.

Vnio materiæ & formæ an ab vtro-
que distinguantur extremo. Ad-
duntur diuersa Philosophorum
placita, & explicantur. 390. &
seqq.

INDEX RERVM.

- Vtrum hæc vnio distinguatur à
causalitate materiæ & formæ.
392
- Vnio materiæ est approximatîo in
ordine ad causandum compositum.
393
- Vnio distinguaturne ab eductione
formæ. 394
- Extrema vnionis propriè dicuntur
fundamentaliter vnita. ibid.
- Vnio non est pars intrinseca compo-
siti. ibid. 11
- Adducuntur diuersa authorum
placita, & enodantur. 395. &
seqq.
- Vnio non ponitur præcipuè vt extre-
ma dicantur vnita. 396. 14
- Vnio non est modus absolutus. ibid.
15
- Vnio est relatiô extrinsecus adue-
niens. 397
- Relationes vnionis mutuè reducū-
tur ad actionem, & passionem.
ibid. 17
- Vtrum sit vna relatiô vniens, vel
duplex. 398
- Vnitas duplex, positiua vna, nega-
tiua alia. 364
- Vnum continuum est vnum numero.
342

FINIS.